MONUMENTA ECCLESIAE STRIGONIENSIS.

JUSSU ET SUMPTU

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

JOANNIS CARDINALIS CSERNOCH

PRINCIPIS PRIMATIS REGNI HUNGARIAE, ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS

CET. CET.

COLLEGIT ET EDIDIT:

LUDOVICUS CRESCENS DEDEK

ECCL. METR. STRIG. CANONICUS, ARCHIDIACONUS COMAROMIENSIS,

ACADEMIAE S. STEPHANI MEMBR. ORDIN.

TOMUS TERTIUS

Ab a. 1321. Ad a. 1349.

Nr. 1—975.

(CUM XII TABULIS SIGILL. ET FACSIMIL. PHOTOTYPOGRAPHICIS.)

STRIGONII, 1924.

TYPIS DESCRIPSIT GUSTAVUS BUZÁROVITS.

Esztergomi Érseki Főkáptalan Esztergomi Érseki Levéltár Esztergom-Komárom Vármegye

„Quia divine maiestatis reverencia cordi nostro vehementer insidet et ad eius nominis cultum mentis nostre acies sedule occupatur, tanto nos ante oculos ipsius credimus maioris gracie dona percipere, quanto sanctam matrem ecclesiam, quam Christus in evangelio domum suam fatetur, in suis iuribus donaticiis studuerimus propensius conservare . . . ."

Ludovicus Magnus rex, anno 1347.

Esztergom-Budapesti Főegyházmegye Esztergomi Érseki Levéltár

EMINENTISSIMO

AC

REVERENDISSIMO DOMINO, DOMINO

JOANNI CARDINALI CSERNOCH

METROP. ECCLESIAE STRIGONIENSIS ARCHIEPISCOPO,

S. SEDIS APOST. LEGATO NATO,

INCLYTI REGNI HUNGARIAE PRINCIPI PRIMATI,

SUMMO AC SECRETARIO CANCELLARIO,

S. REGIAE APOST. MAIESTATIS ACTUALI INTIMO CONSILIARIO,

INSIGNIS ORDIN. S. STEPHANI REGIS APOST. PRAELATO, EIUSDEMQUE

EQUITI DE MAGNA CRUCE,

ECCLESIAST. COMMISSIONIS PRAESIDI,

INCLYT. COMITATUS STRIGONIENSIS PERPETUO COMITI,

ACADEMIAE SCIENT. HUNG. DIRIGENTI SOCIO,

ACADEMIAE ITEM S. STEPHANI MEMBR. ORD. ET HONORARIO,

SS. THEOLOGIAE DOCTORI ET AD REG. SCIENT. UNIVERSIT.

PÁZMÁNYIANAM COLLEGIATO, NECNON AD HONORES

CET. CET. CET.

REI LITERARIAE FAUTORI

PATRONO PIISSIMO GRATIOSISSIMO.

IN

PERENNEM

FELICITER TRANSACTI

DIE 18. NOVEMBRIS

SACERDOTII SUI

ANNI

QUINQUAGESIMI

MEMORIAM.

Esztergom-Budapest Főegyházmegye
Esztergomi Érseki Levéltár

Eminentissime Princeps!

Cum tertium Monumentorum Ecclesiae Strigoniensis volumen, occasione feliciter recurrentis quinquagesimi Eminentiae Tuae sacerdotii anniversarii, profundissima cum veneratione ac devotione filiali obtutibus Ejusdem exhibere praesumo, feliciorum temporum memoria, praesentium sollicitudo ac fata futura incerta mentem occupant.

Celeberrimus Gallorum scriptor, Chateaubriand, tempus praeteritum assimilari posse censet seni cuidam venerabili, qui ad larem familiarem enarrat ea, quae expertus est, suaque fabulatione, sua opinione, suo loquendi stilo, suo ingenio suoque vestitu delectat simul atque docet. En historiae, magistrae vitae symbolum. Historia etenim, huic seni similiter, efficit, ut pristinorum dierum eventus quasi reviviscant, ut e fatis generationum, quae praecesserunt, ea, quae ventura sunt, adumbret, uti Scriptura dicit: Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. (Eccles. 1, 9.) Ex historiae scriptoribus alii quidem e vasta vetustarum paginarum mole eruunt atque in ordinem redigunt res gestas, alii in nexus earum indagant atque progressus humani generis leges statuunt, praestantissimi vero huius artis cultores facta haec ac leges, ingenii sui lumine illustratas proponunt. Ad haec lumina cernere licet quasi in imagine eventus antiquos et reperire viam, quam ingredi debeant nationes altiora semper petentes.

Praesens volumen continet partem historiae Hungaricae gloriosi illius aevi, quo reges ab Andegavia oriundi dominarunt. Conspicimus Carolum I., qui ordinem publicum in regno restituit et Ludovicum I. nobilitatis et juventutis flore nitentem, iure meritoque Magni cognomine condecoratum, cuius regiminis tempore undae trium marium imperii oras lambebant.

Dum autem jucunde paginas perlustramus horum temporum historiam gloriosam enarrantes, oculi lacrymis implentur et dolor constringit pectora nostra. Hungaria quondam magna et potens angustis constricta tenetur limitibus, antiquae Sancti Adalberti Dioecesis grex divisus est, multi domo exsulare coguntur, ubi gaudiis innocentis infantiae fruebantur. Dei patriaeque amore imbuebantur. Perpauci sumus et sinceris amicis destituti, qui fleant nobiscum flentibus, congaudeant gaudentibus. Facti sumus orphani matris amissionem deplorantes. Eminentia Tua certe eo vehementiore afficitur dolore

ob patriae mutilationem, ob gregis sibi concrediti disparationem, ob separationem ab urbe patria, quo sollicitior semper deprehendebatur in eminenti, qua fulget dignitate de utriusque reipublicae salute promovenda, quo vividiore affectu adhaerebat glebis felicibus, in quibus lucem aspexit.

In tali calamitate constituti tamen recte speramus. Futurum quidem tempus absconditum est mysterium, ast Gubernator mundi optimus sapienti consilio praeclusit nobis visum in futurum, ideo sane, ut e spe meliorum temporum nova semper scaturirent molimenta, novae nascerentur vires, novae procederent actiones, novi susciperentur labores. Felicioris huius futuri pignus conspicere licet in Eminentiae Tuae cohortationibus, quae animos nobis addunt et in activitate Ejusdem infatigabili, ex qua exemplum capiamus oportet, quaque semitam nobis demonstrat, quasi dicat: Ora et labora, invoca Dei adjutorium et esto assiduus in cumulandis thesauris, quos aerugo non demolitur, tinea non corrumpit. Gratias igitur agere debemus divinae Providentiae, quae inter casus adversos in Eminentia Tua Ecclesiae et patriae constituit ducem ingenii dotibus clarum, virtutibus eminentem.

Sicuti pro certo haberi potest, ruinam nationum per earum corruptionem adduci, ita ignorare non licet prosperitatis earumdem fontem in nativo cuiusque gentis ingenio constitui — virtutis cultu nobilitato — quo gentes aptae redduntur, quae destinatione sua cognita consiliis divinis exsequendis labore indefesso cooperentur. Opusculum hoc, quod liberali Eminentiae Tuae munificentia prodiit, huius laboris est exiguus fructus ac documentum illius culturae, quae sub Eminentiae Tuae auspiciis etiam in hoc rerum adversarum frigore floscellos producit.

Deus omnipotens prolonget Eminentiae Tuae vitae cursum salvumque nobis servet atque incolumem in Ecclesiae ac patriae decus.

Devotissimas demum rependendo grates pro Eminentiae Tuae immerita benignitate, qua exiguo mihi volumen hoc Monumentorum concinnandum committere non dedignabatur, paternam benedictionem enixe peto imploroque humillime.

Strigonii in Hungaria, Festo Exaltationis Sanctae Crucis. MCMXXIV.

Eminentiae Tuae

devotissimus filius

LUDOVICUS CRESCENS DEDEK m. p.

CONSPECTUS TOMI TERTII.

	Pag.
Praefatio	I
Vitae archiepiscoporum A. 1321—1349.	X
1. Boleslaus, Dux Tostensis	X
2. Nicolaus (III.) de Dörögd archielectus et administratores	XIV
3. Chanadinus de Telegd	XVII
Documenta chronologico ordine digesta	1—719
I. Boleslaus, archielectus 1321. circ. Mart. — 1321. 1. Oct.	1
II. Boleslaus, archiepiscopus 1321. 2. Oct. — 1328. Dec.	6
III. Vacat sedes 1328. Dec. — 1329. circ. Febr.	142
IV. Nicolaus de Dörögd, archielectus 1329. Febr. — 1330. 15. Sept.	145
V. Ladislaus, Quinqueecl. / Henricus, Vesprimiens. episcopi administratores 1330. 3. Febr. — 1330. 15. Sept.	157
VI. Chanadinus de Telegd 1330. 17. Sept. — 1349. Dec.	180
VII. Supplementum	707
Index personarum, locorum ac rerum	721
Index chronologicus	772
Errata corrige	778

Eszterházy Károly Katolikus Egyetem Főiskolai Könyvtár

Esztergom- Budapesti Főegyházmegye
Esztergomi Érseki Levéltár

PRAEFATIO.

Monumentorum Ecclesiae Strigoniensis Tomus III. in anniversario quinquagesimo duplicis amplissimi aeque ac faustissimi eventus in lucem prodit.

Quinquaginta abhinc anni defluxerunt, ex quo b. m. *Joannis* Cardinalis *Simor,* Principis, quondam Hungariae Primatis, iussu item et notissima omnibus munificentia primum ingentis operis volumen publicatum est. Favor Pastoris infulati in scientias singularis et summa eruditio b. m. *Ferdinandi Knauz* die Resurrectionis Domini a. 1874. immanem diplomatum molem ex crasso pulvere saeculorum efferebant, ut fierent facundi testes gloriae Ecclesiae Strigoniensis vetustissimae, simul et lapides aedificii magni et fastuosi Historiae Regni Hungariae.

Et itidem quinquaginta anni defluxerunt ex tempore, quo benigna dispositione Pastorali et iussu b. m. *Joannis Simor* presbyter Sanctae Ecclesiae factus est *Joannes Csernoch.* Die 18. mensis Novembris a. 1874. episcopus auxiliaris Vindobonensis, Josephus Kutschker, successor futurus Card. Rauscher, imposuit illi manus et sub altis ac magnificis fornicibus ecclesiae Sancti Stephani sacerdotem archidioecesis Strigoniensis ordinavit.

Neopresbyter die 19. Nov. a. 1874. festo s. Elisabeth Hungariae in ecclesia filiarum s. Elisabeth primam hostiam omnipotenti Deo mactavit, qua occasione sollemni partem manuductoris *Antonius Sujánszky,* canonicus Strigoniensis, Collegii Pazmaniani tunc rector, egit; sermonem sacrum vero *P. Anselmus Rickert* O. S. B., in universitate Vindob. professor, ad fideles instituit.

Duo haec Jubilaea duplicia nobis parant gaudia et duplicia imponunt officia.

Imprimis dilectissimo, qui 42 annis post gestu liberali Monumenta nostra iterum resurgere fecit, Pastori et Pontifici, uberrimas agere gratias debemus. Sane editio vasti, quale hoc est, operis et eiusdem in historiographorum mensa depositio in consolidato foecundoque rerum ordine quoque pro amplo ac pio erga Patriam munere habebatur; eo magis hodie, cum immensos editionis sumptus ex paucis tantum diminutorum bonorum archiepiscopalium reditibus solvendos esse intelligimus, hic mirae liberalitatis gestus a nobis mirandus reputatur.

In maximis quoque rebus quidam gradus distingui possunt. Ita, si Joannes Cardinalis Simor per inchoanda perque divulganda duo Monumentorum volumina permagnum certe opus egerit, haud arguendi nos iactantiae sumus, cum Joannem Cardinalem Csernoch, *celeberrimum celeberrimi magistri discipulum,* per continuationem operis et editionem huius tertii voluminis plus adhuc praestitisse dicamus.

Joannes Card. Csernoch etenim est *discipulus et carissimus filius* Cardinalis Simor, servans fideliter depositas traditiones patris. Studiis altioribus qua Collegii Pazmaniani alumnus in Universitate Vindobonensi, postea in Instituto S. Augustini

summis cum laudibus absolutis, mox in manus Magistri et Patris incidit. Card. Simor citissimo ictu oculi perspexit iuvenem sacerdotem esse veluti aptissimam dignissimamque statuam marmoream, in qua prima lineamenta suae figurae propriis manibus sculpendo exprimeret. Quod et fecit. At prima solum dico. Nam reliqua indefesso labore, ambitioso studio, infracta energia et animi alacritate ipse sibi ad exemplar architypi impressit. Ut serius omnibus omnia fieret, Card. Simor iussit illum omnes activitatis ecclesiasticae gradus pertransire.

Contulit illi munus cooperatoris rure, idem postea in urbe Regni capitali, mox professorem theologiae eum constituit, demum sibi ad latus adscivit, ut faceret peritum administrationis ecclesiasticae et socium laboris inamissibilem haberet. Sic fulgida promotio Joannis Csernoch fulgurantis eius sagacitatis et indefessi laboris evasit fructus. Annum agens 37-um canonicus Ecclesiae Strigoniensis est electus; mox per gradualem promotionem a. 1898. archidiaconus Nogradiensis, 1905. archidiaconus Cathedralis, anno vero 1906. canonicus Custos. Post expletos annos fatigii continui labores Curiae archiepiscopalis commutavit cum parochia Cathedrali, unde ut electus Comitiorum deputatus, recusato prius episcopatu Szatmariensi, Apostolicae Sedis et Apostolici Regis gratia ac desiderio die 12. Jan. a. 1908. Sedi Chanadiensi praefectus est. Exinde vero iam die 8. Martii a. 1911. elevatus in archiepiscopatum Colocensem et mox die 20. Nov. anni 1912. archiepiscopus Strigoniensis et Princeps-Primas Hungariae est electus.

Lapides monumentorum summam virorum qui ipsa posuerunt, gloriam posteris ore vivo annuntiant. Speramus fore mitiora adhuc tempora, quum praeter reconstructum auctumque Gymnasium Tyrnaviense, praeter reconstructam et ad regulas artis selectam ordinatamque Pinacothecam in Palatio archiepiscopali, praeterque magnificum praeparandiae magistrorum institutum pro Strigonio animo conceptum, multa adhuc molimina grandia, modo in pectore reclusa, diadema meritorum Joannis Csernoch novis ornabunt gemmis, adamanteque micantibus. Dico, quia spero, fortunata sorte denuo adventuros esse annos felicissimos, quando Hungarae gentis cultura, ab intellectu Hungarico concepta, Hungaricis manibus exsecuta ac eidem exterarum gentium minime dispar, inde a Carpathicis montibus ad sinum Adriaticum usque triumphans triumphabit. Quod Deus Optimus Maximus celerrime faxit, totis votis optamus.

Sed quomodocunque res se habuerint, hoc invictum manebit: agmen litterarum innumerabilium in hujus voluminis paginis typis plumbeis impressarum, alte in tempora clamabit, sedisse quondam in Monte sancto Sion Hungarorum, in antiquissima Sede Strigoniensi virum, culturae strenuum propugnatorum, scientiarum liberalissimum fautorem: *Joannem Cardinalem Csernoch.*

At occassione duplicis jubilaei alias quoque piae commemorationis chordas, quibus memoriam beatam *Ferdinandi Knauz* concinere digne valeamus, attingere debemus. Hic erat enim vir, qui ante 50 annos primum Monumentorum Eccl. Strigoniensis volumen concinnans lumine ingenii eruditissimi nubilos historiae campos collustraverat.

Ferdinandus Knauz die 12. Octobr. a. 1831. natus in Ó-Buda, patrem opificem sat fortunatum, origine ac lingua Germanum, habuit. Quod minime est mirandum. Parentes Germanos quidem lingua et origine, Hungaros tamen sensu et corde! Gens enim Hungarorum nunquam suos alius idiomatis concives spre-

vit, eo minus vi oppressit. E contra culturam illorum et labores semper magni faciebat, confidens in vi transformativa soli et aeris Hungarici. Nec sine effectu unquam.

Ferdinandus Knauz, puer adhuc, scholae elementaris frequentandae gratia ad occidentem campi Rákos dicti partem, ubi colles *Mogyorosienses* surgunt, in domum notarii villae, cuiusdam *Gaal* devenit. Nondum integro expleto anno, Germanulus puer radicitus Hungarus adolescere coepit. Terra, aura, domus, socii tantam in illo commutationem effecerunt, ut quivis originis eius ignarus illum pro genuina Cumanici deserti subole facile haberet.

Studia humaniora Strigonii solvit. Peracto sexto gymnasii cursu, novitiatum ordinis s. Benedicti ingressus, mox tamen exinde iterum Strigonium reversus, in almo s. Stephani seminario studiis theologicis operam dedit, quibus feliciter consummatis, per impositionem manuum episcopi coadiutoris Josephi Krautmann die 7. Decemb. a. 1854. sacerdotio est initiatus.

Experimenta eius litteraria prima non excedunt mensuram primitiarum, quas iuvenes ingenio praedicti conficere solent. Componebat versus, scriptitabat descriptiones, narrationes, fabulas, quas *novellas* appellant. Sicut avis volatum discens volitabat ex uno obiecto ad alterum. At alacritatem ingenii solam non sufficere ad scribendum propere intellexit. Qui alios docere vult, ipse addiscat prius oportet. Simul persensit campum illum, qui sibi pateret, historiam esse tunc temporis fere incultam persuasumque ei erat ingenium a Deo acceptum sibi tale esse, quod ibi sulcos frugiferos fodere valeret.

Integris igitur viribus studium historiae aggressus est, incipiendo ab Alphabeto eius. Historiographus enim, ut genium temporum lapsorum eruere et ex litteris mortuis in Codicibus latentibus vivam vocem proferre valeat, lectionem cursivam codicum addiscat necesse est. Et fecit hoc, quamvis opus maxime intricatum fuerit pro illo. Non frequentabat Universitates, non auscultabat lectionibus professorum eruditissimis, qui ipsum forti manu ducerent per saltus spinosos novae palaestrae. Unicum quod aderat ipsi, apprima notitia linguae Latinae. At studiis vacavit cum perspicacia gentis Germanae et cum pertinacia stirpis Hungarae. Postquam vero in pervestigationibus indefessis qua fructum fatigii a Deo acceperat, ut *Codicem Posoniensem*, qui vulgo periisse credebatur, de novo detegeret et copiosis auctum commentariis anno 1856. in litteris periodicis „Uj magyar Muzeum" publicaret, uno ictu in illorum primam seriem gressus est, qui scripturas antiquas solvere valerent.

Abhinc studia dilatavit et ad omnia studia subsidiaria historiae, simul ad omnes ramos Diplomaticae extendit. Inde secreta brachygraphiae, palaeographiae, numismaticae, sgraphologiae, chronologiae, quibus Aevum Medium tanto gaudebat, qua liber explicatus illi patebant. Quid mirum, si tanta recuperata scientia is evaserit, qui revera fuit: *celeberrimus palaeographus Hungariae.* Autodidacta cum fuisset et neminem magistrum habuisset: omnium magister factus est.

Nec locus, nec tempus suppetit, ut omnia amplissimae eruditionis opera Knauzii recenseamus; opera solummodo palmaria commemorabimus, quibus gloriolam scriptorum in historia Hungariae celeberrimorum sibi meruerat.

Tamquam celeberrimum eius opus *Kortan* (Chronologia) titulatum prae ceteris commemorandum venit, quod laurea Academiae Scientiarum Hungaricae cinctum a. 1876. prodiit. Cum Guilelmus Fraknói, dicti instituti tunc supremus secreta-

rius, illud die 18. Decembris eiusdem anni in mensa Academiae deposuerat, a commotis stupefactisque per minuta membris academicis summo cum applausu susceptum est. Grande sane opus, quo praestantius ac perfectius *nulla gentium* in arte hac ostendere posset. Árpadus Károlyi de opere disserens ait: „Plurimas Academia iam honoris coronas diversis operibus, sed nulli hoc maiori digniorique unquam adiudicavit . . . Auctor inaestimabilem thesaurum, cuius primus iam aspectus omnem expectationem exsuperat et qui continuo dein usu semper pretiosior evadit, patefecit . . . hoc ingenii Hungarici opus tantos in nos producit effectus, ut eodem fere modo, quo Moyses ardentem quondam rubum, illud conspicere cogamur."

Jure merito huic praestantissimo operi par dicere debemus alterum non minus dignum: primum nempe ac secundum Monumentorum Ecclesiae Strigoniensis volumen. Illud in XLVIII.—688. paginis in 4° festo resurrectionis Domini a. 1874., hoc vero in XLIX.—883. paginis in 4°, mense Junii a. 1882. in lucem prodiit. Duo haec volumina continent diplomata omnia, quae inde a fundatione archiepiscopatus Strigoniensis usque ad annum 1321., regentibus archidioecesim interdum 32 Archiepiscopis, supersunt et data historica ubicunque reperta, ordine chronologico, cum commentariis, qui totam materiam amplectuntur, notisque virum rei peritissimum profitentibus.

Uti opus eius „Kortan" palmatum evasit, ita et Monumenta vere opus classicum evadere meruit, quod omnes scientiae periti cum applausu receperunt. Cito probata est sententia eruditorum opus collectaneum historiae Ecclesiae Strigoniensis similium editionum princeps esse, quod cum aliis quoque Europae huiusmodi publicationibus contendere facile possit. Quapropter verissime eruditus biographus Knauzii[1] addit de opere classico Monumentorum scribendo: „Omnino verum in tempora monumentum est, quod immensam eruditionem auctoris, gravitatem profundam, inexhaustam diligentiam, pium erga patriam archidioecesimque sensum per omnia saecula posteritati annuntiabit, quo auctor adimplere fervida Péterffy-i vota volebat dicentis: „Agamus socii . . . ne antiquitatis sacrae Hungariae studio infra gentes simus ceteras." Quibus iam, non voluisse tantum, sed et revera adimplevisse, nobis addere licebit.

Inter caetera Auctoris opera minime praeterire debemus opus, quod inscribitur: *„A Garam-melletti szent Benedeki Apátság története"*, quod sumptibus prodige magnificis archicapituli Strigoniensis vere luxuriosam editionem vidit. Proh dolor, solum Tomus I. est publicatus et quidem anno 1890., occasione consecrationis ecclesiae s. Benedicti de iuxta Gron, ab archicapitulo patrono magnifice ad legem artis restauratae.

Knauz secundi quoque tomi manuscriptum perfecit, quod tamen testamenti tenore in tabulario codicum Academiae Scientiarum Hungaricae repositum est — ut videtur — in aeternitatis saecula . . .

Tandem animum ad alia duo, ambitu licet exigua, tamen materia gravia opuscula advertere licet, quorum alterum *de manuscriptis Capituli Posoniensis* disserit, alterum vero *Missalia et Breviaria antiqua ecclesiarum Hungariae* colligit.

---

[1] Dr. Julius Walter: Dr. Knauz Nándor. Emlékbeszéd: „Az Esztergom-vidéki Régészeti és Történelmi Társulat" 1899. márc 5-én tartott közgyűlésén felolvasta a szerző. — Nos quoque data citati opusculi huius prae oculis habuimus.

Ambo in libello periodico: „*Magyar Sion*" inscripto et per sex annos (1863—1869.) ab ipso Knauz moderato, publicata sunt. Postea seorsim quoque in forma fasciculi impressa sunt.

Archipraesul altae mentis, Card. Simor indefessum diplomatum investigatorem, cultorem scientiarum doctissimum, cumulare honoribus nunquam desiit. Knauz a. 1871. ex bibliothecarii officio, quod in metropolitana bibliotheca gessit, ad stallum canonicatus Strigoniensis est elevatus, a. 1878. Abbas ss. Salvatoris de Szerfel, a. 1890. Episcopus cl. Scardonensis nominatus. In capitulo vero per gradualem promotionem a. 1881. archidiaconus Comaromiensis, a. 1889. canonicus Custos, a. 1894. canonicus Cantor factus est. Stallum can. Cantoris anno 1896. permutavit cum praepositura Posoniensi.

Nec minus areopagi scientiarum merita eius agnovere. Academia Scientiarum Hungarica doctum, vix 27 annorum virum, a. 1858. membrum litterarium, a. 1873. ordinarium, a. vero 1891. membrum ad honores elegit. Maximus tamen honor illi contigit tunc, cum a. 1880. Universitas Scientiarum Budapestinensis, perenne monumentum Petri Pázmány, cuius cineres Knauz ipse detexerat, illum doctorem ad honores nuncupavit.

Knauz cursum suum litterarium Posonii coepit. Posonio qua mire splendens sidus in coelum scientiarum Hungariae adsurrexit. Nunc item Posonium, mori sed iam, rediit. Longam post aegrotationem die 26. April. a. 1898. hora 6. matutina, oculis in aeternam requiem clausis, de vita migravit.

* * *

Post mortem fama, Knauzium integram tertii quoque Monumentorum voluminis materiam composuisse et paratam iam typis reliquisse, quodammodo percrebuit. Quod tamen minime verum est. Nam si volumen tertium tali in statu praeparatum fuisset, sane iam typis mandatum esset. At illud ob defectum sufficientis temporis nullo modo potuit prodire, cum Knauz, secundo operis volumine a. 1882. edito, aestate iam a. 1888. apoplexia — ut omnes norunt — tactus sit. Ex morbo paulatim quidem reconvaluit, sed a medicis, ne complicatum laborem susciperet, severe interdictus est. Parum quod habebat temporis, reconstruendo id templo de *Szentbenedek* et scribendae historiae conventus eiusdem impendit. Scriptus manu fasciculus, qui pro materia tertii voluminis reputabatur, labores praeparatorios operis continet. Praeter copias, ex archivo iure credibilitatis gaudenti capituli Posoniensis desumptas, magna ex parte illa diplomata hic descripta inveniuntur, quae in suis transcriptionibus documenta continent, quae tempora Arpadorum respiciunt et I. ac II. volumine iam complectuntur. Haec manuscripta reperta ex abundantia auctoris procedunt, qualia in scrinio cuiuscunque historiographi reperiuntur qua provisio futurorum voluminum, qui diligens ac providus est. Ceteroquin Knauz laudabilem utique describendi diplomata morem habuit, si quae in manus eius devenerint. Oblata occasione haec vel ipse desumpsit, vel desumi per alios curavit, quorum operam tamen semper revisit. Tali modo permagnam eamque integrum fere Aevum Medium complectentem descriptorum diplomatum collectionem sibi comparavit, quorum plurima dein volumini tertio inserenda erant. Manuscripta haec sunt opus pretiosissimum et viam sternens, certum est, — minime tamen manuscriptum voluminis perfectum et undequaque absolutum.

Proh dolor, pretiosa haec et dives collectio apographorum Knauzii post

mortem eius non mansit in unum, sed discerpta est. Pars eius in archivo Capituli Strigoniensis privato, pars in tabulario chirographorum Academiae servatur, pars vero haud modica in privatorum manus incidit. Sic Dr. Mauritius Wertner quoque, genealogus illustris nuper defunctus, multas ex descriptionibus possedit, quarum usus illi in publicatione, facta in *Magyar Tört. Tár* (a. 1908—1910.) ac *Kiadatlan Oklevelek* titulata, multum profuit.

Tempore igitur, cum Eminentissimus Archipraesul noster aestate a. 1913. mandatum continuandorum Monumentorum debilitati nostrae contulerat, materia, quam Knauz praeparaverat diligenter perlustrata, id perspectum habuimus, investigationem et collectionem diplomatum nec non descriptionem illorum ab origine esse repetendam, si opus in suo genere perfectum conficere velimus.

Ad perscrutanda Archiva primo nos ipsos accinximus; mox eruditissimum virum Doctorem *Michaelem Zákonyi,* vicearchiv. Archivi Regnicolaris pro peritissimo socio et adiutorio habuimus. Perlustravimus autem materiam Aevi Medii praeter *Archiva Strigoniensia* in *Archivo privato* et *loci credibilis Capituli Posoniensis,* in *Archivo civico Posoniensi,* in *Archivo Comitatus Posoniensis;* dein in *Archivo Ordinis s. Francisci* in *Conventu Posoniensi.* Similiter *Archiva privata unita Episcopatus et Capituli Wesprimiensis* et *Archivum loci credibilis* ejusdem Capituli, demum *Archivum Regnicolare Hungariae* et *Archivum Musaei Nationalis.*

Bello a. 1914. exorto, plurima impedimenta nobis obvoluta in laborando fuere, quorum quidem superare partem contigit, a parte tamen nos ipsi in labore victi sumus. Quapropter pretiosam et magna ex parte indetectam adhuc materiam archivi civitatis Poson. describere ac usui nostro vertere nullo pacto potuimus. Simili modo archivum Capituli Nitriensis, nec non archiva familiarum *Batthyány* de *Köpcsény* et *Erdődy* de *Galgócz* omittere debuimus. Archivum Capituli Scepusiensis, tum privatum, tum credibilitatis iure gaudens a. 1914. solus perlustravi, sed iam a. 1918. cum describere ibidem diplomata in animo habuimus, abrumpendum iter erat; quod ideo valde dolendum est, quia a publicando diplomate, dato a. 1331. et longo metrorum 14^{63}, quod litem de archidiaconatu de *Tarczafő* inter episcopatum Agriensem et archiepiscopum Strigoniensem continet, desistere, sic vero insignem hunc in historia iuris Ecclesiastici fontem omittere coacti sumus.

* * *

Structuram operis, quam *Knauz* composuit, cum aptissima plane videretur, retinuimus. Divergimus solummodo separando partem, quam diplomata constituunt, a parte, quae brevem archiepiscoporum biographiam tradit. Sic enim faciliorem reddi operis usum putavimus. Omnia data diplomatica, quae ubicumque adhuc reperiri poterant, volumini inseruimus; ea quoque, quae remote tantum Archidioecesim Strigoniensem attingunt, siquidem sive ex respectu iuridico-historico vel culturali vim habent, sive indolem activitatis instituti cuiuspiam ecclesiastici patefaciunt. Revera nonnulla diplomata laxum tantum cum historia Archidioeceseos nexum habere videntur. Sed apparenter solum ita videntur, quia materia sequentium voluminun Deo favente publicandorum monstrabit, haec quoque necessaria esse. Ut exemplum dicamus concretum: publicamus multa diplomata Archivi Primatialis, quae protestationes Andreae Keszei continent. Horum locum et relationem dicet volumen, quod acta archiepiscopi Nicolai Keszei referet.

Knauz in tomis I—II. data, quae in annalibus antiquioribus vel historiographorum operibus sparsim de archidioecesi occurrerant, omnia publicat. Cum talibus publicationibus materia voluminis rapide increvisset, nos ab hoc procedendi modo abstinendum duximus. Hac enim agendi ratione fere tertia pars diplomatum e paginis detrusa esset. Regestris ergo solum inserendis publicationum diplomaticarum, quae nostram materiam respiciunt, contenti esse debuimus, iis scilicet, quae in aliis publicationibus insertae reperiuntur.

Propter emolumentum commune ita placitum esse videbatur, acsi expediret documenta nonnulla cum majoribus vel minoribus abbreviationibus, omissionibus publicare, partes transsumptionales vero simplicibus regestris innotare. Iterum dicimus: ad emolumentum publicum proficuum hoc forsan fuisset. At nos specialibus ex respectibus aliam viam prosequi coacti sumus. Publicatio enim haec Monumentorum Ecclesiae Strigoniensis non unicum illum finem habet prae oculis, ut documenta concernentia uno volumine comprehendantur et sic omnibus facile pateant, verum etiam ut illa simul in perpetuum conserventur, ut ita dicam, petrificentur. Nam edita diplomata nunquam pereunt, dum dissipationis periculum originalibus, licet diligentissime custodiantur, nunquam perfecte praecaveri potest.

Satis erit nobis ex antiquis temporibus Theophili praepositi querelas coram capitulo Agriensi a. 1304. indicare, in quibus de Wenceslai Bohemi insolentiis agens haec habet: „. . . privilegia, litteras tam nobilium regni, quam ipsius ecclesie fecit asportari et ex multis privilegiis aurum et sericum, in quibus pendencia sigilla manebant, manu sacrilega crudeliter laniavit, et maxime litteras et privilegia ipsius ecclesie . . . destruxisset, laniasset, aut secum detulisset." (Cfr. T. II. nr. 588.) Tali modo communis quoque archiepiscopatus et capituli Strigoniensis possessio in *Nezsider* una cum diplomate simul pessum ivit. Similiter et diploma nr. 707. huius voluminis, quod lugendam archivorum Szepeshelyensium devastationem et direptionem per Cumanos Ladislai IV. factam tradit, memorare possumus. Iamvero quod factum olim fuerat, id hodie quoque facile evenire poterit.

Omissis tamen his considerationibus, imo praetermisso eo quod ne factis huiusmodi omissionibus quidem diplomata *Nicolai Vásári,* subsequentis archiepiscopi spatium septem annorum complectentia, possibile fuisset huic volumini inserere, prae oculis habendum est exordia et comprobationes diplomatum, etsi eandem fere formam ostendant, quamplurimas continere subtiles nugacitates, deviationes, notas, ex quarum studio evolutio mentalitatis aevi respectivi quam optime elucet. Quae certo omissae fuerint. Quarum omnium diligens ac profunda pervestigatio ad efformandas scientias diplomaticas quantum conferat, iure provocamus ad dissertationes perutiles, quos Doctor *Stephanus Hajnal* in libro suo pretioso nuperrime publici iuris fecit.

Studium nostrum erat diplomata, quantum fieri poterat, *adhuc inedita* publici iuris facere. Si tamen investigatoribus historiae materia nonnullorum diplomatum iam nota esse videatur, id primo ex eo intelligitur, quod diplomata, quae non ab originalibus, sed ab amanuensibus transsumpta et sic publicata fuerant, pro ineditis habuimus (qualis est materia in Fejér: Cod. Dipl.); secundo quod diplomata, quae sparsim in publicationibus minoribus vel dissertationibus inserta fuere edita, denuo, cum adiri facile non possint, imprimi curare debuimus. Sed

diplomata ex publicationibus maioribus perpauca, illaque tantum, quae respectu historiae archidioeceseos nostrae maximi sunt momenti, adsumpsimus.

Quod ad modum descriptionis diplomatum spectat, a methodo doctissimi praedecessoris nostri plane divergimus. Knauz descriptionem de littera ad litteram ratam habuit, quam et secutus est. Concedimus quidem, hanc in edendo primo volumine a. 1874. integrum adhuc ius obtinere potuisse; sed secundo volumine publicato a. 1882. unus ex doctissimis viris criticis iam difficultates contra methodum Knauzii movit.

Dr. Ladislaus Fejérpataky a. 1879. in duabus publicationibus anonymis in libellis „Századok," a. 1890. vero in „Turul" iam aperte modum lectionis — ut dicunt — *humanisticum,* quem omnes exterae maioris momenti publicationes diplomatum iam tunc sequebantur, probavit. Orta inde acri disputa, in qua descriptionem de littera ad litteram Franciscus Kubinyi praesertim defendit, lis in recentiorem publicandi modi favorem dirempta est.

Particulares diplomatum publicandorum regulas, quas omnes postea publicationes paucis cum mutationibus retinuerunt, „Magyar Tört. Társulat", qua forum legitimum, edidit. Et nos has amplexi sumus, sicut et decebat.

Conformando nos recentiori methodo voluimus, ut litterae *v* et *u,* quae inde ab aevo medio per saecula commutata fuerant, suo loco adhibeantur, neque confundantur. Solummodo ibi a regula praestituta discedimus, ubi de transsumptis ex alia editione diplomatibus agitur.

Orthographiam sic dictam phoneticam stricto observavimus, tamen *litteris cursivis* signavimus, ex. gr.: per*hen*torie. Simili modo fecimus tunc quoque, quando in diplomate pro littera simplici dipthongus, sive vice versa pro diphtongo simplex littera scribitur; etiam in casibus, quando in textu litterae emolliuntur, indurantur, inseruntur vel omittuntur. Ubi terminationes, sive derivationes: *tio, tia, tie* secundum pronuntiationem in forma *cio, cia, cie* scribuntur, haec ultima retinuimus. Sed ubi — sicuti in documentis Cancellariae papalis — *tio, tia, tie* habetur, nos quoque sic scripsimus.

Diphtongos littera simplici scriptas ad regulam restituimus; at ubi pro *i* habetur *y,* tunc id cursivis litteris signavimus; ubi vero *y* = *ii,* litteram *y* solvimus, formula *hys* excepta. Litteram duplicem *w* similiter tractavimus; sed in praefixis: *in, con, com* pronuntiationem secuti sumus. Modum describendi de littera ad litteram tamen in pronominibus personalibus, in nominibus locorum, et diversas artes significantibus, item in vocabulis exteris et Hungaricis accurate retinuimus.

Quia maxima diplomatum pars interpunctionem vel penitus omittit, vel inconstanter illa utitur, in usu vero litterarum maiuscularum similem prodit inconsequentiam, nos his supersedendo, et interpunctionem et usum litterarum maiuscularum, prouti sensus ferebat textuum, adaptavimus.

Abbreviationes omnes solvimus; *sigla* vero, item illas diplomatum partes, quae sive difficulter tantum legi, sive solum per adminicula aliunde sumpta compleri possunt, semper intra parenthesim angularem [ ] collocavimus. E contra rotunda parenthesis significat: vel partem tantum vocis, praesertim nominis, in diplomate esse scriptam, vel vocem aliquam a scriptore omissam, vel vero vocem ab illo erasam; quod ceterum, ut facilius res intelligeretur, hic per antepositum verbum: *expunctum,* illic: *emansit* signavimus.

Singula notabiliora menda littera cursiva scripsimus; et quidem ita, ut illa modo litteram ipsam depravatam, modo litteram, quae penes signatam omissa est, indicet; ex. gr.: „terr*a*", ubi „terr*e*" stare debet; o*f*iciales = officiales; vel indiger*et* = indiger*ent* etc. Nota „(sic)" illic tantum, ubi de maiori quadam vocis depravatione, errore sensum turbante, vel laxa dictionis structura agitur, usi sumus.

Tandem pro memoria notamus nos data temporis omnia in diplomatibus reperta, ut usum faciliorem redderemus, solvisse. Solutiones autem ad conspectum facilem reddendum omnes in margine diplomatis adiecimus.

Pari modo annotationes quoque coaevales vel saltem ex Aevo Medio provenientes, quae in dorsis diplomatum vel in margine reperiuntur, publicavimus; quae etsi quandoquidem nil aliud sint, nisi regestra ipsorum diplomatum, tamen respectu onomastico maximi aestimandae veniunt.

Consuetudinem vero sat vigentem, quae diplomata documentis fundamentalibus inserta e loco originali discerpit et alio loco secundum data temporis collocat veluti documenta ab aliis independentia, haud duximus observandam. Nos ad diem documenti fundamentalis integra illa edimus et regestra diplomatum in illo resumptorum apud respectivum diem et numerum publicamus. Sic qui scrutando ab anno pergit ad annum ope reperti apud regestrum numeri facile ad diploma deveniet; qui vero potius materiam sequitur, illam de 2—3, vel pluribus recolligere locis non debet, cum integram in documento fundamentali accipere possit. Exceptionem facimus, ubi etiam exemplar originale diplomatis documento fundamentali inserti repertum est. Tunc originale in extenso suo loco et sub suo die publicamus, in documento principali vero loco respectivo lectorem remittimus ad publicationem praecedentem.

Tandem omnibus, et qui nos benigne ad archiva admittendo, et qui nobiscum collaborando, et qui consilia dando auxilium operi praebuere, agere gratias summas debemus. Imprimis sollers eaque inaestimabilis Dris *Michaelis Zákonyi,* emeriti vicearchivarii, opera, quam descriptionibus, lectionibus comparativis, compositioni indicis — ut credere licet — eximii contulit, commemoranda denuo venit. Deinde efferre laudibus debemus domicellam *Magdalenam Kommer,* cand. prof., quae diplomata in Archivo Musaei Nat. et Archivis Wesprimiensibus servata descripsit indicemque in annis decurrentem composuit. In lectionibus comparativis adhuc adiutorio Dris *Aemilii Jakubovits,* praefecti in tabulario Musaei Nat., itemque Dris *Alfredi Czobor,* supr. praefecti tabularii comitatuum Abauj et Torna usi sumus. De componendis sigillis et facsimilibus in tabulis photographicis reproductis Dr. *Emericus Szentpétery,* professor Universitatis ordinarius et director Dr. *Welimirus Varju,* custos antiquitatum in Musaeo Nat. optime meruere. Gratias omnibus quam maximas!

Denique cum tertium Monumentorum Ecclesiae Strigoniensis tomum historiographis, amicis meis, usui trado, peritorum fiducia dignum ac utile opus me perfecisse, etsi non omnibus magni praedecessoris mei vestigiis insistere mihi contigerit, spero.

* * *

In sequentibus vita archiepiscopum enarratur, ex quorum tempore documenta in hoc volumine typis vulgantur.

I. BOLESLAUS DUX TOSTENSIS.

1321. Oct. 2. — 1328. Dec.

Archiepiscopus Thomas II., fundator et propugnator regiminis Andegavensium in Hungaria, quem Rex Carolus I. tamquam symbolum et exemplum fidelitatis describit in diplomate signato die 1. Aug. 1315. dicens de illo: „tulit crucem suam et viam nostram nunquam dereliquit, sed semper metu aliquo non obstante, intrepide extitit prosecutus,“[1] die 5. Jan. anni 1321. disparet de numero agentium in scena. Praedicta die emisit ultimum documentum suo nomine concessum et ab hac die in vanum vestigium eius quaeris.[2] Probabile, imo probabilissimum apparet eum currente primo mense a. 1321. praedecessoribus suis appositum esse. Concludimus ex scripto episcopi Magno-Varadinensis *Ivánka*, de dato 19. Maji ejusdem anni, a quo *Boleslaus* memoratur iam „Strigoniensis archielectus“ et perpetuus comes comitatus Strigoniensis. (Cf. nr. 1.)

Illis diebus in Regno nostro circa provisionem sedium episcopalium semper servata est adhuc electio canonica, licet quibusdam modalitatibus mutata fuerit, quae influxum regum in dirimendis rebus in dies augebant. Quibus conformiter simulque servatis regulis electionis a legato *Gentilis* propositis, currentibus tribus mensibus a morte praefati Thomae archiepiscopi, archicapitulum Strigoniense diem electionis fixit, convocatis omnibus, „qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse,“ seu convocatis episcopis suffraganeis et commembris capituli.

Ipsa electio admodum protracta est. Multae repetitae et diuturnae illam praecesserunt discussiones et transactiones, evidenter non alia de causa, quam quod ipsi electores non consensissent in personam eligendi a Curia Regia anhelati. Quid aliud supererat, quam quod electores speciales deputarent eligentes, qui „per viam compromissi“ *Boleslaum*, Ducem Tostensem, ergo alienigenam locarunt in primam Hungariae cathedram episcopalem.

Dux *Boleslaus* natus est circa a. 1280. Pater ejus Casimirus, dux de Beuthen et Teschen, mater Helena, principissa Lithvaniae.

De vitae ejus anteactis parum est quod reperimus. Quando a. 1289. pater ducatum Opuliensem in feudum dedit, tamquam consentientes in documento memorantur *Boleslaus* et frater eius Vladislaus[3]. Quum statum elegisset ecclesiasticum, vix erramus affirmantes initio fuisse ipsum canonicum Wratislaviensem, dein vero Praepositum Opuliensem. Saltem praeferenda nobis videtur eorum

---

[1] Monum. Eccl. Strig. T. II. nr. 806.

[2] Ibidem. nr. 903.

[3] Sommersberg, Script. rer. Siles. II. 682.

sententia, qui sub Praeposito Boleslao, a. 1308. rectore nationis Polonicae in universitate Patavina, nostrum Boleslaum latere autumant.[1] Tempore electionis ad sedem Strigoniensem ad gremium capituli Cracoviensis pertinebat et munus canonici scholastici agebat. Et quamvis superadultus fuerit et in serie annorum processerit, non plus quam ordinem diaconatus habuit.

Prosapiae Regiae Hungariae tunc temporis duplici cognationis vinculo iungebatur. Ex una parte enim soror Maria Regi Carolo I. nupsit, mox decessura circa a. 1315. qua prima eius uxor. Ex altera parte per communem stirpem Piastorum cognatus erat Elisabethae Lokiatek, uxori tertiae Regis Caroli, quae regina prudentia et fortitudine optimas sibi meruit laudes in nostra historia. Hanc duplicem relationem invenimus causam, propter quam Aula Regia ipsum quam strictius Regno Hungariae satagebat adjungere. Inde facile perspectum habemus actum Caroli I, qui ipsi commisit comitatum Pozsega regendum, quo munere aproximatim ad annum 1323. fungebatur. (Cf. nr. 44.)

Electionem capituli Strigoniensis, supradictis ponderatis, quasi vi extortam Boleslaus sine delatione acceptavit et acceptationem delegatis capituli ipsum requirentibus verbis notificavit. Eo magis mirandum, quod in occupanda sede seu confirmanda electione propere agere non satagebat.

Tenore etenim constitutionum electionis magisque ex praescripto Nicolai III. Summi Pontificis neoelectus Praesul obligatus erat tempore clauso sive per se sive per deputatos capituli semet Summo Pontifici praesentare, protocollum electionis immanuare et confirmationem humiliter petere.

His non obstantibus tempus autumnale iam alte processerat, quando Boleslaus cum delegatis Capituli accessit Joannem XXII. tum Avinione residentem. Probabilis est coniectura, quod baptismus, quem ipse in via contulit filio Caroli neonato, patris nomine insignito, eum retardavit. Huiusmodi mora in causa erat, cur elapso tempore praesentationi praefinito, cessaverit effectus iuridicus electionis pro ipso et Papa coactus fuerit actum integrum cassum facere.

Sic negotium a dispositione Joannis XXII. ad Collegium Cardinalium est devolutum, quibus suadentibus Pontifex Boleslaum, respiciens ejus doctrinam profundam, progeniem nobilissimam, necnon optimos mores die 2. Oct. 1321. ex plenitudine potestatis apostolicae archiepiscopum Strigoniensem renuntiavit. (Cfr. nr. 11.) Simul commisit Berengario Fredoli Cardinali Episcopo Porteunsi, ut Boleslaum sacerdotem, mox episcopum consecraret; Cardinali Napoleoni Orsini autem, ut illum pallio archiepiscopali illustraret. Neocreatus archiepiscopus sicut prius non praeceps egit, ut semet sisteret Summo Pontifici, ita modo minime praeceps erat, ut sedem receptam occuparet. Non aliud profuit remedium, quam ut die 5. Dec. Pontifex ipsum stricte evocaret ad petendum Strigonium versus et ad sedem occupandam. Quod et fecit.

Archiepiscopus novus veniens in votis habuit, quam maxima cum ambitione commissae sibi Ecclesiae administrationem suscipere et agere. Probant numerosa illa privilegia et gratiae, quas Avinione a Pontifice lucratus est, non alio fine, quam ut cornu benignitatis et sollertiae pastoralis effundere valeret in fideles ac sacerdotes et sibi gratitudinem ac amorem illorum acquireret. (Cfr. nros 16, 17, 18, 19.)

[1] Grotefend, Stammtafeln Reg. 2482. p. 46. — Gloria, Monumenti dell' Università di Padova III. 65.

Occupata sede duos nominavit pro more Vicarios Generales: *Ladomerium*, praepositum Sancti Thomae et *Nicolaum*, archidiaconum Nitriensem. (Cfr. nr. 907.) Cancellariae praefecit, simul directorem bonorum archiepiscopalium nominavit acceptissimum sibi virum *Ioannem* praepositum Bosnensem et canonicum Strigoniensem. (Cfr. nr. 40.) Quando autem Ioannes hic a capitulo Scepusiensi praepositus ejusdem loci eligitur, ipsum constituit Vicarium Generalem pro terris Scepusiae. (Cfr. nr. 51.)

Primum quod superest documentum officii agendi archiepiscopi Boleslai est conventio magni momenti, quam patroni ecclesiae de *Elefant* inierunt die 29. Aprilis 1322. cum Joanne, parocho Elefantiensi de proventibus parochialibus sub lite consistentibus. Conventio enim, ut documentum testatur, in praesentia, ergo sub personali influxu ipsius archiepiscopi pacta est. (Cfr. nr. 31.)

Hac vice tamen in Sede longius tempus terere et agere non erat commodatum. Evocatio Regis primum in Curiam Regiam, deinde Venetias ipsum ducit, ut qua legatus Regis Hungariae rem componeret turbulentam urbium Dalmatiae. Exspectationi regiae minime defuisse, imo negotium faustissimo cum successu ipsum diremisse exhibet ipse Rex in epistola amicabili, quam ad Ducem Venetiarum misit die 3. Aug. a. 1322. (Cfr. nr. 38.)

Boleslao, sede capta, inter tot curas prima fuit haec, ut scilicet bona archiepiscopalia vi vel fraude occupata revindicaret et beneficium archiepiscopale in sua integritate restitueret. Hunc in finem adhuc Avinione commorans movit Summum Pontificem, ut episcopus Zagrabiensis, abbas S. Martini de monte Pannoniae, necnon praepositus Alba-Regalensis ipsi qua defensores iuris darentur. (Cfr. nr. 19.)

Ante omnia igitur sategit, ut locum *Nezsider*, alio nomine *Szombathely* in comitatu *Moson*, qui ipsius cum capitulo communis possessio erat, e manibus Caroli I. Regis recuperaret. Possessionem hanc *Agnes*, uxor Regis Andreae III. dedit dono Ecclesiae Strigoniensi. At, proh dolor, litteras donationis Venceslaus Bohemus, quum caperet arcem Strigoniensem, in archivo reperit et annihilavit. Quum ecclesia Strigoniensis non potuisset probare donum hoc fuisse quando bonum Reginae, Rex Carolus I. illud sequestravit et allodiis regalibus Óvárien-sibus iunxit. Statum rerum resciens Boleslaus a canonicis, qui erant in comitatu, properavit uti occasione, et rediens visitavit ipsam Reginam Agnetem in claustro Königsfeld. Hoc probare videntur litterae Reginae ipsius de die 19. Jan. a. 1322, in quibus donationem renovat affirmans possessionem, de qua sermo, ad bona ipsius privata pertinuisse. (Cfr. nr. 24.) Fatis tamen adversis bonum hoc nunquam amplius ab Ecclesia Strigoniensi recuperatum est.

E contra fortuna favebat Boleslao in recuperanda possessione archiepiscopali *Rozsnyóbánya*. Jus possidendi Ecclesiae Carolus I. in hoc casu agnovit et illam titulo novae donationis sedi archiepiscopali scripsit. (Cfr. nr. 73.)

At Boleslaus in hisce negotiis ulterius non est progressus et officium recuperandi bona archiepiscopatus successoribus reliquit pro gravissima haereditate.

Ex regimine Boleslai superest nobis etiam memoria concilii provincialis, celebrati Strigonii die 8. Nov. a. 1326. Praesentes erant omnes episcopi sufraganei et alii viri praeclari, inter quos certe abbates, praepositi et deputati capitulorum aderant. Tamen propter novercas conditiones statuta concilii omnino periere. Certum hoc statuere nobis licet, quod in illo Henricus, episcopus Wespri-

miensis pertractare et ad finem voluit ducere litem, quae iampridem agitabatur de iurisdictione parochiarum, quae „exemptae" dicebantur. Rogavit ergo archiepiscopum, ut rem peremptorie decideret et parochias huius generis in dioecesi Wesprimiensi sitas e iurisdictione sua manumitteret. Boleslaus promptus erat ad causam tractandam et benigne finiendam. At cum deputati „in choro sancti Adalberti" documenta huc pertinentia inspexissent et ad causam finiendam propositionem fecissent, Boleslaus decisionem fatalem distulit et quaestionis decisionem ad Consilium Regium deferre satagebat. Revera Patres ad concilium congregati Strigonio Visegradinum petierunt, ubi Henricus iteravit preces rei ordinandae, at incassum. Boleslaus scilicet relationes ex altera parte recipiens nec audire quid de causa finienda pronus erat. Consequens erat, ut causae decidendae per plura adhuc decennia insudabant tribunalia tam Pontificia, quam nostra. (Cfr. nr. 971.)

Legentibus documenta, quae Boleslaus propria manu subscripsit et emisit, quae sors prospera a perditione evindicavit, persuasum nobis apparet, illum fuisse praesulem magnum, vere mitem, pacatum et gratiosum. Testantur hoc litterae ad Archidiaconatum de Tarczafő datae, quibus confirmantur privilegia sacerdotum districtualium (nr. 42.); litterae datae nobilibus in Karcsa et Marcsamagyar (nr. 48, 50, 69.); litterae confirmantes electionem Joannis, praepositi Scepusiensis (nr. 51.); etiam litterae ratihabentes conventionem inter abbatem de monte Pannoniae et Seraphinum, praepositum Posoniensem (nr. 78.); necnon documentum beneficiale parochiae de *Maros* (nr. 134.)

Eo magis mirari debemus super documentum nobis servatum, quo ipse qua vir ferocis et asperae indolis exhibetur. Documentum est sequens protestatio. Capitulum Albae-Regiae de die 1. Maji a. 1228. exhibet coram se apparuisse Stephanum, Lectorem Nitriensem et protestationem fecisse de sequentibus. Quando Joannes, Episcopus Nitriensis morte ereptus erat, Capitulum ipsum Stephanum cum Sebastiano archidiacono Trenchiniensi et Paulo Gradnensi una cum Canonico Paulo deputatos misisse ad Regem Carolum, ut ipsi decessum episcopi notificarent, simulque eius qua Patroni summi assensum expeterent ad eligendum futurum praesulem. Deputatos missos fuisse a Boleslao in via vi retentos, arreptos et in arcem ac monasterium suum clausos. Tunc archiepiscopum congregato capitulo et ipsis praesentibus, brevi via, praetermissa ulla electione, fratrem juniorem, nomine *Mesko,* equitem Crucigerorum, episcopum Nitriensem creasse, dein sub et cum minis lethalibus ab ipsis extorsisse, ut hanc creationem nomine capituli ratihaberent et in signum consensus archiepiscopo osculum pacis darent. Mox congregatis gentibus armatis archiepiscopalibus ipsam arcem Nitra ab ipso archiepiscopo obsessam et captam, bona episcopalia et capitularia occupata et spargendo vastata fuisse, usquedum capitulum minis perterritum enuntiasset, se accedere ad electionem fratris Meskó. (Cfr. nr. 197.)

Hic habes unam faciem Jani. Altera mox succedit. Adest documentum alterum, litterae scilicet eiusdem Lectoris Stephani, qui erat presbyter archidioecesis Strigoniensis, ab ipso scriptae, quae fortuna favente superstites inventae sunt in antiquo libro Missali Capituli Posoniensis, intus affixae ligaturae libri. Litteras has nobis pretiosas Stephanus ad Petrum Gayzmir, canonicum Strigoniensem et simul Posoniensem, qui erat antea praepositus Sancti Georgii in Campo Viridi et Thomam, canonicum Custodem Posoniensem misit. Lamenta-

biliter deprecatur illos, iunctis sibi etiam aliis canonicis Strigoniensibus ne omitterent, enixe et instanter commendare ejus personam paternae benevolentiae archiepiscopi Boleslai. In memoriam ipsis revocat merita et servitia, quae archiepiscopo iampridem praestiterit, simul affert, canonicatum Strigoniensem pluries iam ipsi promissum ab archiepiscopo, imo ante annum, praesentibus Nicolao praeposito et Joanne, Viti filio, in canonicatum iam receptum, brevi autem elapso tempore, Strigonii eandem promissionem a Praesule repetitam fuisse. Rogat ergo universos, ut archiepiscopum commonefaciant promissionum datarum, in memoriam revocantes, quod per benignam nominationem ipse magis adstrictus esset servitio archiepiscopi et fratris eius, „nostri" electi. Tandem quasi per parenthesim adiicit, Magistrum Thomam optime novisse, quae et quanta ipse a praeposito Alba-Regalensi recipere posset, si promptus esset deponere vinculum archidioecesis Strigoniensis. (Cfr. nr. 196.)

Ante conclusionem ex praemissis faciendam constituimus ad rem vindicandam: Primum tenore litterarum privilegialium a Rege die 23. Jul. 1328. emissarum, quando emittuntur, episcopatus Nitriensis adhuc vacat[1] et Meskó qua episcopus consecratus, ergo etiam Romae approbatus solummodo mense Januarii anni 1329. fit obvius. (Cfr. nr. 207.) Dein Stephanus Lector etiam sub Meskó episcopo pacifice sedet in stallo canonicali Nitriae. Demum quando Meskó — historia teste unus ex optimis Nitriae episcopis — per Pontificem anno 1334. ad Sedem transfertur Wesprimiensem, idem ipse secum fert, canonicum Wesprimiensem et archidiaconum de Zala creat eundem Sebastianum, qui tenore famae divulgatae propter Meskó tantas injurias est passus a Boleslao.[2]

Collatis nunc omnibus et ponderatis duabus famosis relationibus Stephani Lectoris, minime repellere possumus ideam, totam hanc historiam de vi et ferocia Boleslai nihil aliud esse, quam ementita phantasmata hominis in ambitione laesi; simul ideam, quod in re etiam Andreas, praepositus Albae-Regiae aliquales partes habuerit.

Scriptor quidam antiquus vitae Boleslai omnibus pensatis notis tunc temporis haec habet de illo: „et sanguine et integritate et multiplici cura, supra quam credi posset, longe maximus praesul Strigoniensem cathedram illustriorem effecit."[3] Excessum huius elogii documenta ex tempore Boleslai provenientia et modo collecta minime affirmant. Tamen studium illorum apprime confirmat: in Boleslao virum eximiae culturae, optimae voluntatis, etsi vi agendi debilem, perseverantia non constantem, semper tamen nobilem et magnanimem Praesulem decessisse mense Decembri anni 1328.

II. NICOLAUS DE DÖRÖGD ARCHIEPISCOPUS ELECTUS ET ADMINISTRATORES.

Boleslao defuncto, capitulum convolavit ad eligendum novum archiepiscopum. Electio, uti Papa Joannes XXII. inspecto protocollo electionis affirmat, omnino ad tramitem iuris facta est. Electores unanimi voto in personam Nicolai,

[1] Cod. Andegavensis. T. II. p. 370.
[2] Vágner: Adalékok a nyitrai székeskápt. tört. p. 95—96.
[3] Schmidt: Archiepiscopi Strigon. Tyrnaviae. 1752. p. 56.

canonici Strigoniensis et praepositi Posoniensis consenserunt et evehendam censuerunt in Cathedram archiepiscopi demortui. Proh dolor, electioni tam unanimi et consonanti post factam electionem offendicula plurima obstabant; archidioecesis fere per duos annos capite vacabat et Nicolaus competentem de iure sibi Cathedram nunquam ascendit.

Nicolaus natus est in villa Dörögd, comitatus Zala; unde et scriptores ipsum passim Nicolaum de Dörögd appellant. Parentes nobiles erant, possessores praedii haud magni. Oriundus erat per lineam collateralem ex magna familia de genere Pécs. Apparet saltem exinde, quod ipse cum Thoma Vörös, avo Apponyiorum, pro communibus *cognatis* pluries intercesserit penes Sedem Apostolicam.[1]

Juvenis ingeniosissimus curiae archiepiscopi Thomae se addixit et clericus Strigoniensis factus est. Qua talis ad Universitatem Bononiensem mittitur studiorum causa expensis Collegii Christi,[2] ubi tantas promeruit sibi laudes et nationi Hungaricae, ut a. 1316. Rector esset creatus. In hoc munere permultum contulit ad redigendum novum Codicem Statutorum Universitatis Bononiensis, cuius Codicis unicum subsistens exemplar non sine Providentia eius munificentiae gratum refert et in custodia tenet Capitulum Collegiatum Posoniense.[3]

Studiis absolutis archiepiscopus Thomas ipsum cancellarium archiepiscopalem et archidiaconum Nitriensem nominavit, mox currente mense Septembri a. 1320. praepositum Posoniensem. Praestantissimae ingenii dotes etiam attentionem Regis Caroli minime subterfugerant, qui ipsum a. 1325, collegio Capellanorum regio palatio inservientium adnumeravit, duobus vero annis elapsis huius collegii caput „comitem Capellae Regiae" constituit.

Nicolaus electioni sibi faustae libenter acquievit et regimen archidioecesis Ladomerio, praeposito Sancti Thomae, necnon Ladislao, Canonico Lectori, qua Vicariis Generalibus commisit. (Cfr. nr. 222.) Ipse vero adscitis pluribus membris ex capitulo et cum magno comitatu incipiente tempore verno a. 1329., ut vir Curiae Regiae de facto adhuc inserviens, procul dubium approbante ipso Rege, Avinionem properavit. Finis itineris erat, ut exhibitis Summo Pontifici protocollis electionis confirmationem procuraret, ipse vero a Papa episcopus consecraretur.

Primum tamen obstaculum obvenit illi iam in Helvetia. Quando enim per Constantias iter faciebat a turma equitum latrocinantium est aggressus, cuius duces Hugo et Rudolphus, comites Montis Fortis (Montfort) erant. Nicolaum ejusque comitatum ceperunt et in captivitatem traxerunt; pecunias, equos et utensilia omnia spoliarunt. Quum famam insultus facti Papa Joannes XXII. percepisset, statim imperavit, ut Nicolaus cum comitatu libertati restitueretur et damnum illatum ex integro repararetur. Litteris datis die 1. Aprilis episcopo Constantiensi commisit, ut causam quamprimum et adhibitis omnibus, quae praesto essent, mediis absolveret (Cfr. nr. 211.)

Nicolaus ereptus e captivitate, micante iam aestate, petiit Avinionem anno 1329. Ibi eum sicut et deputatos capituli alterum expectat mirum incommodum.

---

[1] Bossányi: Regist. Supplic. T. I. Nr. LXXX, CXXIX, CCCLXV, CCCXCV etc.

[2] Societatem „Collegium Christi" denominatam condidit Joannes Budai, archidiaconus Barsensis, Strigonii a. 1309. Proventus quattuor domorum in Buda possessarum reliquit Societati, cuius erat iuvenes eximiae indolis ad eruditionem sublimiorem mediis materialibus promovere. Vide Knauz: A Krisztus-társulat. Magyar Sion. 1863. évf. 375. skk.

[3] Knauz N.: A pozsonyi káptalan kéziratai. sub nr. 16.

Summus Pontifex enim, quamvis benignissime excepisset archiepiscopum et quamvis electio ex protocollo gremio Cardinalium apprime facta praescriptisque Ecclesiae ad numerum correspondens inventa esset, de ipsa confirmatione nec mentionem fecit. E contrario Pontifex sub praetextu, quod iudicium de causa ferendum longius requireret tempus et de perversis conditionibus Ecclesiae Strigoniensis nova venissent nuntia, neve liceret bona archiepiscopalia direptoribus praedam facere, ineunte anno 1330. Ladislaum Quinqueecclesiensem et Henricum Wesprimiensem episcopos Administratores denominavit imperavitque illis, ut administrationem archidioecesis tam in spriritualibus, quam in temporalibus sine mora susciperent usque ad ulteriorem dispositionem et de proventibus bonorum accuratas et ad minuta ductas tabulas facerent. (Cfr. nr. 227.) Itaque negotium Nicolai optime incoeptum in pessimum versum est. Causa autem huius rei in eo quaerenda est quod in Curia Regia, quae antea placita erant, postea displicere coeperint. Certum nobis videtur, quod si electio inscio et non approbante Rege facta fuisset, Nicolaus qua homo regiae aulae adstrictus, nullo pacto iter suscipere potuisset, ut Avenione confirmationem suam procuraret. Tamen nullibi indicatur, nec vestigium monstratur, quod Rex, eo magis Summus Pontifex exceptionem contra personam neoelecti archiepiscopi movissent. Contrarium enim omnino probant omnia documenta illius aevi reperta, contrarium probat circumstantia, quod Nicolaus posthac quoque regi gratissimus et acceptissimus inveniatur et intimus consiliarius a familia Andegavensi pluries adhibeatur. Collatis igitur omnibus, ex illo tempore nobis notis, causam unicam et exclusivam repulsae passae ponere debemus in sensu pergrato et amicabili, quem Capitulum fovebat in Nicolaum, qui tamen consensus minime consonans erat cogitatis et sensis reginae Elisabethae.

Factum equidem evictum est, quod capitulum Strigoniense tunc temporis Regi Carolo, et multo magis Reginae Elisabethae collegium minime acceptum erat. Nescitur ex qua causa, Andegavenses omnes maxime inclinati et benevoli erant civibus urbis Strigonii, quam benevolentiam demonstrabant quandoque etiam laesa in parvis iustitia capitulo debita. Capitulum novum attulit fomentum zelotypiae Regiae in electione Boleslai decessi aliquatenus resistendo.

Carolus I. non tradidit capitulo palatium dominae *Zenye* (cfr. nr. 237.); sine recompensatione privavit illum possessionibus *Izsép* et *Darázsi* in comitatu Tolna. Et quando cives urbani capitulo denegaverant telonia, vectigalia et alias praestationes, querela prolata talem nacti sunt a Rege sententiam, ut coacti se viderent canonici coram capitulo Jaurinensi directe ad Papam appellare. (Cfr. nr. 103. et 89.) Causa ista per decennia protracta et acerbissime agitata fuit, adeo ut quando Oliverius, Magister Tavarnicorum, die 1. Jul. a. 1347. cum collegio, ad causam dirimendam directe a Regina matre deputato, vi irresistibili captus iustitiae capitulo ius darat et post multas dilationes decretum ad manus mitteret, in fine eiusdem usque modo inauditas protestationes inseruerit dicens: „et quia domina regina, ab huiusmodi gravaminibus, ipsos cives occulte intendit liberare, si aliquas litteras de iussu reginali dictis civibus ex hoc nos dare contingat, *protestamur eas non iuridice vel iure dedisse, sed propter metum reginalem.*" (Cfr. nros 823, 924—826, et 837.) Rebus ex parte Reginae tali modo apprehensis liquet virum in archiepiscopum ex gremio capituli electum illi in solio Strigoniensi minime gratum exstitisse.

Nicolaus tandem rei et rixae pertaesus mense Septembri a. 1330. coram Cardinalibus Raymundo et Imberto iuri sibi per electionem capituli in archiepiscopatum acquisito sua sponte renunciavit. Papa Ioannes XXII. abdicationem accepit, ratam habuit et in bulla nominationis de die 1. Oct. Nicolaum de Dörögd episcopum Agriensem creavit. (Cfr. nr. 453.) Die autem 25. Martii a. 1331. Jacobo Berengario et Raymundo de Bonofato, collectoribus Pontificiis mandatum dedit, ut recepta summa proventuum intercalarium archiepiscopatus Strigoniensis ab episcopis Ladislao et Henrico, qui archiepiscopatus Administratores erant, dimidiam partem Nicolao traderent, tanquam illi, qui fuerit archiepiscopus electus. Hisce in perpetuum clauduntur acta de archiepiscopatu Strigoniensi Nicolai de Dörögd.

CHANADINUS DE TELEGD.

1330. 17. Sept. — 1349. Dec.

Renuntiatione Nicolai de Dörögd, archiepiscopi electi, demum possibile evasit, ut archidioecesis Strigoniensis definitive novum acciperet praesulem. Nec cunctatus est uti occasione Papa Joannes XXII. et 17. Sept. a. 1330. nominavit iam novum Archiepiscopum in persona Episcopi Agriensis, Chanadini de Telegd.

In bulla translationis Pontificia non communibus et passim inusitatis elogiis effertur praestantia novi archiepiscopi „Consideratis grandium virtutum meritis et donis multiplicium gratiarum, quibus personam tuam Altissimus insignivit et quod tu . . . Strigoniensem ecclesiam scies et poteris, auctore Domino, utilitate regere et feliciter gubernare . . . te ad predictam Strigoniensem ecclesiam transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem."

Vere in spiritu prophetico haec praenuntiata erant. Historia enim teste Chanadino de Telegd ingenio maior, persona praestantior vix praefuerat praesul antiquae Ecclesiae Strigoniensi.

Chanadinus procedit de inclita progenie comitis Csanád, ex mente chronicarum consanguinei Regi sancto Stephano, eiusdem, qui in campo plano Nagyősz, quondam Marosvár, infra Csanád anno 1050. devicit Ajtony, invictum gentilium rebellantem. De una ergo vetustissima, inclitissima, simul bonis terrestribus ditissima familia Hungariae sumpsit ortum. Avunculus Pancratii, pater Thomae nomen gerebat, nomen matris ignotum. Natus est circa annum 1280. Plures habebat fratres, quorum Laurentius natu maior, Nicolaus et Pancratius natu minores. Sororum altera, nupta Nicolao de Vasvár, mater exstitit Archiepiscopi Strigoniensis, Nicolai de Vasvár; altera, domina Margarita in uxorem data Comiti Csóka Toldi. Nomen ei in s. baptismo impositum omnino ignoratur. Putant quidam ipsum s. Stephani nomen portasse, alii s. Matthaei. In documentis solummodo a nomine gentilitio simpliciter Chanadinus appellatur.

Primam instructionem et eruditionem Chanadinus in schola capitulari Varadiensi recepit, ubi simul munere canonici insignitus erat. Post (1296—1299) ad terras exteras, probabiliter in Italiam se contulit ad sublimiora studia peragenda, unde qua „doctor Decretorum" est reversus. In capitulo ipso a. 1299. munere canonici cantoris, a. 1306. lectoris fungebatur, mox praeposituram ibidem nactus est. Ex proventibus praepositurae quinque altaria erexit in veteri ecclesia

Sancti Ladislai, fundationibus et indulgentiis Romae provisis cumulavit. Serius in servitium Ecclesiae minoris Beatae Mariae Virginis in castro Magni-Varadini instituit Capitulum Collegiatum illique tam ex bonis haereditariis, quam acquisitis proventus assignavit.[1]

Proficiente illo in aetate et sapientia, nil mirum, quod fama crebra ejus caput circumvolaverit et vinculum alligans eum ad terram Bihar et Episcopatum Magno-Varadiensem in dies debilius evaserit. Vir talis attentionem Regis subterfugere minime valuit, qui eum capellanum sibi aulicum adscivit, mox secretarium Cancellarium et comitem Capellae Regiae fecit. Imo anno 1321. tali titulo iam insignitus reperitur, qui titulus tunc temporis in patria nostra revera rarissimus erat, sc. „capellanus Papae" scribebatur.[2] Postquam vero Ecclesia Agriensis anno 1322. pastore viduata erat, Capitulum uno corde et voce Chanadinum levavit in cathedram Episcopalem. Consecratio die 7. Jan. a. 1323. Temesvarini celebrata est, probabiliter ad votum et desiderium Curiae Regiae, quae illo tempore ibi commorabatur. Consecrationem fecit Benedictus Episcopus Chanadiensis, assistentibus Episcopis Nicolao Jaurinensi et Ivanka Magno-Varadiensi, praesente quoque Ladislao, Archiepiscopo Colocensi.

Minime intendimus hic loci omnes activitates pastorales Chanadini de Telegd ad minutum describere. Nec opus est. Commentariis nostris clarius et fulgidius loquuntur illa numerum 698 attingentia documenta, quae publicamus in textu ex eius regiminis tempore. Horum quam maxima pars de eius sollertia pastorali, de tutela bonorum Archiepiscopalium, de circumspecto, prudenti et pacato regimine palam loquitur. Est monumentum aere perennius! Lineamentis tamen sublimibus et quasi per apices depingere multimodam eius activitatem pertentabimus.

Omnino notum castro et ecclesiae Strigoniensi cursu temporis quamplurimas accidisse calamitates. Anno 1198. ecclesiam Cathedralem incendium devastavit. Archiepiscopus Job restructis muris, partim e temporibus S. Stephani Regis provenientibus, per ingeniosos artifices ad novum illam ornatum redegit. Restitutam ecclesiam partim praedones Matthaei Csák, partim ira et vindicta Venceslai, Regis Bohemi, partim ferocia filiorum bani Henrici ad novam ruinam decomposuerant, adeo, ut sanctuarium fere ex toto corrueret. De nova redintegratione iam Thomas II. molitus est. Vix enim recuperavit arcem circa an. 1307., statim curam egit, ut saltem unam partem ecclesiae restauraret ad officia sacra habenda. Revera ad hunc finem a domino Bede de Sáró mutuum 42 marcarum levavit erga portionem possessionariam jobbagionum nobilium archiepiscopalium.[3]

---

[1] Cfr. Karácsonyi: Magyar Nemzetiségek. I. 344. 10. — Bunyitay: A váradi püsp. tört. T. I. p. 36. sq. p. 191. sq. — Katona: Hist. Crit. T. VIII. — Schmidt: Eppi Agriens. T. I. — Monum. Eccl. Strig. II. p. 468—469, p. 770. et 780. — Szirmay: Comitat. Ugocsien. p 96. — Fejér: Cod. Dipl. VIII.[3] p 543. not. — Magyar Tört. Társ. VI. p 186. — Kaprinay: Hist. Chron. Archiepp. Strig. 1300—1422. Collect. Kapr. in Bibl. Univ. Pazmanyianae Budapest. T. in 4° XCIV. — Cfr et nr. 709.

[2] In Arch. Reg. Hung. Regnic. habentur litt. reambul. vineae quaedam in promont. Varad de 13. jan. a. 1321. ubi Chanadinus „secretarius cancellarius, comes capelle et capellanus pape" dicitur M. O. D. L. 2027. et 2028. — Affirmatio Georgii Fejér (Cod. Dipl. VIII.[3] p. p. 542.) Chanadinum prius alicui ordini religioso aggregatum fuisse, fundamento ullo caret.

[3] Mon. Eccl. Strig. T. II. nr. 593. et 594.

Procul dubio Thomas etiam cum tenuibus reditibus, quos habebat, — censores enim Pontificii integros proventus bonorum Archiepiscopalium ad duo milia florenorum aureorum taxarunt, — continuo adlaborabat ad restaurandam arcem et ecclesiam. Concludere ad hoc possumus ex eo, quod cum dignitas Archiepiscopi ad Boleslaum transierat, Rex scriptotenus communicavit Papae omnem affulgere spem, ut ecclesia Strigoniensis mox consecraretur, — et pro hac occasione consilia Pontificis humiliter requirit. (Cfr. nr. 15.)

Spes prolata tamen Regem Carolum fefellit. Boleslaus annos septem sedit in Cathedra, ast ad restaurandam ecclesiam nihil contulit. Quando Chanadinus Sedem occupavit Strigoniensem, solum ruinas et desolationem in loco sancto aspicere poterat. Molimen restaurationis ipsum exspectavit et novus Archipraesul nec sub hoc respectu quid desiderandum posteritati reliquit.

Initio saeculi XIV., de quo nobis sermo, stylus, quae dicitur Gothica, plenissime iam evoluta florebat. Molimina huius styli per Europam mediam dispersa hominum mentes et corda iam ad coelum trahebant. Nil igitur mirum, si anima perceptibilis Chanadini influxu huius styli capta est et illam, quantum potuerat, servatis muris veteribus in restauranda ecclesia prosequebatur. In opere non pepercit tempori et expensis. Et quia aerarium Archiepiscopale vacuum hiabat, patrimonium proprium in adificandum expendit, imo sub debitis cautelis a nepotibus propriis mutuum 400 marcarum aurearum fecit et ecclesiae impendit.

Restauratio vere currentibus passibus processit. Decurrentibus aliquot annis Archiepiscopus, qui antea cantare potuerat corde tristi: „vidi desolationem stantem in loco sancto", iam delectare potuit oculos et exhilarare cor videndo magnificam et ornatissimam structuram novae arcis et ecclesiae Cathedralis.

Opus enim perfectum non solum dignum erat primae Cathedrae Hungariae, verum etiam magnificentia sua initium fecit renascentiae stylaris in aedificandis ecclesiis per Hungariam. Erat enim opus respectu artis absolutum, respectu pompae famosum. Duos habemus testes comprobantes. Unum ipsum Regem magnum Ludovicum I., alterum redactorem fere coaevum Chronicae Hungarorum.

Ludovicus Rex I., quum rogatus ab Archiepiscopo Thoma, nepote Chanadini, renovaret et confirmaret omnes donationes et possessiones Ecclesiae Strigoniensis, quarum iure inde a 30 annis gavisa esset, sive exhiberentur documenta, sive non, enthusiasmo vere poetico loquitur de opere magnifico Chanadini. Dicit enim se confirmationem praecipue ideo libentissime fecisse, quia Ecclesia Strigoniensis „sicut rosa inter lilia, inter caeteras Ecclesias regni nostri praefulget, rubinosa", sed etiam ideo, quia „anhelantes per opportuna remedia providere ob spem potentissimam et devotionem nostram, quam ad Almificum Adalbertum immarcesscibilem rosam Paradisi, in cuius nomine Sanctissima ipsa Ecclesia Strigoniensis *mirifici operis structura constructa fore dignoscitur* et fundata, gerimus . . . ."[1]

Chronica Hungarorum Acephala autem integrum laudibus Chanadini caput dedicat et fusam exhibet operum eius imaginem. Afferimus hunc textum integrum, ut sequitur, uti documentum evidens et praegnans excellentiae Chanadini magni.

---

[1] Fejér: Cod. dipl. IX.7 p. 282.

„Eodem anno (ad a. 1329. ponit) dominus Chanadinus episcopus Agriensis, filius comitis Thome, filii Pangracii de Telekd, de genere Chanad, egregius doctor in iure, multum activus ac astutus in omnibus suis factis, per papam Johannem XXII-um, divina providencia archiepiscopus Strigoniensis creatus. Qui mox sanctuarium Adalberti gloriosi martiris cathedralis sue ecclesie funditus eversum et totaliter demolitum sectis lapidibus et dolatis ac curiosis celaturis columpnis, duris basibus et epistiliis mirifice fabricatis, arte lathomica et cum gloriosa testitudine inchoavit, ac inchoatum opus cum fenestris vitreis decorando et exterius propugnacula faciendo, necnon totam ecclesiam tegendo celeriter et feliciter consumpmavit. Nam et eandem ecclesiam tabulis deauratis, calicibus peroptimis et ornamentis preciosis, ac aliis utensilibus ecclesiarum, super omnes suos predecessores magnifice et habundancius opimavit, ac uberius fecundavit. Menia etiam et turres castri, que pre nimia vetustate et ex negligencia suorum predecessorum fere approximabant ruine, fecit totaliter renovari, turres destructas erigere, tegere et omnia studuit curiosius meliorari. Nam et alias turres in robur castri quam plures altas et solidissimas edificavit, inter quas unam arcem in debiliori parte castri tam fortem et altam fieri procuravit, ut omnibus aliis turribus premineret. Quam cum solario et meniano roborans, ut omnium intuencium apparet oculis mirabiliter venustavit. Et licet castrum esset inexpugnabile et firmum, propter multiplicitatem turrium, ut superius est premissum, tamen alio muro solido et forti usque ad Danubium circumvallando firmius roboravit. Palatium etiam archiepiscopale ab antiquo desertum et inhabitabile, fecit summo studio restaurare, et duas capellas de latere palacii consurgentes, fecit edificare omnium oculis graciosas. Insuper civitatem castro annexam firmam edificavit et validam, quam menibus solidissimis et turribus firmissimis premunivit, quam etiam Nemeutvaras censuit appellare. In qua quidem civitate plures ecclesias fecit construere, quibus debita necessaria largiter condonavit. Edificavit etiam fratribus minoribus pulchrum coenobium in possessione propria Telekd vocata, quod multis calicibus, ornamentis diversis, libris multis et optimis liberaliter copiavit. Benedictus Deus, qui talem prefecit prelatum, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris, sed omnia in usum et utilitatem ecclesiarum consumpsit pariter et exegit."[1]

Attamen cura Archiepiscopi Chanadini non solum partem meridionalem urbis residentialis ab interitu vindicavit, verum etiam septentrionalem fovit, villam videlicet Sancti Georgii in Campo Viridi Strigoniensi. Sub castro aedificata est quondam ecclesia praeposituralis Sancti Georgii. Modo omnino desolata stetit; tegumentum vento abrasum, parietes fissuris perlucentes erant in tantum, ut Praepositus nec missam consuetam festo Sancti Georgii celebrare inibi potuisset. Canonici non amplius aderant, bona et fundationes tempore perierunt. Chanadinus corde motus hanc quoque reconstruendam sibi proposuit et fecit. Ecclesiam a fundamentis totaliter et „solemniter" restituit, Capitulum vero adnexum de novo fundavit ac paterne dotavit. (Cf. nr. 421.)

---

[1] Ex codice Bibliothecae, antea C. R. Aulicae, modo Nationalis numero 545-o, cuius in paginis 30-b—31-a reperitur hic textus. Copia est in lectione doctoris Aemilii Jakubovits, at secundum artem publicationis huius tomi. Prius illum iam publicavit M. Florianus: Fontes Domest. T. II. p. 238. attamen cum aliquibus lectionibus variantibus.

Restitutis ecclesiis, castro et urbe suae Cathedrae Chanadinus inter curas caeteras pastorales modo animum vertit ad bona Archiepiscopalia vindicanda et ordinanda. Non minori cum sollertia et manu forti processit hic, quam alibi.

Ante omnia in hoc intendit, ut jura, privilegia et libertates Archiepiscopatus datis a Rege litteris de novo confirmarentur. Eruit diligenter et eruere fecit omnes possessiones Ecclesiae occupatas et usurpatas, etiam minimas, et movit processum revindicationis. Quandoque coram iudicibus in persona apparuit ad iura tuenda. Imo non raro factum est, ut ad recognoscendos seu perambulandos fines possessionum in persona exiret et accederet, ne quid detrimenti caperet Sedes Archiepiscopalis.

Genium extraordinarium et versatile monstravit Chanadinus etiam in dirigendis bonis Archiepiscopalibus. In eo enim erat, ut possessiones in majora dominia adunans et circumscribens majores complexus acciperet, qui iterum facilius administrarentur et proventus pinguiores ferrent. Ad hunc finem non resiliit commutationibus faciendis, quando bona occasio offerebatur. Sic contractu commutativo cum conventu de Zobor pacto acquisivit villam Kürt, eodem modo ab episcopo Nitriensi villas Perbete, Tardoskedd et Udvard. Ubi vero aliter ad finem pervenire non poterat, libenter per emptiones integra fecit et auxit bona minora.

In commutationibus vero libentissime decimas obtulit in vicem. Decimae enim proventus semper precabiles erant. Per multas pertransibant manus, et quando ad manus Archiepiscopi venerunt, iis, quae supererant, contentus esse debuit. Cujus rei sequela erat, ut decimas remanentes eo magis requireret et numeraret. Ipse fatetur in litteris fundationalibus capituli Sancti Georgii in Campo, quod decimae e comitatu Gömör, quae hucusque vix 60 florenos attingebant, sub ejus regimine ad 400 florenos sint elevatae. (Cf. nr. 421.)

Bona Archiepiscopalia praeterea novis praediis acquisitis auxit. Ita recuperavit, accuratius dicendo redemit a Rege Carolo 200 marcis possessionem Szerdahely, omnium praediorum margaritam. Summam vero acceptam Rex ad restaurandum castrum dirutum in Holics (Ujvár) impendit.

Bona Archiepiscopalia aucta sunt etiam donationibus piis, quae Chanadini tempore percrebrae erant. Ipse enim pastorali sua sollertia animos multorum placabiles et religioni addictos fecit, ut zelus antiquus redivivus videretur in donis piis. Hac via acquisivit Archiepiscopatus a domina Csene, filia Majos de Berencs possessiones Család, Billeg, Páskfüze et Bácsaföld in Comitatu Barsiensi; similiter a vidua Jacobi, filii Ranoldi villam Ekel. Imo etiam comes Thomas, vojvoda Transilvaniensis, vir quondam ferocia et praepotentia famosus, non cunctatus est pium animi zelum demonstrare in Sanctum Adalbertum donando Archiepiscopo villam Kürt in comitatu Barsiensi sitam. Ludovicus Rex I. vero in memoriam coronationis suae gloriosae praediis Barth et Ölyved auxit bona Archiepiscopalia.

Non solum autem in ordinanda propria oeconomia, verum etiam in ordinandis negotiis Regni indefessus erat Chanadinus noster. Multum temporis trivit in Curia Regis influxum personalem semper adhibendo, in quantum possibile erat, ad emolumentum Regni et Ecclesiae. Rex Carolus, qui illum patrinum carissimum nominat — quia Principem Stephanum e sacro fonte levavit, — multoties consilium et auxilium eius expetivit. Regina vero Elisabetha non semel in negotiis delicatis, quae illi quam maxime cordi erant, patrocinium eius exorabat. Providentia divina factum est, ut vir tantae energiae, tantae prudentiae, tam delicati sensus diplomatici tunc temporis Domui Regiae adstaret. Difficul-

tates enim quam maximae obstabant futuro regimini iuvenculi Ludovici. Situatio Domus Andegavensis in Regno non erat optima. Indoles ferox et praepotens Regis Caroli multos fecit incontentos, multos etiam peperit inimicos. Illustratur eo, quod censor Papalis ad colligendas decimas Pontificias missus, recepta fama discurrente mense Majo a. 1342. de morbo lethali Caroli I. fuga properavit terram relinquere. Timebat etenim revolutionem. His in circumstantiis popularitas solummodo magna Chanadini et perspicacia eius matura poterat removere malum et certum reddere regimen Ludovici.

Carolus I. die 16. Julii Visegradini e vita recessit. Chanadinus cum viris fidelibus familiae regiae omnimodum nunc adhibebat studium, ut incontentorum attentionem occuparet. Optime noscens praedilectionem gentis nostrae in pompam externam, pro defuncto rege tam sumptuosas et exornatas ordinavit exsequias, quales ad id tempus non audiebantur apud nos. Exuviae regiae purpura picta pretiosa involutae, caput corona aurea mirificae artis ornatum apparuere visitantibus feretrum nobilibus dominis. Post multas missas exsequiales solemniter Visegradini celebratas corpus demortui Regis navi ornatissimae est impositum comitantibus episcopis, presbyteris, diaconibus et fere omnibus magnatis Regni in aliis navibus, praelucente vexillo Regni, Budam in Danubio deductum est, ubi cives urbani turmatim ripas Danubii occupantes illud receperunt. Hinc ductus fastuosus funebris, qui oculos vibrabat et corda movebat, uti erat, iter direxit Albam Regiam versus. Hic Chanadinus post benedictionem cadaveris Regii omnes eloquentiae suae thesauros exhibuit, ut ex corde valediceret Regi decesso, tali cum effatu, quem discribit Chronica: „cum maximo clamore gemebundi omnium circumstancium fauces rauce facte sunt, oculique ipsorum pre tantis lacrimis visibus naturalibus fere defecerunt." Pompa hac et fastu oculos adhuc vibrantibus vix exuviae regiae depositae in cryptam iuxta altare majus ecclesiae coronationis erant, iam iterum elevata est vox sonorosa Chanadini, ut iuvenculum Ludovicum in regem coronandum commendaret. Omnes adstantes, episcopi, magnati, sacerdotes, nobiles adeo erant corde moti, ut uno animo et una voce se Chanadino adjungerent. Qui adstantibus adhuc omnibus 21-a Julii corona Sancti Stephani caput Ludovici iuvenis insignivit creando unum ex maximis regibus Regni Hungariae.

Inter curas pastorales et regnicolares Archiepiscopus semper habebat adhuc spatia temporis, ut exaudiret viduas, consolaretur orphanos, adiuvaret derelictos. Cum patientia recepit querelas eorum etiam minutissimas, solatio omnibus erat et ubi possibile erat, adjutorio, excitans omnes, ut querelas cum fiducia sibi adaperirent. Revera non potest legi intacte et sicco corde epistola, quam relicta Theodori de Széphely nomine proprio et filiarum misit Archiepiscopo, rogans, ut partem quartam paraphernalem e possessionibus Acsád et Ujudvar, quam magister Gál occupatam tenet, benigne iuvaret recuperare. (Cf. nr. 948.)

Labor tam gravis et multiformis corrosit vires demum robustissimi huius viri, atavo sanguine hungarico tumescentis. Aegritudo corripuit eum, quae lento passu mense Decembri a. 1349. ad mortem adduxit.

Cum illo decessit unus ex excellentissimis Pastoribus Ecclesiae Strigoniensis. Spiritus eius in nepotibus, suis successoribus, a se forti manu educatis, adhuc per decennia gloriosa super Sedem Strigoniensem tempora adduxit.

DOCUMENTA
CHRONOLOGICO ORDINE DIGESTA.

Esztergom-Budapesti Főegyházmegye
Esztergomi Érseki Levéltár

I.

BOLESLAUS, DUX TOSTENSIS, ARCHIELECTUS.

1321. cir. Febr. — 1321. 1. Oct.

1.

1321. Nagyvárad. 19. Maii. — Ivánka, episcopus Varadiensis, transsumit literas Thomae, quondam archiepiscopi Strigoniensis, Petro plebano de Szőllős et Ugocsa concessas, ac Boleslao electo archiepiscopo Strigoniensi, confirmandas submittit.

Venerabili in Christo patri domino *B.*[olezlao], Dei gracia Strigoniensis ecclesie archielecto, eiusdemque loci comiti perpetuo; amico suo reveren*t*issimo *Johanca*, divina miseracione episcopus *Waradiensis,* reverencia prompta et parata cum sincera et mutua in Domino caritate. Vir discretus et honestus magister *Petrus,* filius Stephani filii Mychaelis proximi nostri, *plebanus* ecclesie Beate Virginis de *Zeuleus* et de *Vgacha,* a nobis instantissime postulavit, ut quia propter viarum discrimina, litteras venerabilis patris *Thome,* quondam archiepiscopi Strigoniensis, predecessoris vestri, super plebanie sue collacione confectas, veretur seu formidat vestre paternitati transmittere, tenorem earumdem amicicie vestre transcribi sub nostro sigillo faceremus, ad cautelam et maiorem certitudinem. Quarum tenor talis est:

Sequuntur litt. Thomae, archieppi Strig., de dato 1313. 13. Aug. Budae extro- 1313.
datae, et in Mon. Eccl. Strig. T. II. sub num. 773. p. 686 editae. 13. Aug.

Nos igitur peticionem dicti Petri plebani fore iustam attendentes, formam predictarum litterarum, cum pendenti sigillo consignatarum, non abrasam, nec in aliqua sui parte viciatam, de verbo ad verbum sub nostro sigillo vestre transscribi fecimus paternitati; rogantes et requirentes intime amiciciam vestram, quatenus predictas litteras benigne acceptantes, optentu peticionis nostre, mediantibus vestris litteris, vestroque sigillo dignemini paternaliter confirmare, ne vestris in temporibus iura ecclesiastica in talibus et in aliis consimilibus, persuasiones et instigaciones malivolorum robore carencia, valeant deprimi seu conculcari, sed magis incrementa virtutum queant adipisci. Datum *Waradini,* feria tercia proxima ante festum sancte Elene regine, anno Domini M CCC XX. primo.

Extus: Venerabili in Christo patri, domino B.[olezlao], Dei gracia Strigoniensis ecclesie archielecto, locique eiusdem comiti perpetuo, amico suo reverendo.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Origin. membran. in Arch. Primat. Secul. Lad. D. nr. 99. — Edit. Magyar Tört. Tár. VI. p. 185.

2.

1321. (Esztergom) 25. Maii. — Comes Jvanka, nomine suo et filiorum suorum, coram Cruciferis Strigon., contradixit donacioni possessionariae portionis in Brácsa, Benedicto et Thomae facta.

Nos frater Nicolaus magister, et universi fratres cruciferorum ecclesie sancti regis, domus hospitalis *de Strigonio*, damus pro memoria, quod comes Juanka, nobilis de *Braccha*, nomine suo et vice, ac nomine Jacobi et Thome, filiorum suorum, ad nostram personaliter accedendo presenciam, taliter exstitit protestatus: quod comes Ladizlaus, frater eiusdem, nobilis de eadem Braccha, porcionem suam, ex voluntate et permissione ipsius comitis Juance et filiorum suorum prenominatorum, ibidem in terra Braccha existentem, Benedicto filio Stephani, filii *Ibur*, et Thome, filio comitis *Bend*, de eadem, nepotibus suis, aduc (sic!) vivende (sic!), perpetuo donasset, dedisset et contulisset; de qua quidem donacione, dacione et collacione predicte porcionis ipsius comitis Ladizlai, de ipsa terra Braccha, contradixit puplice proibendo (sic!) coram nobis dicens, quod nec idem comes Juanka, nec eciam prenominati Jacobus et Thomas, filii eiusdem, nec non consensum prebuissent (sic!), nec permisissent eosdem nepotes comitis Ladizlai, in medium eorundem. Datum, in festo Vrbani Pape, anno Domini M⁰ ccc⁰ vicesimo primo.

Extus: Super protestacione comitis Juance et Jacobi ac Th[ome], filiorum suorum, de Braccha, contra Benedictum, filium Stephani, filii Ibur, Thomam, filium Bend, nepotes comitis Ladislai.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. in Arch. Mus. Nation. Budapest. Arch. Famil. Motesiczky.

3.

1321. — 29. Junii. — Capitulum Posoniense, Paulum sacerdotem de Szerdahely, fundum curiae in Abony, Andreae sartori, octo marcis denariorum vendidisse testatur.

Nos capitulum ecclesie Posoniensis, omnibus quibus presentes ostenduntur, memorie commendantes significamus, quod Paulus sacerdos, vicarius ecclesie beati Georgii martiris de *Zyridahel*, nacione de maiori villa *Abany*, coram nobis personaliter constitutus ab una parte, Andreas sartor de villa *Gelye* ab altera; idem Paulus sacerdos est confessus viva voce: quod ipse fundum curie in eadem villa Abany existentem, ipsum hereditarie prout dixit contingentem, cum octo iugeribus terrarum arabilium et aliis omnibus utilitatibus suis, quas habere dinoscitur, eidem Andree et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, cum permissione et bona voluntate omnium populorum eiusdem ville Abany, pro quibus Michael et Sebastianus de eadem villa, sicut dixerunt, coram nobis comparuerunt, pro octo marcis denariorum Wiennensium, quamlibet marcam cum singulis decem pensis conputando, plene ab eodem receptis vendidisset, dedisset et tradidisset, iure perpetuo irrevocabiliter possidenda, habenda et tenenda; obligando se, quod quicunque processu temporum eundem Andream aut suos heredes, heredumque suorum successores, racione memorati fundi curie et iugeribus terrarum antedictis, ac pro utilitatibus suis, vellent forsitan molestare, extunc idem Paulus sacerdos, teneretur expedire propriis laboribus et expensis. Datum, in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno Domini M CCC vigesimo primo.

Sigillum tergo fuit appr. — Orig. in membr. conf. in Arch. Prim. Sec. Lad. T. nr. 13.

4.

1321. (Nagyvárad.) 1. Jul. — Capitulum Varadiense, vineam in Várad, per Dominicum viginti marcis Ainardo de Olaszi, venditam esse testatur.

Capitulum Waradiensis ecclesie, omnibus Christi fidelibus presencium noticiam habituris, salutem in salutis largitore. Universorum noticie declaramus per presentes, quod Dominicus, filius *Karachini* sacerdotis, coram nobis personaliter constitutus, vineam suam in territorio Waradiensi existentem, cui a parte septemtrionali discreti viri et honesti magistri Johannis, decani ecclesie nostre, socii et concanonici nostri karissimi, scilicet prepositi ecclesie minoris beate Virginis, item *Geroldy* iobagionis nostri de Waradino, a parte meridionali, et ab eadem parte Johannis *gallici*, a parte vero civitatis Waradiensis magistri Petri, filii Mog, pupillorum vinee vicinantur, sicut dixit, predictis vicinis presentibus et permittentibus, comiti Aynardo de *Olozy* ementi, presencialiter astanti et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, pro viginti marcis denariorum, ipsi Dominico per prefatum comitem Aynardum persolutis coram nobis, cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam, vendidisse et distraxisse pleno iure est confessus. Dando sibi vendendi, distrahendi, legandi seu alio quovis modo liberam facultatem; assummendo obligans se idem Dominicus, quod si processu temporum idem Aynardus, vel eius successores, racione predicte vinee per quempiam inpeterentur, ab omnibus eosdem expediret propris laboribus et expensis. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus apposicione sigilli nostri pendentis consignatas. Datum, in octavis Nativitatis beati Johannis Baptiste. Anno Domini M CCC XX primo: domino Chanadino preposito, Johanne lectore, Andrea cantore, Jacobo custode, magistris ecclesie nostre salubriter existentibus.

Sigillum sat bene conserv. e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membran. in Arch. Prim. Sec. Lad. T. nr. 14. — Ediderunt sigill. Pray: Synt. de Sigil. sub V. fig. 3. — Keresztúry: Descrip. Episc. Varad. M.-Varad. 1806. P. I. — Perger: Bevezetés a Diplomatikába sub. V. fig. 4. Paucis commemorat Fejér: Cod. Dipl. VIII.[2] p. 134.

5.

1321. Vajasd táján. 5. Jul. — Benedictus Csanadiensis et Ivánka Varadiens. episcopi, magistro Johanni de Kolosvár, contra Nicolaum praepositum Szebeniensem, ad sedem apostolicam appellanti, in forma plena apostolos dant.

Cf. Fejér: Cod. Dipl. VIII. [2] p. 300.

6.

1321. (Pozsony.) — 17. Augusti. — Capitulum Posoniense, Emericum nobilem archieppalem de Bács, filiis Benedicti, fundum curiae suae, quinque marcis vendidisse, testatur.

A. B. C.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod constitutus personaliter coram nobis Emericus filius *Deez*, nobilis iobagio archiepiscopalis de villa *Boch* ab una parte,

Nycolaus et Petk, filii Benedicti de eadem, ab altera; idem Emiricus est confessus oraculo vive vocis: quod ipse racione necessitatis sue, quendam fundum curie in eadem Villa *Boch* existentem, ipsum hereditarie contingentem, cum terris arabilibus seu agris, ac cum omnibus utilitatibus suis, quas habere dinoscitur, eisdem Nycolao et Petk, et per eos suis heredibus, heredumque suorum successoribus, cum permissione et bona voluntate omnium vicinorum et cognatorum suorum, pro quinque marcis denariorum Wiennensium, quamlibet marcam cum singulis decem pensis computando, plene ab eisdem receptis vendidisset, dedisset et tradisset, iure perpetuo irrevocabiliter possidenda, habenda et tenenda. In cuis rei testimonium presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in octavis beati Laurencii martiris, anno Domini millesimo CCC vigesimo primo.

Sigillum e rubro serico pendet. — Orig. membr., visu maculatum, in Arch. Cap. Coll. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 2. nr. 17.

7.

1321. (Szepeshely.) 22. Sept. — Monasterium Lapidis Refugii, ord. Carthusien., filios quondam comitis Bogomerii de Liptovia, nomine confratris sui Dionisii, contenti de possessione Schönau, liberos penitus et solutos dimisit.

Nos Capitulum ecclesie beati Martini de *Scepus,* memorie commendantes significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem: quod constitutis coram nobis personaliter viris religiosis, fratre Martino priore *Lapidis Refugii* in Scepus, et fratre Johanne ordinis *Karthusiensis,* pro se et toto conventu ipsorum, ex parte una, comite Bodou, nec non magistro Nycolao, ac magistro Laurencio, lectore ecclesie nostre, et Bogou, filiis quondam comitis Bogomerii *de Liptovia* ex altera; iidem fratres Martinus et Johannes, ordinis Karthusiensis, prefatos filios comitis Bogomerii, tam pro porcione ex paterna successione fratri Dyonisio, germano eorum cedente, nunc in Lapide Refugii in ordine Karthusiensi domino famulanti, quam pro testamento Johannis fratris ipsorum, felicis memorie, contenti de possessione *Schonaw* nuncupata, ipsis secundum tenorem nostri privilegii collata, in nostri dimiserunt presencia liberos penitus et solutos. Cuius rei gracia presentes, sub sigilli nostri testimonio, duximus concedendas. Datum, in festo beati Mauricii et sociorum eius, anno Domini M° ccc° vicesimo primo.

Sigillum margini exter. fuit appressum. — Orig. membr. in Arch. Mus. Nation. Bpest. Arch. Fam. Szentiványi.

8.

1321. (Szepeshely.) 22. Sept. — Capitulum Scepusien., filios Bogomerii de Liptovia, villam suam Sunava (Schönau) nuncupatam, monasterio fratrum Carthus. de Lapide Refugii, ob remedium animarum suarum, donasse testatur.

Capitulum Beati Martini in Scepus, omnibus Christi fidelibus praesentibus et futuris, quibus praesentes ostenduntur, salutem in Domino sempiternam. Cum labilis sit hominum memoria et res temporaliter gestae facile vacillent, nisi litterali testimonio fulciantur, proinde ad universorum notitiam tenore praesentium volumus praevenire (sic); quod constitutis coram Nobis Comite Bodo, nec non Magistro Nicolao et Magistro Laurentio lectore Ecclesiae nostrae M[ari]ae (!) et Bogo fratribus, filiis quondam Bugumerii, felicis memoriae, de Lyptovia ex parte una, et viris religiosis fratre Martino et fratre Joanne, ordinis Chartusiani

pro se et toto Conventu suo ex altera; iidem filii Comitis Bugumerii, Bodo et Nicolaus, ac Magister Laurentius et Bogo, villam quandam ipsorum *Sunava* vocatam, metis domini Abbatis adiacentem, cum omnibus utilitatibus suis habitis et habendis, nihil sibi iuris retinendo, praedictis fratribus ac Ordini, tum pro portione ex paterna successione Dionisio, eorundem germano debite, nunc in Lapide Refugii in Ordine Carthusiensi Domino famulanti, tum pro testamento felicis memoriae Joannis fratris sui, nec non ob ipsorum, ac progenitorum suorum remedium animarum, iure perpetuo, quiete et irrevocabiliter possidendam se dedisse, donasse et contulisse liberaliter confessi sunt. Metae praedictae villae, secundum tenorem privilegii nostri, sic distingvuntur: Primo circa curiam filiorum Cece, ultra tres revolutiones iugeris, ubi sunt duae metae terraee, tendentes directe contra lapidem, qui decidit metas illorum de *Csorba,* ab illis de *Lutzina,* a quibus metis terreis iam dictis, directe tendit versus occidentem, ad duas metas terreas, quae sunt contra molendinum; itaque in parte illa versus Chorbam tres revolutiones iugeris retineant plene, realiter et perfecte. Deinde a metis illis transit molendinum directe versus meridiem, ubi habere debent decem revolutiones iugeris integre, per omnia et complete; et ibi etiam sunt duae metae terraee; deinde girat versus orientem ad metas Abbatis, a quibus versus aquilonem directe venit ad villam, ubi sunt duae metae terreae, a quibus redit ad Curiam filiorum Cece, a qua directe tendit ad metas principales; et sic metae villae praedictae terminantur. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, praesentes concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in Festo Beati Mauritii et sociorum eius, Anno Domini 1321.

Ex copia simpl. Saec. XVIII. facta, in Arch. Musaei Nat. Budapest. asserv.: Arch. Fam. Szentiványi. — Cf. et Fejér: Cod. Dipl. VIII.[3] p. 311.

9.

1321. (Esztergom.) 27. Sept. — Capitulum Strigoniense, super venditione possessionis Össöd, in Comitatu Hontensi, literas edit:

„Datum per manus discreti viri magistri Johannis, ecclesie nostre lectoris; presentibus fratribus nostris in Christo karissimis, Lodomerio preposito ecclesie sancti Thome martiris de promonthorio Strigoniensi, Petro preposito ecclesie sancti Georgii, Jacobo cantore, Raynoldo custode, Thoma presbitero rectore are Beate Virginis et Bogomerio decano, ceterisque fratribus in ecclesia sancti Adalberti martiris iugiter Deo famulantibus, anno Domini Millesimo trecentesimo vicesimo primo, in festo sanctorum Cosme et Damyani martirum."

Vide: Anjoukori Okmánytár (Codex Diplom. Hungaricus Andegavensis) T. I. p. 628. Deinceps breviter: Cod. Andeg. citab.

10.

1321. (Esztergom.) 29. Sept. — Carolus I. rex Strigonii moratur:

„in festo beati Michaelis Archangeli."

Vid. Cod. Andeg. T. I. p. 630.

II.

BOLESLAUS, DUX TOSTENSIS.

1321. Oct. 2. — 1328. Dec. —

11.

1321. Avignon. 2. Oct. — Joannes PP. XXII., Boleslaum, scholasticum Cracoviensem, in archiepiscopum Strigoniensem praeficit.

Johannes Episcopus — — Bolezlao, electo Strigoniensi. — — — Dudum siquidem Strigon. ecclesia, per obitum bone memorie Thome archiepiscopi Strigon. pastoris solatio destituta, — — prepositus et capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, et spiritus sancti gratia invocata, post diversos tractatus inter eos habitos, te scholasticum ecclesie Cracoviensis, in diaconatus ordine constitutum, per viam compromissi, in Strigon. archiepiscopum concorditer elegerunt, tuque post consensum huiusmodi electioni, de te habite, ad dictorum prepositi et capituli instantiam legitime prestitum, ad sedem apostolicam personaliter accessisti; et deinde tam tu per teipsum, quam dicti prepositus et capitulum per eorum certos procuratores — — a nobis confirmari electionem huiusmodi, illius nobis presentato decreto, — — postulastis; et quia asseruisti coram nobis, te in veniendo ad dictam sedem, pro confirmatione huiusmodi tue electionis obtinenda, tempora iuxta tenorem constitutionis — — Nicolai Pape III. — — super hoc edite, minime servavisse et per hoc ab omni iure, quod tibi ex electione competebat eadem, cecideras eo ipso, nos electionem ipsam irritam decrevimus et inanem. Postmodum autem, — — attendentes quoque tam concordem dictorum prepositi et capituli voluntatem, quam in eadem electione habuisse noscuntur, quam litterarum scientiam, nobilitatem generis, honestatem morum et vite, aliaque multiplicia tuarum virtutum merita, — — ad te nostre considerationis intuitum duximus dirigendum. Quapropter volentes memorate Strigon. ecclesie salubriter providere — — te illi in archiepiscopum preficimus et pastorem. — — Datum Avinione, VI. Nonas Octobr. Anno sexto.

Eodem die idem significat. Strigon. capitulo, clero, populo, vasallis, et universis suffraganeis. — Regi autem Carolo hunc Boleslaum electum specialiter commendat.

Cf. Theiner, Monum. Hist. Eccl. Hung. illustr. T. I. p. 472 et 473.

12.

1321. Esztergom. 6. Octob. — Conventus Cruciferorum Strigon., possessionem Csév, per comitem Mikócsa, archiepiscopo et capitulo Strigon., quinquaginta marcis venditam esse perhibet.

Frater Jacobus, magister cruciferorum domus hospitalis sancti regis Stephani de Strigonio, totusque conventus eiusdem, omnibus Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, tam presentibus, quam futuris, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Ad universorum noticiam, tenore presencium volumus pervenire, quod nobilis vir comes *Mykocha,* filius Elek, de genere *Rosd,* ab una parte coram nobis constitutus, et discretus vir, magister Johannes, Strigoniensis ecclesie canonicus et decanus, et in Agriensi ecclesia archidiaconus de *Patha,* vice et nomine domini *Bolezlai,* venerabilis in Christo patris, Dei gracia *archiepiscopi* Strigoniensi, ac honorabilium virorum, dominorum prepositi et capituli eiusdem Strigoniensis ecclesie, similiter coram nobis constitutus ex altera; idem comes Mikocha dixit, quamdam suam possessionem hereditariam, *Chewy* vocatam, in comitatu Strigoniensi existentem, vendidisse et tradidisse ipsis domino *B.*[olezlao] archiepiscopo, et per consequens archiepiscopatui et suo capitulo Strigoniensi, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, pratis, nemoribus et aliis, quocunque nomine censeantur, pro quinquaginta marcis, plene receptis et integraliter perceptis ab eisdem; volens eciam per hoc, idem comes Mykocha, ipsis preposito et capitulo Strigoniensi satisfacere de morte cuiusdam iobagionis eorum, quondam Johannis, filii Oroch, de villa eorum *Kextheuchl* (sic!), sicut dixit, per ipsum sine culpa interfecti et interempti. Cui quidem possessioni Chewy, a parte septemtrionali vicinatur villa *Chabya,* a parte vero occidentali possessio religiosorum virorum hospitalariorum sancti Johannis Jerosolimitanum, a parte orientali possessio similiter religiosorum virorum abbatis et fratrum suorum de Pilys, ordinis Cisterciensis, a parte vero meridionali similiter possessio eorumdem hospitalariorum beati Johannis contiguatur et pariter vicinatur. Assumpsit eciam idem comes Mykocha, ipsos archiepiscopum et suum Strigoniense capitulum a quibuslibet, racione predicte terre impetere, seu molestare volentibus, coram quovis iudice defensare et tueri, propriis laboribus et expensis; renuncians idem comes Mykocha omni proprietati et iuri, quod habuit in terra *Chawy* (sic!) memorata. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes eisdem concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum, *apud sanctum regem de Strigonio,* in octavis beati Mykaelis Archangeli, anno Domini M° ccc°° vicesimo.

Sigillum integrum e violaceo serico pendet. — Orig. membr. in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 26. fasc. 2. nr. 9. — Datum 1320 erronee est appositum, quia Boleslaus anno 1320 archiepiscopus Strigon. vocari nequit, cum tamen anno 1321 eligitur et 1321 2. Oct. praeficitur in archieppum Strigoniensem. — Edid. Fejér: Cod. Dipl. VIII^2 p. 269 similiter ad a. 1320.

13.

1321. Avignon. 5. Dec. — Joannes PP. XXII., Boleslao archiepiscopo Strigon., cum per Berengarium episcopum Portuensem fecerit ei munus consecrationis impendi, mandat, ut ad ecclesiam suam Strigoniensem se conferre procuret.

Edid. Theiner: Monumenta Hist. Hung. I. p. 474.

14.

1321. Avignon. 5. Dec. — Joannes PP. XXII., Boleslao archiepiscopo Strigon., per Napoleonem s. Adriani diaconum Cardinalem, pallium mittit.

Edid. Theiner: Monum. Hist. Hung. T. I. p. 474.

15.

1321. Avignon. 8. Dec. — Joannes PP. XXII., visitantibus ecclesiam neo-consecrandam Strigoniensem, indulgentias concedit.

Johannes episcopus, servus servorum Dei, universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem. Civium supernorum consortio cunctos fidei orthodoxe cultores plenis desiderantes affectibus aggregari, eorum mentes et animos ad misericordie opera et pietatis studia exercenda, quibus celorum regnum acquiritur, nunc piis indulgenciarum donis allicimus, nunc muneribus remissionum salubribus invitamus, ut post vite presentis decursum, statum stabilem non habentes, celestis beatutidinis premia meritorum presidio perpetuis mansura temporibus facilius consequi mereantur. Sane ex insinuatione carissimi in Christo filii nostri *Caroli,* regis Ungarie illustris percepimus, quod *Strigoniensis ecclesia, que nondum consecrata existit, consecrari speretur in brevi:* nos cupientes, ut eadem ecclesia congruis honoribus frequenteretur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad ecclesiam ipsam in die duntaxat, quo eadem ecclesia fuerit consecrata, causa devotionis accesserint, unum annum; illis vero, qui in anniversaria solennitate ipsius consecracionis predictam ecclesiam implorarint, a Domino veniam delictorum venerabiliter visitaverint, annuatim centum dies de iniunctis eis penitenciis, misericorditer relaxamus. Datum, *Auinione,* VI. Idus Decembris, pontificatus nostri anno sexto.

A dextris in plicatura ab extus: P. de Pon. — In tergo: Johannes ... mihominis de Berul. Aliquantulum subtus: R[egistratum] DCLXXIII. — Extus adnot manus sat coeva: Litera de indulgenciis in die consecracionis ecclesie Strigoniensis unius anni. — Sigillum plumb. dependet e serico flavi et fusci coloris. — Orig. membran. in Archiv. Prim. Ecclesiast. Vetus. nr. 22.

16.

1321. Avignon. 8. Dec. — Joannes PP. XXII., Boleslao archiepiscopo Strigon. indulget, ut indulgentias valeat elargiri.

„in singulis festivitatibus annuis, quibus infra tuam ecclesiam, secundum privilegia eiusdem ecclesie, palleo uti potes, in quibus te missarum solemnia celebrare, ac sive per te, sive per alium proponere populo verbum Dei contingat, universis Christi fidelibus, vere penitentibus et confessis, *qui huiusmodi verbi Dei propositioni presentes affuerint,* ac ipsum verbum reverenter audierint et devote, quadraginta dierum indulgentiam — — — valeas elargiri. Datum Avinione, VI. Idus Dec. Anno sexto.

Edid. Theiner: Monumenta. Hist. Hung. T. I. p. 476.

17.

1321. Avignon. 8. Dec. — Joannes PP. XXII., Boleslao archieppo Strig. permittit, ut cum decem viris litteratis, super natalium defectu, dispensare possit.

„sicut ex tenore tue petitionis accepimus, in civitate et diocesi, ac provincia tuis, nonnulle persone litterate defectum patientes natalium, *de soluto et soluta* genite, consistere dinoscantur, que alias redimite virtutum meritis essent perutiles ad ministerium clericale: Nos volentes tuam honorare personam — fraternitati tue dispensandi, auctoritate apostolica, cum decem ex predictis personis — ut huiusmodi non obstante defectu possit earum quelibet ad omnes minores et sacros ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere — — plenam et liberam concedimus, tenore presencium facultatem. Datum *Avinione,* VI. Idus Decembris. Anno Sexto.

Edid. Theiner: Monumenta Hist. Hung. T. I. p. 475.

18.

1321. Avignon. 8. Dec. — Boleslao archiepiscopo a papa conceditur, ut decem homines provinciae suae, de manuum iniectione in ecclesiasticos, absolvere possit.

Edid. Theiner l. c. p. 475.

19.

1321. Avignon. 8. Dec. — Joannes PP. XXII., Boleslao archiepiscopo Strigon., ne idem pro singulis contra occupatores et detentores bonorum archiepiscopatus, ad apostolicam sedem recursum habere cogatur, episcopum Zagrabiensem, abbatem montis Pannoniae et praepositum Albensem, constituit conservatores.

Cf, Theiner: l. c. T. I. p. 476.

20.

1321. Avignon. 8. Dec. — Joannes PP. XXII., mandat episcopo Vesprimiensi, ut inquirat et referat, an expediat, ut ecclesia collegiata s. Margaritae Dömösiensis, cum ecclesia s. Petri in Veteribuda, suae dioecesis, uniatur.

Vid. Theiner: l. c. p. 476.

21.

1321. Avignon. 15. Dec. — Joanni, nato ducis de Oswicin, scholastria ecclesiae Cracoviensis, quam antea Boleslaus archiepiscopus Strigon. obtinuerat, confertur.

Theiner: Monum. Hist. Eccl. Polon. illustr. T. I. p. 171.

22.

1321. — — Magister Nicolaus ord. Crucif. de Strigonio. attendens merita confratris sui Michaelis et fidelitatem fratrum eiusdem Andreae de *Lack* et Mikch, quandam possessionem ecclesiae suae, Genöcze vocatam, eisdem Andreae et Mikch, pro pensione unius marcae, per decennium elocat.

Edid: Cod. Andegav. T. I. p. 642.

23.

1322. — — Capituli Colocensis literae quaedam hac clausula signantur:

„Anno Domini M. ccc xx secundo, regnante eodem Karolo, illustri rege Hungarie, Bolezlao *archyelecto* Strigoniensi“ etc.

Orig. in Arch. Reg. Hung. Regnicol. NRA. fasc. 870. nr. 1.

24.

1322. Königsfeld. 19. Jan. — Agnes regina, vidua Andreae III. regis, se possessionem Szombathely, ecclesiae Strigoniensi contulisse testatur.

„Agnes Dei gratia quondam regina Hungariae — — — quod cum olim nos quandam villam seu possessionem *Neusidel* vocatam — — iuxta lacum Fertheu — — ad nos a quodam, cui — — Ladislaus rex Hung. — — donasset — —, titulo emptionis — — devolutam, Archiepiscopo et Capitulo Strigoniensi in perpetuam ac irrevocabilem elemosynam donassemus, ipsique — — ipsam pacifice multo tempore possedissent; nunc, quia dictus Archiepiscopus et Capitulum praeiuditium ex eo, quod quondam — Venceslaus rex Bohemiae castrum et Ecclesiam Strigoniensem violenter et hostiliter occupasset, praedictarum donationis et emptionis privilegia, cum multis aliis rebus et privilegiis dictae Ecclesiae abstulit et distraxit, quasi formidant; nos donationem — — — ad nostram conscientiam et statum coram Deo et hominibus attestamur per praesentes, quod praefatam possessionem Neusidl, alio nomine *Zee Zumbothel* vocatam, sine omni contradictione emimus propria cum pecunia — — et — — eamdem usque ad donationem et traditionem, cum praedictis donationis et emptionis privilegiis, ipsi Ecclesiae Strigoniensi a nobis factam, pacifice possedimus et quiete. — — Datum in Claustro *Künsfueld* vocato; quarto decimo Calendas Februarii Anno Domini MCCCXXII.“

Edid. Fejér: Cod. Dipl. VIII². p. 366. — Vide et Collect. Hevenesi. in Bibl. Reg. Scient. Univers. Pazmanyianae T. LXI. p. 59. — Et iterum apud Fejér: VI². p. 336. ubi literas has XV. Kal. Febr. exaratas esse dicit.

25.

1322. (Pécsvárad.) 7. Mart. — Conventus monasterii Varadiensis, Carolo I. regi, seriem inquisitionis, contra praepositum Dömösiensem peractae, rescribit.

„tam a nobilibus, quam ignobilibus, laycis et clericis, diligenter et fideliter inquirendo, tandem scivisset et inuenisset, quod prepositus de Demus, postquam citauit ipsum magistrum Stephanum, eodem die uillam suam *Roozold* uocatam spoliasset, vbi domum habet propriam, populos de eadem penitus aufugando et vniuersa bona mobilia et se mouencia in eadem aufferendo, vbi dampnum quingentarum marcarum, prout estimare potuerunt, idem Stephanus est perpessus; et in eadem destruccione duas mulieres idem prepositus occidi fecisset. Tamen, quia inquisicio mortis uergit ad factum sanguinis, ne irregularitatis notam incurrere possimus, excellencia uestra nos uelit et dignetur habere excusatos. Datum in Dominica Reminiscere. Anno domini M^mo^ ccc^mo^ vicesimo secundo.“

Edid. Cod. Diplom. Comitum Zichy T. I. p. 212. — Similes edidit lit. relatorias capitulum eccl. Albensis. — Ibidem p. 211.

26.

1322. Avignon. 2. Apr. — Joannes PP. XXII., ius patronatus ecclesiae Szebeniensis, per episcopum Olomucensem examinari, decernique iubet.

„Plebanus parochialis Ecclesiae villae Cibiniensis, Strigoniensis dioecesis, et vniuersitas hominum eiusdem villae, patroni eiusdem ecclesiae, petitione monstrarunt, quod licet eadem vniuersitas in eadem ecclesia ius obtineat patronatus, tamen *Praepositus ruralis cibiniensis,* dicte dioecesis, falsc asserens se dictae Ecclesiae fore patronum, et ad eum pertinere ius huiusmodi patronatus, praetextu iuris huiusmodi, decimas ad dictam Ecclesiam pertinentes, nec non oblationes — — — contra iustitiam occupauit et diu detinet occupata. — — — Datum Auinione IV. Non. Aprilis. Pontificatus nostri anno sexto."

Edid. Fejér: Cod. Dipl. VIII[2]. p. 367.

27.

1322. [Somogyvár.] 3. Aprilis. — Conventus Simigiensis, peracta inquisitione, nobilem Dese, uxoremque ejus, per filios Amadei et Jacobum de Kislók, vulneratum esse, comiti Simigiensi rescribit.

Viris nobilibus, comiti Stephano, viceiudicy magistri Nicolai comitatus Symigiensis et quatuor iudicibus nobilium comitatus eiusdem, conventus monasterii beati Egidii de Symigio, debitum amicicie et honoris. Noveritis, quod receptis litteris vestris, cum Petro filio Lada de *Sarkez,* homine vestro, ad exequenda que in ipsis litteris vestris continebantur, Petrum scolarem, hominem nostrum, in testimonium transmisimus; qui post modum unacum eodem ad nos reversus, nobis recitavit, ut idem homo vester in sui pressencia, a quibus decuit et licuit scivisset diligenter inquirendo, quod feria tercia ante dominicam Letare, Andreas et Paulus filii Omodey, necnon Jacobus filius Petri de *Kyslouc,* post horam vespertinam, ad domum Dese armatis manibus potencialiter veniendo, ipsum Dese de domo sua exclamassent et cum ante portam suam in medio eorum advenisset, per timpora captum, predictum Dese ad terram subtrusissent et cum bicello in tribus locys nervos pedis sui sinistri abscindere volendo, tria vulnera sibi in[flixi]ssent; audito eo domina consors eiusdem Dese, ad deffendendum maritum suum percurisset [e]am [. . .] in medio eorum, maritum suum defendentem, trusissent hac et illac. Datum sabbato ante dominicam Ramispalmarum, anno Domini M CCC XX secundo. 1322. 16. Mart.

Extus: Pro Dese de *Kyslouc,* contra filios Omodey et alios, conventus Symigiensis inquisitoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr. in Arch. Publ. Cap. Strig. Capsa 14. fasc. 6. nr. 13.

28.

1322. Avignon. 16. Apr. — Joannes PP. XXII., Dominico Benedicti, canonico Bosnensi, confert cantoriam ecclesiae Strigon. vacantem, et eidem archidiaconum Nitriensem, ac Petrum Jacobi, canonicum Verulanum, dat conservatores.

Edid. Theiner: Monumenta Hist. Hung. T. I. p. 483.

29.

1322. (Pozsony.) 18. Apr. — Capitulum Posoniense, transscribit literas Jacobi comitis, officialis Thomae II. archiepiscopi Strigoniensis, anno 1310. emanatas.

Nos capitulum ecclesie Posoniensis, significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem, quod Mykow et Laurencius, filii Jacobi, nobiles jobagiones archiepiscopatus sancte Strigoniensis ecclesie, de *Karcha*, ad nostram accedentes personaliter presenciam, litteras patentes comitis Jacobi civis Posoniensis, officialis domini venerabilis patris *Thome,* archiepiscopi sancte Strigoniensis ecclesie memorate, de *Challoukuz,* nobis exhibuerunt, petentes a nobis humili cum instancia, ut tenorem earumdem nostris litteris inseri et nostro sigillo earum (?) tenorem ad cautelam confirmare, dignaremur. Cuius tenor talis est:

Sequuntur literae, quibus comes Jacobus, officialis Thomae II. archieppi Strig. 1310. 10. Maii, Iliam de Karcha, quatuòr jugera terrarum vendidisse testatur. Vid. Operis huj. T. II. p. 623. nr. 688. 1310. 10. Maii.

Nos igitur peticiones dictorum Mykow et Laurencii considerantes esse iustas, litteras predicti comitis Jacobi, officialis venerabilis patris domini Thome, archiepiscopi sancte Strigoniensis ecclesie sepedicte, ratas habuimus et acceptas, et tenorem earum presentibus inseri fecimus, et auctoritate presencium duximus confirmandum. Datum, in octauis Pasce. Anno Domini Millesimo CCC° vigesimo secundo.

Vestigium sigilli nullibi apparet. — Orig. in Collect. Joannis Card. Simor, archieppi Strigon. b. m. — Conclusio diplomatis in literis hujusmodi penitus insolita est. Loci enim credibiles habuerunt quidem jus transscribendi, non tamen — prout hic legitur — acceptandi, ratificandi et confirmandi.

30.

1322. (Esztergom) 19. Apr. — Conventus Cruciferorum de Strigonio, filios Ivancae de Brakcsa, et filios Iván, possesiones haereditarias inter se dividisse testatur.

Nos frater Nicolaus magister, et universi fratres cruciferorum domus hospitalis, ecclesie sancti Regis Stephani, memorie commendantes significamus, quibus expedit universis, presencium per tenorem, quod Jacobus, filius comitis Juanche de *Brakcha* pro se, et pro Thoma fratre suo ab una parte; Laurencius, filius Iuan, filius fratris ipsius comitis Juanche, pro se et pro *Gewd* fratre suo ex altera, ad nostram personaliter accedendo presenciam, proposuerunt per hunc modum, quod iidem Jacobus et Thomas, frater eiusdem filii comitis Juanche, de ipsa possessione ipsorum Brakcha vocata, dedissent septem sessiones mansionum, cum terris arabilibus, silvis et aliis pertinenciis ad easdem, Laurencio et Geud, filiis Juan supradictis ab una parte. Que septem sessiones, cum suis terris arabilibus et pertinencis (sic!) ad easdem, inCipiunt (sic) a parte orientali ab *ecclesia altaris sancti Nicolai* et extenduntur ad quendam ri*w*llum fontis. Item quandam aliam particulam terre arabilis, cum silva de terra Ladislai, filii *Zemeke,* ultra pontem ipsius ri*w*uli, et transeundo usque ad metam, similiter dixerunt se dedisse, donasse et contulisse Laurencio et Gewd, ac posteritatibus ipsorum, perpetuo possidendam, tenendam et habendam; que quidem due particule terre inter se postmodum erunt limitate et certis metis assignate. Item prefatus Lauren-

cius, pro se et pro Gewd fratre suo, quandam possessionem seu villam, *Barak* vocatam, resignavit eisdem Jacobo et Thome, de cetero nullo iure sibi observato in eadem. Alie vero possessiones ipsorum, ubique locorum existentes, dividentur equali divisione inter ipsos. Datum, feria secunda post octavas Passce, anno Domini M ccc xx secundo.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. memb. in Arch. Mus. Nat. Bpest. — Arch. Famil. Motesiczky.

31.

1322. Pereszlény. 29. Aprilis. — Joannes parochus de Elefánt, cum patronis suis quoad obventiones suas, per iobagiones praestandas, coram vicearchidiacono convenit.

Dominicus plebanus de Perezlen, vicearchidiaconus Nitriensis, memorie commendantes significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod dominus Johannes de *Elephanth*, rector videlicet ecclesie eiusdem ab una, parte vero ex altera comites Deseu de *Mogh*, et Martinus de Elephanth superiori, item Mese, vice et nomine comitis Mathie de Elephant inferiori, cum litteris procuratoriis honorabilis capituli ecclesie Nitriensis, ad nostram personaliter venientes presenciam, propositum extitit per eosdem ministerio vive vocis, pariter et relatum taliter: quod ipsi in causa, pro qua iidem comites, per annotatum dominum Johannem in litem attracti extitissent, in presencia videlicet domini archiepiscopi Strigoniensis, in talem pacis et concordie devenissent unionem et devenerunt coram nobis: quod universi iobagiones ipsorum in predictis Elephanth commorantes et in futurum residenciam habere volentes, cuiuscunque condicionis et status existant, coniuges habentes, cum proventibus infra declarandis prefato domino Johanni, et per consequens sequacibus eiusdem tenerentur: quod singuli eorum singulariter singulis annis medium saponem tritici, unum pullum; item quelibet sponsa tempore intronizacionis sue, unum manuterium vel duodecim denarios; item tempore baptismatis puerorum de quolibet puero unam tortam et unum pullum; item quelibet mulier quadragesimo die partus sui prolis unam tortam et unum pullum; item de quolibet funere pulsatori unum denarium, pro lectura psalterii, XII. denarios, de vigiliis mortuorum XII denarios; item in commemoracione septimi, XXX^{mi} et anniversarii, ac in posicione lapidum seu lignorum, in signum monumenti duas tortas, unum pullum, unum caseum, placentem unam et unam anforam cervisie dare tenerentur; item quandocunque temporis in successu, ex parochianis iam dictis, quicunque ante iuramentum cum sua coniuge fieri debendum contraheret, seu eandem carnaliter cognosceret centum et quatuor denarios; quicunque autem de ipsa parochia aliquam ad aliam parochiam legitime duceret et cum eadem sponsalia faceret, similiter XII denarios; si autem absque iuramento et sponsalibus quoquo modo transduceret, tunc idem hospes de cuius domo seu hospicio transduceretur, sive pater, mater, frater, aut proximus, vel alienigena fore videretur ipsius transducte, duodecim pensas denariorum, plebano ecclesie prenotate dare et persolvere teneretur; item de prandiis ad honorem quorumlibet sanctorum, per ipsos parochianos dandis, cutem pecoris et unum quartalem carnium ad ipsum prandium permactati, cum uno mensale, quatuor tortis et una tina cervisia; de simplicibus autem prandiis, modo quo supra dandis, sexaginta denarios; item quelibet mulier, absque legitimo

maritali thoro pariens, centum et quatuor denarios, modo premisso plebano eiusdem ecclesie dare et persolvere teneretur; item tempore kathezizacionis (sic!) et baptizacionis puerorum, pro candelis clericis denarium dare non tenerentur parochiani prenotati; tali obligamine interserto, quod quandocunque prefati comites, vel eorum supersitites, aut iobagiones, presentes et futuri, et eorum heredes, in premissis omnibus modo aliquali persistere recusarent, tunc quilibet eorum absque porcione iudicis, contra annotatum plebanum, vel successores eiusdem, ante litis ingressum, eidem vel eisdem deponenda convinceretur in una marca denariorum, et ob quam rem ipsa litis materia inter predictas partes incitaretur, eidem plebano immediate plene persolvere tenerentur et integre; atque in quindenis ipsius satisfaccionis et solucionis, ipsi plebano impense, quilibet ipsorum comitum et parochianorum predictorum, vigesimo quinto se ipsis inclusive sumpto, eundem plebanum circa domum eiusdem placare tenebuntur. Atque omnia premissa et singula premissorum, prelibati comites se ipsos personaliter, annotatum autem Mathiam, procurator eiusdem, sponte obligavit coram nobis. Datum, in *Perezlen,* supradicta feria quinta proxima post festum beati Georgii martiris, anno Domini M CCC vigesimo secundo.

Ex transsumpto capit. Nitriens. anno 1378 confecto. — Orig. membr. in R. Hung. Archivo Regnicol. MODL. No 2098. Olim: Acta Paulinorum conv. Elefanth. fasc. 2. No. 1. Edidit. Anjoukori okmánytár II. 12.

32.

1322. Pécs. 10. Maii. — Ladislaus eppus Quinqueecclesiensis, iudex a Sede Apostolica delegatus, in causa decimarum et iurisdictionis inter eppatum Veszprém. et sacerdotes de Örs, Sassad, Csejk, Segesd et Leveld exorta, terminum investigationis defigit.

Nos Ladislaus, Dei gracia episcopus Quinqueecclesiensis, iudex in causa quam habet venerabilis pater S[teph]anus, eadem gracia episcopus Wesprimiensis et capitulum eiusdem loci, cum Paulo de *Wrs,* Francisco de *Sasagh,* Nicolao de *Cheyk,* Paulo de *Segusdino* et Stephano de *Lueld,* ecclesiarum sacerdotibus, a sede apostolica delegatus, significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem, ab eadem sede recepisse litteras in hec verba:

Johannes, episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo (expunct.: Wesprimiensi) Quinqueecclesiensi, salutem et apostolicam benediccionem. Querelam venerabilis fratris nostri, episcopi Wesprimiensis, recepimus (expunct.: in hec verba) continentem, quod licet de Segusdino, de Lueld, de Sasagh, de Wrs et de Cheyk ecclesie, infra limites sue dyocesis existere, sibique lege dyocesana subesse noscantur et preterea earum visitacio spectet ad episcopum antedictum, ac ipsarum ecclesiarum rectores, sibi velud ordinario obedienciam et reverenciam debitam exhibere, ipsumque ad visitandum illas admittere, procuracionem racione visitacionis huiusmodi exhibere, aliaque iura episcopalia solvere teneantur; et tam dictus episcopus, quam predecessores sui episcopi Wezprimienses, qui fuerunt pro tempore, in possessione pacifica, vel quasi iuris percipiendi obedienciam et reverenciam huiusmodi ab eisdem rectoribus, ac visitandi ecclesias antedictas, ac procuraciones dum visitarunt et alia iura huiusmodi recipiendi fuissent a tempore, cuius in contrarium memoria non existit, tamen Paulus de Wrs, Franciscus de Sasagh et Nicolaus de Cheyk ecclesiarum

predictarum rectores, contra dictum episcopum spiritum rebellionis assumpto, se a subieccione ipsius episcopi temere subtrahentes, eidem episcopo huiusmodi obedienciam et reverenciam exhibere, cum ad visitandum ecclesias predictas admittere ac procuraciones exhibere, aliaque iura prefata sibi solvere indebite contradicunt, quinimo se iurisdiccioni archiepiscopi Strigoniensis, qui esset pro tempore, temerarie propria subiecerunt, in dicti episcopi preiudicium et gravamen. Quo circa fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellacione remota decernas, faciens quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum, *Avinione*, quintodecimo Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno sexto. 1321. 17. Nov.

Johannes, episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Quinqueecclesiensi, salutem et apostolicam benedicciónem. Conquesti sunt nobis venerabilis frater noster Stephanus episcopus, et dilecti filii (expunct.: nostri) capitulum Wezprimiense, quod Paulus de Wrs, et Franciscus de Sasagh ecclesiarum rectores, Wezprimiensis dyocesis, super quibusdam decimis in contratis de cultello de Wrs et de Sasagh, dicte dyocesis consistentibus, et rebus aliis ad dictum episcopum et capitulum . . . . spectantibus iniuriantur eisdem. Ideoque fraternitati tue, per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audias causam et appellacione remota, debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore retraxerint, censura simili, appellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum, *Avinione*, quinto Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno sexto. 1321. 27. Nov.

Unde, cum pluribus et variis, tam ecclesie nostre, quam nostris negociis necessariis prepediti, ipsi cause supersederimus ad presens, et eandem integro et priori statu eiusdem manente, ad octavas Assumpcionis Beate Virginis, si in diem non inciderit feriatum, alias in sequentem non feriatum, duxerimus prorogandam, locum partibus Albam Regalem, ut ipsarum parciamur laboribus et expensis, in ipso termino comparendi statuendo. Ad cognicionem et decisionem dicte cause, ad locum et terminum predictos, in propria persona accedere non valentes, et de discrecione ac industria providorum virorum Stephani, cantoris ecclesie nostre, et Damiani prepositi de *Sow*, canonicorum ecclesie nostre predicte confidentes, cognicionem, examinacionem et decisionem dicte cause, in totum et integraliter, eisdem duximus committendam; ita videlicet, quod si ambo in loco et termino prefixis cognicioni et examinacioni et decisioni ipsius cause interesse nequiverint, aut noluerint, alter eorum exequi valeat et finire. In cuius rei testimonium, presentibus sigillum nostrum duximus apponendum. Datum *Quinqueeccclesiis*, feria secunda proxima post festum Apparicionis beati Micaelis archangeli, anno Domini M CCC vicesimo secundo.

Fragmentum sigilli tergo est appressum. — Orig. membran. in Archiv. Priv. Cap. Veszprim, Lad. 3. Csajág. Nro 1.

33.

1322. (Pozsony.) 6. Junii. — Capitulum Posoniense, Catharinam, viduam Petri de Völk, ratione dotis paraphernalis, tres marcas recepisse testatur.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod Katherina, filia Laurencii, filii Leupoldi de *insula castri Hedrici,* relicta Petri, filii *Petirke* de *Wilk* ab una parte, Paulo, filio dicti Petirke de eadem Wilk parte ab altera, coram nobis personaliter constituti, sunt confessi oraculo vive vocis: quod licet mota fuisset materia questionis inter ipsos, super dote et rerum parafarnalium eiusdem domine Katherine, quondam consortis dicti Petri, fratris Pauli antedicti, et sic inter se fuissent altercati, ad ultimum tamen, propter bonum pacis, in talem pacis unionem devenissent, quod eadem domina Katherina, racione dotis sue et rerum parafarnalium suarum pretactarum, tres marcas denariorum Wiennensium plenarie recepisset et integre et sic eundem Paulum, racione dicte dotis et rerum parafarnalium predictarum, reddidit liberum et omnino expeditum; obligando se, quod quicunque processu temporum eundem Paulum, aut suos successores, racione dicte dotis et rerum parafarnalium sepedictarum vellent forsitan molestare, extunc eadem domina Katherina teneretur in omnibus defendere et tueri. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in festo Sancte Trinitatis, anno Domini M CCC vigesimo secundo.

Sigillum e viridi serico pendet. — Orig. membran., sat evanidum, in Archiv. Priv. Cap. Poson. Capsa C. fasc. 8. nr. 86.

34.

1322. Pozsony. 24. Junii. — Detricus, curialis comes Posoniensis, Jacobum falsarium filiumque ejus Petrum, de provincia Csallóköz expellit.

Vid. subtus nr. 36.

35.

1322. Bars. 1. Julii. — Magistratus comitatus Barsiensis, Joannem filium Farkasii, iuris ordine convictum, ad manus abbatis b. Benedicti tradunt mancipatum.

Nos Alexander, Nicolaus, Iwaka, et Iwan, quatuor iudices nobilium de comitatu Borsiensi, damus pro memoria, quod cum nos feria quinta in octavis beati Johannis Baptiste, unacum (expunct: E) magistro Ennrico comite nostro, pro tribunali sederemus, — Johannes filius Farkasii, exhibens nobis litteras venerabilis patris domini archiepiscopi Strigoniensis, in quibus se appellavit iobagionem sancti Adalberti et nobilem de *Garag;* e contra religiosus vir Ladizlaus, abbas sancti Benedicti de iuxta Goron, dicens ipsum Johannem attinentem ad ecclesiam sancti Benedicti. Unde nos universaliter ad nostram protestamur conscienciam, quod ipse Johannes, *y*mo progenitores et posteriores sui, fuerunt et sunt attinentes ad ecclesiam sancti Benedicti; sed quia idem Johannes dominum suum naturalem denegavit, ipsum, unacum comite nostro prefato, iuris ordine convictum, ad manus ipsius domini abbatis tradidimus mancipatum. Datum in *Bors,* feria quinta prenotata, Anno Domini M CCC XX secundo.

Extus: Memoriale pro domino abbate ecclesie sancti Benedicti, contra Joannem filium Farkasii. — Manus coeva vero adnot.: Restitucio Boleslaui archiepiscopi et abbas Ladislaus. — In plicatura sigillum annulare cereo impressum formam avis habens. Tria alia sigill. tantum loca incisionis monstrant. — Orig. in scheda membr. conf. in Arch. Priv. Cap. Strigon. Lad. 1. fasc. 5. nr. 15.

36.

1322. (Pozsony.) 19. Julii. — Capitulum Posoniense transscribit literas Detrici, curialis comitis Posoniensis, contra Jacobum falsarium, ejusque filium Petrum datas.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis salutem in salutis largitore. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod accedentes ad nostram presenciam Stephanus filius Andree, filii *Chugud* et Blasius filius *Bekud,* de genere udvornicorum, exhiberunt nobis litteras nobilis viri Detrici, curialis comitis Posoniensis, in quibus requirebat nos diligenter, quod nos seriem litterarum suarum nostris litteris inseri faceremus. Quarum tenor per totum talis est:

Nos Detricus, curialis comes Posoniensis, et quatuor iudices, Petrus videlicet filius Martini de *Werekne,* Petrus de *Guttur,* Leupoldus de *Paka* et Stephanus filius Seraphyni, per nobiles et ignobiles tocicius (sic!) provincie *Chollokuz* constituti, significamus quibus expedit universis, presencium per tenorem: quod accedentes ad nostram presenciam Peteu, filius Pauli et Johannes filius Cozme, de numero udvornicorum, sua nobis querimonia demonstrare curavunt, quod Petrus filius Jacobi, filii Almud, pro se et pro eodem patre suo comparendo, quandam terram ipsorum, *Kyuzfeuldi* vulgariter nuncupatam, statuendo Matheum et Laurencium iobagiones suos, coram honorabilibus viris capitulo Posoniensi, apellando scilicet Matheum et Laurencium antedictos coram dicto capitulo, nomine Peteu et Johannis predictorum, ipsosque viva voce confitendo, dictam possessionem ipsorum empticiam Kyuzfeuldi nuncupatam, mediantibus litteris dicti capituli, ipsis in perpetuum calumpniose et omnino iniuriose vendi et dari procurassent, sicut eciam ....s protestacionis, dictorum dominorum de capitulo, eisdem Peteu et Johanni concessis, plenius vidimus contineri. Nos igitur auditis querimoniis eorumdem et visis ....., terminum dictis partibus legitimum duximus asignandum, que licet pluribus terminis iudicialibus coram nobis litigando comparuissent, demum tamen presentibus virib ..... nestis, nobiscumque iudicantibus, comite Abram videlicet Rufo, Fuko et Georgio filio Salomonis, nobilibus de Chollokuz et aliis nobilibus consedentibus, G. . ., Marcello, filiis comitum udvornicorum, Nicolao filio Alberti, Ladislao filio Vrachy, Nicolao filio Gurk et Paulo filio Ladislai, iobagionibus udvornicorum, Benedicto filio Vrka, Ladislao filio Chumur et Michaele fratre *Husuet,* Petro dicto *Zydeu* et Petro filio Myko, senioribus udvornicorum, et aliis pluribus nobiscum consedentibus, dictum Jacobum, cum dicto Petro filio suo, propter predictam iniuriam, seu falsariam nefandissimam, cum clavibus castri super facies eorum, imitando iudicio plene provincie et eorumdem udvornicorum, cremari fecimus et comburi, prout talibus competebat falsariis; eosdemque de provincia Chollokuz, tamquam falsarios expellendos ..... numero prescriptorum ipsos collocando; et sic ob huiusmodi excessus eorum, sine dubio, omnia bona ipsorum, tam mobilia, quam immobilia nobis rite et legitime ..... cum possessionibus devoluta eorumdem. Nos vero

Stephano et Petro filiis Andree, filii Chugud, Blasio filio Bekud et Nicolao filio Elye de genere ..... [udvor]nicorum, speciali volentes occurrere cum favore, quandam terram eiusdem Jacobi et Petri filii sui, titulo empcionis comparatam, Kyusfeuldi vocatam, viginti tria iu[gera .....]mollia continentem, cum omnibus suis utilitatibus et quoddam fenetum ad dictam terram pertinens, inter terras *Luche,* a parte inferiori et terras Petri filii *Latus,* a parte superiori, et inter duo stagna vulgariter *Fynisar* nuncupatas existens, nobis de iure devolutas, eisdem Stephano, Petro, Blasio et Nicolao, propter vicinitatem possessionis, pro decem et octo marcis, plene ab eisdem habitis et receptis, vendidimus, dedimus et tradidimus iure perpetuo possidenda, habenda et tenenda. Item novem iugera terrarum, que nobis similiter per Peteu et Johannem sepedictos, racione nostrarum emendarum, octo marcarum, modo prehabito fuerunt devoluta, inter terras dicte Kyusfeuldi existencia, cum suis utilitatibus eisdem Stephano, Petro, Blasio et Nicolao, pro eisdem octo marcis, plene ab eisdem habitis, vendidimus, dedimus et tradidimus, iure perpetuo possidenda et tenenda. Datum *Posonii,* in festo beati Johannis Baptiste, anno Domini M CCC vigesimo secundo. In cuius rei evidenciam, presentes sigillo nostro et sigillis dictorum quatuor iudicum fecimus consignari uberiorem ob cautelam. 1322. 24. Jun.

Nos vero iustis et legitimis peticionibus eiusdem comitis inclinati, predictas litteras suas, de verbo ad verbum, nostris litteris inseri fecimus presentibus, sigillique nostri munimine fecimus consignari. Preterea Pete filio Pauli, Johanne filio Cozme, et Johanne filio Benedicti, Husuet filio Vrachy, Hona, Abree filio Buhtus, Paulo filio Bortal, Iwahun et Sebastiano filiis Chene, Johanne filio Heeteu, Thoma filio Petri, Paulo filio Cazmery, Stephano filio Sauli et Paulo filio Mathye, commetaneis et vicinis predicte terre Kyusfeuldi, coram nobis personaliter comparentibus, eosdem Stephanum, Petrum, Blasium et Nicolaum, eandem terram Kyusfeuldi et fenetum predictum, ac dicta novem iugera, cum omnibus suis utilitatibus, absque aliqua contradiccione penitus emere permiserunt. Datum, feria secunda proxima ante festum beati Jacobi apostoli, anno eiusdem ut supra.

Extus manus alia, ast coeva adnot.: Kyuzfeldi. — Sigillum e rubro et flavo serico dependebat. — Orig. membr. in Arch. Publ. Cap. Posonien. Capsa 9. fasc. K. nr. 1.

37.

1322. (Pozsony) 19. Julii. — Gregorius et Chanka, de genere udvarnicoram, coram Capitulo Posoniensi, se venditionem terrae Kövesföld, concessisse fatentur.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam, tenore presencium volumus pervenire: quod constitutus personaliter coram nobis Gregorius, filius Jacobi filii Almud, de genere udvarnicorum, pro se et pro Chanka, filio fratris sui, prout dixit, est confessus oraculo vive vocis, — quod quia nobilis vir Ditricus, curialis comes Posoniensis, dictum Jacobum, patrem suum, quem pro suis excessibus evidentibus, de provincia *Chollokuz* licenciaverat eiciendo eum ut proscriptum, redire permisit ad dictam provinciam et in domo sua commorari, — quandam terram empticiam, quondam dicti Jacobi patris sui *Kyuzfeulde* nuncupatam, que eidem comiti pro suis emendis de iure fuerat devoluta, quam idem comes Posoniensis, Stephano et Petro, filiis Andree

filii *Chugud,* Blasio, filio *Bekud* et Nicolao filio Elye, cum suis utilitatibus vendidit, iure perpetuo possidendam et tenendam, eosdem Stephanum, Petrum, Blasium et Nicolaum libere et quiete, cum suis porcionibus, si quas forte in eadem terra habere videretur, emere permisissent. Obligando se, ut quicunque processu temporum eosdem Stephanum, Petrum, Blasium et Nicolaum, aut eorum successores, racione porcionis ipsorum in eadem terra existentis, vellent forsitan molestare, ex tunc iidem Gregorius et Chanka, cum suis successoribus tenerentur expedire propriis laboribus et expensis. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum, feria secunda proxima ante festum b. Jacobi apostoli. Anno Domini M° ccc° vigesimo secundo.

A. B. C.

Sigillum e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membran. in Archiv. Publ. Cap. Poson. Capsa XIV. fasc. 10. nr. 47. — Extus manus Saec. XVIII. adnot.: Küvesföld.

38.

1322. Temesvár. 3. Aug. — Epistola Caroli I. regis Hungariae, data ad Joannem Superantium, Venetiarum ducem, in causa civitatuum Croatiae et Dalmatiae.

„Quia Civitatibus nostris in terris Croatie et Dalmatie constitutis juvamen et auxilium, quemadmodum per venerabilem in Christo patrem, dominum *Boleslaum, miseratione Divina Archiepiscopum Strigoniensem, proximum nostrum charissimum* nunciastis, non contra Nos, sed nostri nominis ab honorem amicabiliter prebuistis, et ipsum dominum Archiepiscopum, nostri intuitu, secundum decentiam sue reverentie pertractastis, vobis in gratiarum assurgimus uberes actiones — — Data in *Themesuar,* tertio nonas Augusti."

Edid. Wenczel G.: Magyar Diplomaciai Emlékek. T. I. p. 224.

39.

1322. Temesvár. 6. Aug. — Boleslaus, archiepiscopus Strigon., causam Bartholomaei sacerdotis ad novum terminum prorogat.

„quia secundum formam nostri iudicii Bartholomeus sacerdos, capellanus domini regis, contra Petrum sacerdotem, filium Stephani, assercionem suam super facto spoliacionis sue, ablacione duorum equorum suorum, valencium decem marcas et recepcione viginti marcarum suarum, per nos legitime requisitus, probare non assumsit, dictam causam ad octauas Epiphanie domini, proxime venturas, duximus prorogandam — — Datum in *Temesvar,* feria sexta proxima ante festum beati Laurencii martiris, anno Domini M° CCC° XX° II.

Edid. Cod. Andegav. T. II. p. 41.

40.

(1322.) Esztergom. 9. Aug. — Joannes, cancellarius et in temporalibus procurator generalis, Boleslai archiepiscopi Strigon., praebendas, per mortem Pauli canonici, in ecclesia Strigon. vacantes, dispositioni suae comittendas, ab archiepiscopo rogat.

Venerabili in Christo patri domino B.(oleslao), Dei et apostolice sedis gracia archiepiscopo Strigoniensi, locique eiusdem comiti perpetuo, duci Tostensi,

domino suo benefactori, magister Johannes, prepositus Boznensis, cancellarius et procurator suus in temporalibus generalis, se ipsum si quid est et ad omnia que potest. Moris est approbati ad dominos sollicite recurrere, cum necessitas id expostulat et felix utilitas hoc requirit, et ad idem naturale quodammodo so[litum di]nosscitur, ut de cuius provisione, seu dileccione plene confiditur, ad illum fiducialiter recurratur. Cum igitur me ad onera, t[am gravi]ssima deputastis, meas preces erga vestram dominacionem puto, per consequens, in hac parte exaudiri, postula ..... quatenus, si affectum vestre permissionis [erg]a me producere volueritis in effectum, extunc [..... per] mortem magistri Pauli, quondam c[anon]ici vestre ecclesie, nunc vacantes, mee disposicioni, seu collacioni ..... nemini committere, ut de hys illi, qui michi primo vestre dominacioni dieque noctu sudoribus indefessis servivit et servire intendit, valeam providere; aliud, sicut mea servicia commoda vestre dominacioni videntur et placebunt, non facturus, et preces quorumlibet super premissis differentes. Datum, *Strigonii,* in dominica post festum beati Syxti pape proxima.

Extus: Venerabili in Christo patri, domino B[oleslao], Dei et apostolice sedis gracia archiepiscopo Strigoniensi, locique eiusdem comiti perpetuo, duci Tostensi, domino suo benefactori. — Sigillum ovale plicaturae fuit appressum. — Orig. chart. in Archivo Mus. Nat. Hung. Budapest. — Annum dat. hujus epistolae illum 1322 praefigimus. Anno 1321 nempe Boleslaus 9. August. tantum archielectus erat; anno autem insequenti in aestate rediens ex urbe Venetiarum, ubi nuncium Caroli I. regis egit, mense Augusto procul Strigonio Temesvarini commoratur, unde 6ª Aug. in causa Bartholomaei presbyteri literas edidit (Conf. nr. 39.). E contrario vero, anno 1323 Joannes cancellarius iam non Boznensis, sed Scepusiensis fuit praepositus.

41.

1322. Avignon. 27. Sept. — Joannes PP. XXII., archiepiscopos Strigoniensem et Colocensem, necnon praepositum Albensem, Paulinis dat conservatores.

Ed. Theiner: Monum. Hist. Hung. T. I. p. 481.

42.

1322. Pozsega. 1. Octob. — Boleslaus, archiepiscopus Strigoniensis, immunitates parochorum districtus de Tarcza, per antecessorem suum, Thomam archieppum, anno 1312 ratihabitas, ad preces Henrici, praepositi Scepus. approbat et confirmat.

Edid. Fejér: Cod. Dipl. VIII.³ p. 369. — Literas Thomae archieppi Vid. in T. II. Monum. Eccl. Strig. p. 656.

43.

1322. (Szepeshely.) 7. Decemb. — Henricus, praepositus Scepusiensis, decimas villae Jánosfalva, contulit monasterio Menedékhely, Ord. Carthusiens.

Universis Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, quibus presentes ostenduntur, magister Herricus prepositus Scepusiensis, salutem in omnium Salvatore. Quoniam memorie novercatur oblivio et ea que geruntur in tempore vacillant facile, necessarium est, ut acta temporaliter scripture patrocinio fulciantur. Proinde ad universorum noticiam, tenore presencium, volumus pervenire, quod nos ordini et *fratribus ordinis Carthusiensis in Lapide Refugii,* in Sce-

pus, Domino famulantibus, sperantes eorumdem fratrum oracionum et ceterorum bonorum operum, per ipsos factorum fieri participes, ob salutem et remedium, anime nostre et successorum nostrorum, universas decimas, tam maiores quam minutas, ville *Janus* vocate, ex consensu et consilio fratrum nostrorum, capituli videlicet ecclesie nostre, et specialiter ex permissione et bona voluntate domini Jordani, ecclesie nostre canonici, cui in augmentum canonie sue, ipse decime, per discretum virum magistrum Paulum, felicis recordacionis predecessorem nostrum, prepositum Scepusiensem, collate extiterant, duximus conferendas et contulimus cum plenitudine sui iuris perpetuo possidendas. Quapropter successores nostros devote petimus et attente, quatenus ipsam collacionem nostram ratam et firmam habere dignentur, maxime pro eo, quod nos, Dei et beati Martini patroni nostri adiuti auxilio, quedam (emansit: que) ab ecclesia nostra alienata fuerant restauravimus, reditus et proventus ipsius in pluribus augmentando; et ob hoc pro remedio anime nostre, ac successorum nostrorum, predictas decimas ville Janus memoratis fratribus conferre potuisse merito dinoscamur. In cuius rei memoriam, iugemque firmitatis caucionem, presentes concessimus, nostri et fratrum nostrorum sigillorum munimine roboratas. Datum, in octavis beati Andree apostoli, anno Domini M CCC vicesimo secundo.

Extus manus saec. medii aevi adnot.: Super decimas in villa Johannis, nobis testamentaliter datas per canonicum; hec villa est circa *Quintum Forum* alias *Mechelofalwa*. — Et iterum: Super ville Janus decimas recipiendi littera prepositi et capituli.

Sigilla quatuor pendebant olim e diplom. membran. — Orig. in Archiv. Reg. Hung. Regnicol. MODL. 31068. (Olim signabatur: Archiv. Alba-Juliens. Centuria XX. Nro 17.)

44.

S. a. [1322. 28. Januarii.] Demetrius, vicejudex Boleslavi, archiepiscopi Strigon. et comitis de Pozsega, ac Carolus comes terrestris, super sacramento, per Dominicum pro Dresk praestando.

Nos comes Demetrius, viceiudex domini B.[oleslai], archiepiscopi Strigoniensis, ducis Tostensis et comitis de Posega, ac Karulus comes terrestris: damus pro memoria, quod feria quinta proxima post octavas festi Purificacionis Beate Virginis, magister Dominicus filius magistri Stephani, *vicesimo se minus uno,* videlicet cum magistro Beke filio Thome, Demetrio filio Demetrii, Marcello, filio Stephani, Romano filio Martini, Iwanka de *Lebsicha*, Michaele filio Thome de *Granicha,* Michaele filio Michaelis, Jacobo filio Bartholomei, Ladislai de *Zaah,* item cum Johanne filio Vydozlai, Stephano filio Zudislai, Petro filio Fabyani, Fabiano filio Tristani, Georgio filio Ambrosi, Johanne filio Gyan, Marcus filio Matheus, Jacobo filio Philpus et Stephano filio Barnabe, contra Dresk filium Iwanche (expunctum: feria quinta proxima post octavas festi Purificacionis Beate Virginis) debet prestare sacramentum super eo, quod iobagiones prefati Dresk: videlicet Poruenum et Oegel, legittime, secundum modum terre, ad se abduxisset et non contra legem; nec dampnum decem et septem marcarum sibi irrogasset; et quod iobagionem eiusdem Dresk, Kozar vocatum, non captivasset ea de causa, quod abduccionem predictorum iobagionum non valeat revelare. Datum, feria quinta proxima ante festum supradictum. 1322. 11. Febr.

Extus: Pro magistro Dominico, filio magistri Stephani, contra Dresk filium Iwanche super sacramento. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr. in Archiv. Reg. Hung.

Regnicol. MODL. 25704. (Signatura vetus: Neo-Regestrata Acta. 1504. nr. 27.) — Literas has anno 1322 exaratas esse puto, quia Boleslaus circa finem anni 1321 in Posega longiori tempore sedisse variis diplomat. testatur et ultra annum 1322 nusquam munere comitis de Posega ornatus. in monimentis scriptis, hucusque notis, memoratur.

45.

1323. Temesvár. 17. Jan. — Theophilus praepositus Strigoniensis, processum Chanadini electi Agriensis episcopi recenset, ipsumque auctoritate vicaria Boleslai, archieppi Strigon. confirmat, ordinandumque curat.

„Dominum *Chanadinum,* tunc *praepositum Varadiensem,* Secretarium Notarium, Comitem Capellae Domini nostri Caroli, Dei gratia illustris regis Hungariae, doctorem Decretorum, unanimiter et concorditer . . . . in Episcopum . . . nemine discrepente, Canonice, rite et legitime elegistis: et postmodum huiusmodi electione vestra, sic solemniter celebrata, ad praesentiam Venerabilis Patris Domini *Bogeszlai,* Ducis Tostensis, Dei et Apostolica gratia eiusdem Sanctae Strigoniensis Ecclesiae Archiepiscopi . . . . Metropolitani Vestri, Domini nostri, cum decreto electionis, reverenter, prout moris est, accessistis et confirmationem Electi Vestri memorati instanter petebatis. Verum, quia idem Dominus noster Archiepiscopus, quodam impedimento legitimo eo tempore fucrat praepeditus, et personaliter ad confirmationem praedictam intendere, prout volebat, non potuit: nobis examinandi processum, formam electionis, personam electi, et ipsum decretum electionis, et confirmandi personam electi, post habitam diligentem examinationem, ac munus consecrationis per quemcunque Episcopum Catholicum impendendi eidem, plenam et liberam ac ordinariam, authoritate metropolitana tradidit potestam; gratum, ratum et firmum habiturus, quidquid per nos in persona dicti Domini Electi ageretur. Nos igitur omnibus praemissis diligenter inspectis et examinatis, iuxta statuta sanctorum Patrum novissima et antiqua, edictum sive *Cridham* in eadem Ecclesia Agriensi, per religiosum virum fratrem Jacobum, praepositum S. Stephani de promontorio Varadiensi fieri fecimus, ut quicunque contra formam electionis, aut personam electi vellent aut possent aliquid obiicere aut opponere, Sabbatho proximo, post octavas Epiphaniarum Domini preteritas, coram nobis in loco ad hoc eis assignato, personaliter, vel per procuratorem legitimum, sufficienter instructum, comparerent. Ipso igitur termino adueniente, nullus de citatis, per nos legitime expectatis, apparuit contradictor. Quibus praemissis — — ipsoque Domino Electo et quibusdam discretis viris de ipso Capitulo ad hoc deputatis, confirmationem suam instanter petentibus — nos authoritate Dei omnipotentis — — et authoritate metropolitana, nobis commissa, *et vice nec non potestate Capituli Ecclesiae Strigoniensis,* sub spe ratificationis et rati habitionis sanctissimi Patris, Domini Joannis, Divina providentia Sacro Sanctae R. E. supremi Pontificis, die Veneris post diem memoratum, in Ecclesia Beati Georgii Martyris in Temesvár, coram venerabilibus Dominis Episcopis. qui tunc praesentes aderant, et aliis discretis viris, Canonicis, secularibus et religiosis, ac copiosa multitudine fidelium, invocata gratia Spiritus Sancti, ipsum Dominum *Chanadinum* Electum duximus confirmandum; et ipsum praefecimus in eiusdem Ecclesiae Agriensis Episcopum et Pastorem; euitandum (fors: conseirandum) per sacras manus Venerabilis Patris Domini *Benedicti,* Dei gratia, *Chanadiensis Episcopi,* assistentibus sibi Venerabili-

bus Patribus, Domino *Nicolao* Jaurinensis, *Iwanka* Varadiensis, Dei gratia Ecclesiarum Episcopis; praesente etiam venerabili Patre, Domino *Ladislao,* eadem Dei et Apostolica gratia Colocensi Archiepiscopo, et hoc consentiente, et licentiam tribuente." Quapropter . . . . . etc. „in cujus rei memoriam — praesentes conscripsimus litteras, appensione sigillorum eiusdem Venerabilis Patris Archiepiscopi Strigoniensis, Domini nostri, et nostro roboratas et munitas." Datum et actum *Themesvár.* Dominica die supradicta.

Edid. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[3] p. 477.

46.

1323. (Szepeshely) 13. Febr. — Capitulum Scepusiense, Henrico praeposito suo ad episcopatum Vesprimiensem translato. Joannem praepositum Bosnensem, cancellarium Boleslai archieppi, in praepositum elegit.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[3] p. 482.

47.

1323. (Győr.) 16. Martii. — Capitulum Jaurinense, magistrum Thomam, custodem Posoniensem, pro damnis per Paulum prepositum de Csorna, eidem monasterio nefors inferendorum, cavisse testatur.

Nos capitulum Jauriensis ecclesie, significamus quibus expedit universis, quod discretus vir magister Thomas, custos ecclesie Posoniensis ab una parte, magister Laurencius filius Emerici de *Chorna* ex altera, coram nobis personaliter constituti; idem magister Thomas assumpsit et obligavit se, pro religioso viro fratre Paulo de ordine (expunct.: fratrum) fratrum *Premonstratensium,* preposito per suum curatorem (?), ad monasterium beati Michaelis archangeli de eadem Chorna destinatum, super eo, ut quamdiu dictus frater Paulus prepositus, in prefato monasterio perseverare voluerit et dicto monasterio dampna intulerit, extunc prefatus magister Thomas satisfaciet de dampnis illatis prefate ecclesie et patronis eiusdem. Datum, feria quarta proxima ante dominicam Ramispalmarum, anno Domini M CCC vicesimo tercio.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membran. in Archivo Reg. Hung. Regnicol. MODL. 2154. — (Sign. vetus: Acta Eccl. Cameral. fasc. 35. nr. 32.)

48.

1323. Pozsony. 13. Aprilis. — Boleslaus, archiepiscopus Strigon., privilegium nobilibus de Karcha archieppalibus, per Lodomerium et Thomam archieppos concessum, transcribit.

Nos *Bodizlaus,* miseracione divina archyepiscopus Strigoniensis, eiusdemque loci comes perpetuus, significamus presencium per tenorem universis, quod nobilis vir comes Jacobus filius Johannis, filii Maurici de *Karcha* suo nomine, et vice Nicolai et Laurencii, filiorum Gregorii, nepotes *Zyda* de eadem Karcha, ex generacione eiusdem Mauricii; item nomine filiorum *Doha* et generacionis eorumdem; item nomine filiorum Chonch de *Kezelthes;* item nobiles de *Dobragas,* vice et nomine et nomine (sic iterato) generacionis eorum; item de *Zenthgwrg* et de villa *Both* et de villa *Bense,* vice et nomine generacionis eorumdem, ad

nostram accedentes presenciam, exhiberunt nobis litteras patentes et privilegiales, venerabilium in Christo patrum, domini Lodomerii et domini Thome, eadem gracia Strigoniensis ecclesie archyepiscoporum, quondam predecessorum nostrorum, huiusmodi tenores continentes, super libertate ipsorum confectas, petentes nos cum instancia, ut easdem ratas habere et confirmare dignaremur. Quarum quidem litterarum tenor talis est:

Sequuntur literae *Lodomerii* archieppi, quosdam de Karcha in numerum nobilium eccl. Strig. assumentes. Vid. T. II. nr. 295. p. 298.[1] 1291. 8. Sept.

Item tenor seu forma litterarum confirmatoriarum, cum sigillo archyepiscopali pendenti, est talis:

Sequuntur literae Thomae II. archieppi superiores confirmantes. T. II. nr. 882. p. 771. 1320. 25. Febr.

Nos igitur, cum intersit nostra unumquemque specialiter in gremium sancte matris ecclesie venientem, nostri pastoralis officio recolligere, fovere et in suo iure paternaliter conservare, eundem Jacobum filium Johannis, cum predictis cognatis et proximis suis, ac generacione sua; Nicolaum et Laurencium nepotes Zyda de eadem Karcha, ex generacione eiusdem Mauricii; item filios Doha et generacionem eorumdem; item filios Chunch de Kezelthes; item nobiles de Dobragas, nomine generacionis ipsorum; item nobiles de Zenthgurg, et de villa Both, et de villa Bensa, ac generaciones eorumdem; et specialiter nominando cum Pynk, nepote Alus et filio suo Laurencio, ac nepote Zyda Laurencio vocato de eadem Karcha, ac universos iobagiones nostros nobiles, recolligentes et recollectos, in illa libertate ad quam per sanctos patres, quondam archyepiscopos, nostros predecessores recepti noscuntur et aggregati, — cum eciam nos ad hoc inducat demonstracio litterarum domini *Andree*, felicis recordacionis filii *Bele*, quondam regis Hungarie, privilegiales, continentes libertatem predictam eorumdem, — promittimus conservare et eorum peticioni iuste et racioni consone inclinati, litteras ipsorum cum libertate eorumdem, presentibus ratam habemus et confirmamus. In cuius rei testimonium presentes sigilli nostri appensione eisdem duximus concedendas. Datum, *Posonii*, feria quarta proxima post dominicam Misericordia, anno Domini M° ccc° xx° tercio.

E transsumpto Joannis Kanizsai, archieppi Strigoniensis, de dat. 1394. 21. Mart. — In Archivo Primat. Secul. Lad. R. nr. 8.

49.

1323. — 22. Aprilis. — Carolus I. rex, transsumit et confirmat, privilegium Ladislai IV. regis, capitulo Posoniensi, super possessiones Flanczendorf et Szilincs, concessum.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus, omnibus Christi fidelibus presencium noticiam habituris, salutem in omnium salvatore. Exardescens ad hetera regalis dyadematis exuberans devocio, eo saluti sue prospicit utilius, quo a predecessoribus suis ecclesiis ac earum usibus, pia devocione collata, sue roboracionis fulcimento limpidius approbat et confirmat. Proinde ad universorum noticiam, tam presencium, quam futurorum harum serie volumus pervenire: quod accedens ad nostre serenitatis presenciam Thomas, custos ecclesie sancti Salvatoris de *Poso-*

nio, nomine eiusdem ecclesie exhibuit nobis quoddam privilegium inclite recordacionis Ladizla*y* regis Hungarie, predecessoris nostri, per eum eidem ecclesie super terris *Fleizyndorph* et *Zelench* vocatis concessum, petens a nobis nomine ecclesie memorate, devota precum instancia, ut idem privilegium ratum habere, nostroque dignaremur privilegio confirmare. Cuius quidem privilegii tenor talis est:

Sequitur privilegium Ladislai IV. de a. 1278. Sept., T. II. p. 87. nr. 71. ex ipso orig. editum. 1278.

Nos itaque iustis, devotis et legitimis eiusdem Posoniensis ecclesie peticionibus, de solite regie benignitatis gracia favorabiliter inclinati, tenorem eiusdem privilegii, per nos diligencius recensiti et attencius percunctati, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum, sed ab omni suspicione semotum, de verbo ad verbum presentibus insertum acceptamus, approbamus et ratificamus; idemque privilegium et possessiones memoratas, ipsi ecclesie Posoniensi, sub appensione sigilli nostri autentici novique, perpetuamus et presentis scripti patrocinio, ex certa nostra sciencia perpetuo confirmamus. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri novi et autentici munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri Ladizla*y*, prepositi Albensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti ac fidelis nostri. Decimo Kalendas Maii, anno Domini M° trecentesimo vicesimo tercio, regni quoque nostri anno similiter vicesimo tercio. Venerabilibus in Christo patribus, dominis Bolezlao Strigoniensi et fratre Ladizlao Colochensi archiepiscopis; Johanne Nitriensi, Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jauriensi, Georgio de sancto Yreneo, Ladislao Quinqueecclesiensi, fratre Petro Boznensi, Iwanka Waradiensi, Laurencio Waciensi, Andrea Transiluano, Henrico Wesprimiensi et Chanadino Agriensi, ecclesiarum episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Philippo palatino, comite de Sceps et de Vywar, Demetrio magistro tawarnicorum nostrorum, comite Bachiensi et Trinchiniensi, Lamperto iudice curie nostre, comite Chanadiensi et Nitriensi, Thoma Woyawada Transiluano et comite de Zolnok, Nicolao bano tocius Sclauonie, comite Supruniensi, Paulo bano de Machou, comite Syrmiensi et de Wolkou et de Budrug, Mikch magistro tawarnicorum domine regine, karissime consortis nostre, comite de Sarus et de Zemplen; Deseu iudice curie eiusdem regine, Blasio magistro agazonum nostrorum, Nicolao comite Symegiensi et Nicolao comite Posoniensi, et aliis quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores. 1323. 22. Apr.

Fragmen sigilli e rubro, ceruleo et flavo serico pendet. — Orig. in Arch. Priv. Cap. Poson, Capsa C. fasc. 6. nro 67. Hoc autem priv. transsumit et conf. a. 1357. Ludovicus I. rex Ibidem: Capsa D. fasc. 3. nr. 33.

50.

1323. — 27. Apr. — Boleslaus, archiepiscopus Strigoniensis, literas predecessoris sui Thomae II., super Marcsamagyar adprobat, et Henricum in coetum nobilium archiepiscopalium, recipit.

Tenorem vide sub nr. 69.

51.

1323. Esztergom. 6. Maii. — Boleslaus archiepiscopus Strigoniensis, electionem Johannis prepositi Scepusiensis, habito regis consensu, ratihabet.

Nos Bolezlaus, Dei et apostolica gracia archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, memorie commendantes significamus per presentes, quibus expedit universis; quod discreti viri magister Bogomerius cantor et Beke archidiaconus in ecclesia Scepsiensi, plenum habentes mandatum, cum procuratoriis litteris capituli eiusdem Scepsiensis, ecclesie, nobis, unacum honorabilibus viris dilectis fratribus nostris et in Christo karissimis, domino Th(eophilo) preposito et capitulo ecclesie nostre Strigoniensis assidentibus, vice et nomine predicte ecclesie Scepsiensis coram nobis constituti, decretum eleccionis pro futuri praepositi ipsorum creacione in medium produxerunt, sollempniter proponentes, quod cum ecclesia ipsorum sancti Martini Scepsiensis collegiata, per translacionem honorabilis viri, domini H.(enrici) prepositi, in episcopum Wesprimiensem vacavisset, canonici ipsius ecclesie, qui comode adesse potuerunt, die ad hoc inter se assignato, ad eleccionem celebrandam futuri prepositi, vocatis absentibus, secundum leges canonicas processissent et invocato Spiritus sancti gracia, inter diversos tractatus ipsorum, unanimiter et concorditer, nullo penitus discrepante, in personam honorabilis viri domini Johannis, prepositi Boznensis, vota sua direxissent et ipsum in prepositum elegissent eorumdem; atque clero et populo, qui ad compulsacionem campanarum convenerunt, laudes Domino decantantes, eleccionem de eodem canonice per compromissi formam publicasse ut celebratam. Petentes a nobis, sicut decet ab ipsorum metropolitano, sicut humiliter sic devote, quatenus eleccionem per ipsos de predicto domino Johanne preposito, sufficienti litterature, vita laudabili et ordine dyacono, qui tricesimum annum sue etatis explevit, rite et legitime celebratam, — dignaremur confirmare. Nos igitur, quia divine maiestatis reverencia cordi nostro vehementer insidet, et ad eius nominis cultum mentis nostre acies sedule occupatur, eo quod tanto ante oculos ipsius maioris gracie dona percipere speramus, quanto ecclesiis divinitus (sic!) dedicatis pii pastoris officium laudabilius impertimur: ne predicta ecclesia Scepsiensis in suis iuribus grave dispendium paciatur, et populus sibi subiectus fluctuet morsibus predonum, cum predictis fratribus nostris *Iuris Canonici professoribus,* diligenti examinacione premissa, ipsam eleccionem, canonice celebratam, habito consensu et beneplacito serenissimi principis, domini Karoli, per eandem regis Hungarie, domini nostri, — paternaliter duximus confirmandam. Datis eidem domino Johanni preposito, in eadem ecclesia Scepsiensi, in spiritualibus et temporalibus plenam amministrandi facultatem. In cuius rei testimonium presentes concessimus sigilli nostri appensione roboratas. Datum *Strigonii,* in festo beati Johannis ante portam latinam. Anno Domini M° ccc° xx° tercio.

Sigillum cerae rubrae impress. e flavo serico dependet. — Orig. in Arch. Cap. Scepus. Priv. Scrin. 11. fasc. 2. nr. 19.

52.

1323. — Nagyvárad. 5. Junii. — Carolus I. rex, mortuo primogenito suo Carolo, ecclesiis in specie capitulo Posoniensi, bona adempta, ex voto suscepto, restitui mandat.

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis universis, baronibus, comitibus, castellanis, officialibus ac universis nobilibus, specialiter autem magistro

Nicolao comiti *Posoniensi*, aliisque omnibus hominibus, cuiuscumque status seu condicionis existant, quibus presentes ostenduntur, salutem et graciam. Cum nos alme matris ecclesie salutari devocione permoti, *novissime diebus istis karissimo primogenito nostro Karolo parvo, vocacione dominica translato,* ob nostram et eiusdem filii nostri, necnon progenitorum nostrorum salutem, votum voverimus, omnes possessiones universarum ecclesiarum regni nostri et quelibet iura earumdem restituere, pleno iure. Fidelitati vestre firmissime, auctoritate regia precipimus per presentes, quatenus quicunque vestrum, quascunque possessiones, seu iura ecclesie Posoniensis habent et tenent, statim visis presentibus, omni occasione et dilacione postpositis, eidem ecclesie Posoniensi dimittere libere et restituere plenarie debeatis, aliud, ne fractores voti nostri habeamini, facere non audentes; ut autem votum nostrum huiusmodi efficacius reddere domino valeamus, ad omnes possessiones dicte Posoniensis ecclesie et iura quelibet eiusdem, a quibuslibet ea tenentibus, habentibus et detinentibus in ipsius ecclesie Posoniensis preiudicium et iacturam, auctoritate nostra auferendum, recipiendum et eidem ecclesie reddendum et specialiter ad restituendas possessiones sepedicte ecclesie *Zelench* et *Tyrnie* vocatas, in comitatu Posoniensi existentes, hominem nostrum, *te magistrum Nicolaum,* comitem Posoniensem, presentibus deputamus, mandantes et precipientes tibi regio edicto per presentes, ut prenotatum votum nostrum exequendo, omnes possessiones eiusdem Posoniensis ecclesie, a quibuslibet easdem detinentibus, seu iura, presertim possessiones Zelench et Tyrnie prefatas auferre auctoritate nostra, et ipsi Posoniensi ecclesie restituere debeas pleno iure, occasione, dilacione et contradiccione quorumlibet non obstante. Datum, *Waradini,* die dominico proximo ante festum beati Barnabe apostoli, anno Domini M ccc vicesimo tercio.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr. in Arch. Capit. Poson. Privat. Capsa C. fasc. 5. nr. 49. — Transsumit a. 1357. 18. Jan. Ludovicus I. rex. — Ibidem Capsa D. fasc. 7. nr. 67.

53.

1323. Pozsony. 18. Junii. — Magistratus Comitatus Posoniensis, capitulo Posoniensi, terras Apka et Kösei restituit.

Nos magister Petrus, curialis comes Posoniensis et Andreas de *Churle,* Petrus de *Guttur,* Lepoldus de *Paka* et Walentinus de *Werekne,* iudices nobilium, significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem; quod cum nos ad peticionem discretorum virorum, magistri Nicolai prepositi et capituli ecclesie Posoniensis, nobilem virum Nicolaum, filium *Eleek,* hominem nostrum, et Dominicum, filium Damiani de *Beel,* iobagionem castri Posoniensis, ad reambulandas et restituendas possessiones dicte ecclesie Posoniensis, in comitatu Posoniensi existentes, si contradictores non apparerent, una cum ipso preposito misissemus; iidem Nicolaus et Dominicus ad nos reversi unanimiter retulerunt, quod duas terras dicte ecclesie Posoniensis, unam videlicet *Obka* vocatam, que est inter ecclesiam seu villam *Sancti Michaelis* et inter terram *Meerche* quondam, et aliam *Kusey* nominatam, que est inter ecclesiam seu villam *Sancti Jacobi* et inter villam similiter *Kusey* vocatam, convocatis omnibus vicinis et commetaneis dictarum terrarum, per metas seu terminos et distincciones antiquas reambulassent et cum nullus apparuisset contradictor seu prohibens, terras ipsas cum

omnibus utilitatibus et pertinenciis suis, eidem preposito et ecclesie Posoniensi restituissent auctoritate nostra, pacifice tenendas et possidendas. Nos vero, dictis et verbis eorumdem Nicolai et Dominici fidem plenam adhibentes, cum idem prepositus manifeste, ad scitum nobilium et aliorum hominum comitatus Posoniensis, super reambulacione et restitucione predictarum et aliarum terrarum dicte Posoniensis ecclesie, modo debito et ordine processisset, et quia eciam coram nobis contra eundem prepositum et ecclesiam Posoniensem, nullus super predictis terris apparuit contradictor vel agens, restitucionem predictarum terrarum, Obka et Kusey vocatarum, per eosdem Nicolaum et Dominicum factam approbantes, et confirmamus et ratificamus. In cuius rei testimonium et firmitatem presentes, *sigilli magistri Nicolai comitis Posoniensis domini nostri,* et nostrorum sigillorum *appensione* fecimus communiri. Datum *Posonii,* sabbato proximo post festum beatorum Viti et Modesti martirum, anno Domini M CCC vigesimo tercio.

Quinque sigilla non appensa, prout in textu dicitur, sed tergo fuerunt appressa. — Orig. in Arch. Cap. Poson. Privat. Capsa C. fasc. 11. nr. 123.

54.

1323. Pozsony. 18. Junii. — Magistratus comitatus Posoniensis, capitulo Posoniensi, terras Bél, Deáki et Taksony restitutas esse testatur.

Nos magister Petrus, curialis comes Posoniensis, et Andreas de *Churle,* Petrus de *Guttur,* Leupoldus de *Paka* et Valentinus de *Verekne* iudices nobilium, significamus universis, quibus expedit presencium per tenorem, quod cum nos ad peticionem et instanciam discretorum virorum, magistri Nicolai prepositi et capituli ecclesie Posoniensis, nobilem virum Nycolaum filium *Eleek,* hominem nostrum et Dominicum filium Damiani de *Beel,* iobagionem castri Posoniensis, ad reambulandas et restituendas possessiones dicte ecclesie Posoniensis, in comitatu Posoniensi existentes, si contradictores non apparerent, una cum ipso preposito misissemus, iidem Nicolaus et Dominicus, ad nos reversi unanimiter retulerunt: quod terram dicte ecclesie Posoniensis *Beel* vocatam, iuxta et inter *ecclesiam sancti Nicolai* et terram de *Zemch*, terram *Budy,* terram *Bel* iobagionum castri, et terram *Minor Beel* existentem; et terram seu *villam* antiquitus *Dyaky,* nunc vero *Minor Kurmusd* vocatam, eiusdem ecclesie Posoniensis, iuxta aquam *Polazou,* inter terras *Budy, Scemch, Reche* vocatas et terram *Deme,* hominis castrensis sitam et existentem; ac terram similiter ipsius ecclesie Posoniensis *Toxun* nominatam, inter villam *Galanta* et terras Leupoldi de *Paka,* Nicolai quondam dicti *Bud,* filiorum Nicolai, filii Johanca et Ladislai, filii Salomonis existentem, vocatis omnibus viciņis et commetaneis dictarum terrarum, per metas seu terminos et distincciones antiquas, reambulassent et cum nullus apparuisset contradictor seu prohibens, predictas tres possessiones, seu terras: videlicet terram *Beel,* cum vineis intra metas, seu terminos eiusdem terre, in monte, qui antiquitus *Mons Glyris* vocabatur, plantatis et existentibus, et villam *Dyaky,* ac terram *Toxun* cum omnibus utilitatibus et pertinenciis earum universis, coram commetaneis et vicinis possessionum ipsarum, eidem preposito et ecclesie Posoniensi restituissent pacifice tenendas et possidendas. Nos vero dictis et verbis eorumdem N.[icolai] et D.[ominici] fidem plenam adhibentes, cum idem prepositus manifeste ad

scitum nobilium et aliorum hominum comitatus Posoniensis, super reambulacione et restitucione predictarum et aliarum possessionum, dicte ecclesie Posoniensis, modo debito et ordine processisset et quia eciam coram nobis contra eumdem prepositum et ecclesiam Posoniensem nullus apparuit contradictor, seu agens et litigans, restitucionem predictarum possessionum Bel, Dyaky et Toxun vocatarum, per eosdem N.[icolaum] et D.[ominicum] factam approbantes et confirmantes, presentes eisdem preposito et capitulo, in predictorum omnium testimonium et firmitatem concessimus, sigilli magistri N.[icolai] comitis Posoniensis domini nostri, et nostrorum sigillorum appensione roboratas. Datum *Posonii,* sabbato proximo post festum beatorum Viti et Modesti martyrum. Anno Domini M ccc vicesimo tercio.

Quinque sigilla tergo fuerunt appressa. — Orig. pulchre exaratum, in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa C. fasc. 11. nr. 124. — Trans. saec. XVI. Ibid. Capsa D. fasc. 5. nr. 51.

55.

1323. Pozsony. 18. Jun. — Magistratus Comitatus Posoniensis, terras Bél, Kicze, Apka et Taksony, vi mandati regii, capitulo Posoniensi restituit.

Tenorem vide sub nr. 162.

56.

1323. (Pozsony.) 18. Junii. — Magistratus civitatis Posoniensis, Petrum Sartorem cum cognatis, capitulo Posoniensi, terram suam Ablincs vendidisse testatur.

Nos Marchardus iudex et iurati, ac universi cives de Posonio significamus, quibus expedit universis, presencium per tenorem: quod constituti personaliter coram nobis Petrus dictus Sartor, gener scilicet quondam *Woch* civis de Posonio, domina Margareta filia eiusdem Woch, pro se et pro nepotibus suis Margareta et Anna, filie eiusdem Petri, neptes scilicet dicti Woch et Johannes filius quondam Laurentii filii dicti Petri, ac Michael filius dicte Anne, pronepotes eiusdem Woch, concives nostri ex una parte; magistri Johannes Longus et Emiricus canonici ecclesie Posoniensis, nomine et vice prepositi, ac capituli eiusdem ecclesie ex parte altera; iidem Petrus, Margareta filia Woch, Margareta et Anna, Johannes et Michael, viva voce sunt confessi, quod ipsi quandam terram eorum *Ablench* vocatam, ad sex aratra sufficientem, in comitatu Posoniensi existentem, que olim a felicissime recordacionis domino Bela, illustri rege Hungarie, pro notabilibus fidelitatum serviciis, omni remuneracione dignis, eidem Woch fuerat collata, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis universis, pro remedio anime dicte Woch et suarum salute animarum dedissent, donassent, ac eciam vendidissent ecclesie s. Salvatoris de Posonio, ipsiusque ecclesie preposito et capitulo, pro *viginti quinque talentis denariorum Wiennensium,* plene eisdem ad scitum nostrum persolutis et datis, perpetuo et irrevocabiliter possidendam et tenendam. Cuius quidem terre metas, secundum tenorem privilegii quondam dicti domini Bele regis, modo infrascripto et ordine distingvi dixerunt: videlicet, quod prima meta incipit ab oriente iuxta metas *Zelynch,* terre eiusdem ecclesie Posoniensis, per quas procedens a parte meridionali versus occidentem, incidit in metas terre *Wedered,* per quas descendens incidit in metas terre *Kurtwelis* et

ibidem incidit in metas alterius *Kurtwelis* ab occidente; deinde per metas eiusdem terre tendit ad metas tercie ville *Kurtwelis* et per metas eiusdem procedens versus septemtrionem, incidit in metas ville *Pach*, per cuius metas protenditur usque ad metas alterius terre *Zelinch*, similiter eiusdem ecclesie Posoniensis et sic per metas ipsius terre redit versus orientem ad primam metam et ibidem terminatur. Preterea idem Petrus, et alii predicti heredes seu proximi dicti Woch, assumpserunt se obligando, quodsi ullo unquam tempore, predicti prepositus et capitulum, racione terre predicte per quempiam impeterentur: ipsi eosdem prepositum et capitulum, propriis laboribus et expensis expedire tenentur. In cuius rei testimonium et firmitatem, presentes eidem preposito et capitulo concessimus, nostro sigillo communitas. Datum, sabbato proximo post festum beatorum Viti et Modesti martirum. Anno Domini Millesimo Trecentesimo vicesimo tercio.

Sigillum e rubro et flavo serico pendet. — Orig. in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa C. fasc. 5. nr. 48.

57.

1323. Pozsony 18. Jun. — Magistratus comitatus Posoniensis, capitulum Posoniense, vi mandati regii, in possessionem Deáki, statutum esse perhibet.

Tenorem vide sub nr. 157.

58.

1323. — 22. Junii. — Carolus I. rex, confirmat privilegium, super possessione Türnye, capituli Poson.

Karolus, Dei gracia Ungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac Montis S. Angeli dominus, omnibus Christi fidelibus presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Exardescens ad *h*etera regalis dyadematis exuberans devocio eo saluti sue prospicit utilius, quo a predecessoribus suis ecclesiis, ac earum usibus pia devocione collata, sue roboracionis fulcimento limpidius approbat et confirmat. Proinde ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie *w*olumus pervenire; quod accedens ad nostre serenitatis presenciam Th.(omas), custos ecclesie s. Salvatoris de Posonio, nomine et vice eiusdem ecclesie, exhibuit nobis quoddam privilegium, inclite recordacionis *Andree* regis Ungarie, predecessoris nostri, per eum eidem ecclesie, super collacione possessionis Johannis, filii Petri, *Turnye w*ocate concessum, petens a nobis nomine ecclesie memorate, devota prec*i*um instancia, ut idem privilegium ratum habere, nostroque dignaremur privilegio confirmare. Cuius quidem privilegii tenor talis est:

Sequitur priv. Andreae III. regis 1292. 2. Febr. emanatum. Vid. T. II. p. 136. nr. 319., ubi ex ipso originali edit. est. 1292. 2. Febr.

Nos igitur iustis, devotis et legitimis eiusdem Posoniensis ecclesie peticionibus, de solite regie benignitatis gracia favorabiliter inclinati, tenorem eiusdem privilegii, per nos diligenter recensiti et attencius percunctati, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum, sed ab omni suspicione semo-

tum, de verbo ad verbum presentibus insertum acceptamus, aprobamus et ratificamus, idemque privilegium et possessionem memoratam, ipsi ecclesie Posoniensi, sub appensione sigilli nostri *novi et autentici* perpetuamus et presentis scripti patrocinio, ex certa nostra sciencia, *de consilio infrascriptorum prelatorum et baronum regni nostri,* perpetuo confirmamus. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri, novi et autentici, munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri Ladizlai, prepositi Albensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. X° Kalendas Julii, anno Domini M ccc XXIII, regni quoque nostri anno similiter XXIII, Venerabilibus etc.

Sequuntur nomina praelatorum et baronum omnino prout in nr. 48. superius communicato. Solum loco: *Sceps* hic *Scepus; Zolnok* hic *Zonuk; Machou* hic *Machyo* et *Zemplen* hic *Zemlen* est scriptum.

Fragmen sigilli e rubro, viridi, ceruleo et flavo serico pendet. — Orig. membr. pulcherrime exaratum in Arch. Cap. Pos. Priv. Capsa C. fasc. 4. nr. 38. — Transsumptum vero Ludovici I. regis ex a. 1357. ibidem: Capsa C. fasc. 4. nr. 43.

59.

1323. — 26. Junii. — Carolus I. rex, transscribit literas confirmationales Cardinalis Gentilis, super decimis ecclesiae Posoniensi obvenientibus, editas.

[K]arolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac Montis Sancti Angeli dominus, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, precencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Cum a nobis petitur quod honestum est, decet excellenciam regiam consentire in hys presertim, que sacrosanctarum ecclesiarum videntur commodis convenire; proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod vir discretus Thomas, custos ecclesie Sancti Salvatoris de *Posonio,* ad nostram accedens presenciam, nomine eiusdem ecclesie exhibuit nobis quoddam privilegium domini Gentilis, bone memorie quondam tituli sancti Martini in Montibus presbiteri cardinalis et apostolice sedis legati, confirmans privilegium domini Thome, bone memorie quondam archyepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui, super donacione decime tributi *de portu Posoniensi* emanatum, petens a nobis humili precum instancia, ut idem privilegium ratum habere et ad uberiorem cautelam et conservacionem iuris predicte ecclesie, presentis patrocinio novique et autentici sigilli nostri caractere, dignaremur de benignitate regia confirmare. Cuius quidem privilegii tenor talis est:

1311.
Sequitur priv. Card. Gentilis de A. 1311. 23. Aug. vid.: T. II. p. 646. nr. 719. 23. Aug.

Nos siquidem ipsius privilegii domini Gentilis cardinalis et apostolice sedis legati, inspecta veritate, iuxta peticionem dicte ecclesie Posoniensis, idem privilegium non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum, prout hic de verbo ad verbum est insertum, seu ipsam donacionem domini Thome archyepiscopi, factam predicte ecclesie sancti Salvatoris de decima tributorum predictorum, ex certa sciencia et de prelatorum ac baronum nostrorum consilio et consensu innovantes, approbantes, ratificantes et presentis scripti patrocinio perhempniter confirmamus. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam

presentes concessimus litteras, dupplicis novi et autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri Ladyslai, prepositi ecclesie Albensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M CCC vicesimo tercio, sexto Kalendas Iulii, anno regni nostri similiter vicesimo tercio. Venerabilibus in Christo patribus dominis Bolezlao Strigoniensi et fratre Ladyzlao Colocensi archyepiscopis; Johanne Nitriensi, Benedicto Chanadyensi, Nicolao Jauriensi, Georgio de Sancto Ireno (sic.), Ladyzlao Quinqueecclesiensi, fratre Petro Boznensi, Jwanka Waradyensi, Andrea Transilvano, Herrico Wesprimiensi, aule domine regine, karissime consortis nostre, cancellario, et Chanadino Agriensi episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus; magnificis viris Phylippo palatino, comite Scepusyensi et de Wyuar, ac iudice Cumanorum; Demetrio magistro tavarnicorum nostrorum, comite Bachyensi et Trinchiniensi; Lamperto iudice curie nostre, comite Chanadiensi et Nitriensi; Thoma woyuoda Transiluano, comite de Zonuk; Nicolao bano tocius Sclauonie, comite Supruniensi et de Komarum, Mykch magistro tavarnicorum domine regine, comite de Sarus et de Zemlen, Deseu iudice curie eiusdem regine, Paulo bano de Machou, comite Syrimiensi, de Wolkou et de Budrugh, Blasio magistro agasonum nostrorum comite Huntensi, Dyonisio magistro dapiferorum nostrorum, castellano de Myhald, Nicolao dicto *Treutel* comite Posoniensi et Nicolao, filio Gylety, comite Symigiensi, ac aliis quam pluribus regni comitatus tenentibus et honores. 1323. 26. Jun.

Sigillum cum zona periit. — Orig. membr. in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa G. fasc. 7. nr. 162.

60.

1323. — 26. Junii. — Carolus I. rex, transscribit privilegium Ladislai IV. regis, super possessionibus capituli Posoniensis, Sámod, Vök et Kürt, concessum.

[K]arolus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac Montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Quociens a nobis petitur, quod honestum est, decet regiam maiestatem consentire ea presertim, que sacrosanctarum videntur ecclesiarum comodis convenire. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod accedens ad nostre serenitatis presenciam discretus vir Thomas, custos ecclesie sancti Salvatoris de Posonio, nomine eiusdem ecclesie Posoniensis capituli, exhibuit nobis quoddam privilegium domini Ladyzlai, inclite recordacionis quondam illustris regis Hungarie, fratris nostris karissimi, super donacione et collacione possessionum inferius in eiusdem tenore expressarum emanatum, petens a nobis humili precum instancia, ut idem privilegium ratum habere et ad uberiorem cautelam et conservacionem iuris ipsius ecclesie, presentis patrocinio, novique et autentici sigilli nostri caractere, dignaremur de benignitate regia confirmare. Cuius quidem privilegii tenor talis est:

Sequit. priv. Ladislai IV. regis de a. 1277. edit. ex ipso origin. T. II. p. 71. nr. 59. 1277. 28. Mart.

Nos siquidem ipsius privilegii domini regis Ladyzlai inspecta veritale, iuxta devotam peticionem capituli predicte ecclesie Posoniensis, idem privile-

gium non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum, prout hic de verbo ad verbum est insertum, seu donacionem ville *Samud*, ac terre *Kuurth* et possessionum predictarum, ex certa sciencia innovamus, approbamus, ratificamus et de prelatorum ac barronum nostrorum consilio et consensu, predicte prepositure et ecclesie Posoniensi, auctoritate presencium perpetuo confirmamus. In cuius rei memoriam, stabilitatemque perpetuam presentes concessimus litteras, dupplicis novi et autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri, magistri Ladyzlai, prepositi ecclesie Albensis, aule nostre vicecancellarii dilecti ac fidelis nostri, anno Domini Millesimo CCC vicesimo tercio, sexto Kalendas Julii, regni autem nostri anno similiter vicesimo tercio. Venerabilibus in Christo patribus, dominis Bolezlao Strigoniensi et fratre Ladyzlao Colocensi archiepiscopis; Johanne Nitriensi, Benedicto Chanadyensi, Nicolao Jauriensi, Georgio de S. Ireneo, Ladyzlao Quinqueecclesiensi, fratre Petro Boznensi, Iwanka Waradyensi, Andrea Transilwano, Herrico Wesprimiensi, aule domine regine cancellario et Chanadino Agriensi, ecclesiarum episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Phylippo palatino, comite Scepsiensi et de Wyuar, ac iudice Cumanorum; Demetrio magistro tavarnicorum, comite Bachyensi et Trynchiniensi; Lamperto iudice curie nostre, comite Chanadyensi et Nytriensi; Thoma Woyuda (sic!) Transiluano, comite de Zonuk; Nicolao bano tocius Sclauonie, comite Supruniensi et de Komarun; Mykch magistro tavarnicorum domine regine predicte, karissime consorsis nostre; Deseu iudice curie eiusdem regine; Paulo bano de Machou, comite Syrimiensi, de Wolkou et de Budrugh; Blasio magistro agasonum nostrorum, comite Huntensi; Dyonisio magistro dapiferorum nostrorum, castellano de Myhald; Nicolao dicto Treutel, comite Posoniensi et Nicolao comite Symigiensi, ac aliis quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

Sigillum e rubro et flavo serico pendebat. — Orig. membr. pulchre exaratum in Arch. Cap. Pos. Priv. Capsa C. fasc. 7. nr. 74. — Idem privil. confirmat Ludovicus I. A. 1357. 18. Januarii Ibid. Capsa C. fasc. 7. nr. 75. — Illud vero transcribit capit. Jaurinense A. 1403. — Ibidem Capsa C. fasc. 7. nr. 76—78.

61.

1323. (Pozsony.) 27. Jun. — Capitulum Posoniense, relictam Marci Fodor, servum suum Benedictum, manumisisse testatur.

A. B. C.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis salutem, in salutis largitore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod constituta personaliter coram nobis nobilis domina, filia Jacobi de villa *Magar*, relicta vero Marcy, dicti *Fudur* de *Wilk*, est confessa oraculo vive vocis: quod ipsa, pro amore Dei et pro remissione peccatorum parentum suorum et omnium predecessorum suorum, ac ipsius relaxacione peccatorum, quendam servum suum, nomine Benedictum, qui coram nobis personaliter astando, servum eiusdem se fuisse dixit et asseruit, quem sibi fideliter sua exhibuisse servicia dixit et asseruit, et eciam pro tribus marcis denariorum Wiennensium, plene ab eodem in suis necessitatibus habitis et receptis, cum permissione et bona voluntate Johannis et Thome, filiorum

Chescue (sic!), nepotum suorum, ac omnium proximorum suorum cum favore, cum omnibus ab ipso nascituris, seu descendentibus, manu misisset et tradidisset perpetue libertati. Ita, quod de cetero eundem Benedictum, cum omnibus ab ipso nascituris, seu descendentibus, racione sue pristine condicionis, nullus possit et valeat penitus molestare. In cuius rei testimonium, presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in festo beati Ladislai regis, anno Domini M ccc vigesimo tercio.

Sigillum cum zona deperd. — Orig. membr. in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa XIV. fasc. 23. nr. 4.

62.

1323. — 28. Jun. — Carolus I. rex, transsumit et confirmat privilegium Ladislai IV. regis, super possessione Szelincs capitulo Poson., concessum.

[K]arolus, Dei gracia Ungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac Montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Exardescens ad *h*etera regalis dyadematis exuberans devocio, eo saluti sue prospicit utilius, quo a predecessoribus eius ecclesiis, ac earum usibus pia devocione collata, sue roboracionis fulcimento limpidius approbat et confirmat. Proinde ad universorum noticiam, tam presencium, quam futurorum, harum serie *w*olumus pervenire, quod accedens ad nostre serenitatis presenciam Thomas, custos Posoniensis ecclesie sancti Salvatoris, nomine et vice eiusdem ecclesie ex*i*buit nobis quoddam privilegium inclite recordacionis Ladislai, regis Ungarie, predecessoris nostri, super collacione infrascripta terre, *Zelench* vocate, eidem ecclesie concessum, petens a nobis nomine ecclesie memorate, devota precum instancia, ut idem privilegium ratum habere, nostroque dignaremur privilegio confirmare. Cuius quidem privilegii tenor talis est:

Sequitur privil. Ladislai IV. regis anno 1280 emanatum, ex ipso orig. edit. in T. II. p. 120. nr. 95. 1280. 18. Aug.

Nos itaque iustis, devotis et legitimis eiusdem Posoniensis ecclesie peticionibus, de solite regie benignitatis gracia favorabiliter inclinati, tenorem eiusdem privilegii, per nos diligencius recensiti et attencius percunctati, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum, sed ab omni suspicione semotum, de verbo ad verbum presentibus insertum, acceptamus, a*p*robamus et ratificamus, idemque privilegium et possessionem memoratam, ipsi ecclesie Posoniensi, sub appensione sigilli nostri *novi* et autentici, perpetuamus et presentis scripti patrocinio, ex certa nostra sciencia, de consilio infrascriptorum prelatorum et baronum regni nostri, perpetuo confirmamus. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri novi et autentici, munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri Ladizlai, prepositi Albensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti ac fidelis nostri, quarto Kalendas Julii, anno Domini M cc xx m⁰, regni nostri anno similiter XXIII. Venerabilibus in Christo patribus B. Strigoniensi et fratre Ladizlao Colocensi archiepiscopis; Johanne Nitriensi, Benedicto 1323. 28. Jun.

Chanadiensi, Nicolao Jauriensi, Georgio de sancto Yrineo, Ladizlao Quinqueecclesiensi, fratre Petro Boznensi, Iwanka Waradiensi, Laurencio Waciensi, Andrea Transilvano, Henrico Wesprimiensi et Chanadino Agriensi, ecclesiarum episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Philippo palatino, comite de Scepes et de Wywar; Demetrio magistro tavarnicorum nostrorum, comite Bachiensi et Trinchiniensi; Lamperto iudice curie nostre, comite Chanadiensi et Nitriensi; Thoma Woyavoda Transilvano et comite de Zonuk; Nicolao bano tocius Sclavonie, comite Sopruniensi; Paulo bano de Machyou, comite Syrmiensi et de Wolko et de Budrugh; Mikch magistro tavarnicorum domine regine, karissime consortis nostre, comite de Sarus et de Zemlen; Deseu iudice curie eiusdem regine; Blasio magistro agazonum nostrorum; Dyonisio magistro dapiferorum nostrorum; Nicolao comite Posoniensi, et aliis quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores.

Fragmen sigilli e rubro, flavo, viridi et blanco serico pendet. — Orig. pulchre exaratum membranac., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa C. fasc. 5. nr. 47. B.

63.

1323. Pozsony. 2. Julii. — Magistratus comitatus Posoniensis, Gregorium famulum prepositi Posoniensis, per Budam notarium verberatum esse testatur.

Nos magister Petrus, curialie (sic.) comes Posoniensis, Andreas de *Churle,* Petrus de *Gutur,* Valentinus de *Verekuna* (sic.) et Leupoldus de *Paka*, iudices nobilium, significamus quibus expedit, tenore presencium universis: quod nos tam per nos, quam per nobiles, et alios multos homines de comitatu Posoniensi, ac per certos homines fide dignos, specialiter ad inquirendum et sciendum deputatos requisivimus, investigavimus et fuimus diligenter perscrutati et scivimus certitudinaliter, quod Gregorius, famulus honorabilis viri Nicolai prepositi Posoniensis, nullum de famulis et pertinentibus ad magistrum *Budam,* notarium quondam Mathei palatini, wlneravit, nullumque verberavit, vel offendit, et neminem iobagionum dicti magistri Bude, de villa sua, cum aliqua violencia recedere coegit, sed ipse Gregorius fuit, per dictum magistrum Budam et suos famulos, in vigilia beati Johannis Baptiste, enormiter verberatus et eciam vulneratus et nobis captus et ligatus, super equum proprium eiusdem Gregori (sic!), eodem die adductus et assignatus, nullis suis culpis exigentibus. Datum *Posonii,* sabbato proximo post festum beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno Domini M CCC vicesimo tercio. 1323. 23. Jun.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. in scheda membr. conf., in Arch. Cap. Pos. Priv. Capsa A. fasc. 10. nr. 6B.

64.

1323. (Pozsony) 12. Septembris. — Capitulum Posoniense, viduam Petri de Dalyán, possessionem Körtvélyes, filiabus suis legasse testatur.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire: quod accedens ad nostram presenciam discretus vir *Perhtoldus sacerdos,* rector ecclesie beati Petri de *Paach,* est confessus ora-

culo vive vocis: quod cum domina Elysabeth, filia Nycolai filii *Puz*, relicta Petri de *Dalyan*, in lecto iaceret egritudinis et diem extremum sibi sensisset imminere, compos tamen sue mentis, inter cetera ordinanda sua ultima testamentaria, in sui presencia, tamquam in presencia sui parochyalis sacerdotis et tamquam coram suo confessore, quandam possessionem, *Kurtwelys* vocatam, per dictum Petrum quondam karissimum maritum suum, quia aliorum carebat heredum solacio, propter eius dileccionem sibi in perpetuum donatam, datam pariter et legatam, karissimis filiabus suis videlicet dominabus Margarete et *Gung*, ab eodem Petro marito suo hactenus procreatis, et per eas suis heredibus heredumque suorum successoribus, cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis universis dedisset, dimisisset et legasset, iure perpetuo irrevocabiliter possidendam, habendam et tenendam, nullo penitus contradictore existente. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roborando. Datum, feria secunda proxima post festum Nativitatis Beate Virginis Gloriose, anno Domini M CCC vigesimo tercio.

A. C. C.

Sigillum e rubro serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 10. nr. 18.

65.

1323. (Pozsony.) 2. Octobris. — Capitulum Posoniense, Ladislaum de Staul, terram suam quandam haereditariam, Dominico vendidisse, perhibet.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire: quod constitutus personaliter coram nobis Ladizlaus, filius Gylien de *Staul inferiori* ab una parte, Dominicus, filius Egidii, pro se et pro Johanne, Nicolao et Andrea de eadem, ab altera; idem Ladislaus est confessus oraculo vive vocis, quod ipse unum iuger terre, de terris suis hereditariis *teluk* vulgariter nuncupatum, circa *cymiterium* beati Martini *de Staul* existens, cum permissione et bona voluntate omnium vicinorum et proximorum suorum, pro quibus omnibus Mychael, filius Petri, filii *Enud* comparuit, eidem Dominico, cum suis fratribus antedictis, pro ócto pensis denariorum Wyennensium, ab eisdem habitis et receptis vendidisset, dedisset et tradidisset, iure perpetuo irrevocabiliter possidendum, habendum et tenendum; obligando se, quod quicunque processu temporum, eundem Dominicum, cum suis fratribus et eorum successores, racione dicti iugeris vellent forsitan molestare, extunc idem Ladislaus, cum omnibus proximis et generacionibus suis, teneretur expedire propriis laboribus et expensis. In cuius rei testimonium, presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roborando. Datum, dominica proxima post festum beati Mychaelis archangeli, anno Domini millesimo CCC vigesimo tercio.

A. B. C.

Sigillum e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. R. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 38777.

66.

1323. Csepel. 7. Oct. — Carolus I. rex, Joannem de Somos, ab inita coram Philippo palatino obligatione, possessionem Komlós cum nepotibus suis dividendi, dispensat.

Nos *K*arolus, Deĭ gracia rex Hungarie, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod licet Johannes filius Georgii de *Sumus* ab una parte, item Egidius et Iwanka, filii Petri, filii eiusdem Georgii de eadem ab altera, super eo, quod in possessione *Kumlows* nominata, in comitatu de *Sarus* habita, divisionem facere inter se debeant, se mediantibus litteris Phillipi palatini obligaverunt, tandem tamen, quia nos, et eciam magistri Demetrius magister tawarnicorum nostrorum, ac Alexander frater eiusdem, prout commetanei dicte possessionis, prefatam divisionem ad quam faciendam se obligaverant, fieri prohibuimus; ideo dictam obligacionem, ne aliqua parcium predictarum possit per eamdem aggravari, cassamus, penitusque et per omnia irritam et anichilatam presentibus nunciamus. Datum, in *Chepel*, feria sexta proxima post octavas beati Michaelis archangeli, anno Domini M CCC XX tercio.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. in scheda membr. conf., in Arch. Cap. Strig. Publ. Capsa 1. fasc. 4. nr. 11.

67.

1323. Visegrád. 28. Oct. — Carolus I. rex, capitulum Strigoniensem, super piscaturis Csőszvize et Sinketekútja, inquiri iubet.

Tenorem videbis subtus nr. 77.

68.

1323. (Pozsony) 1. Nov. — Capitulum Posoniense, udvarnicos de Szilas-Lucse et Theber-Lucse, inter se amicabilem divisionem fecisse, testatur.

Seriem privil. vide a. 1326. sub nr. 142.

69.

1323. (Pozsony.) 1. Nov. — Capitulum Posoniense transscribit privilegium Boleslai archieppi, super possessione Marcsamagyar concessum, item metas ejusdem possessionis recenset.

Nos capitulum ecclesie Posoniensis, significamus quibus expedit universis presencium per tenorem: quod accedens ad nostram presenciam nobilis vir Henricus, filius comitis Hambatonis, exhibuit nobis litteras privilegiales domini nostri Bolezlai, Dei gracia sancte Strigoniensis ecclesie archiepiscopi, locique eiusdem comitis perpetui, super limitacione sue nobilitatis confectas et emanatas, petens a nobis cum instancia, quod nos seriem earumdem nostris litteris inseri faceremus, tuciorem ob cautelam. Quarum tenor per omnia talis est:

Bolezlaus, miseracione divina archiepiscopus Strigoniensis, eiusdemque loci comes perpetuus et dux Tostensis, omnibus Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam, tam presencium, quam futurorum, harum serie volumus pervenire, quod nobilis vir Henricus, filius comitis Hambatonis, ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis litteras, super quadam possessione, *Marchamagar* vocata, pendenti cum sigillo

Esztergom Budapesti Főegyházmegye Érseki Levéltár

venerabilis in Christo patris domini Thome, eadem gracia quondam archiepiscopi Strigoniensis, predecessoris nostri confectas, hunc tenorem continentes:

Sequitur privil. Thomae II., archiepiscopi Strigoniensis, A. 1313. datum ed. Tom. II. p. 672. nr. 754., ex hoc ipso transsumpto. 1313. 26. Jan.

Petens a nobis cum instancia, quod quia domina Katherina, relicta quondam Stephani dicti *Kurczmanni,* eidem matrimonialiter, ipso Stephano de mundo translato ad patrem, extitit copulata, ex qua divine providente clemencia filios procreavit et eandem possessionem, a cognatis et proximis ipsius Stephani empcionis titulo comparatam, domine predicte uxoris sue, ac filiorum suorum sibi attraxerit pacifice possidendam, prout in litteris honorabilis capituli Posoniensis plenius vidimus contineri, eadem gracia speciali, qua idem Stephanus per dominum Tho(mam) archiepiscopum Strigoniensem extiterat dotatus, eundem Henricum, cum filiis et heredibus suis, in cetum nobilium iobagionum nostrorum, possessione cum eadem, recipere et colligere dignaremur. Nos igitur eiusdem Henrici peticionibus iustis et legitimis annuentes, sperantes in persona sua de suis fidelibus famulatibus, adeo ex debitis sic ex votis, (sic!) posse relevari, litteras predecessoris nostri approbantes et confirmantes, eundem in numerum et cetum nobilium iobagionum nostrorum, cum filiis et heredibus suis, in prefata possessione, Marchamagar vocata, paternaliter duximus recipiendum; volentes, ut idem Henricus, eadem libertate gaudeat, qua ceteri iobagiones ecclesie nostre nobiles fruuntur et gratulantur. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari.
Datum, anno Domini, M CCC XXIII. feria quarta proxima post festum beati Georgii martiris. 1323. 27. Apr.

Mete autem dicte possessionis, prout in litteris nostris privilegialibus plenius vidimus contineri, hoc ordine distinguntur: incipit enim prima meta a superiori parte curie filiorum Thymotei, iuxta vallem *Tostowa* et ibi sunt due mete; deinde vadit super terram filiorum *Toyp,* et ibi sunt due mete; post hoc vadit versus villam *Sancte Marie* sub eisdem metis, in longitudine quatuor iugerum directe transeundo, et sic circa unam vallem eundo sunt due mete; inde vadit super quandam viam, que ducit de villa Sancte Marie ad domum filiorum Tymothey, et sic directe transeundo sunt due mete, in eadem via versus villam Sancte Marie parum eundo; deinde tendit super quendam *monticulum Arkus* vocatum et ibi similiter sunt due mete; deinde per longitudinem monticuli transeundo usque viam, que ducit versus villam *Chyliztu,* sunt due mete; post hoc parum eundo sunt iterum due mete; deinde vadit versus viam, que ducit ad domum filiorum Thymotey et ibi sunt due mete; et in eadem via parum eundo, prope *domum Henzlini,* in una valle sunt due mete; et eadem via distinguit metas terrarum arabilium usque domum Henzlinni memorati, que est in inferiori parte domus filiorum Tymothey, circa fluvium, qui vocatur *parvus Danubius,* et per eundem fluvium, ante domum dicti Henzlini directe transeundo, pars dicti Henzlinni in insula, ab ipso parvo Danubio usque magnum Danubium in longitudine, in latitudine vero, cum omnibus utilitatibus ibidem existentibus, ex parte vicinorum suorum, utraque sub certis metis est signata. Pascua vero pecorum, inter dictum parvum Danubium et vallem Tostowa vocatam, similiter sub certis metis a superiori parte domus filiorum Tymothei est distincta [et siç mete dicte possessionis]? terminantur. Nos vero iustis et legi-

timis peticionibus eiusdem Henrici annuentes, totum tenorem litterarum eiusdem domini nostri archiepiscopi, presentibus inseri fecimus, easdem . . . . . in festo Omnium Sanctorum, anno Domini Millesimo CCC vigesimo tercio.

Sigillum cum zona periit. — Orig. membr., situ exesum et in ultimis lineis mutilum, in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 9. fasc. M. nr. 2.

70.

1323. — 23. Nov. — Cruciferi Strigon., cives quosdam Strigonienses, recaptivationi quatuor mansionum in Csolnok, pro monialibus de Insula Budensi, contradixisse testatur.

Edid. Codex Andegav. T. II. p. 82 et 103.

71.

1323. Avignon. 24. Nov. — Joannes PP. XXII., Donzoni, comiti de Zólyom et eius uxori permittit, ut confessorem sibi eligere possint.

Theiner: Monumenta Hung. Hist. T. I. p. 493.

72.

1323. — 28. Dec. — Carolus I. transscribit et confirmat privilegium Belae IV. regis, super possessiones Zellő et Rendve, Nicolao custodi Strig. concessum.

Karolus Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac Montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, presencium noticiam habituris, salutem in eo, qui regibus dat salutem. Exardescens ad ethera regalis dyadematis exuberans devocio, eo saluti sue prospicit utilius, quo a predecessoribus suis ecclesiis pie donata lympidius approbat et confirmat. Proinde ad universorum noticiam, harum serie volumus pervenire: quod accedens ad nostre serenitatis presenciam, honorabilis vir dominus *Renoldus, custos* sancte Strigoniensis ecclesie, exhibuit nobis quoddam privilegium feliciis recordacionis domini *Bele*, incliti regis Hungarie, avi et predecessoris nostri, tenoris infrascripti, petens a nobis devota precum instancia, ut tenorem eiusdem ratum habere et donaciones possessionum in eodem insertarum, custodie Strigoniensi, nostro dignaremur privilegio confirmare. Cuius tenor talis est:

Sequitur priv. Belae IV. regis prohabil. a. 1249 concess., et ex hoc ipso transsumpto edit. in T. I. p. 381. nr. 490. 1249.

Nos itaque iustis et legitimis, admissionique dignis, eiusdem domini Renoldi custodis peticionibus, favorabiliter inclinati, tenorem memorati privilegii, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum, de verbo ad verbum presentibus inseri facientes ratificamus et approbamus, et memoratas donaciones possessionum, ipsi domino Renoldo custodi, et per ipsum custodie ecclesie Strigoniensis, presentis scripti patrocinio perpetuo confirmamus. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras, novi et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Endre*, lectoris Quinqueecclesiensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et

fidelis nostri. Anno Domini M ccc xx tercio, quinto Kalendas Januarii, regni autem nostri anno similiter xx tercio. Venerabilibus in Christo patribus, dominis Bolezlao Strigoniensi et fratre Ladislao Colocensi archiepiscopis; Johanne Nitriensi, Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jauriensi, Georgio de sancto Ireneo, Ladislao Quinqueecclesiensi, Petro Boznensi, Iwanka Waradiensi, Andrea Transiluano, Herrico Wesprimiensi et Chanadino Agriensi, ecclesiarum episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Philippo palatino, comite Scepusiensi; Demetrio magistro tavarnicorum nostrorum, comite Bachiensi; Lamperto iudice curie nostre, Thoma Woyuoda Transilvano et comite de Zonuk; Nicolao bano tocius Sclauonie; Mykch magistro tavarnicorum domine regine, Deseu iudice curie eiusdem, et aliis quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

Fragmen sigilli e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membr., pulchre exaratum, in Arch. Prim. Sec. Lad. F. nr. 154. — Edidit Fejér: Cod. Dipl. VIII/2. p. 408.

73.

1323. — — Carolus I. rex, Boleslao archieppo Strigoniensi, possessionem Rozsnyóbánya, nova donatione, novoque sigillo roborat.

[K]arolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crouacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum noticiam harum serie litterarum volumus pervenire: quod venerabilis in Christo pater dominus *Bolezlaus,* archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, dilectus et fidelis proximus noster, ad nostre serenitatis accedens presenciam, nobis humiliter supplicavit, quod possessionem suam archiepiscopalem, *Rosnobana* vocatam, in comitatu *Gumur*iensi existentem, quam sui predecessores archiepiscopi, ex collacione et donacione predecessoris nostri *Andree regis,* necnon et nostra confirmacione et donacione, mediante sigillo nostro antiquo, pacifice usque modo possederunt, nos predictam collacionem et donacionem, ac nostram confirmacionem, novo nostro et autentiquo (sic!) sigillo confirmare et nove donacionis titulo, propter maiorem rei evidenciam et cuiuslibet contradiccionis repulsionem, condonare et tradere dignaremur, ne preiudicium aliquale successivis temporibus, sibi et ecclesie Strigoniensi, ac suis successoribus archiepiscopis, ex hoc generetur. Nos igitur consideratis iustis et legitimis peticionibus prefati Bolezlai archiepiscopi, proximi nostri karissimi, ipsam donacionem possessionis Rusnobana vocate, similiter et nostram confirmacionem et donacionem, cum antiquo sigillo nostro factam, super eadem possessione advertantes, et cordi nostro asscribentes fidelissima servicia ipsius ecclesie Strigoniensis, que nobis continue impendit, *nove donacionis titulo,* predictam possessionem Rosnobana, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, argentifodinis videlicet et aurifodinis inventis et inveniendis, intra suas metas, limitaciones et terminos, prout in litteris privilegialibus prefati Andree regis circumqunque et per omnes partes eiusdem possessionis nominatim continetur, quibuslibet contradiccionibus, variacionibus, ac mutacionibus remotis donamus, tradimus et perpetua valitudine eidem venerabili in Christo patri Bolezlao archiepiscopo, et suis successoribus archiepiscopis, predictam donacionem eiusdem possessionis, tam per predictum

Andream regem predecessorem nostrum, quam per nos factam, irrevocabiliter confirmamus, ratificamus et approbamus. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus, sigilli nostri novi et autentici dupplicis munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri Ladislai prepositi Albensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M CCC XX tercio, regni autem nostri anno similiter XX tercio. Venerabilibus in Christo patribus, dominis scilicet eodem B.[oleslao] Strigoniensi, fratre Ladislao Colocensi et fratre Petro Spalatensi archiepiscopis; Johanne Nitriensi, Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jauriensi, Georgio de Sancto Ireneo, Ladislao Quinqueecclesiensi, fratre Petro Boznensi, Joanka Waradiensi, Andrea Transsiluano, Herrico Wesprimiensi et aule regine, karissime consortis nostre cancellario, ecclesiarum episcopis. Magnificis viris Phillippo palatino, Demetrio magistro tawarnicorum nostrorum, Lamperto iudice curie nostre, Thoma woyuoda Transsiluano, Nicolao bano tocius Sclauonie, Mykch magistro tawarnicorum prefate domine regine, Deseu [emansit: iudice] curie eiusdem, Paulo bano de Macho, Blasio magistro agasonum nostrorum, Dionisio magistro dapiferorum nostrorum, Nicolao comite Posoniensi, Nicolao comite Sy[mi]giensi, et aliis quam pluribus, comitatus regni tenentibus et honores.

Extus manu saec. XV.: Donacio nova et confirmacio antiquorum privilegiorum, super donacione et reambulacione possessionis *Rosnobana*. — Sigillum e rubro et flavo serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Primat. Sec. Lad. H. nr. *6*.

74.

1324. — 8. Jan. — Magister Nicolaus, comes Posoniensis, piscaturam Sinketekútja, ab hominibus Csősz dictis, per castrenses occupatam, ab illis autem per Petrum filium Tolvaj, ab hoc iterum per capitulum Posoniensem receptam esse, testatur.

Tenorem vid. sub. nr. 77.

75.

1324. Visegrád. 8. Mart. — Carolus I. rex, abbatem et conventum S. Benedicti de iuxta Gron, in suam tutelam suscipit, eisdemque terciam partem tributi de Bars, restituit.

Nos Karolus, Dei gracia rex Hungarie, significamus quibus expedit universis per presentes, quod, quia divine maiestatis reverencia cordi nostro vehementer insidet, et ad eius nominis cultum mentis nostre acies sedule occupatur: ecclesiam beati *Benedicti abbacialem de iuxta Goron*, cum omnibus possessionibus et bonis ad eandem spectantibus, in nostre maiestatis proteccionem recipientes et tutelam, vice nostre persone magistro Emirico, castellano nostro de *Leua*, duximus ad protegendum et defendendum committendum; et tributum eiusdem ecclesie videlicet terciam partem tributi, quod in *Bors* exigitur eidem, ob spem beatitudinis eterne, reddidimus pacifice possidendum. Quapropter volumus, et tibi magistro Emirico castellano de *Leua* predicto, presentibus firmiter precipimus et districte, quatenus predictam ecclesiam, cum suis omnibus possessionibus et bonis, principaliter a te et ad te pertinentibus, et per consequens ab omnibus aliis, nostre dileccionis intuitu defensare debeas et tueri, auctoritate nostra mediante, nullam collectam seu exaccionem, quocunque nomine censeatur, super possessiones dicte

ecclesie exigere vel exigi facere presumpmendo; et predicti tributi terciam partem, absque occasione aliquali, abbati sepefate ecclesie restituendo. Et sicut nos gravitter offendere formidas, secus facere non presumpmas. Datum, in *Vissegrad,* feria quinta proxima post dominicam Invocavit. Anno Domini M CCC XX quarto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. in scheda membr. in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 1. nr. 22.

76.

1324. — 17. Mart. — Magister Nicolaus, comes Posoniensis, Capitulo Posoniensi, super piscatura Sinketekútja, iuramentum imponit.

Tenorem vide sub nr. 77.

77.

1324. Pozsony. 24. Mart. — Magistratus comitatus Poson., possessionem et piscaturum Sinketekútja de Kürt, capitulo Poson., contra castrenses de Kürt adjudicat.

Nos magister Nicolaus, comes Posoniensis, Petrus de *Guttur,* Valentinus de *Verekne,* Andreas de *Churle* et Stephanus filius *Serefel,* iudices nobilium de eodem, memorie commendantes significamus quibus, expedit tenore presencium universis: quod cum inter discretos viros magistrum Nicolaum prepositum, et capitulum ecclesie Posoniensis ab una parte; et Petrum filium Pauli et *Kemen,* ac socios ipsorum, homines castrenses de *Kurth* ab altera, super possessione et piscatura *Synketecuta,* seu *Synky* vocata de *Kurth,* litis questio mota fuisset et coram nobis de mandato et speciali commissione excellentissimi principis, domini nostri Karoli, Dei gracia illustris regis Vngarie, diucius ventilata; tandem discretus vir predictus Nicolaus prepositus, exhibuit nobis litteras predicti domini nostri regis, hunc tenorem continentes:

Karolus, Dei gracia rex Vngarie, fidelibus suis capitulo Strigoniensi, salutem et graciam. Fidelitati vestre mandamus: quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, coram quo magister *Fokou,* comes *Elya de Karcha* et Georgius filius Salomonis, homines nostri nobiles de *Chollokuz,* accedentes ad possessionem *Kurth* vocatam, sciant et inquirant omnimodam veritatem: ubi et que sint piscature *Cheuzuezy, Synketekuta* sew *Synky* vocate, et si dicte piscature plures sint vel una; et utrum omnes, vel in parte ad ecclesiam pertineant Posoniensem, aut ad Petrum, filium Pauli et Kemen, homines videlicet castrenses; metas et terminos distinguendo, et sicut invenerint et super hoc veritas constiterit, iidem homines nostri, coram homine vestro, magistro Nicolao comiti Posoniensi re*f*ferant suo modo plenarie, ut idem comes inter partes causam ipsam difiniat et iudicet, aut si alterutra parcium voluerit ad nostrum iudicium transmittat. Datum, in *Vysegrad,* in festo beatorum Simonis et Jude apostolorum, anno Domini M CCC vigesimo tercio. 1323. 28. Oct.

Qui quidem magister Fokou, Georgius et comes Elya, ac homo dicti capituli Strigoniensis, ad nostri presenciam venientes retulerunt, prout in litteris nostris continetur; quarum litterarum nostrarum tenor talis est:

Nos magister Nicolaus, comes Posoniensis, significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem: quod cum magister Fokou de *Ogya,* Georgius

filius Salomonis de *Kyliti* et comes Elya de *Karcha,* nobiles de districtu *Chollokuz,* iuxta mandatum et tenorem litterarum excellentissimi principis, domini nostri Karoli, Dei gracia illustris regis Vngarie, cum homine capituli ecclesie Strigoniensis ad possessionem, *Kurth* vocatam, accessissent ad investigandam, inquirendam videlicet et sciendam veritatem: utrum piscatura *Synketekutha* et *Synky* vocata una sit et eadem, vel plures et diverse, et utrum ad prepositum et capitulum Posoniensem, aut ad Petrum, filium Pauli et Kemin, ac suos socios, homines castrenses de Kurth, pertinere dinoscantur; iidem nobiles et homo capituli Strigoniensis, ad nos reversi nobis, prout secundum tenorem litterarum dicti domini nostri regis debebant, concorditer omnes retulerunt: quod ipsi omnes nobiles et ignobiles, vicinos et commetaneos, ac alios prope possessionem Kurth predictam commorantes et eciam remociores et senes quam plures, in villam *Zyridahel* ad forum congregatos, secrete et singulorum iuramento recepto, interrogassent et requisivissent de predictis diligenter veritatem. Et demum secunda die ad aquam, seu piscaturam predictam, *die et hora fori, quod super aquam ibidem in Kurth congregari consuevit* accessissent; ubi eciam modo premisso vicinos et commetaneos et alios predictos ad forum congregatos, et eciam ad hoc per ipsos vocatos examinassent et requisivissent, iuramento ab omnibus prius recepto, veritatem diligenter; et quod scivissent pro certo, quod piscatura *Synketekuta* et *Synky* vocata una sit et eadem, licet nomina ipsius sint diversa; et quod ipsa possessio et piscatura fuerit tota ab antiquo *hominum Cheuz* dictorum, quam postmodum occupassent predicti homines castrentes; et ab eisdem castrensibus recepisset Petrus filius *Twlway,* et demum ab eodem Petro filio Twlway, prepositus et capitulum Posoniense predicti recepissent. In cuius rei testimonium presentes litteras nostro fecimus sigillo communiri. Datum die dominica proxima post festum Epiphaniarum Domini, anno eiusdem M CCC vigesimo quarto. 1324. 8. Jan.

Nos autem adhuc ad pleniorem certitudinem rei, prefato capitulo detulimus iuramentum, secundum modum et formam contentam in nostris litteris, quarum tenor talis est:

Nos magister Nicolaus, comes Posoniensis et quatuor iudices nobilium de eodem, damus pro memoria: quod super facto piscaturarum Synky et Synketekuta vocatarum de Kurth, inter venerabile capitulum Posoniensis ecclesie ab una parte, ex altera vero Petrum filium Pauli et Kemen, homines castrenses, ac proximos et socios eorundem de Kurth, taliter decrevimus iudicantes: quod sabbato proximo ante dominicam Letare, capitulum prenotatum iuxta modum, consuetudinem et libertatem ipsorum, *prout B.[oleslaus] Dei gracia archiepiscopus Strigoniensis, per nos requisitus, nobis declaravit, videlicet unus vel duo de capitulo predicto, ad conscienciam et animam omnium aliorum canonicorum, in ipsa ecclesia existencium, in suo stallo, contra prefatos castrenses debeant prestare sacramentum,* super eo: quod piscatura, *Synky* et *Synketekuta* vocata, una et eadem sit et non diverse; et quod non ad castrenses prefatos, sed ad ecclesiam Posoniensem pertineat et iure eidem attinere dinoscatur. Qui si iuraverit vel iuraverint, — piscatura predicta, quam supradicti castrenses et socii eorumdem, nomine piscature ipsorum inpediverant, devolvetur, prout primitus dinoscitur possedisse ecclesie antedicte; si vero non iuraverint, — ipsa piscatura, Synky vocata, restituetur castrensibus antedictis. 1324. 24. Mart.

Datum, sabbato ante dominicam Oculi mei, anno eiusdem M CCC vigesimo quarto. 1324. 17. Mart.

Predicto autem die sabbati adveniente, convenientibus et presentibus nobis ad maiorem ecclesiam Posoniensem, discreti viri *Johannes plebanus de Gele*, vicearchidiaconus de Chollokuz et *Lyphardus sacerdotes*, et canonici dicte ecclesie Posoniensis, per predictos Petrum et suos socios ad iurandum de capitulo electi, iuraverunt *in animas proprias et tocius capituli*, quod possessio et piscatura, Synketekuta seu Synky vocata, esset una et eadem possessio et piscatura, licet nomina plura haberent et diversa; et quod non ad predictos Petrum et suos socios castrenses, sed ad prefatos prepositum et capitulam pertineret pleno iure. Nos autem omnibus premissis et aliis diligenter consideratis et examinatis, habita eciam plena deliberacione, vice et auctoritate eiusdem domini nostri regis, predictam possessionem et piscaturam Synketekuta seu Synky nominatam totam, cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis universis, prout ipsum capitulum ante tempus litis, per predictos Petrum et suos socios super hys, coram nobis mote, tenuisse et possedisse dinoscitur, eisdem preposito et capitulo sentencionaliter duximus adiudicandam, dandam, tenendam, habendam et perpetuo possidendam; ab inpeticione predictorum Petri et sociorum suorum eosdem super hys absolventes. In cuius rei testimonium et firmitatem presentes, nostris fecimus sigillis communiri. Datum, *Posonii*, predicto die sabbati, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto. 1324. 24. Mart.

Extus manu medii aevi: Privilegium in iudicio obtentum, super possessione Kurth. — Primum sigillum e rubro serico pendebat, secundum e ceruleo, tercium exesum e viridi serico pendet, quartum e flavo dependens avim extensis alis exhibet, cum inscriptione; † S. COMITIS PETRI DE G(uttur); quintum denique sigillum exesum e rubro serico pendet. — Orig. membr. pulchre exaratum, in Arch. Cap. Pos. Priv. Capsa C. fasc. 1. nr. 3.

78.

1324. Pozsony. 25. Mart. — Boleslaus archieppus Strigon., conventionem inter Hermannum, abbatem S. montis Pannon. et Seraphinum prepositum Poson., confirmat.

[B]oleslaus, Dei et apostolica gracia *archiepiscopus Strigoniensis*, eiusdemque loci comes perpetuus et dux *Thostensis*, universis Christi fidelibus, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum noticiam tam presencium, quam futurorum harum serie cupimus pervenire, quod accedens ad nostram presenciam, honorabilis vir dominus Jacobus, olim iudex Posoniensis, filius quondam comitis *Deprehti*, civis Posoniensis, exhibuit nobis quasdam litteras privilegiales, magistri Altegradi de Lendenavia, doctoris decretorum, domini pape capellani, et tunc apostolice sedis legati, cancellarii et generalis auditoris causarum, tenoris infrascripti, petens ad maioris iuris conservacionem earumdem litterarum, ipsas nostris dignaremur litteris aprobare. Quarum quidem litterarum tenor talis est:

Sequitur priv. a. 1302. exarat. in Cod. Andegav. edit. T. II. p. 21. 1302.

Nos itaque iustis et legitimis, eiusdem domini Jacobi peticionibus, favore paterno inclinati, tenorem prescriptarum litterarum de verbo ad verbum presentibus insertum, ratificamus et ipsam composicionem auctoritate metropolitica

presencium patrocinio perpetuo confirmamus. Cassantes et irritas annunciantes quascumque nostras, vel predecessorum nostrorum litteras, contra huiusmodi composicionis seriem, quibuscumque concessas et quomodolibet emanatas. In cuius rei memoriam et certitudinem pleniorem, presentes concessimus sigilli nostri autentici munimine roboratas. Datum, *Posonii*, in dominica Letare, anno Domini M. ccc. XX quarto.

Sigillum e viridi et albo serico pendet. — Orig. membr. in Arch. S. Mont. Pannoniae. — Copia, quondam P. R. Sztachovits.

79.

1324. Pozsony. 24. Mart. — Capitulum Poson., coram magistro Nicolao, comite Poson., contra castrenses de Kürt, ob illata damna protestando, emendam postulat.

Nos magister Nicolaus, comes Posoniensis et quatuor iudices nobilium de eodem, damus pro memoria, quod discreti viri magister Nicolaus prepositus et capitulum ecclesie Posoniensis, coram nobis protestati dixerunt: quod per litem, quam Petrus, filius Pauli et socii sui homines castrenses de *Kurth,* contra eos, super possessione et piscaturis *Synketekuta,* seu *Synky* vocatis de *Kurth,* et pertinentibus ad easdem moverunt, et per sequestracionem, seu prohibicionem redituum et utilitatum dictarum piscaturarum, ad instanciam et procuracionem dictorum Petri et sociorum eius factam; et propter labores et expensas ob hoc factas, iniuriam magnam et dampnum triginta marcarum passi fuissent; et super hys iusticiam fieri et emendam postulabant et postularent. Nos vero, ad peticionem dictorum prepositi et capituli, presentes litteras protestatorias concessimus eisdem in testimonium. Datum, Posonii sabbato proximo ante dominicam Letare, anno Domini millesimo CCC vigesimo quarto.

Duo sigilla tergo fuerunt appressa. — Orig. membr., in Arch. Cap. Pos. Priv. Capsa E. fasc. 3. nr. 82.

80.

1324. Pozsony. 1. Apr. — Boleslaus, archiepiscopus Strigon., transscribit privilegium Bonifacii VIII. PP., monialibus s. Clarae de Posonio, concessum.

Boleslaus, Dei gracia archiepiscopus Strigoniensis, eiusdemque loci comes perpetuus, omnibus Christi fidelibus presencium noticiam habituris, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod accedentes ad nostram presenciam religiose domine, conventus monasterii *sancte Claree de Posonio*, exhibuerunt nobis quoddam privilegium *Bonifacii* pape, tenoris infrascripti, petentes devota precum instancia, ut illud ratificare, specialiter transcripcione nostrarum litterarum dignaremur paternaliter publicare. Cuius tenor talis est:

Sequitur priv. Bonifacii VIII. PP. a. 1296.2. Jun. edit. ex hoc ipso transsumpto T. II. p. 388. nr. 391. 1296. 2. Jun.

Nos itaque devotis earumdem dominarum peticionibus paternaliter inclinati, tenorem prescripti privilegii pape (sic!), prout est possibile ratificamus, ipsumque privilegium, vigore presencium nostrarum litterarum, omnium noticie publicamus; volentes id ab omnibus decimatoribus et aliis quibus expedit, man-

dantes firmiter, observary. In cuius rei testimonium, presentes duximus concedendas, sigilli nostri munimine roboratas. Datum, *Posonii,* in dominica Judica, anno Domini M trecentesimo vicesimo quarto.

Sigillum e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membr. in Arch. Reg. Hung. Regnicol MODL. 2214. Signatura vet.: Monial. Budens. fasc. 15. Nro 9. — Edid. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[2] p. 573

81.

1324. Esztergom. 26. Apr. — Boleslaus, archieppus Strigon., mandat archidiacono Gömöriensi et vicariis eiusdem, ut capellam et coemeterium, in terra *Raaz* vocata, circa fluvium Turócz, quam comes Paulus, pater Stephani praepositi Quinqueeccl., una cum Joachimo comite, Nicolao, filio Zsank, ac ceteris vicinis suis, a Thoma quondam archiepiscopo impetrassent, in loco hoc relinqui et coémeterium consecrari faciant. Datum Strigonii, in crastino festivitatis beati Marci Ev. A. D. MCCCXXIV.

Edid. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[2] p. 571.

82.

1324. Esztergom-Szent István. 10. Maii. — Conventus Cruciferorum de Strigon., filios Dyonisii, possessionem Fegyvernek vendidisse perhibet.

Nos frater Jacobus, miseracione divina magister cruciferorum, et conventus ecclesie sancti regis Stephani de Strigony, memorie commendantes significamus, quibus expedit tenore presencium universis, quod Andreas et Michael, filii Dyonisii, nobiles iobagiones ecclesie Strigongensis de *Sanw,* coram nobis personaliter constituti, confessi sunt oraculo vive vocis: quod illam possessionem ipsorum, videlicet *Feguernuk* vocatam, in comitatu *Huntensi* existentem, quam comes *Leos,* frater dicti Dyonisii avus ipsorum, a Stephano quondam inclito rege Hungarie, bone memorie, pro suis meritoriis serviciis acquisiverat, et ab ipso ad dictum Dyonisium de iure devoluta extiterat, et idem Dyonisius eandem comiti Georgio, filio *Jexe,* pro quadam sumpma pecunie vendiderat, et post hec ipsa vendicio ad comitem Bede, filium Egidii est conversa, mediantibus litteris nostris privilegialibus, tamen empta et comparata, prout prefatus pater ipsorum, videlicet Dyonisius vendidit eandem, similiter ipsi, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis earundem, nullum ius in eadem pro se reservantes, ipsi vendicioni et comparacioni plenum assensum, pariter et consensum prebuerunt, predicto comiti Bede et suis heredibus, in perpetuum promittentes ipsorum sponte, (sic!) quod nullo unquam tempore, super facto ipsius possessionis, contra ipsum comitem Bede et suos heredes, aliquam movere questionem. Datum, *apud sanctum Regem,* feria quinta proxima post festum sancti Johannis ante portam Latinam, anno Domini M ccc vigesimo quarto.

Extus: Fegwernek. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr. in Arch. Mus. Nation. Budapest. Arch. Famil. Balassa.

83.

1324. Visegrád. 17. Maii. — Carolus I. rex, Thomam abbatem de Kedhely, possessionem Flanczendorf, capitulo Poson. resignasse testatur.

Seriem vide sub nr. 156.

84.

1324. — 22. Maii. — Carolus I. rex, civitati suae, teutonice Neustad, hungarice Maros vocatae, singulares confert immunitates et privilegia.

„Item iudicem et plebanum inter se eligent, concurrentis communitatis consensu. — — — — —

— — quicunque ex ipsis — — — liberam habeat legandi facultatem, eo tamen excepto, quod nulli Ecclesiae, vel viro ecclesiastico, praeter Ecclesiam parochialem et Plebanum — — ita tamen, quod nullus Plebanus dictae Ecclesiae, sine iudice et civibus res suas et possessiones donantis possit dissipare, nisi ad utilitatem Ecclesiae praelibatae. — — — dicimus etiam, quod omnes decimas eorum in frugibus, vino et in minutis — — solvent Plebano Ecclesiae eorumdem, in campis reliquendo, et nullum iudicium ecclesiasticum, per aliquem Episcopum vel Archidiaconum possit iudicari, nisi per Plebanum dictae Ecclesiae, inter ipsos observandum. Nihilominus obedientiam Sanctae Strigoniensis Ecclesiae Archiepiscopo, quam Plebanus Ecclesiae Budensis, tenetur observare — — — —“

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII². p. 514—517.

85.

1324. Avignon. — Maii. — Joannes PP. XXII., archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi, eorumque suffraganeis committit, ut processum contra Raynaldum, Opizonem et Azonem, marchiones Estenses habitum, promulgent.

Theiner: Monumenta Hist. Hung. T. I. p. 495.

86.

1324. Avignon. 15. Jun. — Joannes PP. XXII., praeposito monasterii de Czarnowaz mandat, ut litem inter Nankerum eppum Cracoviensem et Boleslaum archieppum Strigoniensem, ob iurisdictionem in Podolin, Lublo et Gnezda exortam, dirimat.

Edid: Piekosiński: Kod. Dyplom. Katedry Krakowskiej. p. 168. Monum. Polonic. Med. Aevi T. I. — Fejér: Cod. Dipl. VIII². p. 634.

87.

1324. Avignon. 7. Julii. — Joannes PP. XXII., mandat Boleslao archiepiscopo, praeposito Strigon. maiori et illo de s. Thoma, ut Andreae lectori Quinqueeccles., conferant praeposituram Albensem.

Edid.: Theiner: Monumenta Hist. Hung. T. I. p. 496.

88.

1324. Iuxta fluvium Kükűllő. 15. Jul. — Carolus I. rex, possessionem Tyukos, comiti Paulo de Fehéregyház, per conventum Sümegiensem statui iubet.

Tenorem literarum vid. sub nr. 94.

89.

1324. 27. Jul. — Capitulum Vaciense, ob diversas civium Strigon. violentias, capitulum Strigon. protestatum esse testatur.

Nos prepositus et capitulum Waciensis ecclesie, damus pro memoria: quod magister *Johannes,* filius Dominici, Strigoniensis ecclesie canonicus, nomine et vice honorabilium virorum eiusdem ecclesie capituli, cum litteris procuratoriis eorumdem, in nostri constitutus presencia, per modum protestacionis nobis significavit, quod mortuo uno pulsatore ipsorum, nomine Bartholomeo, in eorum *ob*probrium, villicus, iurati ceterique cives de Strigonio, pendento lite, super domum eiusdem pulsatoris irruentes, res eius mobiles et immobiles abstulissent contra iusticiam, universas domos et vineas ipsius propria occupantes auctoritate, per hoc *h*iidem honorabiles viri dampnum centum marcarum pertulissent. Item, quod Petrus, filius *H*abrahe, carnifex Strigoniensis, in octavis beati Johannis Baptiste proxime preteritis, quemdam jobagionem eorumdem, nomine Michaelem de *Epul,* in publico foro Strigoniensi, lite pendente, clara die ad multorum forensium conspectum, pluribus letalibus sauciasset *w*lneribus sine causa, pro quibus dictorum *w*lnerum illacionibus, cives dicte civitatis, in prefatorum virorum honorabilium preiudicium, nullum penitus fecissent iusticie complementum. 1324. 1. Jul. Item, quod *Gahan,* filius Mauricii, villicus Strigoniensis, spiritu repletus maligno, secunda feria post festum beate Margarete virginis proxime preterita, lite pendente, fratrem discreti viri magistri Georgii socii et concanonici, ac dispensatoris dictorum virorum honorabilium, in eorum existentem negocio, suis culpis non exigentibus, in Strigoniensi foro publico palam omnibus, contra Deum et iusticiam et in Strigoniensis ecclesie detrimentum honoris, propria captivasset auctoritate, ad domum suam turpiter duci faciendo, quem per unam observando *e*bdomadam, a sua vix emisisset captivitate animo obdurato; pro quo nulla eisdem iusticia penitus esset impensa, per eundem villicum antedictum. 1324. 16. Jul. Item, quod quidam sutor Strigoniensis, nomine Nicolaus, quandam curiam empticiam dictorum virorum cum palacio, lite pendente occupatam, propria contra iusticiam possideret auctoritate. Item, quod prefati cives dicte civitatis terragium, quo singulis annis de ipsorum domibus tenentur et terris, lite pendente, dar*i* recusarent. Item, quod domos eorum censuales, in Strigoniensi civitate existentes, consueto more exponere pro censibus, contra iusticiam inhiberent. Item in fundis curiarum et domorum edificiis, *per incendium* nunc destitutis, edificia construere, pendente lite prohiberent, ligna et robora edificiorum, adducta pro structura, propria reiciendo auctoritate. Preterea, quod singuli macellarii Strigonienses, de minutorum carnibus animalium unum frisaticum, quo tenentur singulis diebus sabbatis, dare recusarent, nec dedissent. Item, quod de singulis carnibus boum, qui mactantur, *h*iidem macellarii dimidiam cutem qua tenentur, integre dar*i* recusarent, nec dedissent. Item, quod singuli mercatores, singulis diebus cum suis in foro sedentes tentoriis, unum frisaticum, quo tenentur omni sabbato, dar*i* recusarent, nec dedissent. Item, quod quilibet tabernarius vini vel cervisie, in quolibet mense tria pondera, quibus tenetur, dari recusaret, nec dedisset. Item, quod quilibet sutorum, fabrorum et aliorum operariorum in quolibet vico Strigoniensi existencium, qui suas habent fenestras extensas, in quolibet Sabbato

unum frisaticum, quo tenentur, dari recusarent, nec dedissent. Item, quod de quolibet curru frumenti siliginis, ordei et *brascy*, (sic!), que undecunque deferuntur, eorum vectores Strigonienses unum pondus, quo tenentur, dari recusarent, nec dedissent. Item vestium venditores antiquarum et cerdones, quolibet sabbato unum frisaticum, quo tenentur, dari recusarent, nec dedissent. Item mercatores Strigonienses de filis et lanis undecunque portatis, pannorum protextura, tributum dare recusarent. Item omnes mercatores, intra et extra civitatem Strigoniensem existentes, nunc dictarum iniuriarum per eosdem cives predictis honorabilibus viris, modo irrogatarum supradicto, tributum, quo tenentur, animo dari rebelliter recusarent obdurato. Item Stephanus, frater quondam Calmanni, decimas frugum anni preteriti et presentis, quas post obitum eiusdem fratris sui solvere assumpserat, non persolvisset; per quod sepedicti honorabiles diri dampnum viginti garletarum frugum paterentur. Hec autem predicta per modum protestacionis, contra eosdem villicum, iuratos et cives ac Stephanum prenominatos, supradicti honorabiles viri, tempore et loco oportunis exequi intendunt, iusticia mediante. In cuius protestacionis testimonium, ad prefati magistri Johannis peticionem, presentes eisdem honorabilibus viris litteras duximus concedendas, nostro sigillo communitas. Datum, sexta feria proxima post [emanavit: festum] beati Jacobi apostoli, anno Domini M ccc vigesimo quarto.

Sigillum margini fuit appressum. — Orig. membr. pulchre exaratum, in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 24. fasc. 2. nr. 4. — Brascium = Brace, bracium, brasium, brassium, brassica, grani species, ex qua cerevisia conficitur Cf. Du Cange: Gloss.

90.

1324. (Pozsony.) 9. Aug. — Capitulum Posoniense, Thomam custodem, contra detentores fundationis Carnarii, protestationem interposuisse testatur.

Nos capitulum ecclesie Posoniensis, significamus quibus expedit universis presencium per tenorem, quod discretus vir et honestus *Thomas,* custos ecclesie nostre, ad nostram accedendo presenciam, proposuit nobis protestando: quod feria quarta proxima ante festum beati Laurencii martiris, *prope domum sive turrim,* quondam *Hertilini* iudicis Posoniensis, Henclinus et Jacobus, filii comitis *Hambatonis,* bone memorie, confessi sunt in presencia discretorum virorum, videlicet domini Jacobi Leupoldi, *plebani ecclesie sancti Laurentii* et Johannis, *plebani* de *Gele,* sociorum et concanonicorum nostrorum, ac providi viri Markhardi, quondam iudicis eiusdem civitatis Posoniensis, seu aliorum quamplurimorum similiter astantibus, quod post tumulacionem dicti Hambatonis, patris ipsorum, videlicet die secunda dotacioni, quam predictus Hambato, pater ipsorum adhuc vivens, fecerat pro capella seu carnario, in cimiterio ecclesie nostre construenda, unam vineam scilicet, unum laneum integrum in terris arabilibus et reddidituum septem librarum, dedissent et assignassent ipsi capelle pleno iure, omnino manus eorum de dictis utilitatibus memorate capelle retrahendo. Sed Jacobus, quondam iudex, filius *Deprehti,* civis et magister *Martinus,* frater dicti Jacobi, noster concanonicus, pretactam donacionem supradicte capelle, contra Deum et iusticiam detinerent occupando. Et hoc, iidem prefati Henclinus et Jacobus in ecclesia nostra, cum essemus in capitulo et de diversis negotiis ecclesie nostre tractaremus, concorditer coram nobis

1324. 8. Aug.

dixerunt, protestando. Datum, in vigilia beati Laurencii martiris, anno Domini M° ccc° xxiii.

E transsumpto capituli Strigon. a. 1351., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa F. fasc. 1. nr. 12. — Edidit Fejér: Cod. Dipl. VIII². 575.

91.

1324. Stolcenberg. 20. Aug. — Boleslaus archieppus Strigoniensis, Thomam praepositum Cibiniensem, recipit in canonicum Strigoniensem, eidemque praebendam canonicalem promittit.

Nos Bolezlaus, Dei gracia archiepiscopus Strigoniensis, eiusdemque loci comes perpetuus, significamus, quod nos consideratis moribus, virtutibus et serviciis honorabilis viri, domini Thome prepositi Cybiniensis, fidelis nostri capellani, volentes ipsius fidelia servicia compensacione congruâ premiare, eundem habita deliberacione provida et matura, ecclesie nostre Strigoniensis, tenore presencium, recipimus in canonicum et in fratrem, stallum sibi in choro et vocem in capitulo concedentes, promittentes eidem prebendam canonicalem, primo loco vacaturam conferre, cum omni plenitudine iuris, providentes in hac parte ecclesie pocius, quam persone. Datum, iuxta Stolcumbegr (sic!), in festivitate beati Stephani regis, anno Domini M ccc xx quarto.

E Cod. Andegav. T. II. p. 155.

92.

1324. — 29. Sept. — Conventus Cruciferorum Strigon., privilegium Emerici regis, capitulo Strig. super foro Strigon. datum, transscribit.

Frater Jacobus, magister cruciferorum domus hospitalis sancti regis Stephani de Strigonio, et conventus eiusdem loci, universis Christi fidelibus, ad quos presentes pervenerint, salutem in domino sempiternam. Noveritis, quod honorabiles et discreti viri, dominus Theofilus, dictus Puer, prepositus et magister Renoldus, custos sancte Strigoniensis ecclesie, ad nostram personaliter accendentes presenciam, exhibuerunt nobis privilegium domini *Emirici,* quondam regis Hungarie felicis memorie, cum magno sigillo, ad modum *globi medii* et pecierunt a nobis cum instancia, ut propter varios eventus contrarios locorum, quos homines frequenter incurrunt inopinando et formidant secum deferre res caras, quas habent, ne pereant, ipsum privilegium videremus, et visum ac perlectum de verbo ad verbum transscribi faceremur. Cuius tenor talis est:

Sequitur privileg. Emerici regis a. 1201. consessum, ex ipso orig. editum T. I. p. 162. nr. 150. 1201.

Nos vero iustis peticionibus ipsorum annuentes, ut tenemur, predictum privilegium diligenter inspeximus et perlegimus, ac de verbo ad verbum transcriptum, presentibus inseri fecimus. Et quia vidimus non abrasum, non cancellatum, non abolitum, nec in aliqua sui parte viciatum, sigillo non confractum, sed integrum, non deturpatum, in maioris rei certitudinem et testimonium, presentes sigillo conventus nostri duximus roborandas. Datum, in festo beati Michaelis Archangeli, anno Domini M° ccc° vicesimo quarto.

Sigillum e zona membr. pendebat. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 41. fasc. 3. nr. 10.

93.

1324. — 6. Oct. — Conventus Sümegiensis, possessionem Tyukos, metis reambulatis, comiti Paulo de Fehéregyház statutam esse, Carolo I. regi rescribit.

Tenorem vid. sub. nr. 94.

94.

1324. 8. Nov. — Carolus I. rex, possessionem Tyukos, comiti Paulo de Fehéregyház, ob fidelia eius servicia, confert.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Iustis petencium desideriis convenit principis animum inclinari, presertim cum id quod petitur, iusticie suadeat et iuri non preiudicet alieno. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod cum comes Paulus Andree (sic!) de *Feyrygházy*, fidelis noster, propositis sue fidelitatis serviciis, nobis humiliter supplicasset, ut cum possessio Nicolai Nigri, fratris sui patruelis, hominis sine herede decedentis, *Tykus* vocata, in comitatu Symigiensi existens, ad eum racione proximitatis devolvenda censeatur, ipsam possessionem sibi conferre et relinquere dignaremur. Verum, quia de qualitate et quantitate ipsius possessionis, et utrum ipsa fuerit dicti Nicolai, hominis sine herede decedentis, necne, nobis veritas non constabat, fidelibus nostris conventui monasterii *Symigiensis*, ut cum *Henter* de *Saul*, homine nostro, hominem eorum pro testimonio transmitterent fidedignum, coram quo idem homo noster, predictam possessionem *Tykus*, si invenerit eandem fuisse dicti Nicolai, hominis sine herede decedentis, convocatis commetaneis et vicinis suis, reambularet per veteres metas et antiquas, et statueret predicto comiti Paulo perpetuo possidendam, si non fieret contradictum, contradictoribus si qui fierent, ad nostram presenciam, contra eum Paulum legitime evocandis, nostris litteris dedissemus in mandatis. Qui quidem conventus demum nobis rescripsit, in hunc modum:

Excellentissimo domino suo Karolo, Dei gracia regi Hungarie illustri, conventus monasterii *beati Egidii de Symigio*, oraciones in Domino debitas, ac devotas. Litteras serenitatis vestre, nobis destinatas, honore debito recepimus in hec verba:

Karulus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis conventui Symigiensi salutem et graciam. Comes *Paulus*, filius Andree de *Feyereghaz*, ad nostram accedens presenciam, suplicavit nobis humiliter, ut cum possessio *Nicolai Nygri*, fratris sui patruelis, sine herede decedentis, *Tykus* vocata, in comitatu Symigiensi existens, ad ipsum racione proximitatis pertinere disnoscatur, nos ius ipsius possessionis, cum eadem possessione sibi relinquere et conferre dignaremur. Quare fidelitati vestre firmiter precipimus per presentes, quatenus una cum Henter de *Saul*, homine nostro, vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, coram quo idem homo noster, predictam possessionem Nicolai Nigri, *Tykus* vocatam, convocatis vicinis et commetaneis suis, reambulet per veteras metas et antiquas; si invenitur eandem esse hominis sine herede decedentis, et sta-

tuat eidem comiti Paulo perpetuo possidendam, si non fuerit contradictum; contradictoribus, si qui fuerint, contra eundem comitem Paulum, ad nostram citet presenciam, ad terminum competentem; et post hec diem citacionis, nomina citatorum et terminum assignatum, cum serie tocius facti, nobis fideliter cum cursibus metarum rescribatis. Datum, *iuxta fluvium Kukullev,* die dominico proximo post festum beate Margarete virginis, anno Domini millesimo CCC° XX^mo^ quarto. 1324. 15. Julii.

Nos quia preceptis vestre celsitudinis in omnibus obedire debemus, ut tenemur, cum predicto Henter homine vestro, ad reambulandam possessionem Nicolai Nigri, hominis sine herede decedentis, in comitatu Symigiensi, *Tykus* vocatam, et statuendum comiti Paulo suprascripto, si non fieret contradictor, magistrum *Demetrium* subnotarium et hominem nostrum in testimonium transmisimus; qui postmodum, unacum eodem homine vestro, ad nos reversus nobis retulit: ut idem homo vester, in festo exaltacionis Sancte Crucis proxime preterito, in sui presencia ad faciem prefate possessionis accedendo, convocatis commetaneis et vicinis prefate possessionis, ipsam possessionem reambulasset et reambulando statuisset comiti Paulo prenotato, ex vicinis et commetaneis predicte possessionis nullo penitus contradictore existente, seu apparente. Quam possessionem a terris, seu possessionibus aliorum, hee mete separant et distingunt: in fine ville predicte a parte meridionali vadit ad meridiem, in latitudine sex iugerum terre, in via usque terram *monasterii Sancte Crucis de Bew,* ibique declinatur ad occidentem et vadit ad viam magnam, in quam viam incidendo vadit ad septemptrionem directe, ultra quam viam a parte septemtrionali sunt quatuor iugera terre Pauli predicti. Item in alio loco, iuxta eandem viam, modo premisso sunt sex iugera ante *villam Johannis dicti Zeuke,* in eadem via parumper eundo usque metas terreas *Adriani Magni* et ibi flectitur ad orientem usque metas terre *Nicolai* filii *Farkasii;* adhuc eundo per spinetum ad orientem, pervenit iterum ad terram Adriani, de qua terra egrediens itur ad orientem ad unam vineam, iuxta quam a parte meridionali eundo ad orientem, pervenit ad aliam vineam, de qua vinea adhuc ad orientem peragendo itur ad unam silvam, et in spacio eiusdem silve a parte septemtrionali, adhuc ad orientem gradiendo, transit unam viam et perveniet ad rubetum, de quo rubeto descendit ad unam vallem *Kutur* vocatum (sic!), transeundo ipsam vallem iungitur metis terre *Kuley* vocate, ibique flectitur ad meridiem et perveniet ad metas terre *Boya,* ibique reflectitur ad occidentem et perveniet ad occid (sic!), de qua egressa est, ibique terminatur. Item inter metas terre *Morolth,* in quator longitudinibus et latitudinibus, versus orientem et occidentem adiacencia triginta duo iugera terre et fenetum, in fine octo iugerum terre, ad latitudinem eorumdem a parte occidentali, de quo feneto egreditur ad orientem, iuxta terram a parte septemtrionali usque viam magnam, ubi est meta terrea; transiliendo ipsam viam vadit ad aliam vyam, ubi est similiter meta, et in eadem via flectitur ad meridiem in longitudine octo iugerum terre, ibique flectitur iterum ad occidentem, usque fenetum suprascriptum, ad unam metam terream, ibique terminantur. Datum, sabbato in octavis beati Michaelis Archangeli, anno Domini Millesimo CCC° vicesimo quarto. 1324. 14. Sept. 1324. 6. Oct.

Nos siquidem, ex huiusmodi relacione predicti conventus Symigiensis, dictam possessionem, licet ad ipsum comitem Paulum, racione proximitatis, devolvenda

censeatur, tamen ex eo, quod fuit hominis sine herede decedentis, ad nostram de iure pertinere collacionem recognoscentes, consideratis fidelitatibus et fidelium serviciorum meritis ipsius comitis Pauli, que idem nobis in diversis regni nostri expedicionibus et agendis, in favore fidelitatis, cum effusione sui sanguinis exhibuit laudabiliter et inpendit, volentes eiusdem serviciis graciosis regie remuneracionis occurrere premio donativo; predictam possessionem *Tykus,* cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, sub metis et terminis prescriptis, dedimus, donavimus, reliquimus et contulimus predicto comiti *Paulo,* filio Andre, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam et habendam; ius, proprietatem et dominium ipsius possessionis, in predictum comitem Paulum et eius posteritates, perempniter transferentes. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras novi et autentici sigilli nostri duplicis, munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri Andree, prepositi Budensis, aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CCC° vicesimo quarto, sexto Idus Novembris, regni autem nostri anno similiter vicesimo quarto. Venerabilibus in Christo patribus, dominis Bolezlao Strigoniensi et fratre Ladizlao Colocensi archiepiscopis; Johanne Nytriensi, Georgio Syrmiensi, fratre Petro Boznensi, Iwanka Waradiensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Herrico Wezprimiensi, Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jauriensi, Chanadino Agriensi et Andrea Transiluano, ecclesiarum episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Philippo palatino, comite Scepesiensi et de Wywar; Demetrio magistro tawarnicorum nostrorum, comite Bachiensi et Trinchiniensi; comite Alexandro iudice curie nostre; Thoma woywoda Transsiluano et comite de Zonuk; Nicolao bano tocius Sclauonie, comite Supruniensi et de Cumarum; Paulo bano de Machou, comite Syrmiensi, de Wolkou et de Budrugh, Mykch magistro tawarnicorum domine regine, consortis nostre karissime; Deseu iudice curie eiusdem; Blasio magistro agasonum nostrorum; Dyonisio magistro dapiferorum nostrorum et Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores. 1324. 8. Nov.

Extus duae not. leg. manu med. aevi exar.: Privilegium super possessione *Thykws* in comitatu Symigiensi. — Et iterum: Donacio et metales ad *Thykvs.* — Fragmen sigilli e flavo et violaceo serico dependet. — Orig. membr. pulchre exaratum, in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 26. fasc. 6. nr. 5.

95.

1324. Visegrád. 8. Nov. — Boleslaus archieppus Strigon., transscribit literas predecessoris sui Philippi, parochialem ecclesiam in Lipese, comit. Liptoviens. construeredi permittentes.

Bolezlaus, Dei gracia archiepiscopus Strigoniensis, eiusdemque loci comes perpetuus, omnibus Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum tam presencium, quam futurorum noticiam, harum serie volumus pervenire: quod magister *Donch,* comes de Zolio, ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras domini Philippi, Dei gracia quondam archiepiscopi Strigoniensis, tenoris infrascripti, petens nos cum instancia, ut eas ratas et validas habere et nostro dignaremur sigillo autentico confirmare. Quarum tenor talis est:

Nos Philipus, miseracione divina sancte Strigoniensis ecclesie archiepiscopus, aule regie cancellarius, signifaamus (sic!) universis, memorie commendantes; quod ad peticionem illustris domini *Bele,* regis Hungarie, concessimus, ut in quadam villa, *Lypche* vocata, in provincia Lytoviensi, populis ad ipsam villam, causa commorandi congregatis et eciam congregandis, ecclesiam parochialem construendi pro divinis officiis audiendis et percipiendis ecclesiasticis sacramentis, liberam habeant facultatem; ita videlicet, quod ipsam ad divina audiendi officia accedere debeant populi memorati, salvis omnibus, confessionibus scilicet generalibus, baptismalibus et sepulturis. Verum cum nos, iuxta officii nostri debitum, omnibus prodesse debeamus et nulli obesse, presertim in spiritualibus iuribus optinendis: volumus et auctoritate presencium confirmamus, ut eadem ecclesia parochialis liberis decimis perfruatur prout ecclesie parochiales de *Corpona* et *Sebnuchbana;* et plebanus eiusdem ecclesie ab omni iurisdiccione et descensu archidiaconi sit exceptus et penitus exemtus, ita tamen, quod de singulis quinquaginta mansionibus unam marcam, fini argenti, cum *pondere Strigoniensi,* nobis et nostris successoris (sic!), annis singulis dare et solvere teneatur. Statuimus eciam et sentencialiter declaramus, prefatos populos in prenotata villa, ad predictam ecclesiam, in omnibus iuribus parochialibus, in perpetuum pertinere. In cuius rei testimonium presentes litteras concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum, *Strigonii,* feria secunda proxima octavas (sic!) Pasche, anno Domini M ccc (sic!) quadragesimo (sic!) tercio. 1263. 9. Apr.

Nos itaque peticionibus eiusdem magistri iustis et legitimis inclinati, tenorem dictarum litterarum, de verbo ad verbum, presentibus inseri fecimus et nostro sigillo confirmare. In cuius rei testimonium, presentes eidem duximus concedendas, sigilli nostri munimine communitas. Datum, in *Visegrad,* in octavis omnium sanctorum, anno Domini M⁰ ccc⁰ XX⁰ quarto.

Sigillum e flavo serico pendebat. — Orig. in Arch. Cap. Scepus. Publ. Scrin. 6. fasc. 6. nr. 6. — Privilegii Philippi archieppi dat. erronee expositum pro patulo est. Erat enim idem ab anno 1262—1272 in sedio archieppali sedens. Verosimile videtur annus 1263 ponend. cf. et Monum. Eccl. Strig. T. I. p. 487. Nro 628. et presertim p. 483. nri 625. notam.; sicut et Fejér: Cod. Dipl. IV³. 182 et 124.

96.

1324. Avignon. 10. Nov. — Joannes PP. XXII., Carolum I., regem Hungariae, possessionem Neusiedel, e donatione Agnetis reginae viduae, ecclesiae Strigoniensi obvenientem, reddendam urget.

Ed.: Fejér: Cod. Dipl. VIII². p. 567.

97.

1324. (Pozsony) 9. Dec. — Carolus I. rex, transscribit et confirmat iudiciales Nicolai comitis Posoniensis, super possessione et piscatura Synkekuta, capitulo Posoniensi concessas.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmatie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarique rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presens scriptum cernentibus, salutem in largitore salutis. Cum a nobis

petitur, quod iustum est, decet maiestatem regiam facilem prebere consensum, in hys precipue, que sancte matris ecclesie ad commodum cedunt et honorem. Eapropter ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod honorabiles viri, magister *Nicolaus prepositus et capitulum ecclesie Posoniensis, ad nostram accedentes presenciam*, exhibuerunt nobis quoddam privilegium magistri Nicolai, comitis Posoniensis et quatuor iudicum nobilium eiusdem comitatus, pendentibus sigillis eorumdem consignatum, super iudiciaria sentencia, inter ipsos prepositum et capitulum ab una parte; item inter Petrum, filium Pauli, et Kemin, homines castrenses, super piscatura *Cheuzuezy, Synketekuta* seu Synky vocate, de *Kyurth,* per eosdem iudices data confectum; *petentes* nos humiliter supplicando, ut ipsum privilegium, seu ipsam sentenciam, ratam habere et ad uberiorem cautelam nostro dignaremur privilegio confirmare. Cuius quidem privilegii tenor talis est:

1324.
24. Mart.

Sequitur nr. 77, ut supra, ex ipso orig. exhib.

Nos siquidem iustis et legittimis peticionibus predictorum, prepositi et capituli Posoniensis, fidelium nostrorum, favorabiliter inclinati, prescriptum privilegium comitis Posoniensis et iudicum nobilium eiusdem comitatus, in nulla sui parte viciatum, de verbo ad verbum presentibus insertum, simul cum sentencia, super ipsa piscatura Synketekuta, sive Synky vocata, rite facta et legittime per eosdem, ratificamus, acceptamus, approbamus et ex certa sciencia regie maiestatis confirmamus. In cuius confirmacionis memoriam, perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri novi et autentici munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Endre,* prepositi ecclesie Budensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M ccc XX quarto, quinto *y*dus Decembris, regni eciam nostri anno similiter XX quarto. Venerabilibus in Christo patribus Bolezlao Strigoniensi, fratre Ladislao Colocensi archyepiscopis; Johanne Nitriensi, Benedicto Chanadiensi, Iwanka Waradiensi, Nicolao Jauriensi, Georgio Syrmiensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, fratre Petro Boznensi, Herrico Wesprimiensi, Chanadino Agriensi et Andrea Transiluano episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Phillipo palatino, comite Zepesyensi et de Wywar; Demetrio magistro tawarnicorum nostrorum, comite Bachyensi et Trinchyniensi; comite Alexandro iudice curie nostre; Thoma Woyuoda Transiluano et comite de Zonuk; Nicolao bano tocius Sclauonie, comite Soproniensi et de Kamarun; Paulo bano de Macho, comite Syrmiensi, de Wolko et de Bodrug; Mykch magistro tawarnicorum domine regine, consortis nostre karissime; Desew iudice curie eiusdem domine regine; Dyonisio magistro dapiferorum nostrorum; Blasyo magistro agasonum nostrorum, aliisque quam plurimis regni nostri comitatus tenentibus et honores.

Sigillum e rubro, caeruleo, flavo et viridi serico pendebat. — Orig. membran., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa C. fasc. 1. nr. 4. — Cum, ut initio dicitur, capitulum ipsum regem accesserit, literae hae certo certius *Posonii* exaratae fuerint; verosimile enim non est, totum capitulum coram rege, procul existente, comparere potuisse.

98.

1324. (Pozsony.) 9. Dec. — Carolus I. rex, transscribit et sigillo novo roborat, donationem et venditionem possessionis Ablincs, capitulo Poson. factam.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmatie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Cum a nobis petitur, quod iustum et honestum est, decet regiam excellenciam facilem prebere consensum, in hys presertim, que videntur sanctarum Dei ecclesiarum commodis convenire. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod *discreti viri, capitulum ecclesie Posoniensis,* fideles nostri, *ad nostram accedentes presenciam,* exhibuerunt nobis quoddam privilegium *Merhardi* (sic!) quondam iudicis, iuratorum et universorum civium civitatis Posoniensis, super donacione et vendicione cuiusdam terre, *Ablench* vocate, per Petrum dictum Sartor, dominam Margaretam, filiam *Woch*, uxorem ipsius Petri, nec non dominam Annam filiam eiusdem, neptem scilicet dicti Woch, Johannem filium Laurencii, filii dicti Petri, ac Mykaelem filium dicte domine Anne, facta ecclesie S. Salvatoris de Posonio, seu preposito et capitulo eiusdem ecclesie confectum, supplicantes nobis humiliter, ut ipsum privilegium, seu huiusmodi donacionem et vendicionem dicte terre, ratam habere et nostro dignaremur privilegio confirmare. Cuius tenor talis est:

1323.
Sequitur nr. 56. sup. ex ipso origin. exhib. 18. Jun.

Nos siquidem, qui ex debito susscepti regiminis nostri, sanctam matrem ecclesiam in suis iuribus conservare debemus, attendentes peticionem dicti capituli iustam fore et racioni consonam, inspecta dicti privilegii civitatis Posoniensis veritate, id privilegium non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum, de verbo ad verbum presentibus insertum, *ymmo* prescriptam donacionem et vendicionem dicte terre, eidem ecclesie et capitulo, ac preposito eiusdem factam, approbamus, acceptamus, ratificamus et presentis scripti patrocinio perpetuo confirmamus, sine preiudicio tamen iuris alieni. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras, novi et autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri *Andree,* prepositi ecclesie Budensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. Quinto Idus mensis Decembris, anno Domini Millesimo CCC° vicesimo quarto, regni autem nostri anno similiter vicesimo quarto. Venerabilibus — ‘— — ut in nr. superiori.

Fragmen sigilli e rubro, viridi., flavo et caeruleo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa C. fasc. 5. nr. 51. — Diploma hoc, e rationibus sub nr. 97. propositis pariter Posonii editum fuerit.

99.

1325. Visegrád. 6. Januarii. — Carolus I. rex, immunitatem domus, monasterii sancti Crucis in Austria, Ordin. Cisterc., Posonii existentis, revocat, eamque oneribus civilibus subiicit, aut iusto pretio vendendam ordinat.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII.² p. 610.

100.

1325. Esztergom. 29. Januarii. — Theophilus prepositus Strigon., detentores bonorum ecclesia s. Andreae apostoli de Posonio, vi mandati papalis, sub excommunicationis poena, ad restitutionem stringi iubet.

Theofilus Strigoniensis ecclesie prepositus, laudabilibus et discretis viris *Petro, quondam* preposito, canonico suo (sic!), domino *Jacobo,* et domino *Johanni,* rectori ecclesie de *Gala,* canocicis Posoniensibus, dilectis sibi in Christo fratribus et amicis, salutem et mandatis apostolicis humiliter obedire. Noverit vestra discrecio litteras sanctissimi patris Johannis, divina providencia sacrosancte Romane ecclesie sumpmi pontificis, nos recepisse; quarum tenor talis est:

Sequit. bulla Joannis PP. XXII., edit. T. II. p. 730. nr. 819. de anno 1317. 25. Febr. 1317. 25. Febr.

Sane discretus et honorabilis vir, magister *Thomas,* eiusdem ecclesie Posoniensis custos, nobis significare curavit: quod *Jacobus,* civis Posoniensis, quondam iudex, et *Martinus* presbiter canonicus eiusdem ecclesie Posoniensis, domini nostri regis Hungarie capellanus, — unam vineam in territorio eiusdem loci constitutam, et unum laneum de terra arabili, nec non domos seu fundos, proventuum septem librarum, ad ecclesias beatorum *Gothardi* et *Andree* apostoli, secundum donacionem *Hertiliny,* quondam iudicis, et *Hambathonis* iudicis bone memorie, pertinentes; et per venerabilem patrem dominum *Gentilem,* tunc in partibus Hungarie legatum, confirmatas, concessas et custodie Posoniensi unitas in perpetuum, et eorum aut earum fructus percipiendos et regendos per custodem eiusdem ecclesie Posoniensis, qui pro tempore fuerit, — occupaverunt et occuptos detinent, iam fere per duos annos, ad suos usus convertendo, contra Deum et iusticiam, indebite et iniuste. Cum igitur nos mandatum apostolicum, nobis iniunctum in hac parte, fideliter et humiliter exequi et compellere debeamus; devocioni vestre, tamquam filiis vere obediencie, mandamus sub virtute sancte obediencie predicte, auctoritate apostolica firmiter iniungentes, quatenus statim, receptis presentibus, predictos dominum Jacobum, et Martinum presbiterum, in persona eiusdem domini Jacobi, si presens non fuerit, ammoneatis salubriter et inducatis verbo vestro, ut a die amonicionis ad quindecim dies, vineam, laneum et domos cum fundis, septem talenta annuatim solventibus, restituant memorato custodi, nulla difficultate interposita; et de perceptis fructibus et proventibus usque modo, satisfaciant competenter. Quod si facere non curaverint animo indurato, elapsis ipsis quindecim diebus et terna ammonicione premissa, octavo die eisdem interdicatis ingressum ecclesie et participacione divinorum; si vero transactis octo diebus nichil fecerint, ipsos auctoritate apostolica, cessante appellacione, excommunicetis et excommunicatos denuncietis in eadem ecclesia Posoniensi et in aliis ecclesiis, ubicunque fuerit opportunum, omnibus diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis et extinctis, ab omnibus Christi fidelibus arcius evitandos tam diu, donec de premissis debitam satisfaccionem impendere compellantur et a nobis mereantur beneficium absolucionis obtinere. Datum, *Strigonii,* tercia feria proxima ante festum Purificacionis beate Virginis, anno Domini M⁰ ccc⁰ XXV⁰.

Sigillum e zona membranacea pendebat. — E transsumpto capit. Strigon. a. 1351., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa F. fasc. 1. nr. 12. Edit. Fejér Cod. Dipl. VIII.² p. 660.

101.

1325. (Pozsony.) 29. Januarii. — Capitulum Poson., filios Bodó de Nagyfél, Jacobo de eadem, quatuor iugera terrarum, viginti pensis et sexaginta denariis vendidisse testatur.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis salutem in salutis actore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire: quod constituti personaliter coram nobis Mychael, Mathyas et Georgius, filii *Bydeu* de *maiori villa Feel,* pro se et duobus fratribus suis Nicolao scilicet et Balsaar ab una parte; Jacobus filius *Wechyl* de eadem ab altera; iidem Mychael, Mathyas et Georgius sunt confessi: quod ipsi racione necessitatis sue quatuor iugera terrarum empticia, ipsos de iure contingencia, in duobus locis, videlicet tria iugera retro allodium, inter terras *Lychynzyr* vulgariter nuncupatas, in una longitudine et latitudine existencia, et quartum iuger penes terras *Look,* quod protenditur cum finibus suis versus viam, per quam *Tharo* consuevit ire *ad ecclesiam beati Petri apostoli de villa Eberhardi,* et in vicinitate terre Emirici et *Sisa* de eadem *Feel* existens, cum permissione et bona voluntate omnium proximorum suorum et omnium in eadem villa *Feel* commorancium, pro quibus omnibus Petrus filius Botond et Stephanus filius Pauli de dicta *Feel* comparuerunt, eidem Jacobo et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, pro viginti pensis denariorum et sexaginta denariis, ab eodem habitis et receptis, vendidissent iure perpetuo irrevocabiliter possidenda, pariter et habenda; obligando se, quod quandocunque processu temporum eundem Jacobum, ac eorum successores, racione dictorum iugerum vellent forsitan molestare, extunc iidem Mychael, Mathyas, Georgius, Nicolaus et Balsar, cum omnibus proximis et successoribus suis, tenerentur expedire propriis laboribus et expensis. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roborando. Datum, feria tercia proxima ante festum Purificacionis Beate Virginis Gloriose, anno Domini millesimo CCC° vigesimo quinto.

A B C

Sigillum cum zona periit. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 6. nr. 7.

102.

1325. Visegrád. 17. Febr. — Carolus rex, possessionem Néveg, per capit. Budense, Nicolao de eadem, statui iubet.

Tenorem vide sub nr. 106.

103.

1325. (Győr.) 21. Febr. — Capitulum Strigon., contra cives Strigon., a sentencia regis et iudicis curiae regiae, ad sedem apostolicam appellat.

Nicolaus, Dei et apostolica gracia Jauriensis episcopus, et eiusdem loci capitulum, universis Christi fidelibus, ad quos presentes pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Noveritis, quod in nostri presencia fuit appellatum in hunc modum:

In nomine Domini amen. Anno eiusdem M° CCC° vicesimo quinto, indiccione octava, octava die exeunte februario, coram vobis venerabili patre domino Nicolao, Dei et apostolica gracia Jauriensi episcopo et hono- 1325. 21. Febr.

rabili capitulo eiusdem loci, nos Theofylus prepositus et capitulum ecclesie Strigoniensis, prepositus sancti Thome martiris de promontorio Strigoniensi et capitulum eiusdem, sencientes nos agravatos indebite et iniuste, contra Deum et iusticiam per abusum potestatis secularis, per villicum, iuratos et universos hospites, seu cives civitatis Strigoniensis, propter gravamina infrascripta, nobis multipliciter illata, contra ipsos villicum, iuratos et cives, a presencia excellentissimi principis domini K.[aroli]. Dei gracia illustris regis Hungarie, domini nostri naturalis, cum ipse sit actor et iudex in causa eorumdem civium, tamquam in sua propria et non possit quis iudex fieri in sua causa; a foro suo, seu iudicio et iudicis curie sue, quos ex legitimis causis formidamus, quas coram sede apostolica suo loco proponemus, ad eandem sedem appelamus et iterum appellamus, in hys scriptis apostolos petimus et instanter petimus: Primum videlicet propter hoc, quod iidem villicus, iurati et cives, statim post obitum venerabilis patris domini *Lodomerii,* archiepiscopi Strigoniensis bone memorie, contra sentenciam iudiciariam domini *Andree,* quondam regis Hungarie, clare memorie, qui quamdiu vixit pro rege habitus est ab omnibus regnicolis, prelatis et clericis, ex quibus multi qui tunc aderant huic iudicio interfuerunt, nos solum per facti potenciam, propria temeritate, Dei timore postposito, non servantes iusticiam, iudicatu nostro et dominio populorum nostrorum, quos habemus intra fossatum eiusdem civitatis et habuimus, a fundacione dicte Strigoniensis ecclesie, et a tempore cuius memoria in contrarium non existit, spoliarunt et gravem iniuriam inferentes, ac dampna ex dominio nostro miserabiliter eiecerunt, predictos populos nostros in contumeliam Dei non modicum affligentes exaccionibus, collectis et talliis opprimendo, quos iudicio suo stare, ac dominio parere compellunt; in quibus exaccionibus, seu collectis, tria milia marcarum et ultra plane computando, procul dubio, nobis intulerunt et presertim in eo, quod censum seu pensionem domorum nostrarum in eadem civitate existencium, iam fere a triennio nobis solvere noluerunt; propter quod sentencias excommunicacionis et alias penas, sedis apostolice legatorum in partibus Hungarie diversis temporibus latas, contra huiusmodi invasores, eos non est dubium incurrisse; quas quidem sentencias dominus *Thomas,* quondam archiepiscopus Strigoniensis, pie memorie, *in suo concilio,* contra eosdem publicavit et insuper tamquam ordinarius suam sentenciam tulit in eosdem, sicut in suis litteris, super hoc confectis cum pendenti sigillo, plenius declaratur. Item super eo, quod iidem villicus, iurati et cives, tributum fori nostri, quod in eadem civitate super terra nostra congregatur et celebratur, ex ordinacione et donacione pia regum Hungarie nobis debitum, diminuunt maliciose, de die in diem aliquid defalcando; cuius tributi ordinacio, qualiter nobis solvi debebatur, in privilegiis eorumdem regum lucidius continetur; cum tamen alie ecclesie multe seculares et regulares, in ipsa civitate, iura sua percipiant pacifice et quiete, nobis tantum modo spoliatis et expulsis. Dicunt enim predicti cives, se habere quoddam privilegium, cum aurea bulla regis *Bele,* falsum tamen; cuius argumentum est, quod eo tempore quo, vivente eodem domino *Lodomerio* archiepiscopo, nos ad presenciam regis *Andree* memorati traxerant in causam super premissis, ipsum privilegium non potuerunt exhibere, quoniam tunc non habebant; et idem rex *Andreas,* prelati, barones et ceteri nobiles regni, qui tunc presentes adherant, diffinitivam sentenciam contra eosdem cives, accione dictante, tulerunt; eis perpetuum silencium inponentes tali modo,

ut de cetero contra predictam Strigoniensem ecclesiam et prepositum sancti Thome, necnon capitulum suum memoratos, litteris aut privilegiis, cum aurea bulla, aut aliis munimentis, seu instrumentis cereo sigillo firmatis, nullo modo uti possint, quod si facerent, in omnes penas in eisdem litteris *Andree* regis memorati contentas, inciderent ipso facto. Sed proh dolor, nunc in malicia confortati et ex favore domini regis presumpcione resumpta, illud *privilegium falsissimum* de recenti factum, sicut patet ex novitate pargameni et scriptura, in iudicio coram iudice curie domini regis sepefati, presumpserunt exhibere. Quo exhibito, presumpcio maior eisdem data extitit pro eo, quod examinacioni litteratorum et discretorum non fuit traditum; *y*mo eisdem absque omni examinacione extitit restitutum. Nostrum autem privilegium, sigillo predicti regis *Andree,* ac prelatorum, tunc sedenti pro tribunali assidencium, pendentibus sigillis roboratum, quo mediante contra predictos cives sentencia supradicta data fuerat, memoratus iudex curie domini nostri regis, a nobis abstulit et pluries rogatus nobis reddere noluit, nec curavit, ut iusticiam nostram occultaret. Sed nos, huiusmodi futurum periculum metuentes, *aliud par ipsius privilegii in camera ecclesie nostre duximus reservandum.* Ex huiusmodi siquidem signis et coniecturis, memoratum dominum nostrum regem, cuius nutu hec fieri presumpmuntur et iudicem curie sue, inducimur merito habere suspectos. Et quia periculosum est coram iudice suspecto litigare, idcirco ad predictam sedem apostolicam, ubi consequitur iusticiam dives et pauper, appellamus, apostolos petimus et instanter petimus. Ceterum super eo, quod cum per eosdem cives iure nostro, ut premittitur, fuissemus spoliati et omnia iura canonica et civilia in hoc concordent et tradant manifeste, quod ante cognicionem ause (sic!) nullus iure suo privari debeat, *y*mo ante omnia restituendus sit spoliatus, sepedictus iudex, humiliter per nos rogatus, restituere nos in possessionem recusavit. Ideo appellamus et cetera. Item, quia predicti cives, a multis temporibus retroactis, propria potestate domum communem pro iudiciis eorum et causis exercendis, super terram nostram in preiudicium nostrum, nobis invitis et sepe contradicentibus construxerunt, appellamus apostolos, petimus et instanter petimus. Item super eo, quod predictus dominus noster rex, ad suggescionem falsam et maliciosam eorumdem civium, tria *pallacia nostra,* in eadem civitate iusto titulo ad nos devoluta et possessa, diutine aliis contulit, a nobis aufferendo indebite et iniuste, nullo iudice procedente, appellamus. Offerentes nos omnia premissa et singula premissorum, aut ea que nobis magis viderimus profutura, salvo iure minuendi, addendi vel mutandi, prout iustum fuerit et iuri consonum, probaturos. Verum, quia omnes gravati et *ob*pressi ad ultimum remedium et refugium appellacionis debent convolare, personas nostras et ecclesias supradictas, ac omnia bona nostra mobilia et immobilia, et universos ad nos pertinentes, iura nostra tam in decimis, quam in tributis ad nos pertinencia, quocunque nomine censeantur, ponimus sub proteccione et gracia eiusdem sedis apostolice et sacrosancte Romane ecclesie, que omnium fidelium mater est et magistra. Ad prosequendum autem hanc nostram appellacionem, terminum iuris duximus prefigendum.

Nos vero peticionibus eorumdem iustis annuentes, ut tenemur, litteras nostras testimonales, que *apostoli* dicuntur, super appellacione facta coram nobis, eisdem dedimus, sigillis nostris autenticis pendentibus communitas. Datum ut supra.

Extus manu medii aevi: Forma cuiusdam appellacionis, facte per Teophilum condam prepositum et eius capitulum, contra cives Strigonienses. — Sigilla e corrigiis pendebant. — Orig. membran., in Arch. Primat. Secul. Lad. U. nr. 3. — Edidit Fejér: Cod. Dipl. VIII². 641.

104.

1325. 28. Febr. — Cruciferi Strigon., Jaziges circa Csaba commorantes, contra moniales de insula Budensi, citatos esse perhibent.

Excellentissimo domino suo, domino *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, frater *Jacobus,* magister cruciferorum domus hospitalis sancti regis Stephani de Strigonio et conventus loci eiusdem, oraciones in Domino, pro eodem debitas ac devotas, cum fideli famulatu. Noverit excellencia vestra, litteras vestras nobis transmissas, cum omni reverencia et honore, quibus decuit per nos recepisse et prout in eisdem nobis dabatur firmiter in mandatis, nostrum misimus hominem, scilicet *Thomam* clericum chori nostri, pro testimonio, cum *Cosma de Chuth,* homine vestro, ad citandum *Jazones,* contra religiosas dominas et sanctimoniales de *insula Budensi;* qui demum ad nos reversi concorditer retulerunt, quod feria quarta proxima post dominicam Invocavit, proxime preterita, *Georgium* et *Nicolaum* fratrem eiusdem, item *Chatharth,* 1325. 20. Mart. *Zudak, Byk* et famulum eiusdem nomine *Karachinum,* eidem statuere committendo, ac *Thywach, Yazones* circa *Chabam* commorantes, ad vestram citassent presenciam, ad octavas medii quadragesime, contra dominas sanctimoniales prenotatas. Datum, feria quinta proxima post dominicam antedictam, anno Domini M CCC XX quinto.

Extus: Excellentissimo domino suo, domino *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie. — Sigillum plicat. erat appressum. — Orig. membr., in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 2288.

105.

1325. Avignon. 4. Mart. — Joannes PP. XXII., Carolo I. regi Hung. exponit, quare Theophilus praepositus Strigoniensis, ad ecclesiam Spalatensem non fuit promotus.

„quia prius de ipsa provideramus ecclesia, quam pervenirent ad nos huiusmodi littere, quesumus rationabiliter habeat tua serenitas excusatos — — Datum Avenione IIII. Nonas Martii. Anno nono.

Edid. Theiner: Monum. Hist. Hung. T. I. p. 499.

106.

1325. 14. Mart. — Capitulum Budense, possessionem Néveg, Nicolao de eadem, statutam esse, Carolo I. regi rescribit.

Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia inclito regi Hungarie, capitulum ecclesie *Budensis,* oraciones in filio virginis gloriose. Litteras vestre excellencie noveritis nos recepisse, in hec verba:

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, damus pro memoria: quod causam quam religiosus vir frater *Dethmarus,* abbas de *Pechuarad,* qui personaliter comparuit contra *Nicolaum,* filium Andree de *Neuygh,* pro quo *Johannes litteratus* cum sufficienti procuratorio astitit, secundum continenciam litterarum comitis

Alexandri, condam iudicis curie nostre, super facto dicte possessionis *Neuygh*, exhibicione instrumentorum, in octavis Purificacionis Virginis Gloriose habebatur, et licet ipsis octavis partes instrumenta sua exhibuerunt coram nobis, sed quia instrumenta ipsius Dethmari abbatis, in quali comitatu dicta possessio sit non exprimebat, nec eciam distincciones et cursus metarum demonstrabat, neque ipse Dethmarus abbas se et predecessores suos abbates de dicta *Pechuarad*, in dominio dicte possessionis *Neuygh*, vel iurium eiusdem, in toto vel in parte ullo unquam tempore extitisse, aliquibus litteris iuxta regni nostri consuetudinem, demonstrabat: pro eo, ipsi negocio, auctoritate iudiciaria finem debitum imponere debuissemus. Tamen licet hec (sic!) superhabundanti, ut inter partes equitatem lucidius facere valeamus, decrevimus committendo, ut idem Nicolaus filius Andree, de dicta *Neuygh*, usque ad diem medii quadragesime nunc venture, mediante homine nostro, videlicet magistro *Johanne* filio *Hench*, iudice Budensi et presente dicto fratre *Dethmaro* abbate, ad faciem memorate possessionis *Neuygh*, sub testimonio capituli ecclesie Budensis, convocatis vicinis et commetaneis universis accedendo reambulet eandem, per veras metas suas veteres et antiquas, reambulatamque et ab aliorum possessionibus distinctam et separatam, relinquat eidem Nicolao filio Andree, idem homo noster, iure et titulo quo ad ipsum [emansit: pertinere] dinoscitur, perpetuo possidere. Quod si per aliquos contradictum extiterit, idem homo noster citet eos; si vero prelibatus Dethmarus abbas ipsam statucionem admiserit, vel aliquam partem de ipsa possessione *Neuygh* vel in toto, sui iuris vel ad dictam ecclesiam suam immediate pertinere cognoverit, recapiat nomine. Et tandem seriem omnium premissorum, cum serie reambulacionis et statucionis, ac cum cursibus metarum, vel necesse si fuerit nominibus citatorum, ac toto negocio, racione omnium premissorum inibi peracto, ad octavas diei mediXLme rescribere idem capitulum nobis teneatur. Datum, in *Wissegrad*, nono die termini prenotati, anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo quinto.

1325. 9. Febr.

1325. 13. Mart.

1325. 17. Febr.

Nos itaque, ut moris et iuris est, et ut preceptis vestris obtemperare cupientes (sic!), ut tenemur, cum magistro Johanne filio Hench, iudice Budensi, homine vestro predicto, nostrum hominem magistrum *Nicolaum* socium et concanonicum nostrum, ad predicta vestra mandata exequenda, pro testimonio duximus destinandum. Qui tandem exinde ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt; quod ipsi feria tercia proxima post dominicam Oculi, ad faciem annotati possessionis *Neuygh*, presente dicto fratre Dethmaro abbate de *Pechuarad*, vicinis et commetaneis eiusdem universis legittime illuc convocatis et presentibus accedendo, eandem per cursus metarum suarum antiquarum reambulassent, quarum cursus inferius denotantur, — reambulatamque et ab aliorum possessionibus distinctam et separatam, idem homo vester reliquisset eidem Nicolao filio Andree, eo iure et titulo quo ad ipsum dinoscitur pertinere, perpetuo possidendam, penitus nullo contradictore existente et per ipsum Dethmarum abbatem ipsam statucionem admittente. (sic!) Cuius quidem possessionis *Neuygh* prima meta incipit, a parte orientali, super unum lapidem iacentem penes viam, pro meta existentem, inter ipsam possessionem *Neuygh* et possessionem *Sasad* regalem; deinde egreditur ad partem meridionalem vadit ad viam que venit de *Buda*, transeundo ipsam ad longum spacium

1325. 12. Mart.

ad eandem plagam, pervenit ad tres metas terreas angulares, quarum una a parte orientali pertinet ad dictam *Sasad*, alia [emansit: a] parte meridionali tenet metam *Aronfewlde*, tercia vero a parte occidentis spectat ad dictam possessionem *Neuygh;* inde venit ad unum *Aruk* et per eandem Aruk flectitur ad dictam partem occidentalem, ad spacium bonum tendendo, pervenit ad metam terream, que a parte meridionali separat terram *ecclesie de Kana* et alia parte aquilonis distinguit terram possessionis *Neuygh*; deinde vero ad eandem plagam tendendo prope *lacum* seu stagnum *Zeek* vocatam (sic!), venit ad metam terream inter possessiones *Neuygh* et *Kana*; abhinc intrat in eundem *Zek* (sic!) inde pervenit ad lapideam metam iacentem in eadem *Zeek* angularem, que a parte orientali separat terram possessionis *Neuygh*, altera autem a parte meridionali terram ecclesie de *Kana* et seperat a parte occidentis terram possessionis *Kemeche*: abhinc autem egreditur ad partem aquilonarem, vadit ad vallem *Azou* dictam, cuius vallis directa medietas a parte orientis spectat possessioni *Neuggh*, alia autem medietas a parte occidentis pertinet ad dictam *Kemeche:* inde autem vadit semper ad plagam aquilonarem, cadit ad unum *Aruk* et per eundem inter *vineas* venit ad viam, que venit de *Wrs* et transeundo ipsam viam, vadit ad aliam viam, que venit de *Kezew* et per eandem ascendit ad radicem montis *Kemechehegye* dictam et penes eandem venit ad metas terreas antiquas, quarum una a parte meridionali [emansit: est] meta possessionis *Kemeche*, alia autem a parte orientis est meta possessionis *Neuegh;* inde flectitur ad partem orientalem, venit ad campum *Kezmezew*, venit ad metam terream; deinde flectitur ad partem meridionalem, pervenit ad vallem *Kalachnewlgye* dictam et eciam ipsa venit ad metam terream valde magnam, que a parte orientali separat terram possessionis *Sasad*, et a parte occidentis terram possessionis *Neuygh;* abhinc ascendit ad montem *Mehhegh*, venit ad unum lapidem stantem supra, pro meta existentem; inde vero descendendo vadit ad viam que vadit ad villam *Sasad*, ante *ecclesiam beati Andree apostoli* in eadem *Sasad* constructam, cuius vie medietas ad partem orientis spectat dicte ville *Sasad*, et a parte occidentis pervenit dicte possessioni *Neuegh;* inde vadit ad priorem metam lapideam inicialem et finalem, ibique cursus metarum possessionis *Neuegh* terminantur. Datum, feria quinta proxima post dominicam Oculi predictam, anno eciam predicto.

E transsumpto notarii publici a. 1470. — In arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 45. fasc. 3. nr. 7. In extractu dorsali adnotatur: possessio Neweg in *parochia de Sasad.*

107.

1325. 25. Apr. — Conventus Cruciferorum de Strigonio, Nicolaum administratorem praepositurae Poson., contra magistrum Buda, ob occupationem possessionis Ablincs, protestatum fuisse perhibet.

Nos frater *Jacobus*, magister cruciferorum domus hospitalis sancti regis Stephani *de Strigonio* et conventus loci eiusdem, damus pro memoria: quod honorabilis et discretus vir magister *Nicolaus*, archydiaconus Nitriensis et administrator prepositure Posoniensis, in nostri presencia personaliter constitutus, nomine suo et nomine et vice capituli Posoniensis, per modum protestacionis proposuit coram nobis, quod magister *Buda*, notarius quondam *Mathei palatini*, quandam terram ecclesie Posoniensis, *Ablench* vocatam, in *maiori Posonio* exi-

stentem, ocupasset et occupatam detineret, omnes fructus et utilitates dicte terre, pro se usurpando. Ex qua occupacione et fructuum percepcione, dicta ecclesia Posoniensis, magnum dampnum passa extitisset; et quod idem magister Buda, per ipsum et dictum capitulum sepius requisitus et monitus, ipsam terram eis restituere non curasset. Fuit eciam protestatus, quod dictus magister Buda, super facto terre predicte, stare arbitrio proborum virorum promisisset, quam promissionem adimplere, usque in presens, sepius requisitus, minime procurasset. In cuius protestacionis testimonium, presentes fecimus nostro sigillo communiri. Datum, feria quinta proxima ante festum beati Georgii martiris, anno Domini M° ccc° XX° quinto.

Sigillum cum zona periit. — Orig. membr. pulchre exaratum, in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa C. fasc. 5. nr. 50.

108.

1325. — 29. April. — Gyula comes ei communitas Saxonum de Szepes, litem inter abbatem et conventus de Szepes, ac Popradienses exortam, amicabili compositione finitam esse testantur.

Nos *Ivla,* comes Saxonum, iurati et universi iudices de *Cyps,* memorie commendantes significamus, quibus expedit universis, presentibus protestantes: quod cum lis et contencio dudum orta fuisset inter viros religiosos abbatem et conventum *ecclesie Sancte Marie de Cyps,* et populum de *Poppart,* pro quadam particula terre, ipsi vero partes considerantes, quod pro re tam modica non esset conveniens ut rixa inter ipsos ulterius perduraret, viris providis et discretis et honestis, pro parte domini abbatis et conventus, est commissum tamquam arbitris fidedignis; tamen deliberacione habita sopiandam: videlicet viro religioso fratri *Gvidoni, ordinis sancti Anthonii magistro* et commendatori in *Dravcz,* comiti *Nicolao Stoian* et *Meinhardo schulteto* ipsorum de *Kvbach;* predictus vero populus de Poppard ex alia parte, unanimi et pari voluntate, causam suam commiserunt viro discreto domino *Erhardo plebano de Mulenbach,* nobili viro *Ivle,* tunc ipsis existente comite terranorum, ac honesto viro *Johanni* iudici de *Leucha,* qui tamquam viri providi, pacis et concordie vinculum, ipse partes utraque sollidare cupientes, zelo Dei ferventes, omnem discordiam et scrupulum inimicicie ab ipsis partibus amovere volentes, taliter ordinarunt: quod iobaiones (semper sic!) abbatis et conventus de *Altenov,* propter bonum pacis et concordie, predicto populo de *Poppard* tres fertones fini argenti, *pondere Cypsiensi,* omni occasione iniusta procul mota, singulis annis in festo beati Martini episcopi et confessoris solvere tenebuntur; si vero in solucione 11. Nov.
prelibata prefati iobaiones abbatis de Alzenov, die et termino prefixo deficerent, extunc populus predictus de Poppard, per hominem abbatis presentem et assistentem habet recipere et inpignorare pro pecunia pretaxata; et si quod absit contingeret, quod sepedictus populus de Poppard, propter defectum dicte solucionis eisdem non facte, aliquod dampnum incurrerent, ipsi predicti abbas et conventus, iobaiones ipsorum superius nominatos debent et tenentur ad hoc cogere, quod ipsi de dictis tribus fertonibus expensis et dampnis, si interfuerint, secundum estimacionem proborum virorum, Deum pro oculis habencium, ut reddant iusticie complementum. Nec permittendum, quod si pre-

dicti populi de Poppard, domino abbati ac iobaionibus suis aliquam violenciam intulerint, in quam perversionem per experienciam veritatis devicti fuerint, extunc ordinacio prescripta irrita est et inanis. In cuius rei testimonium, stabilitatemque per*h*ennalem, ad peticionem parcium, presentem litteram sigillo nostre provincie concessimus roborari. Datum, feria tercia proxima ante Ascensionem Domini, anno Domini M° CCC° XXVI°.

Sigillum e zona membran. pendet. — Orig. membr., in tabulario Hung. Scientiarum Academiae. Tom. II.

109.

1325. Esztergom. 6. Maii. — Sententia magistri Nicolai, archidiaconi de Zólyom, contra Stephanum plebanum de Radona, lata.

Nos magister *Nicolaus,* archidiaconus de *Zolio* et rector *capelle regie beati Nicolai* de eodem, significamus tenore presencium universis: quod cum nos causam, que inter nobilem virum *Thomam* comitem, filium Dyonisii de *Rodona* ab una parte, et *Stephanum* sacerdotem quondam *plebanum ecclesie Beata Virginis* de eadem ex altera, coram nobis vertebatur, et nos eandem causam ordinaria auctoritate et e commissionaria venerabilis in Christo patris domini *B.[oleslai]*, Dei gracia archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui, partibus in nobis consencientibus, lite contestata, eisdem diucius hinc inde altercantibus, probis viris plebanis et sacerdotibus parochialibus, ac nobilibus provincie eiusdem nobis asidentibus, quia omnis controversie finis est iuramentum, ipsi comiti Thome, articulos sub contextu eiusdem litis contentos testibus legalibus adiudicavimus comprobandos: se*t* quia ipse Stephanus sacerdos, ante testium attestaciones, omni excepcione in personas, aut in dicta testium obmissa et neglecta, et ante nostram diffinitivam et decisivam sentenciam, obiectu cuiusdam frivole apellacionis verbalis, contumaciter aufugit: ipsum sentencionaliter convictum diffinivimus, iuris et iusticie ordine observato. Verum, quia articul*um* contra ipsum Stephanum sacerdotem comprobati, exceptis aliis enormibus faccionibus, que ad nostram noticiam frequenter devenerunt, beneficii amissionem exigebant, nos nostra auctoritate ordinaria, ut premisimus, ne amplius facilitas venie eidem incentivum tribuat delinquendi, et malum malo cumuletur, *y*mo materia, que possit esse mortis fomentum amputare cupientes de medio, ipsam ecclesiam Beate Virginis de Rodona recepimus ab eodem, et a spiritualium et temporalium amministracione eiusdem ecclesie, ipsum Stephanum sacerdotem a*m*ovimus et ipsi ecclesie de alia *y*donea persona providimus, iuris ordine observato. Datum *Strigonii*, in festo beati Johannis evangeliste ante portam latinam, anno Domini M° ccc° XX° quinto.

Orig. membran., in Arch. Primat. Ecclesiast. Vetus. nr. 21/1.

110.

1325. Esztergom. 26. Maii. — Boleslaus, archiepiscopus Strigoniensis, transscribit et confirmat literas Pauli, quondam praepositi Scepusiens., quibus Dionysio de Sigra, capellam in Elsavicha construendi facultatem concessit.

Nos Bolezlaus, miseracione divina archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, significamus tenore presencium, quibus expedit uni-

versis, quod Petrus et Dominicus, filii Danus, ad nostram accedentes presenciam, litteras honorabilis et discreti viri domini *Pauli,* quondam prepositi Scepsiensis, nobis exhibere curarunt, petentes nos cum instancia, quatenus tenorem earundem, diligenti examinacione premissa, rescribi faceremus, ac nostri sigilli munimine roborari. Quarum quidem tenor talis est:

Magister Paulus, prepositus Scepsiensis, universis Christi fidelibus, quibus presentes ostenduntur, salutem in vero Salvatore. Ut condigne supplicaciones antidotum exaudicionis reportare valeant, equitati convenit et rigori presertim, dum religionis innititur, vel cultus divini nominis in augmentum. Proinde ad universitatis vestre noticiam, tenore presencium volumus pervenire, quod magister Nycolaus, filius comitis Dyonisi de *Sygra,* comes et castellanus de *Sceps,* ad nostram accedens presenciam, humili a nobis supplicacione sibi et comiti Dyonisio patri suo, filiisque suis omnibus, ac filiorum suorum omnium posteris universis, annui postulavit, quod in quadam villa sua congreganda, *Elsawycha* vocata, denuo in culturam redigenda, capellam vel ecclesiam in honorem beati Nicolai, preciosi confessoris Christi, edificandi licenciam concedere, decimasque populorum eiusdem ville in usum sacerdotis et clerici ipsius capelle, vel ecclesie, ob augmentum cultus divini nominis, relinquere et donare dignaremur. Nos itaque accendentes, quod suprema est racio, que pro religione facit et cultus dominici nominis is augmentum, habito tractatu cum fratribus nostris de capitulo et deliberacione diligenti, de consilio et consensu eorundem, ut idem comes Nicolaus capellam, vel ecclesiam in honore dicti beati Nycolai confessoris edificare valeat, et presbiter in eadem constituendus et confirmacionis munus a nobis, vel successoribus nostris recipiendus, decimas iamdicte ville more aliorum plebanorum privilegiatorum percipiat libere, pacifice et quiete, annuimus paterno cum favore. Ita tamen, quod idem sacerdos, iure aliorum plebanorum in Sceps, nobis subiectorum, in kathedratico et descensu, aliisque juribus parochialibus, horis debitis nobis et successoribus nostris, cum debita obediencia respondere teneatur. In cuius rei memoriam pleniorem, et maioris stabilitatis incrementum, presentes concessimus litteras, appensione sigilli tam nostri, quam fratrum nostrorum, capituli videlicet Scepsiensis, roboratas. Datum, *apud sanctum Martinum,* in dominica Cantate, anno Domini M ccc octavo. 1308. 12. Maii.

Nos igitur peticionibus eorundem Petri et Dominici, iustis et legitimis, favore paterno inclinati, tenorem earundem litterarum presentibus de verbo ad verbum redigi fecimus et nostri sigilli autentici munimine roborari. In cuius (emansit: rei) testimonium, presentibus sigillum nostrum duximus appendendum. Datum Strigonii, in festo pentecostis, anno Domini M ccc xx quinto.

Sigillum, sat bene conservatum, e zona pendet. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nation. Arch. Fam. Görgey.

111.

1325. Opatovicz. 30. Maii. — Procuratoriae Nankeri episcopi Cracoviensis, eiusdemque ecclesiae capituli, pro Jaroslao cancellario Cracoviensi et Neomino plebano Sandomiriensi, in causa iurisdictionali parochiarum Podolin, Gniazno, Lublova, ac quibusdam aliis, inter Cracoviensem episcopatum et Boleslaum archieppum Strigoniensem ventillata.

Ed. Monum. Polon. Med. Aevi. T. I. p. 176 et sq. — Fejér: Cod. Dipl. VIII.² p. 634.

112.

1325. Visegrád. 2. Jun. — Carolus I. rex, possessionem Ablincs, pro capitulo Poson. reambulari jubet.

Seriem vide sub nr. 161.

113.

1325. Lippa. 16. Junii. — Carolus I. rex, per magistros Joannem, Kokos et Ricolphum, ius patronatus praepositurae de Landek, a se fundatae, praeposito et conventui de Miechov in Polonia, certis sub restrictionibus, cedi indulget.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[3] p. 623.

114.

1325. Esztergom. 24. Junii. — Boleslaus archiepiscopus se, in villis abbatis s. Martini, specialiter in villa Dienesd, nullum jus decimarum habere fatetur.

Nos *Bolezlaus,* miseracione divina archiepiscopus *Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, memorie commendantes significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem: quod quia visis litteris venerabilis in Christo patris, domini Thome, per eandem quondam archiepiscopi Strigoniensis, predecessoris nostri pie recordacionis, in quibus se dicebat in villis venerabilis abbatis monasterii sancti Martini, de sacro monte Pannonie, et specialiter in villa *Dyenus* vocata, in *Chollokuz* existenti, in decimis nullum ius habere, eodem modo et nos profitemur, in villis eiusdem domini abbatis sancti Martini et specialiter in villa, quam habet in Chollokuz, Dyenus vocata, nullum ius pretextu decimarum habere. In cuius testimonium presentes concessimus, sigilli nostri apposicione roboratas. Datum *Strigonii,* in festo beati Johannis baptiste, sub anno incarnacionis Domini. M ccc vicesimo quinto.

E transumpto Capit. Jaurinen. a. 1327. — Sigillum e caeruleo et virido serico pendet. — Orig. membr. in Arch. Sacr. Mont. Pannon. Capsa 41. lit. N. — Edit. Anjouki Okmánytár T. II. p. 308.

115.

1325. (Győr.) 30. Jun. — Capitulum Jaurinense, Petrum sartorem Póson., terram Ablincs viginti quinque libris denariorum, capitulo Poson. vendidisse testatur.

Capitulum *Jauriensis* ecclesie, omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presentes litteras inspecturis, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod constitutis in nostri presencia *Petro* sartore, cive *Posoniensi,* genero quondam *Woch,* civis similiter de Posonio, nomine suo et nomine ac vice domine Margarete, filie eiusdem Woch, Margarete et Agne (sic!), filiarum suarum, Johannis filii quondam Laurency, filii dicti Petri, ac Michaelis filii dicte Agne, pronepotum eiusdem Woch ex una parte; discretis viris *Nicolao* preposito ecclesie Posoniensis et magistro *Emerico* canonico ecclesie eiusdem Posoniensis ex parte altera. Idem Petrus sartor, viva voce coram nobis est confessus, quod ipse quandam terram, *Ablench* vocatam, ad sex aratra sufficientem, in comitatu Poso-

niensi existentem, ad ipsum et ad prenominatas personas, heredes scilicet dicti Woch, tam iure hereditario, seu successionis paterne, quam racione dotis uxoris prefati quondam Woch devolutam, que olym a felicissime recordacionis domino *Bela,* illustri rege Hungarie, pro notabilibus fidelitatum serviciis, omni remuneracione dignis, eidem Woch fuerat collata, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis universis, pro remedio anime dicti Woch et sua, ac animarum heredum prefatorum salute dedisset, donasset et eciam vendidisset, ecclesie sancti Salvatoris de Posonio, ipsiusque preposito et capitulo ecclesie memorate, pro viginti quinque libris denariorum Wyennensium, plene sibi et predictis heredibus datis et persolutis, perpetuo et irrevocabiliter tenendam et possidendam. Cuius quidem terre metas, secundum tenorem privilegii quondam dicti domini Bele regis, modo infrascripto et ordine distingvi dixit: videlicet quod prima meta incipit ab oriente, iuxta metas *Zelynch*, terre eiusdem ecclesie Posoniensis, per quas procedens a parte meridionali versus occidentem, incidit in metas terre *Wedered*, per quas descendens incidit in metas terre *Kwrthulus*, et per metas eiusdem procedens versus septemtrionem, incidit in metas ville *Paag,* per cuius metas protenditur usque ad metas alterius terre *Zelench*, similiter eiusdem ecclesie Posoniensis, et sic per metas ipsius terre, redit versus orientem ad primam metam et ibi terminatur. Preterea idem Petrus, nomine suo et nomine heredum predictorum, assumpsit se obligando, quod si ullo unquam tempore, predicti prepositus et capitulum, racione predicte terre, per quempiam inpeterentur, ipse et prenominati heredes, eosdem prepositum et capitulum tenerentur expedire, propriis laboribus et expensis. In cuius rei testimonium, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras, sigilli nostri autentici munimine roboratas. Datum, in festo commemoracionis beati Pauli apostoli, anno Domini M ccc vicesimo quinto. Magistris Mathya lectore, Nicolao cantore et Michaele custode ecclesie nostre existentibus.

Fragmen sigilli e zona membr. pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa C. fasc. 5. nr. 52.

116.

1325. (Esztergom.) 12. Julii. — Capit. Strigon. Joannem Olaszi, terram Pél, filiis Simeonis de Bajót, vendidisse testatur.

A. B. C.

Nos prepositus et capitulum sancte *Strigoniensis* ecclesie, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presencium seriem inspecturis, salutem, in eo, qui est omnium vera salus. Ad universorum harum serie volumus pervenire; quod nobilis vir *Johannes,* filius *Fewlde de Olosi* ab una parte; et similiter nobiles viri magistri *Paulus, Laurencius* filii *Symonis de Boyod* et Nicolaus, ac Dyonisius filii Mychaelis de eadem Boyod ex altera, coram nobis personaliter constituti; idem Johannes filius Fewlde dixit et confessus est, se quandam possessionem suam hereditariam *Pel* vocatam, *in comitatu de ante Strigonio* existentem, de consensu suorum cometaneorum, sicut dixit, vendidisse eisdem Paulo, Laurencio filiis Symonis, Nicolao et Dyonisio filiis Mychaelis, pro quadraginta marcis in denariis, et in condigna estimacione plene habitis et receptis ab eisdem, ipsis et suis heredibus, heredumque suorum successoribus, perpetuo, pacifice,

quiete et irrevocabiliter tenendam, possidendam pariter et habendam; ita videlicet, quod idem Johannes filius Fewlde, ipsos Paulum, Laurencium filios Symonis, Nicolaum et Dyonisium filios Mychaelis et eorum heredes, heredumque ipsorum successores, si unquam processu seu tractu temporis, per fratres suos *Beke* et *Ladislaum,* similiter filios Fewlde, super eadem possessione, Pel vocata, materia questionis oriretur, tenebitur ipsos expedire laboribus propriis et expensis. Cuius possessionis cometanei sunt videlicet ab una parte eadem villa *Boyod,* ab altera vero parte sunt possessiones filiorum Pauli, filii Benedicti, videlicet *Boyryn, Moyros, Moroth* taliter nominate. In cuius rei testimonium et ad memoriam perpetuam, presentibus nostri sigilli munimen duximus appendendum. Datum, per manus magistri *Ladyzlai* nostri lectoris, in vigilia beate Margarethe virginis et martiris gloriose, sub anno Domini M° CCC° XX° quinto.

Sigillum e viridi et flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 2311. — Signatura vetus: Neo Regestrata Acta fasc. 1589. nr. 12.

117.

1325. Avignon. 1. Sept. — Joannes PP. XXII., universis Christi fidelibus, visitantibus ecclesiam, quam Carolus I. rex in Castro de Altolapide (Visegrád), Strig. dioec. construxit, indulgentias concedit.

Ed. Theiner: Monum. Hung. Hist. T. I. p. 500.

118.

1325. Esztergom. 8. Sept. — Boleslaus archiepiscopus Strigoniensis, in controversia circa limites dioecesis, ex parte territorii praepositarae Scepusiensis, procuratores nominat.

Ed Monum. Polon. Med. Aevi. T. I. p. 179. — Fejér: Cod. Dipl. VIII². p. 634. et sq.

119.

1325. (Ipolyság.) 24. Sept. — Conventus Saghiensis, magistrum *Csolnok* vicecomitem, nomine Blasii comitis Hontensis, terras Damasa et Dopopoth, capitulo Strigoniensi remisisse perhibet.

Iwanka prepositus et conventus monasterii Beate Virginis de *Saag,* ordinis Premonstratensis, universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie volumus pervenire; quod nobilis vir magister *Chulnuk* vicecomes Hontensis, pro se, et magistro Blasio agazonum domini regis, Hontensi et Nitriensi comite, domino suo, personaliter coram nobis constitutus, dixit et confessus est ministerio vive vocis: quod ipse mandato domini sui, per inducciones corundam malorum hominum, quasdam particulas terre odwornicorum, quas *Damasa* et sui cognati; item duorum odwornicorum regalium *Zolath* et *Coyn* nominatorum, *Dopupech* vocatam, in comitatu Hontensi iuxta villam, *Guruqui,* capituli Strigoniensis immediate existentes, impediverat, credens eas posse in pristinum statum odwornicorum revocare. Sed inquisita et scita omnimoda veritate, a quatuor iudicibus nobilium Hontensis comitatus et aliis fidedignis hominibus, prout magis potuit investigando, quod edem (sic!) particule terre ad

predictum capitulum Strigoniense iusto titulo pertinebant et extiterant devolute; sicut eciam ex litteris, seu privilegiis *Bele* et *Ladizlay*, quondam regum Hungarie felicium recordacionum, et testamento *Ladizlay*, quondam prepositi Strigoniensis bone memorie, cui per eosdem reges donate fuerant, patuit evidenter, predictas particulas terre, iusticie et veritati consenciendo, prefatus magister Chulnuk reliquit et dimisit, cum frugibus quingentarum capeciarum, quas ibidem simul cum terris prohybuerat, predicto capitulo, prout eorum iuris fuerant, in pace pacifice et quicte, sine qualibet contradiccione et inpeticione possidendas, tenendas perpetuo et habendas. In cuius rei memoriam, testimonium et perpetuam firmitatem presentes, ad confessionem eiusdem *Chulnuk*, premisso declaratam ordine, supradicto capitulo Strigoniensi concessimus, sigillo conventus nostri roboratas. Datum, tercia feria proxima ante festum beati Michaelis archangeli, anno Domini millesimo CCC° vicesimo quinto.

Extus manu medii aevi: *Gerky* super quadam particula terre Dopupech.

Sigillum e zona membranacea pendebat. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 19. fasc. 1. nr. 12.

120.

1325. Avignon. 8. Oct. — Joannes PP. XXII., sibi reservat ecclesiae Jaurinensi de pastore idoneo providere.

„— — Cupientes ecclesie Jauriensi — — de pastore ydoneo provideri — — eam — — disposicioni nostre — — auctoritate apostolica reservamus, districtius inhibentes venerabili fratri nostro . . . archiepiscopo Strigoniensi Metropolitano, ac dilectis filiis capitulo et canonicis ipsius ecclesie et cuiuslibet — — ad quos ecclesie ipsius electio, postulatio — — seu quevis dispositio — — pertinet — — ne ipsi ad electionem — — procedere quoquomodo presumerent — — —"

Theiner: Monumenta Hung. Hist. T. I. p. 502. — Eodem modo pontifex sibi reservat providere de ecclesia Quinqueecclesiensi.

121.

1325. Avignon. 12. Oct. — Joannes PP. XXII., iniungit praeposito Posoniensi, et archidiacono de Komarom, ut Antonio canonico Vaciensi, praeposituram ipsius eccl. conferendam curent.

Theiner: l. c. T. I. p. 503.

122.

1325. Visegrád. 18. Oct. — Comes Alexander, judex curiae, possessionem Libád, Raphaino de eadem, contra Senye, perpetuo possidendam adjudicat.

Nos comes Alexander, iudex curie excellentissimi principis et magnifici domini *Karoli*, Dei gracia incliti regis Hungarie, significamus tenore presencium quibus expedit universis: quod cum *Senye* filius Gregorii, iuxta continenciam litterarum citatoriarum conventus sancti regis Stephani de *Strigonio*, *Rophaynum* filium Bench de *Libad*, ad feriam terciam post quindenam beate Katherine proxime preteritam, legitima citacione facta, anno Dominice 1324. 11. Dec.

incarnacionis M CCC XX quarto, in causam attraxisset coram nobis; et ipsa causa primo racione prioritatis termini, ad octavas purificacionis Beate Virginis; secundo quia Mauricius, pro ipso Senye, cum litteris procuratoriis nostris comparendo, sue accionis principium in facto possessionario ad inquisicionem ipsius Rophayn, personaliter astantis, revelarat et idem Rophayn, propter dicte cause arduitatem, absque suorum proximorum et cognatorum consilio, ad obiecta procuratoris ipsius Senye terminum ulteriorem sibi dari postulando, se non posse respondere proposuerat, ad octavas medii quadragesime, iterato ad octavas beati Georgii martiris, quinto ad quindenam festi Pentecchostes et sexto ad octavas beati Michaelis archangeli, anno Domini M° CCC° XX° V°, utrarumque parcium voluntate, sub forma faciende pacis, iuxta continencias quam plurimarum litterarum nostrarum memorialium, in ventillacione dicte cause confectarum, ad peremthorias responsiones faciendas prorogata extitisset. Ipso termino adveniente, predicto Rophayn, propria in persona astante, Petrus filius Georgii, vice et nomine ipsius Senie, cum litteris procuratoriis nostris ad nostram accedens presenciam, proposuit in hunc modum: ut quedam possessio Libad vocata, in cuius facie in honore *sancti Johannis Baptiste lapidea ecclesia* esset fundata, ipsius Senie esset hereditaria et a longiquorum (sic!) temporum revolucionibus, scilicet fere septuaginta annorum prius, avus ipsius Rophayn, demum pater suus et postmodum ipse in preiudicium ipsius Senie potencialiter occupasset et nunc occupatam detineret. Quo audito idem Rophayn respondit eo modo: ut prememorata possessio, *Libad* noncupata, titulo [iu]ris hereditarii ad ipsum pertineret, super qua per avum suum et suos priores ipsa ecclesia lapidea constructa et *pallacium lapideum* fundatum extitisset; et eandem ipse et sui priores, semper sine aliquali inquietacione, pacifice et quiete possedissent, et nunc ipse possideret. Cumque autem procuratorem ipsius Senye, utrum aliqui priorum eiusdem domini sui, ab ipso Rophayn et eius prioribus, ipsam possessionem ordine iudiciario aliquo temporis curriculo aquisierint, aut in aliquo capitulo, vel conventu, super potenciali occupacione et detencione dicte possessionis protestacionem et prohibicionem fecerint, aut ne, diligentissime quesivissemus, predictus Petrus procurator ipsius Senye, non aliquas litteras seu instrumenta, quorum titulo predictam possessionem optinere et requirere valeat, valuit vel potuit exibere (sic!). Verum, quia *ius ecclesiasticum* et regni consuetudo ab antiquo approbata, possessiones per suos possessores, sine aliquali inquietacione quiete et sincere per revoluciones triginta duorum annorum possessas, non aliquomodo in presencia alicuius iudicis, per aliquos alios a suis possessoribus optineri requiret (sic!), et predicti Senye procurator, prememoratam possessionem, *Lybad* nominatam, per avum et patrem ipsius Rophayn, ac ipsum, a multi temporis, ut premisimus, spacio occupasse et occupatam detinuisse proponebat, et non aliquas litteras protestacionales, quarum titulo per ipsum Senye ipsa possessio requiri et rehaberi possit valebat exibere (sic!); unacum baronibus et nobilibus regni, nobiscum in iudicio tribunal iudiciale consedentibus, dictam possessionem *Lybad* ecclesiasticam (sic!), simul cum pallacio et aliis utilitatibus et pertinenciis suis universis, sub h*y*s metis et terminis, quibus per suos priores dicta possessio habita extitit et possessa, dicto Rophayn et suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iudiciaria auctoritate adiudicavimus, perpetuo possidendam, tenendam

1325. 9. Febr.

1325. 20. Mart., 1. Maii, 9. Jun., 6. Oct.

pariter et habendam; a modo et deinceps ipsi Senyey (sic!) et suis heredibus, de dicta possessione *Libad,* perpetue taciturnitatis silencium duximus inponendum. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ne causa tam debito fine terminata, calomniancium inportunitate, temporis in curriculo, aliquatenus valeat retractari, vel in inirtum (sic!) per quempiam revocari, super perpetuali adiudicacione dicte possessionis, nostras litteras privilegiales, ipsi Rophayn, pendentis sigilli nostri munimine communitas, duximus concedendas. Datum in *Vysagrad*, in festo beati Luche ewangeliste, anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo quinto.

Sigillum ex albo serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 27. fasc. 2. nr. 1.

123.

1325. (Pozsony) circa 1. Nov. — Capitulum Poson. nobiles de Szász, possessiones ipsorum Felső- és Alsó-szász, in tres aequales partes divisisse testatur.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie *Posoniensis*, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam, tam presentium quam futurorum, volumus pervenire: quod Johanne, filio Jacobi et Jacobo, filio Gregorii et Petro, filio Stephani de genere *Nolcha*, pro se et pro omnibus proximis et cognatis suis *de Zaz* ab una parte; Nicolao filio Johannis *Fintha,* filio Dominici et *Endere* filio Johannis de genere *Waras,* item Paulo filio Pangracii, Petro filio Dominici et Paulo filio Michaelis de genere *Pudur,* de eadem Zaz, similiter pro se et pro omnibus proximis et cognatis suis ab altera, coram nobis personaliter constitutis, sunt confessi: quod possessiones ipsorum, *superior Zaz* videlicet et *inferior Zaz* nuncupatas, concorditer in tres partes, prout inferius dicitur, divisissent; scilicet a parte ville *Leeg* una pars, cum suis utilitatibus cessisset Johanni filio Jacobi, cum memoratis proximis suis et cognatis; due vero partes a parte ville *Beke,* similiter cum suis utilitatibus cessissent Nicolao filio Johannis, cum proximis suis de genere Waras, et Paulo filio Pangracii cum suis proximis de genere Pudur, iure perpetuo irrevocabiliter possidenda, pariter et habenda. Cuius quidem divisionis mete, taliter prout partes affirmarunt, hoc ordine distinguntur. Incipit enim prima meta penes fluvium *Berl,* ubi sunt due mete capitales: abhinc vadit versus villam Zaz et sic transeundo vadit ultra quandam vallem, ubi sunt due mete; deinde transit super ipsam villam *Zaz* et sic eundo penes circa (sic!) *ortum Endere* ab inferiori parte sunt due mete; abhinc vadit ulterius et sic eundo in fine sessionum generacionum Waras sunt due mete; deinde protenditur versus quandam publicam viam, penes quam sunt due mete; abhinc vadit ulterius et sic eundo sunt due mete; deinde adhuc procedendo venit ad quandam viam magnam circa *Humuro*, que ducit versus villam *Gelye,* ubi sunt due mete; abhinc protenditur versus fluvium Humuro et ab alia parte eiusdem sunt due mete in fine terre ville *Paka*, ubi et cursus earundem terminatur. Omnia pascua pecorum, [. . . . . .] supradictum fluvium Berl existencia, communiter possidebunt. Preterea secundam possessionem, Zaz inferiorem, similiter in tres partes di[visisse] cum suis utilitatibus affirmarunt. In cuius rei testimonium, presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. [. . . . . .] Omnium Sanctorum, anno Domini M° CCC° vigesimo quinto.

Sigillum cum zona decidit. — Orig. membran., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 9. fasc. Z. nr. 1.

124.

1325. (circa) — — Magistratus civitatis Tirnaviensis, favoribus Elisabethae reginae commendat sanctimoniales, ordinis s. Clarae in civitate Tirnav. habitantes, maxime ex eo, quod claustrum earumdem totaliter, unacum maxima parte civitatis, incineratum sit.

Ed. Cod. Andegav. T. II. p. 234.

125.

1325. — — Wroninus, plebanus Sandomiriensis, dioec. Cracov., procurator Nankeri episcopi Cracoviensis, coram Bartholomeo praeposito Csarnovaniensi, dioec. Vratislauviens., contra Boleslaum archiepiscopum Strigon., ratione iurisdictionis in Podolin, Gnezda et Lubovna et aliis, causam movet.

Ed. Monum. Polon. Med. Aevi. T. I. p. 191.

126.

1326. 11. Febr. — Capitulum Posegaense, comitem Márk, possessionem Nyirmál 50 marcis Alardo vendidisse, testatur.

Capitulum ecclesie beati Petri de *Posaga,* universis Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Quoniam unicum est oblivionis remedium scriptura, que calumpniis infert silencium et modum contencionis explicans, sua serie loquitur presentibus et posteris veritatem; proinde ad universorum, tam presencium quam futurorum noticiam, tenore presencium, volumus pervenire, quod comes *Mark* filius Benedicti, nobilis de comitatu *de Posaga,* pro se et pro Michaele, ac *Benak* filiis suis, ad nostram personaliter accedendo presenciam, confessus est oraculo vive vocis: quod quandam possessionem, *Nyrmal* vocatam, in comitatu Strigoniensi, inter *Strigonium* et *Durug* adiacentem, que scilicet possessio Petri dicti *Lopoy* fuisset et eidem Mark pro morte, seu homicidio Laurencii filii Mathye, proximi sui, per prefatum Petrum interfecti, ex collacione regia advenerat, sicut dixit, sub metis et terminis, quibus eadem possessio contineri dinoscitur, ex consensu predictorum filiorum suorum, vendidisset *Alardo* filio comitis *Benk,* proximo suo, pro quinquaginta marcis ab eodem plene, sicut retulit receptis, iure perpetuo et irrevocabiliter in heredum heredes possidendam, tenendam, pariter et habendam. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad peticionem prenominati Mark, eidem Alardo, presentes concessimus litteras, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Petri,* lectoris ecclesie nostre, feria tercia post dominicam Invocavit me, anno Domini M CCC vigesimo sexto.

Sigillum integrum prelatum sedentem, dextra benedicentem, sinistra antem librum tenentem exhibens (Vide Jerney: A magyarországi káptalanok etc. Magyar Tört. Tár II. Fig. 8., ubi tamen collum prelati contortum est) e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membran. pulchre exaratum, in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 29. fasc. 1. nro 4.

127.

1326. Visegrád. 26. Mart. — Carolus I. rex, literas capit. Budens., super possessione Nána capit. Strig. editas, transscribit et confirmat.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem. Quod accedens ad nostram presenciam discretus vir magister *Nicolaus,* prepositus *Posoniensis,* dilectus et fidelis noster capellanus, exhibuit nobis nomine et vice prepositi et capituli *Strigoniensis,* quoddam privilegium capituli Budensis, super divisione terrarum *Nana* vocatarum confectum, petens cum instancia, ut dictum privilegium nostris litteris patentibus renovare et confirmare dignaremur. Cuius quidem privilegii tenor talis est:

Sequitur privilegium capit. *Buden.* a. 1228. divisionem de *Nana* inter capit. Strig. et homines de *Berki* factam perhib. ex ipso orig. edit. T. I. p. 268. nr. 300. 1228.

Nos vero iustis et legitimis peticionibus dicti Nicolai prepositi annuentes, prefatum privilegium non cancellatum, non abrasum, nec in aliqua parte sui viciatum aut suspectum, de verbo ad verbum transcibi facientes, ipsum auctoritate regia renovamus et presentibus nostris litteris confirmamus. In cuius rei testimonium et firmitatem, presentes nostro fecimus sigillo autentico communiri. Datum in *Wyssegarad,* feria quarta proxima post festum resurreccionis Domini, anno eiusdem Millesimo ccc vicesimo sexto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 31. fasc. 1. nro 4.

128.

1326. Szepeshely. 8. Apr. — Joannes praepositus Scepusiensis, in causa iurisdictionali parochiarum Podolin, Lublo et Gnezda, inter eppum Cracoviensem et archieppatum Strigon. controversa, procuratores nominat.

Ed. Monum. Polon. Med. Aevi. T. I. p. 180.

129.

1326. — 10. Apr. — Guillelmus, abbas monasterii B. M. Virg. de Scepus, pro terra quadam montana, aliam terram ad curiam suam pertinentem, in commutationem concessit Pakucz de Vedericz, in recompensationem suorum servitiorum laudabilium.

Ed. Cod. Andegav. T. II. p. 239.

130.

1326. — 29. Apr. — Gyula, comes Saxonum, iurati et universi judices de Scepus, amicabilem compositionem, inter abbatem de Savnik et oppidanos de Poprád, ratione possessionis Altzanov initam, perhibent.

Tenorem vide sub nr. 108, quo — subverso improvise ordine chronologico — ex ipso originali exhib. — Edid. Wagner: Analecta Scepusiens. T. I. p. 404. — Fejér: Cod. Dipl. VIII^{3}. p. 160. et iterum VIII^{5}. p. 174.

131.

1326. (Győr.) 5. Maii. — Capitulum *Jaurinen.,* privilegia super possessione Türnye, capitulo Poson. data, transscribit.

Capitulum *Jauriensis* ecclesie, omnibus Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam, tam presen-

cium quam futurorum, harum serie volumus pervenire: quod accedens ad nostram presenciam magister *Emericus,* canonicus ecclesie *Posoniensis*, nomine et vice discretorum virorum magistri *Nicolai* prepositi et capituli ecclesie eiusdem, exhibuit nobis duo paria litterarum nostrarum patencium, super possessione *Twrne* confecta et concessa, petens a nobis humiliter et devote, ut tenorem et seriem earumdem litterarum nostrarum, in publicam formam nostri privilegii transscribi et redigi faceremus, tuciorem ad cautelam. *Cuius* quidem ipsarum litterarum nostrarum tenor talis est:

Sequitur priv. a. 1291. 6. Jun. ex ipso orig. capit. Jaur. edit. T. II. p. 282. nr. 279. et p. 284. nr. 281. 1291. 6. Jun.

Alterius vero littere tenor talis est:

Sequitur priv. a. 1292. ex hoc ipso transsumpto edit. T. II. p. 327. nr. 329. 1292.

Nos vero peticionibus eiusdem magistri Emerici, nomine et vice prepositi ac capituli predictorum nobis porrectis, iustis et legitimis annuentes, dictas litteras nostras non cancellatas, non viciatas, non in aliqua sui parte suspectas, de verbo ad verbum transscribi fecimus et in publicam formam nostri redigi privilegi (sic!). In cuius rei testimonium et firmitatem, presens privilegium nostro fecimus sigillo autentico communiri. Datum et actum, feria secunda proxima post festum ascensionis Domini, anno eiusdem M° ccc° vicesimo sexto; magistris *Mathya* lectore, *Nicolao* cantore et *Jacobo* custode ecclesie nostre existentibus.

Extus manu medii aevi: continentur in se transscriptum duarum litterarum: unius testamenti et alterius resignacionis consanguineorum testatorum, possessionis *Czukarie,* prima cum littera capituli Strigoniensis (sic!) testamentaria. — Sigillum e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membran. pulchre exaratum, in Arch. cap. Poson. Priv. Capsa C. fasc. 4. nr. 49.

132.

1326 Visegrád. 8. Maii. — Carolus I. rex, literas suas annuales, capitulo Posoniensi concessas, per capitulum Jaurinense executioni demandari jubet.

Tenorem vide sub nr. 160.

133.

1326. 11. Maii. — Carolus I. rex, litem inter magistrum Thomam rectorem altariae B. Marie Virg. de Strigon. et sacerdotem loci, quoad decimas Marosienses, interveniente Boleslao archiepiscopo Strigon., compositam esse testatur.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerie, Comanie*que* Bulgarieque rex, princeps Salernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus, omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Quoniam temporis fluxibilitas rebus, sub se generatis, instabilitatem imprimit et occasum, non immerito in restaurario memoriali deposita, processu ipsius temporis elabuntur (sic!) et idcirco litterarum testimonio solidantur res, que standi vigorem perpetuum prestolantur; hinc est, quod ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod cum inter discretum virum magistrum *Thomam, rectorem altaris Beate Virginis,* in corpore *ecclesie beati Adalberti de Strigonio* existentis ab una parte; ex altera vero inter sacerdotem *ecclesie beati Martini de villa Morus,* villicum

et hospites de eadem, racione decimarum eidem ville, ipsi altari de iure ab antiquo debencium, eo quod idem magister Thomas easdem decimas, reluctando sacerdote et hospitibus predictis, plene percipere non poterat ut debebat, magis ac magis fuisset disceptatum. Tandem, ad regiam peticionem nostram, componente venerabili in Christo patre, domino *Boleslao*, Dei gracia archiepiscopo Strigoniensi, eiusdemque loci comite perpetuo, charissimo proximo nostro, cuius interest ex officio sibi incumbenti, pacis bonum in hac parte ordinare, partes coram nobis taliter concordarunt: quod in decima vini predictorum hospitum nostrorum quartam partem, in decima frugum terciam, et in aliis minutis decimis equalem medietatem, percipiet amodo in antea sacerdos prescripte ecclesie sancti Martini, pro tempore in eadem constitutus, residuis decimis prefato magistro Thome et eiusdem successoribus pacifice remanentibus. Hoc specialiter declarato, quod ne eidem magistro Thome, aut ipsius successoribus preiudicium generetur, in suo iure decimali, sacerdos prefatus, modernus vel futurus dicte ecclesie, pro se preter rectorem altaris memorati, qui fuerit pro tempore, nihil recipere possit de decimis antedictis, sed ipsis decimis in unum locum congregatis, presente ipso rectore vel eiusdem homine ad hoc deputato, sacerdos sibi debitam, modo premisso, excipiet porcionem de eisdem. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, novi et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum, per manus discreti magistri Andree, prepositi ecclesie Albensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto, quinto Idus Maii, regni autem nostri similiter vigesimo sexto. Venerabilibus in Christo patribus, dominis predicto Bolezlao archiepiscopo Strigoniensi, locique eiusdem comite perpetuo et fratre Ladislao Colocensi archiepiscopis; Johanne Nitriensi, Benedicto Chenadiensi, fratre Petro Boznensi, Iwanka Waradiensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Nicolao Jauriensi, Andrea Transiluano, Henrico Wesprimiensi et Chenadino Agriensi ecclesiarum episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis Philippo (emansit: palatino), comite de Scepus et de Wywar, ac iudice Comanorum; Demetrio magistro tauernicorum nostrorum, comite Bachiensi et Threncziniensi; Alexandro iudice curie nostre; Thoma waywoda Transsiluano et comite de Zownwk; Mich bano tocius Sclauonie; Paulo bano de Machou, comite Sirmiensi, de Wolkow et de Budrug; Desew iudice curie, domine regine charissime consortis nostre; Blasio magistro agazonum nostrorum; Dionisio magistro dapiferorum nostrorum et Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores.

1326. 11. Maii

E transsumpto Ludovici II. regis a. 1519. — Orig. in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 47. fasc. 5. nr. 1.

134.

1326. Esztergom. 14. Maii. — Boleslaus, archiepiscopus Strigon., decimas villae Maros, inter rectorem altariae B. Mar. Virg. Strigon. et sacerdotem loci, eatenus disceptantes, dividit.

Boleslaus, Dei et apostolice sedis gracia, archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, presentem paginam inspecturis, cum benedictione salutem in eo, qui est omnium vera salus. Altitudo divini consilii, que in sui disposicione non fallitur, ad hoc

nos preposuit, ut lites dirimendo, pace si possumus terminemus universa, et maxime que in eo tempore, quo ecclesia in suis iuribus enervatur et vacillat; distingue, inquit sapiens, tempora, et scripturas concordabis. Et ne huiusmodi bonum pacis in oblivionem relabatur, litterarum testimonio non immerito prestolatur. Hinc est, quod ad universorum noticiam, harum serie volumus pervenire: quod cum inter discretum virum magistrum *Thomam,* rectorem altaris Beate Virginis in corpore nostre ecclesie beati Adalberti *de Strigonio* existentis ab una parte; ex altera vero inter sacerdotem ecclesie beati Martini de villa *Morus*, villicum et hospites de eadem, racione decimarum eiusdem ville, ex devota ordinacione venerabilis in Christo patris domini *Lodomerii*, condam Strigoniensis ecclesie archiepiscopi, bone memorie predecessoris nostri, ipsi altari de iure ab antiquo debencium eo, quod idem magister Thomas refragante sacerdote et hospitibus predictis, plene percipere non poterat ut debebat, diucius fuisset coram nobis altercatum, seu eciam disceptatum. Tandem, ad instantem peticionem domini nostri *Karoli,* Dei gracia illustris regis Hungarie, *proximi nostri,* partes, unacum fratribus nostris, *capitulo* videlicet *Strigoniensi,* taliter fecimus concordari, quod in decima vini predictorum hospitum quartam partem, in decima frugum terciam et in aliis minutis decimis equalem dimidietatem percipiet a modo in antea sacerdos prescripte ecclesie sancti Martini, pro tempore in eadem constitutus; residuis decimis prefato magistro Thome et eius successoribus pacifice remanentibus et quiete. Hoc specialiter declarato, quod ne eidem magistro Thome, aut ipsius successoribus preiudicium aliquod in suo iure decimali generetur, sacerdos prefatus modernus, vel futurus dicte ecclesie pro se, preter rectorem altaris memorati, qui fuerit pro tempore, nihil recipere possit de decimis antedictis; sed ipsis decimis in unum locum congregatis, presente ipso rectore, vel eiusdem homine ad hoc deputato, sacerdos sibi debitam, modo premisso, excipiet porcionem de eisdem. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras privilegiales, sigilli nostri munimine roboratas. Datum *Strigonii*, pridie Idus Maii, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo sexto.

E transsumpto Ludovici II. regis a. 1519. — Orig. membran., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 47. fasc. 5. nr. 1. — Edid Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 120.

135.

1326. Esztergom. 19. Maii. — Boleslaus, archiepiscopus Strigon, indulgentias ecclesiae S. Mariae Virg. in Podolin, ab Andrea Traciensi episcopo, domini pape in urbe vicario in spiritualibus generali, et Joanne Reatinensi episcopo concessas, ratihabet et insuper quadraginta dierum indulgentias in Domino misericorditer elargitur.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII..5. p. 175.

136.

1326. (Esztergom) circa 27—31 Maii. — Capitulum Strigon. comitem Gregorium de Gyarmath, ad redimendam notam servilis, qua archiepiscopatui Strigon. tenebatur conditionis, possessionem Vaga eidem donasse, testatur.

Theophilus prepositus et capitulum ecclesie *Strigoniensis,* universis Christi fidelibus, presentibus et futuris, presens scriptum inspecturis, salutem in omnium

Salvatore. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie volumus pervenire: quod venerabilis pater dominus *Boezlaus* (sic!), Dei gracia archyepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus ab una parte; et comes *Gregorius*, filius Gregorii *de Gormoth* ex altera, coram nobis in medio nostri personaliter constituti; idem dominus B.(oleslaus) archyepiscopus, quia idem comes Gregorius ad abolendam et detergendam quandam notam infamie status condicionalis, qua Strigoniensi archyepiscopo et per consequens archyepiscopatui teneri infamabatur, quandam possessionem suam, *Vaga* vocatam, in comitatu Posoniensi existentem, cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis universis, molendinis et aliis si que forent, titulo empcionis ad ipsum Gregorium devolutam, sub eisdem metis et terminis, quibus ipse Gregorius (expunct: dictus) dignosscitur possedisse, dedit et contulit ipsi domino nostro B.(oleslao) Strigoniensi archyepiscopo et per consequens archyepiscopatui, prout in litteris *conventus cruciferorum* sancti regis Stephani *de Strigonio,* super hoc confectis, plenius continetur. In recompensacionem huiusmodi sue donacionis, ipsum Gregorium et suos posteros procreatos vel procreandos, simul cum possessione sua Gormoth vocata, ab huiusmodi nota predicte condicionis, si qua fuit, presertim et cum idem dominus B.(oleslaus), Strigoniensis ecclesie archyepiscopus, per litteras incliti principis *Bele,* condam regis Hungarie edoctus, ipsum comitem Gregorium sepefatum ab *h*onere cuiusdam condicionis ecclesie sue et sibi debite repererit immunem et exemptum, deliberato tractatu . . . . . habito et pensato, nobisque consencientibus, absolvit sue ingenu*y*tatis et libertatis uberiorem, seu firmiorem ad cautelam et in numerum et [cetum serviencium re]galium ipsum Gregorium [et heredes, here]dumque suorum successores, nobiscum ordinante nobisque consencientibus, simul cum terra seu possessione sua Gormoth, annumerari annuit et per[misit] aggregari. Terram vero G[ormoth] . . . . . Nitriensi existentem, possessionem ipsius Gregorii, vicinam et commetaneam . . . . Strigoniensis ecclesie archyepiscopo B.(oleslao) et archyepiscapatui pleno . . . . . do, ipsam ab omni *h*onere . . . . . que servicii Strigoniensis ecclesie archyepiscopo et archyepiscopatui debito, ipse dominus B.(oleslaus) archyepiscopus eximendo et absolvendo, nobiscum deliberato . . . . . consencientibus cum . . . . . meliorari debeat, quantum potest in recompensivam donacionem . . . . . et nichilominus in oc . . . . . dedit, donavit . . . . . Gregorio heredibus[que su]orum successoribus, perpetuo et irrevocabiliter sic exemptam tenen[endam et] habendam assumpsit; nich[ilominus idem . . . . .] B.(oleslaus) . . . . . coram nobis, quod quicunque . . . . . Gregorium vel suos posteros, racione prescripte terre Gormo*k* per . . . . . donate impetere . . . . . et suos heredes deb[eret propriis] laboribus et expensis . . . . . simplices seu communes, ac eciam privilegiales si sunt, vel . . . . . bus Gormoth . . . . . Gregorii . . . . . heredum ipsos et eorum . . . . . gentes, idem dominus B.(oleslaus) archyepiscopus assumpsit reddere et restituere, e . . . . . heredibus bona s . . Strigon . . . quocumque ingenio res[erva]tur, ipsas idem dominus B.(oleslaus) archyepiscopus cassas reliquit et inanes. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem . . . . . Gregorio et suis heredibus . . ., sigillo nostro maiori et autentico dedimus roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Ladislai lectoris* ecclesie nostre Strigoniensis, II (?) Kalendas Iunii[anno] Domini M° CCC° XX° sexto (?); domino *Theophilo* preposito maiori, *Ladislao* lectore, *Ladi-*

slao preposito *sancti Thome, Nicolao* Posoniensi preposito, *Petro* Sancti Georgii, *Renaldo* custode existentibus.

E transsumpto exesi *Demetrii* cardinalis, archiepiscopi Strigon. (1379—1387). — Orig. membr., cum sigillo e rubro et viridi serico pendenti integro, in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 49. fasc. 1. nr. 12.

137.

1326. Pozsony. 20. Junii. — Frater Sygo de Portatriona, praeceptor et magister domorum s. Antonii per totam Hungariam et Sclavoniam, venditionem terrae domus Posoniensis, per Pontium abbatem dominae Margarethae, relictae comitis Jacobi factam, corroborat.

Edid. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 146.

138.

1326. Roma. 22. Junii. — Stephanus, episcopus Verinensis, visitantibus ecclesiam Posoniensem certis festivitatibus, 40 dierum indulgentias concedit.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, frater *Stephanus,* Dei gracia *Veriensis* episcopus, salutem in Domino sempiternam. Quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus prevenire, ac eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere valeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce et metet et qui seminat in benedicciónibus, de benedicciónibus et metet vitam eternam. Cum igitur ex parte *Alhaidis de Presburga,* nobis fuerit supplicatum, ut omnibus venientibus ad ecclesiam *sancti Martini* episcopi in *Prespurga,* Strigoniensis dyocesis, velimus indulgenciam exhibere; nos vero, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum, eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui vel que, predictam visitaverint ecclesiam in ipsius festivitatibus: seu eciam Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphanie, Resurreccionis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, nec non in sollempnitatibus Beate Marie Virginis, sanctorum Petri et Pauli apostolorum, aliorumque apostolorum et evangelistarum, sancti Johannis Baptiste, sancti Nicolai, sancti Martini, sancti Laurencii, sancti Stephani, sancti Michaelis archangeli, sancte Katerine, sancte Marie Magdalene, sancte Elysabet, sancte Margarete, in festo Corporis Christi, in dedicacione ecclesie et in dominicis diebus in quadragesima, in die Omnium Sanctorum et in die animarum, ac per eorum octavas, manusque porrexerint adiutrices ad fabricam, luminaria, seu ornamenta ecclesie supradicte; vel qui Corpus Christi secuti fuerint cum portatur infirmis, vel in serotina pulsacione ter Ave Maria dixerint: XL dies, de iniunctis eis penitenciis, misericorditer in Domino relaxamus, dummodo dyocesanus prestet assensum. In cuius rei testimonium presentes litteras fieri fecimus nostri sigilli appensione munitas. Datum *Rome,* anno domini M CCC XXVI. mensis iunii die XXII., pontificatus domini Johannis pape XXII. anno eius decimo.

Fragmen sigilli ovalis, rubrae cerae, e zona pendet. — Orig. membr. pulchre exaratum, in Arch. Cap. Pos. Priv. Capsa J. fasc. 1. nr. 3.

139.

1326. Visegrád. 1. Aug. — Carolus I. rex, possessionem Nyirmál, Stephano castellano de Visegrád, per capitulum Strigon. statui jubet.

Seriem mandati vide sub nr. 146.

140.

1326. Léva. 9. Augusti. — Elisabeth regina, consors Caroli I., monasterium S. Benedicti de juxta Garam, in protectionem suam assumit specialem.

Elizabeth, Dei gracia regina Hungarie, fidelibus suis universis: baronibus, comitibus, castellanis, officialibus, iudicibus et aliis cuilibet preeminencie et status hominibus, ac eorum vices gerentibus, quibus presentes ostenduntur, salutem et graciam. Cum nos monasterium *sancti Benedicti de iuxta Goron* et abbatem eiusdem monasterii, ac iobagiones et servientes suos, nec non universos ad ipsum pertinentes, a iurisdiccione et potestate omnium vestrorum, nunc et pro tempore constitutorum eximendo, in nostram proteccionem et tutelam specialem, de voluntate et beneplacito domini nostri regis receperimus, volumus, et fidelitati vestre firmiter et districte precipiendo damus in mandatis, quatenus a modo, a predicto monasterio sancti Benedicti et abbate eiusdem, ac iobagionibus et servientibus suis, nec non universis ad ipsum pertinentibus, manus vestras retrahatis, quia nos eosdem a potestate vestra eximendo, sicut prediximus, sub proteccionem nostram, speciali de consensu domini nostri regis, duximus constituendos, ymo constituimus et ad graciam nostram recepimus eosdem et favorem. Aliud igitur nullatenus facere presumatis; quicunque enim vestrorum, aliquid mali vel nocumenti, predictis, sub proteccione nostra constitutis, inferre attemptaverit, nostram reginalem indignacionem se senciet incurrisse. Datum in *Lewa*, in vigilia beati Laurencii martiris, anno Domini M° CCC° XX° sexto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 1. nr. 23.

141.

1326. (Esztergom.) 12. Aug. — Capitulum Strigon., possessionem Nyirmál reambulatam et Stephano castellano de Visegrád statutam esse, Carolo I. regi rescribit.

Tenorem vide sub. nr. 146.

142.

1326. (Pozsony.) 15 Aug. — Capitulum Posoniense, transsumit literas suas, udvarnicos de Szilas-Lucse et Theber-Lucse inter se amicabilem divisionem fecisse, testantes.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie *Posoniensis*, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire: quod accedentes ad nostram presenciam Sebastianus, filius Laurencii et Petrus, filius Andree, vduornici *de Luche Theber* (sic!) exhibuerunt nobis quasdam litteras nostras patentes, suplicantes nobis magna precum cum instancia, quod nos tenorem et seriem earumdem, nostris litteris privilegialibus transcribi faceremus. Quarum tenor per omnia talis est:

Nos capitulum ecclesie *Posoniensis,* significamus quibus expedit universis, presencium per tenorem: quod *Budou* filio *Huswet*, Paulo filio Benedicti pro se, et pro eodem Benedicto patre suo, Johanne filio *Gurk,* Thoma filio *Cheet* pro se et pro Dominico filio suo, *Beke* filio Andree, Mathya filio *Vrachy* pro se, et pro eodem Vrachyo patre suo, Andrea filio *Chyle* pro se et fratribus suis, Georgio filio *Gurk* et Nicolao filio Huswet, pro se et pro fratribus suis, de genere udvornicorum *de Zylas Luche* ab una parte; Petro et Stephano, filiis Andree filii *Chugud*, cum omnibus proximis et cognatis suis, similiter de genere udvornicorum *de villa Theber Luche* ab altera, coram nobis personaliter constitutis, sunt confessi oraculo vive vocis: quod licet mota fuisset materia questionis inter ipsos, super quadam particula terre, *Lakzyg* vocate, viginti iugera terrarum arabilium continentem, cuius quidem particule terre incipit meta et terminus circa quandam *aquam Baarcha* vocatam; et deinde protenditur versus meridiem ad quandam communem viam, que est pro meta; et deinde procedit adhuc similiter versus meridiem, prout dixerunt, usque quandam *vallem Magala* vocatam et ibidem terminatur. Et sic inter se diucius ordine iudiciario fuissent altercati, ad ultimum mediantibus probis viris, videlicet: Ladislao filio Vrachy, Nicolao filio Alberti, Paulo filio *Lyde,* Andrea filio Gregorii, Nicolao filio Gurk, iobagionibus udvornicorum, item Benedicto filio *Vrka,* Ladislao filio *Chumur,* Petro dicto *Zydeu,* Benedicto filio *Benke,* Stephano dicto Zydeu, Blasio filio *Bekud,* Dyonisio *de Suul,* Ladislao *de Zorwa* et Huswet udwornicis, — in talem concordie devenissent unionem; quod iidem Budou et Paulus, cum omnibus proximis et generacionibus suis antedictis, predictam particulam terre viginti iugera continentem, sub eisdem metis et terminis, quibus Petrus et Stephanus cum suis proximis, ac eorum predecessoribus dinoscuntur possedisse, eisdem Petro et Stephano, cum omnibus proximis et cognatis suis, ac eorum successoribus, sicut ipsorum fuerat ab antiquo, dimisissent pacifice et quiete, iure perpetuo irrevocabiliter possidendam, habendam et tenendam; obligacione huiusmodi interposita, quod quandocunque Budou et Paulus sepedicti, cum supradictis proximis et cognatis suis, Petrum et Stephanum antedictos, cum suis proximis et cognatis, aut eorum successores, racione dicte particule terre, aut racione alterius terre, quovis nomine nuncupate, vellent forsitan molestare, extunc iidem Budou et Benedictus, ante litis ingressum remanerent super eo, pro quo remanserant contra eosdem Petrum et Stephanum, ac proximos suos, in presencia strennui viri *magistri Nicolai,* comitis *Posoniensis;* alii vero Johannes et Thomas, cum supradictis proximis et cognatis, exclusis dictis duobus Budou scilicet et Benedicto, in decem marcis iudici et in decem marcis ipsis Petro et Stephano cum proximis suis, iuxta litteras eiusdem magistri Nicolai, comitis [Po]soniensis ipso facto solvere tenerentur; prout se coram nobis ad hoc propria obligavit voluntate. Datum, in festo Omnium Sanctorum, anno Domini M° ccc° vigesimo tercio. 1323. 1. Nov.

Nos vero peticionibus eorumdem annuentes, dictas litteras de verbo ad verbum presentibus transcribi fecimus, sigillique nostri appensione consignari. Datum, in festo Asumpcionis Beate Virginis Gloriose, anno eiusdem ut supra M° ccc° vigesimo sexto.

A. B. C.

Sigillum e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membran. in Arch. Cap. Publ. Capsa 9. fasc. 4. nr. 2.

143.

1326. (Győr). 17. Aug. — Capitulum Jaurinense, terram Ablincs, reambulatam et capitulo Posonien. statutam esse, Carolo I. regi rescribit.

Tenorem vide sub nr. 161.

144.

1326. (Győr.) 17. Aug. — Capitulum Jaurinense, possessiones Csandal, Deaki et Csicse reambulatas et capitulo Posoniensi statutas esse, Carolo I. regi rescribit.

Seriem vide sub nr. 157.

145.

1326. Pozsony. 22. Aug. — Nicolaus prepositus Posoniensis, magistro Paulo, canonicatum in eccl. Poson., per privationem Diclini clerici vacantem, confert.

Seriem vide in Protoc. litis de a. 1342. 10. Mart conf. in Arch. Cap. Poson. Priv. Caps. F. fasc. 9. nr. 192., ad annum 1342 hoc tome exhib., sub nr. 600.

146.

1326. 30. Aug. — Carolus I. rex, possessionem Nyirmál, magistro Stephano, castellano de Visegrád, ob fidelia eius servitia, donat.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Personam decet sublimium et maiestati congruit imperantis, votis subiectorum perspectis, manus eis porrigere largitatis, ut qui fideles sunt fideliores existant et ceteri eorum exemplo ad fidelitatis studia fervencius inardescant. Proinde ad universorum noticiam, harum serie, volumus pervenire: quod cum magister *Stephanus* castellanus de *Wyssegrad*, dilectus et fidelis noster, ad nostram accedens presenciam, sueque fidelitatis obsequiosa servicia proponens et declarans, quandam possessionem *Nyrmal* vocatam, in comitatu Strigoniensi existentem, asserens eam fore hominis sine herede decedentis, ad nostram pertinere collacionem, a nobis sibi dari et conferri perpetuo postulasset. Nosque iuxta regni nostri consuetudinem, ab antiquo approbatam, fidelibus nostris capitulo ecclesie *Strigoniensis*, ut ipsi suum mitterent hominem, pro testimonio fidedignum, coram quo, *Georgius de Thah*, vel *Mykacha de Chew*, altero absente homo noster, accedens ad faciem predicte possessionis et convocatis vicinis et commetaneis suis, eandem per veteres metas et antiquas reambularet et statueret ipsi magistro Stephano, si non fieret contradictum; contradictoribus, si qui forent, ad nostram presenciam legitime evocatis, nostris litteris dedissemus in mandatis. Tandem idem capitulum, fideles nostri, nobis rescripserunt in hec verba:

Excellentissimo domino suo *Karolo*, Dei gracia illustri regi Hungarie, prepositus et capitulum Strigoniensis ecclesie, oracionum suffragia devotarum. Litteras serenitatis vestre recepimus, in hec verba:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo ecclesie Strigoniensis, salutem et graciam. Noverit vestra fidelitas, quod magister *Stephanus* castel-

lanus *de Wysegrad,* ad nostre serenitatis accedens presenciam, sueque fidelitatis servicia, nostre maiestati impensa proponens et declarans, quandam possessionem *Nyrmal* vocatam, in comitatu Strigoniensi existentem, asserens eam fore hominis sine herede decedentis, et ex eo nostre collacioni pertinere, a nobis sibi dari et conferri perpetuo postulavit; unde quia de qualitate et quantitate ipsius possessionis: utrum nostre pertineat collacioni nec-ne, nobis veritas non constat, fidelitati vestre mandantes precipimus, quatenus vestrum mittatis hominem *y*doneum pro testimonio, coram quo Georgius de *Thah,* vel Mykacha de *Chew,* altero absente homo noster, accedat ad faciem predicte possessionis, vicinisque et commetaneis suis convocatis, reambulet eandem, per veras metas et antiquas et statuat ipsi magistro Stephano possidendam, si non fuerit contradictum, contradictores si qui fuerint contra eundem, ad nostram presenciam ad terminum competentem legitime evocetis, et post hec diem citacionis, terminum assignatum, nomina citatorum, cum cursibus metarum, tociusque facti serie nobis fideliter rescribatis. Datum in *Wysegrad,* in octavis festi beati Jacobi apostoli, anno Domini M° ccc° xx° sexto. 1326. 1. Aug.

Nos igitur excellencie vestre obedientes, unacum homine vestro Georgio de *Thah,* discretum virum magistrum *Martinum,* chori nostri prebendarium, ad premissa exequenda duximus destinandum. Qui demum ad nos reversi concorditer retulerunt, quod eandem terram *Nyrmal,* iuxta formam et fines mandati vestri reambulassent, nulloque contradictore comparente, ipsam terram ipsi magistro Stephano statuissent possidendam. Cuius quidem terre metee (sic!) hoc ordine distinguntur: Prima meta incipit supra montem qui dicitur *Nyrku* et deinde descendit in vallem, inter duas vineas directe, videlicet inter vineam *Gregorii* molendinatoris de *Sancto Rege* et vineam de villa *Musla;* et deinde descendit versus occidentem, directe per viam latam, usque ad metam lapideam, que est in medio *magne vie,* per quam itur versus *Budam;* deinde descendit directe per campos ad metam terream et deinde descendit versus pratum, quod est circa *Durug,* ubi est una meta lapidea in medio prati, circa quam currit rivulus unus, et ibi separatur a terra magistri *Jacobi,* cruciferi sançti regis Stephani *de Strigonio* et adiungitur *terre nostre capituli Strigoniensis,* quas metas dividit quidam rivulus eundo directe versus meridiem, ubi est unus mons lapideus; et deinde itur modicum directe ubi adiungitur via publica ad pratum, per quam viam itur versus *Budam;* dehinc itur de *Beseneukutha* infra ad occidentem ad unum rubum et ibi est una *antiqua via,* que transit per viam qua itur in *Durugh* per quoddam pratum, cuius prati medietas est nostra capituli Strigoniensis et medieatas cessit ipsi magistro Stephano; deinde itur versus orientem directe ad unum *puteum,* qui dicitur *Beseneukutha;* et deinde itur versus septentrionem ad duas metas terreas; et deinde itur iuste ascendendo super verticem unius fossati, ubi in fine ipsius fossati est una meta terrea in valle; et deinde transit illam vallem directe ad unum montem, et ibi est in vertice ipsius montis una meta terrea; et deinde itur ad *magnam viam,* per quam itur *versus Strigonium;* exinde itur versus occidentem sub monte inter vineas, ad arbores nucum; deinde inter vineas eundo directe venit ad priorem metam, qui dicitur *Nyrku* et ibi terminatur. Datum tercia feria proxima ante festum assumpcionis Beate Virginis, anno Domini M° ccc° xx° sexto. 1326. 12. Aug.

Nos itaque, ex huiusmodi relacione dictorum fidelium nostrorum, capituli

Strigoniensis certo cercius informati, predictam possessionem *Nyrmal,* ad nostram pertinere collacionem recognoscentes, revocantesque in memoriam fidelitatum obsequios*is* merit*is* eiusdem magistri Stephani, quibus idem a toto eo tempore, quo ad serenissimum culmen regiminis Hungarici, volente Domino, accessimus gubernandum, nobiscum hoc regnum intrando, in legacionibus nostris *novem vicibus ad partes ultramarinas destinatus,* quo fideliter eo sollerter, nostra ibidem negocia promovenda et fidelitates commendabilem prerogativam ipsius consortibus sorciendo, nostre maiestati studuit complacere et se reddere graciosum, adeo, ut noster regius animus in ipsius serviciis, que prolixa ad narrandum et presentibus inseri foret tedyccosum, mitissime conquievit, volentes pro tot et tantis serviciis eiusdem magistri Stephani, regio eidem occurrere cum favore, prefatam possessionem *Nyrmal*, sub metis et terminis prescriptis, cum omni plenitudine sui iuris dedimus, donavimus et contulimus, eidem magistro Stephano et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam et habendam. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem presentes concessimus litteras nostras privilegiales, novi et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Andre*, (sic!) prepositi *Albensis* ecclesie, aule nostre viccecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° ccc° vicesimo sexto, tercio Kalendas Septembris, regni autem nostri anno similiter xx° sexto. Venerabilibus in Christo patribus dominis: Bolezlao Strigoniensi et fratre Ladislao Colocensi archiepiscopis; Johanne Nytriensi, Georgio Syrmiensi, fratre Petro Boznensi, Iwanka Waradiensi, Benedicto Chanadiensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Herrico Wezprimiensi, Nicolao Jauriensi, Chanadino Agriensi et Andrea Transiluano episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Philippo palatino, comite de Scepus et de Wywar; Demetrio magistro tawarnicorum nostrorum, comite Bachiensi et Trinchiniensi; Alexandro iudice curie nostre; Thoma woywoda Transiluano et comite de Zonuk; Johanne filio Bobonyk magistro tawarnicorum domine regine, consortis nostre karissime; Mykch bano tocius Sclauonie, comite de Symigio et de Sarus: Paulo bano de Machou, comite Syrmiensi, de Wolkou et de Budrugh; Dyonisio magistro dapiferorum nostrorum et Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores. 1326. 30. Aug.

Extus manu medii aevi: Super possessione *Ngr*, per defectum seminis collata *Stephano dicto Saphar,* per regiam maiestatem. — Sigillum detritum et mutilum e flavo, rubro et viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 29. fasc. 1. nr. 6.

147.

1326. Szepeshely. 12. Sept. — Boleslaus, archiepiscopus Strigon., Joanni praeposito Scepusiensi indulgentias, intra ambitum prepositurae suae, elargiendi facultatem concedit.

[B]olezlaus, Dei et apostolica gracia archiepiscopus *Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, universis Christi fidelibus, ac orthodoxe fidei cultoribus, presens scriptum inspecturis, recommendacionem in Domino sempiternam. Cordi nostro vhemeter (sic!) insidet et regiminis susscepti cura nos edocet ad ea, que Deo placita sunt et suis sanctis gratuita, pleno et impigro vigilare affectu,

quatenus per nostri officii debitum mentes fidelium vitam celibem capientes, ad eternam patriam dirigantur et divinis cultibus domus Dei suis ministerialibus privilegio salutari gratuletur. Cupientes itaque ecclesias ad cultum divini nominis dedicatas, *per terram Scepsiensem et districtus eiusdem,* nostre dyocesis, a Christi fidelibus iugiter frequentari, ac beneficio speciali gratulari, saluti animarum eisdem creditarum paternaliter consulentes, presentibus duximus annuendum, ut honorabilis et discretus vir, magister *Johannes,* prepositus Scepsiensis, *cancellarius et in spiritualibus noster vicarius generalis,* cuilibet ecclesie intra terram Scepsiensem et in districtu eiusdem, cum ad eum devotis precibus, ac supplicacionibus votivis per quempiam accessus habebitur, pro allectinis spiritualibus muneribus optinendis, auctoritate nostra fretus, tam in subsidiis caritativis, quam in aliis, quibus alma mater ecclesia poterit decorari, vere confessis et contritis, de iniunctis penitentiis quadraginta dierum indulgencias in Domino valeat misericorditer elargiri. Item, quandocunque idem dominus prepositus suam visitaverit provinciam, modo consimili et missam audiverit, quadraginta dierum indulgencias valeat elargiri et in casibus, ad metropolitanam ecclesiam spectantibus, beneficium absolucionis impertiri. In cuius rei testimonium presentibus sigillum nostrum duximus appendendum. Datum in *Sceps,* feria sexta proxima ante octavas nativitatis Virginis Gloriose, anno Domini M^{0} ccc^{0} xx^{0} sexto.

Sigillum detritum e zona membr. dependet. — In fronte eiusdem appressum est cum cera rubra sigillum rotundum annulare, aquilam extensis alis exhibens, e perigraphe extrita vox: . . . goniensis difficulter eruitur. Videtur esse sigillum alicujus archiepiscopi Strigon. diploma hoc hac ratione confirmantis. — Orig. membr., in Arch. Cap. Scepus. Priv. Scrin. 11. fasc. 2. nr. 20.

148.

1326. — 13. Sept. — Capitulum Strigon., ad mandatum Caroli I. regis, reambulat metas possessionis Zalatna, in comitatu Strigon. jacentis, et inter cetera haec habet:

„prima meta a parte orientali incipit ibi, ubi sunt due mete, in quarum prima est arbor piri et separat a possessione domini archiepiscopi Strigoniensis, *Hereg* vocata, et post hec vadit ad duas metas terreas et ibi vicinatur terre ecclesie *Fyast* . . .“

Edid. Cod. Andegav. T. II. p. 257.

149.

1326. Buda. 15. Sept. — Carolus I. rex, Mikócsa filio Elek, magistrum Stephanum castellanum de Visegrád adoptandi, eique possessionem suam Csév conferendi potestatem concedit.

Tenorem vide sub. nr. 165.

150.

1326. Kegyhel. 13. Oct, — *Jacobus* abbas et conventus *de Kedhely,* compositionem cum capitulo *Poson.* initam, super *Flanczendorf,* acceptat et comprobat.

Seriem vid. sub. nr. 156.

151.

1326. (Győr.) 30. Oct. — Capitulum Jaurinen., partem quandam terrae *Csukárföldе,* ad ecclesiam Posoniensem pertinere, attestatur.

Tenorem vid. sub. nr. 160.

152.

1326. Visegrád. 31. Oct. — Carolus I. rex, possessionem Kovácsi, per capitulum Strigon., civitati Strigon. statui iubet.

Tenorem vide sub. nr. 159.

153.

1326. — 1. Nov. — Praepositus et capitulum b. Martini de Scepus., fundationem Carthus. de Lechnicz, per magistr. Kakas factam et auctam, comprobant.

Magister *Johannes,* prepositus ecclesie *beati Martini in Scepus,* ac venerabilis in Christo patris, ac domini B.[oleslai], Dei gracia archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui, cancellarius et vicarius generalis; omnibus Christi fidelibus quibus presentes ostenduntur, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum piis desideriis et salubribus peticionibus dignum sit benivolum auditum adhibere, maxime que ad divini cultus pertinere videntur incrementum, hinc est quod ad universorum noticiam harum serie litterarum volumus pervenire: quod accedens ad nostram presenciam nobilis vir magister *Kokos,* filius quodam *Rycolphi de Lomnyz* in *Scepus,* amicus noster specialis, nobis enarrare curavit, quod divina instigatus gracia, ob remedium suorum peccatorum, de licencia et favore illustris domini *Karoli,* Dei gracia regis Hungarie, villulam quandam *Lechnyz* vocatam una cum fundo, *pro fundacione claustri quod Vallis Sancti Anthonii* prope *Doneyz* nuncupatur, religiosis viris fratribus *ordinis Carthusiensis,* liberaliter contulisset; sed quia hec predictis fratribus, pro congrua necessitate sustentacionis minime sufficere viderentur, ne contra statuta sanctorum patrum, ac consuetudinem ordinis sui, ipsos discurrendo mendicare contingeret, ius patronatus quantum ad collacionem ecclesie et presentacionem pastoris, ad ecclesiam beati Bartholomei apostoli in *Nysnyz,* tamquam verus et legittimus patronus (emansit: habere dignoscitur), eiusdem ordini ac fundacioni predicte, benevole per collacionem addidisset, petens nos humiliter, pariter et devote, quatenus divine remuneracionis intuitu, ac omnium bonorum spiritualium, que Domino inspirante in loco predicto, ac toto ordine fient participacione, tam pie et salubri donacioni consensum preberemus pariter et assensum; ac ampliori eos gracia, ex benignitate paterna, in collacione decimarum prosequi dignaremur, salvo tamen iure prepositali et iudiciorum spiritualium, ac homicidiorum per omnia et complete. Nos vero, qui ex officio suscepti regiminis, circa zelum domus Dei tenemur fore graciosi, ac eciam sacram religionem plantare et fovere, prout possibilitas nostra valuerit modis omnibus intendimus, consideratis preter ea peticiones prefati magistri Kokos fore iustas, consonasque racioni, secundum decreta et sanctorum patrum sancciones, predictam ecclesiam beati Bartholomei apostoli in villa *Nysnyz,* prope *Doneyz* situatam, cum omni iure decimarum, ordini prefato ac domui Vallis Sancti Anthonii, de consilio fratrum

nostrorum, pariter et consensu, pure propter Deum et ut eorumdem fratrum oracionibus participes efficiamur et consortes, incorporamus et incorporando auctoritate ordinaria confirmamus ita tamen, quod iura prepositalia racione ecclesiarum debita, salva sint per omnia et complete; de iudiciis vero nostris spiritualibus et homicidiis, racione huius beneficii eis per nos concessi, nullatenus intromitter se debebunt. Presbiter autem, qui iam dictam ecclesiam possidet, sine ipsius consensu, ea, in vita sua non debet aliquatenus spoliari; cum vero ipsa vacare contigerit, prefati fratres et nullus alter, omni contradiccione remota, secundum Dei timorem et zelum animarum, perpetuum vicarium eligent et eum domino preposito, ecclesie beati Martini, qui pro tempore fuerit presentabunt; quem si ydoneum conspexerit, auctoritate ordinaria confirmabit; cui eciam de redditibus ecclesiarum in tantis provideant, ex quibus iura prepositalia persolvere, *hospitalitatem exhibere* et victus sui necessaria habere valeat competenter. Si qui vero, quod absit, ausu temerario huic salubri et racionabili donacioni, ac legitime nostre confirmacioni, Dei timore postposito, in posterum contraire et contradicere efficaciter attemptaverint, et prefatos fratres in aliquo turbare presumpserint, hy tamquam Deo et iusticie ipsius contrarii, per censuram ecclesiasticam severius compescantur et tamquam invasores, ac usurpatores rerum ecclesiasticarum, ab omnibus Christi fidelibus iugiter evitentur. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes litteras concessimus nostri et fratrum nostrorum sigillorum munimine roboratas. Datum anno Domini M CCC XXVI, in die Omnium Sanctorum.

Sigilla e viridi et flavo serico pendent. — Orig. membran., in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 31070. Signatura vetus Arch. Cap. Jul. Centuria XX. nr. 26. — Cf. et Wagner: Analecta Scep. P. III. p. 175.; Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 143.

154.

1326. (Szepeshely.) 4. Nov. — Capitulum Scepus., privilegiales Jacobi praepositi Scepus., monasterio B. Mariae Virg. de Scepus, Ord. Cist. concessas, transscribit et confirmat.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 139.

155.

1326. (Esztergom.) 8. Nov. — Capitulum Strigon., Carolo I. regi, possessionem Kovácsi reambulatam et civitati Strigon. statutam esse, perhibet.

Tenorem vide sub. nr. 159.

156.

1326. (Heiligen-Kreutz.) 11. Nov. — Otto, abbas S. Crucis in Austria, conventionem inter conventum de Kedhely et capit. Poson. factam, transcribit et confirmat.

Nos frater *Otto* dictus, abbas Sancte Crucis in *Austria,* ordinis *Cysterciensis,* notum facimus universis, quibus expedit, presencium per tenorem: quod accedentes ad nostram presenciam venerabiles viri, dominus *Jacobus coabbas* noster, tunc temporis, et frater *Gerungus* prior suus, de *Monte Sancte Marie in Vngaria iuxta Kedhel,* exhibuerunt nobis litteras suas, atque conventus sui composiciona-

les, super facto cuiusdam possessionis, *Fleocendorf* vocate, petentes ut dictas litteras suas ratas habere, ac nostris litteris confirmare dignaremur. Quarum quidem litterarum tenor talis est:

Nos frater *Ja.*[cobus] dictus, abbas et totus conventus monasterii Sancte Marie de Monte in *Kedhel,* ordinis *Cysterciensis,* notum fore volumus omnibus, presentes litteras inspecturis, quod nos ordinacionem, composicionem, cessionem seu renunciacionem, nomine et vice nostra, per quondam fratrem *Thomam,* tunc abbatem nostrum et fratrem *Gerungum* nostros, tunc ad infrascripta procuratores, mediantibus litteris domini *Karoli,* Dei gracia illustris regis Vngarie, de quadam possessione *Fleocendorf* vocata factam, ratificamus et approbamus; nostrum super dicta renunciacione et cessione litis prebentes consensum et assensum, ac ad maiorem rei evidenciam, tenorem predictarum litterarum dicti domini regis, de verbo ad verbum transscribi, ac inseri fecimus. Qui talis est:

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Vngarie, significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem: quod cum inter religiosos viros abbatem et conventum monasterii *Sancte Marie de Monte,* vulgariter *Kedhel* nominato, ordinis Cysterciensis, ex una parte, ac prepositum et capitulum ecclesie *Posoniensis* ex altera, fuisset super possessione *Fleocendorf* vocata, *iuxta et inter portum Posoniensem et castrum Potenburch* existenti, materia quest*i*onis exorta et coram iudice curie nostre ventilata; tandem constitutis coram nobis fratre *Thoma* abbate dicti monasterii, et fratre *Gerungo,* quondam abbate eiusdem monasterii, nomine suo et nomine et vice conventus predicti agentibus et procurantibus, item discretis viris magistris *Nycolao* preposito et *Martino* ecclesie *Posoniensis* canonico, defensoribus et procuratoribus eiusdem ecclesie Posoniensis, iidem abbas et frater Gerungus, sunt confessi viva voce: quod, quia instrumenta et privilegia, super dicta possessione *Fleocendorf,* eidem ecclesie Posoniensi a nobis et aliis predecessoribus nostris regibus Hungarie concessa, prospicientes et perlegentes, invenissent fore efficacia et valida, et ipsam insuper ecclesiam Posoniensem *prescripcionis iure* iuvari, receptis ab eisdem preposito et magistro Martino, nomine ecclesie Posoniensis ,solventibus, duodecim marcis denariorum Wiennensium, pro suis laboribus et expensis, cessissent sue liti et accioni et omni iuri, si quod in predicta possessione Fleocendorf habuissent renunciantes, reliquissent et dimisissent eandem possessionem Fleocendorf, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis universis, preposito et capitulo Posoniensi, perpetuo et irrevocabiliter pleno iure habendam, tenendam et pacifice possidendam. Voluerunt insuper dictus abbas, ac frater Gerungus, suo et prefati conventus nomine: quod omnes littere, instrumenta et privilegia, que super ipsa possessione Fleocendorf haberent, ex nunc *inania, cassa* et *mortua,* quoad dictam possessionem Fleocendorf haberentur, nec ullo unquam tempore, contra ecclesiam Posoniensem eisdem instrumentis et privilegiis, in iudicio vel extra iudicium, uti possint, nec eadem exhibere. Nos vero hanc composicionem et renunciacionem, ad peticionem parcium, ratificantes et corroborantes, eam auctoritate regia, ex certa sciencia, confirmamus promittentes, quod cum presentes nobis fuerint reportate, litteras nostras privilegiales super h*y*s dari faciemus. In cuius rei testimonium et firmitatem, presentes nostro sigillo fecimus roborari. Datum in *Wisegrad,* feria quinta proxima ante festum Asscensionis Domini, anno eiusdem Millesimo CCC vicesimo quarto. 1324. 17. Maii

In omnium igitur predictorum testimonium et firmitatem, nos predicti abbas et conventus, presentes litteras nostro fecimus sigillo communiri. Datum in conventu nostro, in quindenis festi beati Mychaelis archangeli, anno Domini Millesimo CCC XXVI. 1326. 13. Oct.

Nos vero iustis peticionibus predictorum abbatis et conventus annuere volentes, predictas litteras de verbo ad verbum presentibus transcriptas ratificamus, approbamus et confirmamus. In cuius rei testimonium et firmitatem perpetuam presentes nostro fecimus sigillo communiri. Datum, in die beati Martini episcopi et confessoris, anno Domini millesimo CCC XXVI.

Sigillum, abbatem pedo et infula ornatum exhibens, e zona membr. pendet. — Orig. membran., in Arch. Capit. Poson. Priv. Capsa C. fasc. 6. nr. 68. — Privilegium abbatis Jacobi et conventus de Kedhely, literas confirmationales Caroli I. regis de a. 1324. 17. Maii editas in se continens, et per abbatem Ottonem suis inclusum, habetur *Ibidem* Capsa C. fasc. 6. No. 69. — Lectiones autem illius variantes sunt: Loco rex Ungarie scribit: *rex Hungarie*; renunciantes scrib. *renunciassentes*; Wisegrad scrib. *Wyssegarad!* — Sigillum per omnia simile priori.

157.

1326. 17. Nov. — Carolus I. rex, restitutionem possessionum Csandal, Deaki et Csicse transscribens, omnia hac in re emissa lit. instrumenta, capitulo Posoniensi approbat et confirmat.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, presencium noticiam habituris, salutem in Domino sempiternam. Cum a nobis petitur, quod iustum et honestum est, decet maiestatem regiam facilem prebere consensum, in hys presertim, que videntur sancte matris ecclesie comodis convenire. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod discretus vir, magister *Nycolaus*, prepositus ecclesie *Posoniensis*, dilectus et fidelis capellanus noster, ad nostram accedens presenciam, suo et fratrorum suorum capituli Posoniensis nomine, exhibuit nobis quasdam litteras fidelium nostrorum, magistri *Nicolai*, comitis Posoniensis et quatuor iudicum nobilium eiusdem comitatus, nec non et litteras fidelium nostrorum capituli ecclesie *Jauriensis*, super reambulacione, restitucione et statucione quarumdam terrarum, seu possessionum ecclesie Posoniensis, *Dyaky*, *Chondol* et *Chyche* vocatarum, confectas; supplicavitque nobis humiliter, ut predictas litteras, seu reambulacionem, restitucionem et statucionem dictarum possessionum, ratam habere et ad uberiorem conservacionem iuris ecclesie eiusdem, nostro dignaremur privilegio confirmare. Quarum quidem litterarum nostrarum tenor talis est:

Sequitur privil. Caroli I. regis, a. 1323. 5. Jun. edit. et superius sub nr. 52. exhib. 1323. 5. Jun.

Litterarum autem, predictorum comitis et iudicum, tenor talis est:

Nos magister Nicolaus, comes Posoniensis, et Andreas de Churle, Petrus de Gutur, Lypoldus de Paka et Valentinus de Werekne, iudices nobilium de eodem, significamus universis, quibus expedit presencium per tenorem: quod cum nos ad mandatum et preceptum excellentissimi principis, domini Karoli, dei gracia illustris regis Hungarie domini nostri, de restituendis possessonibus ecclesie Posoniensis, nobis per suas patentes litteras factum et commissum,

nobilem virum Nicolaum, filium Elek de *Cytrawag*, hominem nostrum et Dominicum filium Damiani de *Beel*, iobagionem castri Posoniensis, ad reambulandam et restituendam quandam possessionem, dicte ecclesie Posoniensis, *Dyaky* vocatam, si contradictores non apparerent, una cum honorabili viro magistro Nicolao preposito Posoniensi misissemus; iidem Nicolaus et Dominicus ad nos tandem reversi, nobis concorditer retulerunt: quod cum ipsi villam, seu possessionem Dyaky predictam, iuxta aquam *Palazou*, in comitatu Posoniensi existentem, per metas seu terminos et distincciones antiquos, convocatis omnibus vicinis et commetaneis reambulassent et nullus contradictor seu prohibens apparuisset, predictam villam Dyaky vocatam, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis statuissent eidem preposito et ecclesie Posoniensi, pacifice tenendam et possidendam. Nos vero dictis eorumdem Nicolai et Dominici fidem plenam adhibentes; cum idem prepositus manifeste ad scitum quasi omnium nobilium et aliorum hominum comitatus Posoniensis, super reambulacione et restitucione predicte ville et aliorum possessionum dicte ecclesie Posoniensis modo debito et ordine processisset, et quia eciam contra eundem prepositum et ecclesiam Posoniensem nullus coram nobis apparuit contradictor seu agens, restitucionem dicte possessionis, Dyaky vocate, per eosdem Nicolaum et Dominicum factam, auctoritate regia nobis demandata approbantes et confirmantes, presentes eisdem preposito et capitulo Posoniensi, in predicte rei testimonium et firmitatem concessimus litteras, nostrorum munimine sigillorum roboratas. Datum *Posonii*, sabbato proximo post festum beatorum Wyty (sic!) et Modesti martirum. Anno Domini M° ccc° xx° tercio. 1323. 18. Jun.

Tenor vero litterarum dicti capituli Jauriensis est talis:

Excellentissimo domino suo *Karolo*, Dei gracia illustri regi Hungarie, capitulum ecclesie Jauriensis, oraciones in domino. Litteras serenitatis vestre recepimus, hunc tenorem continentes:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo *Jauriensi*, salutem et graciam. Fidelitate vestre firmiter precipimus, per presentes mandantes: quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, coram quo *Andreas* de *Chyurle*, vel *Mog* de *Elefanth* homo noster, accedat ad faciem possessionum ecclesie *Posoniensis Chandal*, *Dyaky* et *Chyche* vocatarum, in comitatu Posoniensi existencium, et easdem, convocatis commetaneis et vicinis suis, reambulando per veteres metas et antiquas, novas iuxta et inter veteres metas, ubi necesse foret erigendo, relinquat et statuat ecclesie Posoniensi predicte, perpetuo et pacifice possidendas, si non fuerit contradictum; contradictores vero, si qui fuerint, contra ipsos prepositum et capitulum, ad nostram citet presenciam, ad terminum competentem. Et post hec, diem citacionis, nomina citatorum et terminum assignatum, cum cursibus metarum et tocius facti serie, nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Vysegrad*, in quindenis festi beati Georgii martiris, anno Domini Millesimo trecentesimo vicesimo sexto. 1326. 8. Mai

Nos vero excellencie vestre mandatis obtemperare cupientes, ut tenemur, cum predicto *Andrea* homine vestro, hominem nostrum fide dignum *Ladizlaum* plebanum de *Owar*, ad exequendum premissa pro testimonio transmisimus. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt: quod predictus homo vestre serenitatis, presente eodem homine nostro, predictas possessiones Chandal et Dyaky, convocatis commetaneis et vicinis suis, specialiter Dominico, filio Isaak

et aliis nobilibus de *Beel* presentibus, reambulassent per veteres et antiquas metas et ubi necesse fuerat novas metas erexissent, et eidem ecclesie Posoniensi reliquissent et statuissent perpetuo possidendas, nullo penitus contradictore existente. Preterea dixerunt eciam iidem homo vester et noster, quod cum ad reambulandam quandam particulam terre eiusdem ecclesie Posoniensis *Chicheg* vocate, prope dictam terram Dyaky existentis, convocatis vicinis et commetaneis accessissent, ipsam particulam terre, que est iuxta magnam terram *Chycheg* crastrensium (sic!) a parte orientali, propter fenum et gramina magna, ac arundines, per metas suas reambulare non potuissent, statuissent tamen terram ipsam, cum suis utilitatibus et pertinentiis, nemine contradictore existente, eidem ecclesie Posoniensi, sub antiquis metis, seu terminis et distinccionibus possidendam. Cujus quidem terre, *Dyaky* vocate, cursus metarum, prout idem homo vester, cum testimonio dicti hominis nostri nobis retulit, hoc ordine distinguntur: quod prima meta incipit a superiori parte eiusdem terre Dyaky, ab *aqua Palyazó* dicta, que est pro meta a terra Dominici, filii Petri, *Kurmusd* vocata et terra *Bwd* distinguente; in cuius aque littore sunt due nove mete, distinguentes ipsam terram Dyaky et terram Bwd; inde procedendo, quasi versus orientem et parvum eundo, est una antiqua meta et una nova; hinc parvum eundo sunt due nove mete; inde modicum procedendo est una antiqua meta et una nova; adhuc ultra versus occidentem ad quemdam lacum arundinosum procedendo, sunt in extremitate ipsius laci due nove mete; inde transit dictum lacum, ad plagam septemtrionalem, et ex alia parte eiusdem laci, iuxta viam, qua itur in *Scench*, est una antiqua meta et una nova; ab illo loco ad quandam magnam arborem *Zylfa* nuncupatam eundo, ultra dictam arborem sunt due antique mete et una nova, a terra *Chunkur* de *Bwdy* distingentes; abhinc parvum eundo, iuxta quasdam piros silvestres sunt tres antique mete et una nova; deinde parvum procedendo sunt quatuor antique mete et una nova; ab illo loco declinat ad partem orientalem et paulo plus eundo est una antiqua meta et una nova, que distigunt dictam terram Dyaky et terram *Reche;* inde ulterius eundo est una nova meta; abhinc procedendo quasi in valle est una antiqua meta et una nova; inde parvum sursum, ad plagam septemtrionalem declinando, in monticulo est una antiqua meta et una nova; ab illo loco parvum ad orientem redeundo est una antiqua meta et una nova, que distingunt dictam terram Dyaky et terram castrensium; inde ulterius procedendo est una nova meta; deinde magnum eundo est una antiqua meta et una nova; ulterius procedendo est una antiqua meta et una nova, a quo loco procedendo est una antiqua meta et una nova; inde procedendo transit quandam vallem arundinosam et ex alia parte eiusdem vallis, iuxta quasdam arbores salicis, est una antiqua meta et due nove, que distingunt dictam terram Dyaky et terram dictorum castrensium, et terciam terram similiter castrensium, quam nunc possidet dictus Andreas, nobilis de *Churle.* Deinde declinando versus plagam meridionalem, est una nova meta et una nova; abhinc parumper procedendo est una antiqua meta et una nova; abhinc eundo et quasi versus occidentem reflectendo, sunt due antique mete et una nova; inde iterum versus meridiem declinando, sunt due antique mete et una nova; deinde modicum eundo, sunt due antique mete parve et una nova. Demum directe ad meridiem eundo, est in prato una antiqua meta et una nova, iuxta aquam *Palyazo,* que

est pro meta usque ad metas primas novas in littore predicto existentes. — Prima autem meta possessionis, *Chandal* vocate, incipit iuxta terram ville *Scemch*, prope portum aque Palyazo dicte, ubi est meta et vadit penes litus eiusdem fluvii ad plagam orientalem et sic procedendo ultra, transit eandem aquam Palyazo ad partem meridionalem et ibi, prope dictam aquam est una nova meta et ab ipsa meta parum procedendo sunt due antique mete et una nova, que distingunt dictam terram Chandal a terra castrensium; inde ulterius in distincionibus procedendo, est una nova meta; deinde procedendo est una nova meta, a qua modicum procedendo, est una nova meta; inde parum transeundo, super quandam viam publicam ad plagam occidentalem et modicum procedendo, exitur de eadem via ad plagam meridionalem et parum eundo est una meta; ulterius modicum procedendo est una nova meta; inde parum procedendo est una nova meta; deinde paulo plus transeundo est una nova meta; abhinc eundo, ex utraque parte vie publice, que vadit de Chandal, sunt due nove mete; deinde ulterius procedendo, in latere cuiusdam montis arundinosi est una antiqua meta et una nova; ulterius modicum procedendo, est una antiqua meta et una nova; inde eundo iuxta *aquam Zylod* est una antiqua meta et una nova; deinde transit ipsam aquam Zylod et venit iuxta quandam arborem salicis rubei, ubi est antiqua meta; deinde vadit super quoddam nemus arborum *narfa*, cuius nemoris in superiori parte est una antiqua meta; abhinc intrat quemdam insulam circularem, que *vlgariter kerekzygueth* nuncupatur, de qua transit usque ad *aquam Chollou* nuncupatam, que est pro meta; super quam transit sursum, quasi versus *Posonium* ad plagam occidentalem, cuius transitus seu portus de *Palyazókuz* pertinet ad ecclesiam Posoniensem; inde transit inflectendo ad *fluviam Kengeler* dictum, qui est pro meta et sic procedendo super ipsum fluvium, versus occidentem per bonum spacium, exit dictum fluvium versus plagam septemtrionalem, in cuius littore sunt due nove mete, distinguentes terram ipsam Chandal et terram *Pomsa*; inde eundo sunt due nove mete prope quemdam parvum lacum arundinosum: abhinc paulo plus eundo, sunt due nove mete; deinde transeundo iuxta terram Pomse, itur ad tres metas, que distingunt inter ipsam terram Chandal et terram Pomsa predicti et terciam terram odvornicorum de *Zunch*; inde vadit versus orientem iuxta fluvium Zylod, ubi sunt due nove mete, ab illo loco transit ipsum fluvium Zylod, super quoddam fossatum cuiusdam loci molendini et in ipsa possessione Chandal ecclesie existentis, ubi inter ipsum fossatum et fossatum terre Zunch odvornicorum memoratorum, est una antiqua meta et una nova; inde parvum eundo est una nova meta; abhinc paulo plus eundo est una antiqua meta et una nova; deinde parvum procedendo est una nova meta; item inde eundo, sunt due antique mete et una nova; item abhinc procendo, est una nova meta; demum inter *villam* memoratam *Chandal* et *villam Zunch* est una nova meta iuxta aquam Palyazo; item inde transit ipsum fluvium seu aquam versus *Beel* et villam *Scemch*, et ex alia parte ipsius fluvii in littore, est una antiqua meta et una nova, sub quadam piro silvestri; deinde eundo (?) est una antiqua meta et una nova; abhinc rediit versus terram ville Scemch ad primam metam et ibi terminatur. Datum, in octavis beati Laurencii martiris, anno Domine M° ccc° xx° sexto. 1326. 17. Aug.

Nos siquidem ex huiusmodi relacione et tenore litterarum predictarum,

specialiter capituli Jauriensis predicti, plenius informati, predictas possessiones *Chandal, Dyaky* et terram *Chyche* predictam, recognoscentes fore iuris predicte *ecclesie Posoniensis* et ad ipsam de iure pertinere, ad iustam et legitimam peticionem predicti *Nicolai* prepositi, tam predictas litteras nostras et comitis, ac iudicum predictorum, ac litteras capituli Jauriensis memorati, in nulla sui parte viciatas, de verbo ad verbum presentibus insertas, quam ipsas possessiones Chandal, Dyaky et Chyche, in comitatu Posoniensi existentes, reambulacionem quoque, metarum distincciones et erecciones, nec non restituciones et statuciones earumdem possessionum, secundum ius et consuetudinem regni ab antiquo approbatam factas, — approbamus, acceptamus, ratificamus et de prelatorum ac baronum nostrorum consilio et consensu, presentis scripti patrocinio, ex certa sciencia, perpetuo confirmamus. In cuius rei memorium, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras, dupplicis novi et autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Andree*, prepositi *Albensis* ecclesie, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo trecentesimo vicesimo sexto, XV Kalendas Decembris, regni nostri anno similiter vicesimo sexto. Venerabilibus in Christo patribus dominis: Bolezlao Strigoniensi, locique eiusdem comite perpetuo, fratre Ladizlao Colocensi, aule nostre cancellario, archyepiscopis; Johanne Nitriensi, Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jauriensi, Georgio de sancto Ireneo, Ladizlao Quinqueecclesiensi, fratre Petro Boznensi, Iwanka Waradiensi, Andrea, Transiluano, Laurencio Waciensi, Herrico Wesprimiensi, aule domine regine, consortis nostre karissime, cancellario, et Chanadino Agriensi episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Phylippo palatino, iudice Cumanorum, comite Scepsiensi et de Vywar; Demetrio magistro tavarnicorum nostrorum, comite Baciensi, Trinciniensi; Alexandro iudice curie nostre; Thoma Woyuoda Transyluano et comite de Zonuk; Mykch bano tocius Sclauonie, comite Symigiensi et de Sarus; Paulo bano de Macho, comite Syrmiensi, de Wolko et de Budrugh; Johanne magisto tavarnicorum et Deseu iudice curie eiusdem domine regine; Stephano magistro agasonum nostrorum; Dyonisio magistro dapiferorum nostrorum; et comite Nicolao Posoniensi, ac aliis quam pluribus, comitatus regni tenentibus et honores. 1326. 17. Nov.

Fragmen sigilli duplicis e flavo et rubro serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap., Poson. Priv. Capsa D. fasc. 7. nr. 66. — Transsumptum et confirmat. Ludovici I. regis de a. 1357. Ibidem: Capsa D. fasc. 7. nr. 67.

158.

1326. 27. Nov. — Carolus I. rex, magistrum Stephanum, castellanum de Visegrád, Olario de Posega, possessionem Nyirmál vendidisse perhibet.

Karolus, Dei graciá Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Serule, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Salernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Solent empciones et vendiciones testimonio litterarum confirmari, inconcussum quippe permanet id, quod regio patrocinio fuit communitum. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod magister *Stephanus*, castellanus noster de

Wysagrad et comes de *Pylis*, dilectus et fidelis noster, ad nostre serenitatis accedens presenciam, confessus extitit oraculo vive vocis: quod quandam possessionem suam, in comitatu Strigoniensi existentem, *Nirmal* vocatam, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, sub hys metis et terminis quibus per ipsum habita extitit et possessa, per nos, mediantibus litteris nostris privilegialibus, pro meritoriis suis serviciis donatam et concessam vendidisset, et tradidisset, pro quinquaginta marcis denariorum, plene ab eodem receptorum, ut dixerunt, *Olar*, filio Benedicti, de *Posaga*, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo possidendam, tenendam pariter et habendam, ex nostra permissione et licencia speciali: tam pro dictis quinquaginta marcis, quam pro fidelissimis serviciis eiusdem, que sibi a puericia sua, usque in hec tempora, cum fervore solicitudinis exibuit et inpendit, totum ius dominii, quod idem magister Stephanus in dicta possessione habebat, in ius et proprietatem ipsius deinceps transferendo et ipsum privilegium, mediante quo a nobis optinuerat, in manus eiusdem, coram nobis, in maiorem rei certitudinem assignavit. In cuius rei, seu vendicionis, ac empcionis testimonium, ut noster ascensus (sic!) ibi plene habeatur, presentes concessimus litteras privilegiales dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri *Endree*, Albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo CCC° XX^mo^ sexto, quinto Kal*e*ndas Decembris, regni autem nostri similiter XX^mo^ sexto. Venerabilibus in Christo patribus dominis: Bolezlao Strigoniensi, eiusdemque loci comite perpetuo et fratre Ladislao Colocensi, aule nostre cancellario, archiepiscopis; Johanne Nitriensi, Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jauriensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, fratre Petro Boznensi, Iwanka Waradyensi, Georgio de Sancto Ireneo, Andrea Transsiluano, Herrico Wesprimiensi, aule domine regine cancellario et Chanadino Agriensi, ecclesiarum episcopis. Magnificis viris *Phylipo* palatino, comite de Scepus et de Vyuar; Demetrio magistro tavarnicorum nostrorum et comite Bachyensi et de Trinchin; comite Alexandro, iudice curie nostre; Thoma voeuada (sic!) Transsiluano et comite de Zonuk; Micck (sic!) bano tocius Sclauonie; Paulo bano de Machow et comite de Budrugh; magistro Deseu iudice curie domine regine; magistro Stephano magistro agasonum nostrorum et castellano de Veruskw; magistro Nicolao comite Posoniensi, et aliis quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores. 1326. 27. Nov.

Extus manu medii aevi: Privilegium possessionis *Nir*, quomodo per Stephanum dictum Saphar, Alard vendita et donata fuit. — Fragmen sigilli e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 29. fasc. 1. nr. 5.

159.

1326. 2. Decemb. — Carolus I. rex, possessionem Kovácsi, vicinam Strigonio, in praemium fidelitatis, civitati Strigoniensi donat.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Universis Christi fidelibus, presentibus et futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Cum in multitudine plebis robor (sic!) regum et gloria attendatur et acrescat, merito regalis decrevit

sublimitas, ut populus sibi serviens numero et viribus augeatur; et quoniam regnorum omnium potencia, pax et securitas, in sola incolarum fidelitate consistit, sic benigne subditi sunt tractandi, ut eos ad grata devocionis obsequia, presidentis dulcedo, allicere non desistat. Hac igitur consideracione inducti, ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire: quod cum nos commodo et utilitati *civitatis nostre Strigoniensis*, consulto consilio et provida deliberacione, una cum prelatis et baronibus regni nostri habita, providere et consulere, eamque a gravamine necessitatis, qua per terrarum colendarum, suo usui plurimum necessariarum modicitatem et carenciam, admodum gravabatur, — quemadmodum cives ipsius civitatis nostre, super hoc celsitudini nostre sepe sepius sunt conquesti, — clementer relevare cupientes, possessionem, sive *villam* nostram, *Kowachy* vocatam, iuxta eandem civitatem existentem, cum omnibus terris, utilitatibus et pertinenciis suis, iudicatu quoque eiusdem ville, dicte civitati nostre duxissemus perpetuo annectendam; et ad huius rei evidenciam clariorem inewm (sic!) duraturam, volentes ut dum precibus subiectivis et instanciis fidelium nostrorum dignis et modestis, favorabiliter iuxta innatam regio cordi pietatem inclinamur, ex certa sciencia procedamus, fidelibus nostris capitulo Strigoniensis ecclesie, ut ipsi suum mitterent hominem pro testimonio fidedignum, coram quo magister *Andreas* dictus *Cythwar*, homo noster, prefatam possessionem seu villam Kowachy, cum universis iuribus et pertinenciis suis, ac iudicatu, aplicaret et annecteret memorate civitati nostre, in perpetuum possidendam, litteris nostris dedissemus in mandatis. Tandem iidem fideles nostri nobis rescripserunt in hec verba:

Excellentissimo domino, domino *Karolo*, Dei gracia illustri regi Hungarie, domino suo reverendo, capitulum Strigoniensis ecclesie, oraciones in Domino, tam debitas, quam devotas pro eodem. Litteras serenitatis vestre recepimus in hec verba:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo *ecclesie Strigoniensis* salutem et graciam. Cum nos possessionem nostram *Kowachy* vocatam, iuxta civitatem nostram Strigoniensem existentem, ad predictam civitatem nostram duxerimus applicandam, fidelitati vestre firmiter precipimus per presentes, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, coram quo magister Andreas dictus *Cythwar*, homo noster, predictam villam *Kowachy*, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis universis, statuat et applicet dicte civitati nostre, perpetue possidendam, si non fuerit contradictum; et post hec tocius facti seriem nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Visegrad*, in vigilia festivitatis Omnium Sanctorum, anno Domin M° CCC° XXX° sexto. 1326. 31. Oct.

Nos igitur mandatis et preceptis vestris in omnibus obedire cupientes, ut tenemur, litteras vestre sublimitatis recepimus debito cum honore; et unacum predicto magistro Andrea, dicto Cythwar, homine vestro, magistrum *Jacobum*, filium comitis *Frankyni*, socium et concanonicum nostrum, pro testimonio ad premissa exequenda duximus destinandum. Qui quidem magister Andreas homo vester, unacum prefato magistro Jacobo, homine et testimonio nostro, ad nos pariter reversi retulerunt: quod, feria sexta proxima ante octavas Omnium Sanctorum, accessissent super faciem ipsius possessionis et ville Kowachy, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis universis, eandem possessionem, simul cum villa sua, statuissent et applicassent prelibate 1326. 7. Nov.

civitati vestre Strigoniensi, perpetuo possidendam, nullo penitus contradictore apparente. Cuius siquidem possessionis mete, prout iidem homo vester et noster nobis retulerunt, hoc ordine distinguuntur: Prima videlicet meta est *circa fossatum civitatis* Strigoniensis *a parte septemtrionali*, prope villam *ecclesie de Chuth*. Deinde procedendo versus ecclesiam *sancti Dominici*, ubi est erecta nova meta, de qua eundo directe, venit *ad vineas hospitalis de Strigonio*, et Johanis *Zeuke* civis de eadem; abhinc currit versus partem orientalem, ad vineam *Benedicti Gallici* et ad vineam *Tyrionis* pistoris, et inibi separatur ipsa possessio de terra nostri capituli; deinde venit ed vineam *Sumug* vocatam, directe eundo pervenit ad finem vinee *Frankonis*; deinde vadit ad vineam, *Andree sacerdotis prebendarii* ecclesie nostre, prope *Sabad*, que est vinea nostra; adhuc directe versus partem orientalem eundo, venit ad vineam *Egidii de Insula*, et ad vineam *Jacobi* filii Thome; deinde venit ad vineam *Pauli* carpentarii; deinde ad locum torcularis vinee filii Ludweg, et deinde venit ad vineam *Aydna* vocatam; abhinc vadit ad vineam magistri Andree dicti *Cythwar* et venit ad vineam *Walterii* directe; abhinc procedendo venit ad vineam *Rodmani* carnificis, et abhinc vadit *ad turrem Pascasii*, inibi separatur de terra *Fenerd*, prope vineam *Karachym*, ubi sunt tres mete et distinguunt terram *Pezer* et terram *Boyon*, de terra *Kowachy*. Abhinc ad partem meridionalem flectendo, ubi est vinea *Nicolai* filii *Bene*, que pertinet ad terram Boyon; deinde venit ad vineam *Mychaelis* filii *Beek*, que pertinet ad terram Kowachy; abhinc revertitur iterato ad tres metas prenotatas; directe currendo pervenit ad montem *Sarkanheg* vocatum; deinde venit ad vineam *Mychaelis clerici* et ad vineam *Clementis* cauponis *Rufi*; deinde venit ad vineam *Petri clerici*, ubi sunt due mete, que pertinent ad terram Kowachy; abhinc circa vineam *Ludueyg* procedendo parum, est una meta, que separat terram Kowachy de terra Boyon; est inibi alia meta a parte occidentali, que pertinet ad terram Kowachy; abhinc girando vadit ad vineam *Nicolai* filii Mychaelis, ubi sunt due mete, quarum una separat terram Kowachy de terra Boyon a parte meridionali; abhinc vadit ad unum monticulum, iterato ad partem orientalem, *Kuzepmal* nuncupatum, ubi est vinea *Gregorii* filii *Powka*, que pertinet ad terram Kowachy; item secunda vinea est ibidem *Pauli* fabri, a parte similiter orientali, que pertinet ad Boyon et in mediate earumdem est una meta, de novo erecta; et sic termini metarum vinearum in terra Kowachy existencium habent cursum. Item terrarum arabilium de *Kowachy* mete sunt sic distincte: quod primo sunt quatuor mete antique prope magnam viam, per quam itur *de Strigonio versus Budam*, directe eundo pervenit ad quandam aquam *Partaspolok* vocatam, ultra meatum ipsius aque est via magna, que venit *de ecclesia sancte Margarethe* versus civitatem Strigoniensem, et ultra ipsam viam sunt terre arabiles *ecclesie Sancte Marie de Campis*, et pervenit ad *locum sepulture iudeorum* de Strigonio; et sic terminantur mete terrarum arabilium de terra Kowachy. Datum, in octavis Omnium Sanctorum, Domini M° CCC° XX° sexto. 1326. 8. Nov.

Nos autem, ex relacione huiusmodi prememorati capituli Strigoniensis, in hac parte edocti, antedictam villam nostram, cum omni integritate sui iuris, modo premisso ipsi civitati nostre Strigoniensi fuisse statutam et legitime annexam cognoscentes, attendentes quoque et in memoriam revocantes fidelitates, fideliumque serviciorum laude digna merita predictorum Strigoniensium civium nostrorum, quibus iidem a toto eo tempore, quo solum nostri regii dyadematis

nutu divino conscendimus, eo videlicet tempore specialiter, quo tentoria nostre potencie suos funiculos nondum late extenderant, non absque sollicitudinis studio et votive fidelitatis constancia commendabilem constantis fidei prerogativam pre aliis sorcientes, maiestati nostre meruerunt adeo complacere, quod noster regius animus in ipsorum gratuitis serviciis mittissime conquievit. Et quia humanis legibus insistitur et a divinis nullatenus deviatur, si domestici et benemeriti graciosis favoribus attullantur et extrancis cariores habeantur, sepedictam possesionem, seu villam nostram *Kowachy*, cum utilitatibus et pertinenciis suis universis, iudicatu quoque; et generaliter dicendo, cum omni plenitudine et integritate sui iuris, antedicte civitati nostre Strigoniensi annectentes, damus et dedimus, donamus et donavimus, conferimus et contulimus, perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pacifice et habendam. Omnes litteras, omniave instrumenta, si que vel quas populi de Kowachy, super eadem possessione seu villa, iudicatu vel villicatu, aut quocunque iure haberent optenta vel optentas, cassamus et irritamus adeo, ut ubicunque in iudicio, vel extra iudicium exhiberentur, vigore careant firmitatis; et nichilominus auctoritate presencium decernimus non valere. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, novi et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roborando. Datum per manus discreti viri magistri *Endree*, prepositi ecclesie Albensis, aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CCC° XX° sexto, quarto Nonas Decembris, regni autem nostri anno similiter vigesimo sexto. Venerabilibus in Christo patribus dominis: Bolezlao Strigoniensi, eiusdemque loci comite perpetuo et fratre Ladislao Colocensi archyepiscopis; Johanne Nitriensi, Georgio de sancto Irineo, fratre Petro Boznensi, Benedicto Chanadiensi, Iwanka Waradiensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Nicolao Jauriensi, Chanadiensi (sic!) Agriensi, Herrico Wesprimiensi et Andrea Transsiluano, ecclesiarum episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Philippo palatino, comite de Zepes et de Uywar, ac iudice Cumanorum; Demetrio magistro tavarnicorum nostrorum, comite Bachyensi et Trinchiniensi; Alexandro iudice curie nostre; Thoma Woyueda Transsiluano et comito de Zonuk; Mykch bano tocius Sclauonie; Paulo bano de Machow, comite Syrmiensi, de Valko et de Budrug; Johanne filio Babonyg, magistro tavarnicorum domine regine, karissime consortis nostre; Stephano magistro agazonum nostrorum; Dionisio magistro dapiferorum nostrorum et Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores. 1326. 2. Dec.

E transsumpto Georgii Kusaly magistr. Tavarnicor. a. 1400. 9. Mart. exarato. — Sigillum e viridi serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 24. fasc. 3. nr. 1. Habentur et in alio trans. Mathiae I. nempe regis, a. 1466. 14. Mart. facto. — Orig. in charta, in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 24. fasc. 3. nr. 21.

160.

1326. — Visegrád. 17. Decemb. — Carolus I. rex, ad relationem capituli Jaurinensis ecclesiae, donationem terrae Chukárföldе, capitulo Posoniensi factam, confirmat.

Nos Karolus, Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod cum nos fidelibus nostris

capitulo ecclesie Jauriensis, pro ecclesia Posoniensi, seu preposito et capitulo eius, generaliter ad omnia, que iuxta regni nostri consuetudinem de iure fieri consueverunt exequenda, litteras nostras direxissemus, tandem idem capitulum Jauriense nobis rescripserunt, (sic!) in hec verba:

Excellentissimo domino suo, domino Karolo, Dei gracia illustri regi Hungarie, domino suo, capitulum ecclesie Jauriensis, oraciones in Domino debitas et devotas. Noveritis, nos litteras vestre excellencie recepisse, in hec verba:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis, capitulo ecclesie Jauriensis, salutem et graciam. Fidelitati vestre precipiendo mandamus per presentes, quatenus quandocumque et quocienscumque a data presencium per anni circulum, per discretum virum dominum Nicolaum, prepositum Posoniensem et capitulum loci eiusdem, aut eorum procuratores requisiti fueritis, cum Andrea de *Chyurle*, vel Moys de *Elephant*, altero absente homine nostro, ad citaciones, inquisiciones, inhibiciones, reambulaciones et recaptivaciones possessionum faciendas, ac ad omnia exequenda, que talibus in processibus iuxta regni nostri consuetudinem fieri consueverunt, ordine iuris observato, vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, et post hec premissa omnia et singula premissorum, prout rei necessitas exigerit et quociens opus fuerit, nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Wyssegrad*, in quidenis beati Georgii martiris, anno Domini millesimo CCC° vigesimo sexto. 1326. 8. Maii.

Nos vero, vestre serenitatis mandatum adimplere cupientes, ut tenemur, cum Andrea homine vestro predicto, discretum virum dominum Ladizlaum, plebanum de Owar, hominem nostrum, ad inquirendum et sciendum: utrum quedam particula terre, *Chukarfelde* vocate, prope portum *Chollou* existens, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, pertineat ad ecclesiam Posoniensem, duximus destinandum. Qui demum ad nos reversi, nobis dixerunt, quod ab omnibus, a quibus inquirere debuerunt, inquisivissent et scivissent, quod terra ipsa Chukarfelde vocata, per quondam comitem Chukar et eciam per Petrum, filium eiusdem Chukar, cum fenetis, agris, silvis, ac insula quadam Danubiali, et aliis suis pertinenciis, donata fuerit ecclesie Posoniensi. Datum, feria quarta proxima ante festum Omnium Sanctorum, anno Domini M CCC° vigesimo sexto. 1326. 29. Oct.

Nos itaque, per huiusmodi relacionem veridicam, seu inquisicionem legitimam dicti capituli Jauriensis, fidelium nostrorum, super eo, quod dicta particula terre, ius dicte ecclesie Posoniensis fuerit et existat, lucidius recepta veritate, eandem particulam terre, cum omni plenitudine sui iuris, dicte ecclesie Posoniensi, preposito et capitulo ipsius, perpetuo possidere et habere, donacionem ipsius Chukar et filii eius predictam, auctoritate regia approbantes, sic ex certa sciencia presencium patrocinio confirmamus: promittentes privilegio nostro presentes confirmare, dum nobis fuerint reportate. Datum, in *Wyssegrad*, feria quarta proxima ante festum beati Thome apostoli, anno Domini M° CCC° vigesimo sexto.

Sigilli fragm. e rubro et albo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson. Privat. Capsa C. fasc. 11. nr. 127. E trans. Ludovici I. regis a. 1357. 18. Jan. emanato.

161.

1326. — 18. Dec. — Carolus I. rex, capitulum Posoniense, in possessione Ablincs confirmat.

(K)arolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, presencium noticiam habituris, salutem, in quo resident sempiterne salutis incrementa. Solet a principe confirmari, quod licite postulatur; quia sicut iuris est, occupata indebite in statum debitum revocare, sic est equitati consonum, optenta legitime, regio patrocinio roborare. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod discretus vir, magister Nicolaus, prepositus ecclesie Posoniensis, dilectus et fidelis capellanus noster, suo et fratrum suorum, capituli eiusdem ecclesie Posoniensis nomine et vice, ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis duo privilegia; unum videlicet domini *Bele*, quondam illustris regis Hungarie, proavi nostri karissimi, felicis recordacionis, super possessione *Ablenz* vocate, olim per dictum dominum Belam regem, cuidam civi Posoniensi *Voch* nominato facta, confectum; aliud quidem privilegium capituli ecclesie Jauriensis, super vendicione eiusdem possessionis, per successores dicti Voch, eidem ecclesie Posoniensi, seu preposito et capitulo eiusdem facta, habitum, — petens a nobis humiliter supplicando, ut ipsa privilegia, pariter donacionem et vendicionem ipsius possessionis, in eisdem contentam, ratam habere et ad uberiorem conservacionem iuris eiusdem ecclesie Posoniensis, nostro dignaremur privilegio confirmare. Cuius quidem privilegii domini Bele regis tenor talis est:

Sequitur priv. Belae IV. regis de a. 1243, ex ipso orig. T. I. p. 346 nr. 435. edit. 1243. 13. Maii.

Tenor vero dicti privilegii ipsius capituli Jauriensis talis est: 1325.

Sequitur priv. a. 1325. sub nr. 115. ex ipso origin. commun. 30. Jun.

Verum nos ad confirmacionem dictorum privilegiorum, pariter donacionis et vendicionis dicte possessionis, in eisdem contentarum, ex cerciori sciencia procedere cupientes, hocque inducium racionis, quod unaqueque res firmior sit duplici confirmacione, imitantes, iuxta bonam regni nostri consvetudinem et ab antiquo aprobatam, fidelibus nostris, capitulo ecclesie Jauriensis predicto, ut sub ipsorum testimonio, Petrus de *Gurgeteh*, vel Georgius, filius Salamonis, homo noster, prefatam possessionem, viciuis et commetaneis suis convocatis, per veteres metas reambulando, novasque metas iuxta veteres erigendo, statueret predicte ecclesie Posoniensi, et per eam predictis preposito et capitulo eiusdem, sub ipsius vendicionis et empcionis titulo perpetuo possidendam, si non fieret contradictum; contradictores autem, si qui fierent, contra eosdem prepositum et capitulum ecclesie Posoniensis, ad nostram citaret presenciam, ad terminum competentem; et post hec tocius facti seriem nobis rescriberent, mediantibus litteris nostris, dedimus in mandatis. Quod quidem capitulum Jauriense nobis rescripsit in hec verba:

Excellentissimo principi, domino Karolo, Dei gracia illustri regi Hungarie, domino suo, capitulum ecclesie Jauriensis, oraciones in domino debitas et devotas. Literas vestre excellencie recepimus, debito cum honore, hunc tenorem continentes:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo ecclesie Jauriensis, salutem et graciam. Noveritis, quod honorabilis vir dominus *Nicolaus,* prepositus Posoniensis ecclesie, dilectus et fidelis noster capellanus, dicit nobis, quod quedam terra, *Ablench* vocata, ad sex aratra sufficiens, vicina et contigua possessioni ipsius ecclesie Posoniensis *Zelynch*, vocata, in comitatu Posoniensi existentis, de iure ad ecclesiam suam Posoniensem pertineret. Unde fidelitati vestre mandantes precipimus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, coram quo Petrus de *Gurgetegh*, vel Georgius filius Salamonis, altero absente homo noster, accedat ad faciem predicte terre, et convocatis vicinis et commetaneis eiusdem, per veteres metas et antiquas reambulet eandem, novas iuxta veteres metas erigendo, statuatque ipsi domino preposito vel homini eiusdem, aut procuratori, et per eundem, vel procuratorem suum, predicte ecclesie Posoniensi, prout sua fore dignosscitur, perpetuo possidendam, si non fuerit contradictum; contradictores vero, si qui fuerint, contra eundem dominum prepositum, ad nostram citet presenciam, ad terminum competentem; et post hec, diem citacionis, terminum asignatum cum nominibus citatorum, cursibus metarum et tocius facti seriem nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Vysegrad,* in octavis Penthecostes, anno Domini M° ccc° xx° quinto. 1325. 2. Jun.

Nos vero vestre serenitatis mandatis obtemperare cupientes, ut tenemur, cum Georgio, filio Salamonis de *Chulchtu*, homine vestro, discretum virum Ladizlaum, plebanum de *Owar,* hominem nostrum, ad premissa exequenda duximus destinandum. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt, quod ipsi, omnibus vicinis et commetaneis dicte terre Ablench simul convocatis, terram ipsam reambulassent, per veteres metas et antiquas, et nullo contradictore existente, eam cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis, ecclesie Posoniensi et eius preposito et capitulo statuissent, sub antiquis metis et terminis, possidendam. Datum, in octavis s. Laurencii martiris, anno Domini M° ccc° xx° sexto. 1326. 17. Aug.

Nos itaque ex huiusmodi tenoribus evidentissimis, prescriptorum privilegiorum, pariter et litterarum dicti capituli Jauriensis, nobis rescriptarum, super eo, quod dicta possessio ipsius Woch, perpetuo iure et iuste fuerit, eamque predicti sui successores, predicte ecclesie Posoniensis preposito, et capitulo eius predictis, rite ac legitime vendere et donare potuerunt, eo quod iuxta ipsam donacionem, vendicionem et empcionem ipsa possessio, mediante approbata et ab antiquo observata regni nostri consvetudine, reambulata, dicte ecclesie Posoniensi, preposito et capitulo eius legitime sit statuta, plenius informati et lucide certificati, prescripta privilegia, in nulla sui parte viciata, de verbo ad verbum presentibus inserta, pariter donacionem, vendicionem et empcionem, ac statucionem prefate possessionis in eis contentam, ipsi ecclesie Posoniensi, preposito et capitulo eius factam, acceptamus, ratificamus, approbamus, eandemque possessionem Ablench nominatam, cum omni sui iuris plenitudine, sub metis supra scriptis, dicte empcionis et donacionis, per nos approbate, perempni titulo prefate ecclesie Posoniensi, preposito et capitulo eius perpetuo et irrevocabiliter possidere, tenere et habere, presentis privilegii nostri patrocinio, de consilio prelatorum et baronum regni nostri, ex certa sciencia confirmamus. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri, novi et autentici munimine roboratas. Datum, per manus

discreti viri, magistri Andree, prepositi Albensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti ac fidelis nostri. Anno Domini M° ccc° xx° sexto, quinto decimo Kalendas Januarii, regni autem nostri anno similiter xx° sexto. 1326. 18. Dec.
Venerabilibus in Christo patribus, Bolezlao Strigoniensi et fratre Ladizlao Cholochensi (sic!), auleque nostre cancellario, archiepiscopis; Johanne Nitriensi, Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jauriensi, Georgio Syrimiensi, Ladizlao Quinqueecclesiensi, Iuanka Varadiensi, fratre Petro Boznensi, Laurencio Vaciensi, Andrea Transiluano, Henrico Wesprimiensi, aule domine regine cancellario et Chanadino Agriensi, dominis episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis baronibus Philipo palatino, iudice Cumanorum, comite de Scepus et de Wyuar; Demetrio magistro tavarnicorum nostrorum, comite Bachiensi et Trinchiniensi; comite Alaxandro iudice curie nostre; Thoma Woyuoda Transiluano, comite de Zonuk; Mikch bano tocius Slauonie, comite Symigiensi et de Saros; Paulo bano de Machow, comite Syrimiensi, de Wlkov et de Bodrog; Dyonisio magistro dapiferorum nostrorum; Stephano magistro agazonum nostrorum; Nicolao dicto Treutel, comite Posoniensi et aliis, quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores.

Sigillum e rubro et albo serico contexto pendebat. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson. Priv. Capsa C. fasc. 5. nr. 53.

162.

1326. — 18. Dec. — Carolus I. rex restitutionem possessionum: Bél, Keszi, Apka et Taksony, capitulo Poson. factam, comprobat.

[K]arolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, noticiam presencium habituris, salutem in omnium Salvatore. Cum a nobis petitur quod honestum est, decet maiestatem regiam facilem prebere consensum, in hys precipue, que ecclesiarum comodis videntur utiliter convenire. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod discretus vir magister *Nicolaus,* prepositus *Posoniensis,* dilectus et fidelis capellanus noster, ad nostram accedens presenciam, suo et fratrum suorum capituli ecclesie Posoniensis nomine, exhibuit nobis quasdam patentes litteras nostras et alias litteras patentes fidelium nostrorum, magistri *Nicolai* comitis *Posoniensis* et quatuor iudicum nobilium de eodem, super reambulacione quarumdam terrarum *Beel, Kwze, Obka* et *Toxun* vocatarum, supplicavitque nobis humiliter, ut ipsas litteras nostras et dictorum comitis et iudicum, seu restitucionem predictarum terrarum ratam habere, ad uberioremque conservacionem iuris eiusdem ecclesie Posoniensis, nostro dignaremur privilegio confirmare. Quarum quidem litterarum nostrarum tenor talis est:

Seriem literarum de a. 1323. 5. Jun. vide ex ipso orig. sub nr. 52. 1323. 5. Jun.

Tenor autem litterarum dictorum comitis et iudicum est talis:

Nos magister Nicolaus, comes Posoniensis, et Andreas de Churle, Petrus de Guttur, Leopoldus de Paka, et Valentinus de Werekne, iudices nobilium, significamus universis quibus expedit, presencium per tenorem, quod cum nos

ad mandatum et preceptum excellentissimi principis, domini Karoli, Dei gracia illustris regis Hungarie, domini nostri, de restituendis possessionibus ecclesie Posoniensis, nobis per suas litteras patentes factum et commissum, nobilem virum Nicolaum, filium Elcek de citra Waag, hominem nostrum et Dominicum filium Damiani de Beel, iobagionem castri Posoniensis, ad reambulandas et restituendas possessiones et terras ecclesie Posoniensis, in comitatu Posoniensi existentes, et contradictores, si qui aparerent ad nostram citandos presenciam, una cum discreto viro magistro Nicolao preposito Posoniensi, misissemus; iidem Nicolaus et Dominicus ad nos demum reversi, nobis concorditer retulerunt: quod cum ipsi quatuor particulas possessionum, seu terrarum ecclesie Posoniensis, videlicet unam que *Beel* vocatur, cum vineis inter metas seu terminos eiusdem terre, in monte qui antiquitus *mons Glyris* vocabatur, plantatis et existentibus inter possessiones similiter Beel vocatas et *ecclesiam sancti Nycolai* de *Semchz* existentem; et aliam *Kuze* nominatam, inter villam similiter Kvze dictam et ecclesiam sancti Jacobi existentem; terciam *Obka* vocatam inter ecclesiam seu villam *Sancti Mychaelis*, et terram, seu arbores piri cuiusdam hominis, quondam *Merche* vocati, existentem; et quartam terram, *Toxun* dictam, que est inter villam *Slanta* et terras Leopoldi de Paka, Nicolai quondam dicti Bud, filiorum Nycolai, filii Iwanka et Ladyzlai filii Salomonis existentem, convocatis omnibus vicinis et commetaneis, per metas seu terminos et distincciones antiquas reambulassent; et nullus contradictor, seu prohibens apparuisset, predictas quatuor particulas possessionum et terrarum, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis statuissent eidem preposito et ecclesie Posoniensi, pacifice tenendas et possidendas. Nos vero, dictis eorumdem Nicolai et Dominici, fidem plenam adhibentes, cum idem prepositus manifeste ad scitum quasi omnium nobilium et aliorum hominum comitatus Posoniensis, super reambulacione et restitucione predictarum terrarum et aliarum possessionum dicte ecclesie Posoniensis, debito modo et ordine processisset, et quia eciam contra eundem prepositum et capitulum Posoniense nullus (expunct.: eciam) coram nobis apparuit contradictor et agens, restitucionem dictarum quatuor terrarum, per eosdem Nycolaum et Dominicum factam, auctoritate dicti domini regis approbantes et confirmantes, presentes eisdem preposito et capitulo, in predictorum omnium testimonium et firmitatem concessimus, nostrorum munimine sigillorum roboratas.

Datum *Posonii*, sabbato proximo post festum beatorum Vyti et Modesti martirum, anno Domini M CCC XX tercio. 1323. 18. Junii.

Nos itaque peticionibus dicti domini *Nicolai* prepositi iustis, favorabiliter inclinati, ex tenore litterarum prescriptarum comitis Posoniensis et iudicum nobilium, super restitucione predictarum quatuor particularum possessionum, superius nominatarum, predicte ecclesie Posoniensi, pariter preposito et capitulo eius, ad nostrum mandatum sic legitime facta, lucidius recepta veritate, eandem restitucionem, simulque litteras ipsam restitucionem continentes, regia auctoritate approbantes, acceptantes, ratificantes, ipsas quatuor particulas possessionum supradictarum restitutas evidenter, cum omni earum iuris et utilitatum plenitudine et integritate, puta vineis et aliis universis, dicte ecclesie Posoniensi, preposito et capitulo eius, ex certa sciencia, de consilio prelatorum et baronum regni nostri, perpetuo et irrevocabiliter possidere et habere, presentis privilegii nostri patrocinio confirmamus. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras

dupplicis sigilli nostri novi et autentici munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Endre*, prepositi ecclesie Albensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M CCC XX sexto, decimo quinto Kalendas Januarii, regni autem nostri anno similiter XX sexto. 1326. 18. Dec. Venerabilibus in Christo patribus et dominis: Bolezlao Strigoniensi et fratre Ladyzlao Colocensi, aule nostre cancellario, archyepiscopis; Johanne Nytriensi, Benedicto Chanadiensi, Nycolao Jauriensi, Georgio Syrmiensi, Ladyzlao Quinqueecclesiensi, Iwanka Waradiensi, fratre Petro Boznensi, Laurencio Wachyensi, Andrea Transsiluano, Herrico Wesprimiensi et Chanadino Agriensi episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis baronibus Phyllippo palatino, comite de Scepus et de Wyuar; Demetrio magistro tavarnicorum nostrorum, comite Bachiensi et Trinchyniensi; comite Alexandro iudice curie nostre; Thoma Woyuoda Transsiluano et comite de Zolnuk; Mykch bano tocius Sclauonie, comite Symigiensi et de Sarus; Paulo bano de Macho, comite Syrmiensi, de Wolko et de Budrug; Dyonisio magistro dapiferorum nostrorum; Stephano magistro agasonum nostrorum; Nycolao dicto Treutel, comite Posoniensi memorato, et aliis quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores.

Extus manu medii aevi: Super terris Beel, Kuzey, Opka, et Toxun vocatis ecclesie Posoniensis, regis Karoli.

Fragmen sigilli e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Cap. Pos. Priv. Capsa C. fasc. 11. nr. 126.

163.

1326. — — Societas fraternalis militiae, titulo sancti Georgii, accedente Boleslai archiepiscopi Strigoniensis, metropolitani, necnon suffraganeorum episcoporum, ac aliorum ecclesiasticorum virorum, religiosorum et saecularium assensu, in praesentia capituli Strigoniensis, ordinat constitutiones suas; praesente vero et volente Carolo I. rege, sua statuta et ordinamenta.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 163.

164.

1326. — — Incipit provinciale curie Romane, continens omnes provincias et omnes subiectas ecclesias summo pontifici, per totum orbem terrarum, copiatum anno Domini 1000mo 300mo 26o.

p. 124 legitur: Archiepiscopus Strigoniensis hos habet suffraganeos:

Agriensem, Nitriensem, Waciensem, Jauriensem (sic!), Quinqueeccliensem, Vesprimiensem.

Archiepiscopus Colocensis hos habet suffraganeos:

Agabriensem (sic!), Ultrasilvanensem, Waradiensem, Cenadiensem, Chanadiensem (sic bis!).

p. 128.: Teutonici, Gallici, *Ungari,* Provinciales, Siculi episcopi, bienniis (obligantur Romam petere) pro solvendo tributo.

Ibidem de rege Hung. adnotatur, quod: „non coronatur", (!) et quod: „est feudatarius s. Rom. ecclesie" (!).

E cod. saec. XIV. nr. 4753. in Bibliotheca Caesareo-Regia Vindobonensi asservato.

165.

1327. — 29. Jan. — Carolus I. rex, Mikocsa filio Elek, magistrum Stephanum castellanum de Visegrád adoptandi, eique possessionem suam Csév conferendi potestatem concedit, literasque suas super hoc editas, in privilegii formam redegit.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, decet regiam excellenciam facilem prebere consensum in hys presertim, que suorum subditorum utilitatibus et commodis videntur convenire. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod magister *Stephanus* castellanus de *Wysegrad,* dilectus et fidelis noster, unacum *Mykocha* filio *Elek* de *Cheu,* ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis quasdam patentes litteras nostras, tenoris infrascripti, petens nos cum instancia, et suplicans nobis humiliter et devote, ut ipsas litteras nostras de verbo ad verbum presentibus transcribi et transumi, privilegiique nostri patrocinio confirmare dignaremur. Quarum tenor talis est:

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, significamus tenore presencium quibus expedit universis, quod Mikocha filius Elek de *Chew,* in nostri personaliter constitutus presencia, nobis humiliter suplicavit, ut quia heredum masculorum careret solacio et eius possessio ex antiqua et approbata regni nostri consuetudine, in manus nostras regias legitime devolvi deberet, a nobis peciit humili cum instancia, ut eidem potestatem traderemus filium recipiendi adoptivum et de sua possessione *Cheu* vocata predicta, eo vivente, disponendi et ordinandi liberam preberemus facultatem. Tandem idem Mykocha, magistrum Stephanum, castellanum de *Wysegrad,* dilectum et fidelem nostrum, similiter in nostri presencia personaliter constitutum, in suum filium adoptivum elegit, coram nobis, et ipsam possessionem suam *Chew* vocatam, cum omnibus pertinenciis suis, in manus eiusdem magistri Stephani, ex nostra permissione statuit coram nobis. Asseruit eciam idem Mykocha, pro expediendis quibusdam negociis suis, ab ipso magistro Stephano quinquaginta marcas, partim in denariis ad compotum argenti et partim in estimacione condigna, plenarie recepisse et ipsam possessionem *Cheu* vocatam, ipso de medio sublato, eidem magistro Stephano, in filios filiorum suorum se dixit perpetuo contulisse possidendam, tenendam et habendam. Obligavit se itaque ipse magister Stephanus, coram nobis, et assumpsit ipsum Mykocha, sicut patrem spiritualem, usque vitam suam digne, benigne et honeste conservare et pariter pertractare. Datum *Bude,* in octavis festi nativitatis Virginis Gloriose, anno Domini M° ccc° vicesimo sexto. 1326. 15. Sept.

Methee autem dicte possessionis *Chew,* sub quibus ipsa eidem magistro Stephano, sine contradiccione aliquali, iuxta consuetudinem regni approbatam, perpetuo possidenda statuta fore dinoscitur, hoc ordine distinguntur, prout ex veridica relacione fidelium nostrorum capituli Strigoniensis ecclesie percepimus evidenter: Quod prima meta incipit circa magnam viam, a parte septemtrionali, ibi sunt due mete terree et tercia lapidea et ab oriente quarta meta habetur terrea; deinde vadit ad duas metas terreas, que separant a terra *abbatis de Pelis;* et inde vadit ad meridiem, ubi est quercus antiqua et meta terrea; abhinc

vadit ad unum monticulum, ubi est meta terrea; deinde vadit per unam semitam ad metam terream; inde tendit versus occidentem ad quandam metam terream, que separat a terra *custodum silvarum;* unde per quandam viam magnam vadit ad unam metam terream, que separat a terra *Aberth;* inde ad eandem partem occidentis tendendo pervenitur ad duas metas terreas, que separant a terra eiusdem *Aberth;* deinde per quandam vallem flectitur ad partem septemtrionalem et pervenit ad unam metam terream; abhinc ad montem ad unam metam terream, in quo monte protenditur ad finem eiusdem ad unam metam terream, que distingit a terra *Wobnoth;* item per alium montem progreditur ad duas metas terreas; post hec vadit descendit (sic!) ad unam metam lapideam, de qua reflectitur ad primam metam, superius nominatam.

Nos itaque attendentes fidelitates et servicia meritoria dicti magistri Stephani, que nobis in nostris et regni nostri negociis sumpme arduis, fideliter exhibuit et impendit, considerantesque fidelitatum multiplicia obsequia eiusdem, quibus nobis a toto tempore introitus nostri in regnum Hungarie, iure geniture nobis debitum, in deferendo legaciones nostras extra regnum se exhibuit et reddidit utique graciosum regie maiestati nostre et acceptabilem, predictas litteras nostras non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte viciatas, de verbo ad verbum presentibus insertas, simul cum ordinacione et disposicione predicti Mykocha, ipsi magistro Stephano facta, ratas habentes et acceptas, dictamque possessionem, modo premisso eidem traditam, sub metis superius nominatis, eidem magistro et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus approbamus, ratificamus perpetuo possidendam et habendam, presentis privilegii nostri patrocinio confirmando. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, novi et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Andre,* prepositi Albensis ecclesie, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° ccc° vicesimo septimo, quarto Kalendas Februarii, regni autem nostri anno similiter XX^mo^ septimo. Venerabilibus in Christo patribus, dominis Bolezlao Strigoniensi et fratre Ladislao Colocensi archiepiscopis; Johanne Nytriensi, Georgio Syrmiensi, fratre Petro Boznensi, Iwanka Waradiensi, Benedicto Chanadiensi, Ladizlao Quinqueecclesiensi, Herrico Wezprimiensi, Nicolao Jauriensi, Chanadino Agriensi et Andrea Transiluano episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus: Magnificis viris Philippo palatino, comite de Scepes et de Wywar; Demetrio magistro tawarnicorum nostrorum, comite Bachiensi et Trinchiniensi; Alexandro iudice curie nostre; Mykch bano tocius Sclauonie et comite Simigensi; Thoma Woywoda Transiluano et comite de Zonuk: Paulo bano de Machou, comite Syrmiensi, de Wolkou et de Budrug; Johanne magistro tawarnicorum domine regine, consortis nostre karissime; Deseu iudice curie eiusdem; Stephano magistro agasonum nostrorum; Dyonisio magistro dapiferorum nostrorum et Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores.

1327. 29. Jan.

In inferiori margine sinistro legitur clausula confirmationis *Ludovici* I. regis, prout in Corp. Juris Hung. continetur:

Ad perpetuam rei memoriam. Nos *Lodovicus* rex, universis declaramus, quod ubi in regno nostro Bozne innumerabilis multitudo hereticorum et patarenorum pululasset, in ever-

sionem fidei orthodoxe ad extirpandumque de ipso regno nostro eosdem ex una parte personaliter, instaurato valido exercitu, proficiscebamur; ex alia vero parte venerabilem in Christo patrem dominum *Nicolaum archiepiscopum Strigoniensem,* nostrum cancellarium, penes quem utrumque par sigilli nostri auttentici habebatur, et virum magnificum dominum *Nicolaum palatinum,* cum ceteris prelatis, baronibus et regni proceribus in *Wzuram* destinaramus, quidam familiares ipsius domini archiepiscopi, pro custodia deputati, utrumque par dicti sigilli nostri, preconcepta malicia, subtraxerunt. Nos itaque precaventes, ne ex huiusmodi sigilli nostri deperdicione regnicolis nostris, in eorum iuribus successive periculum possit imminere, sigillum novum in duobus paribus fecimus pro nobis sculpi, quod ad omnia privilegia nostra et condam domini *Karuli* regis, patris nostri, sub priori sigillo eiusdem tempore sue coronacionis sculpto, et demum per eundem, eo quod sub ipso plurime infidelitates perpetrate reperte, permactato, ac sub alio sigillo ipsius, in partibus Transsalpinis casualiter deperdito, iuxta dicta tria sigilla fore decrevimus apponendum ad quecunque paterna, dictis duobus prioribus suis sigillis consignata, que per eundem patrem nostrum per sigilla eius posteriora, vel per nos cum sigillo, modo premisso deperdito, confirmata non haberentur, et ad ipsa privilegia ipsum novum sigillum nostrum non appenderetur, vel quecunque patentes littere nostre et paterne non confirmarentur, ea privilegia et littere, sicut per eundem patrem nostrum fuerunt revoccata et anullata, sic et nos ipsas seu ipsa commisimus viribus caritura, nullamque roboris obtentura firmitatem. Inter que presens privilegium paternum, omni suspicione destitutum et omnia in eo superius contenta et expressa, pro *Johanne* et *Nicolao,* filiis iam dicti *Stephani,* eorumque heredibus et posteritatibus, dicti sigilli nostri novi dupplicis et auttentici appensione innovamus et perpetuo confirmamus, salvis iuribus alienis. Datum per manus eiusdem domini *Nicolai* archiepiscopi, cancellarii nostri, anno Domini M CCC LX sexto, duodecimo Kalendas Augusti, regni autem nostri anno XX quinto. 1366. 21. Jun.

Fragmenta sigilli duplicis Caroli I. regis, e viridi et flavo; Ludovici I. autem e viridi et rubro serico contexto pendent. — Orig. membr., pulchre exarat., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 26. fasc. 2. nr. 10.

166.

1327. Avignon. 30. Jan. — Joannes PP. XXII., preposito capituli eccl. Strigoniensis, dat in mandatis, ut iura monialium de Insula Leporum conservet et revindicet.

Tenorem vide sub nr. 186.

167.

1327. Nagyszombat. 13. Febr. — Carolus I. rex, foedus defensionis et offensionis, cum Joanne rege Boemorum initum, in ecclesia s. Jacobi, apud fratres Minores, in civitate Tyrnavia, super magnum altare, iuramento firmat.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 192—197.

168.

1327. (Zobor.) 8. Mart. — Conventus de Zobor, abbatem et conventum de juxta Gron, cum Paulo literato, super possessione Walkocz, concordiam inivisse perhibet.

Conventus monasterii beati *Ypoliti* martiris *de Zobor,* memorie commendamus tenore presencium, presentibus pariter et futuris, quibus expedit universis: quod religiosus vir dominus frater *Ladisslaus,* abbas monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gron,* vice eciam et nomine conventus ipsius ab una, parte siquidem ab alia *Paulus* literatus de *Walkoch,* sua et fratrum suorum in personis, cum litteris procuratoriis capitoli (sic!) *Nitriensis,* coram nobis personaliter constituti, confessi sunt oraculo vive vocis, pariter et dixerunt: quod quia idem

Paulus et fratres sui a debita obediencia et serviciis, que ipsi prefato domino fratri Ladisslao abbati et suo monasterio exhibere tenebantur se extraxissent indebite et alienassent, unde gravis questio et litis materia inter ipsos dominum abbatem ab una et predictum Paulum et fratres suos (emansit: ab altera) coram comite *Borsiensi,* exorta extitisset; in pluribusque iudiciis et gravaminibus idem Paulus et fratres sui, contra eundem Ladisslaum abbatem et suum conventum convicti extitissent, ipseque abbas certis litteris et documentis comprobasset, quod progenitores eiusdem Pauli et fratrum suorum, in dicta possesione *Walkoch,* eorundem domini abbatis et conventus, non magis quam unam curiam integram, cum pertinenciis suis, ex colacione et donacione antecessorum abbatum habuissent et ipsi modo habere et possidere deberent. Unde idem dominus frater Ladisslaus abbas, vice et nomine sui conventus, eandem curiam cum pertinenciis suis, memorato Paulo et fratribus suis, pro eorum serviciis in perpetuum tenendam, possidendam dedit et contulit; ita tamen, ut debitam obedienciam et servicia, tamquam *alii prediales,* ipsi abbati et suo monasterio exhibere debeant, ipsamque possessionem *Walkoch* eorundem domini abbatis et conventus, nunc pro parte habitatoribus destitutam, populis iobagionibus locare et decorare ad honorem ipsius monasterii debeant, sub libertate decem annorum a data presencium futurorum. Elapsis vero ipsis decem annis, idem Paulus aut heredes sui, pro usufructu et utilitate eiusdem possessionis, singulis annis, semper in festivitate beati Michaelis archangeli, sine crastinacione duodecem pensas denariorum latorum Vienensium, ipso abbati et suo monasterio, dare et solvere debeant et teneantur. Pro expensis vero per ipsum abbatem litis in processu factas, iudiciis ac gravaminibus, in quibus memoratus Paulus et fratres sui, contra eundem Ladisslaum abbatem aggravati fuissent et essent, duodecem marcas denariorum in duobus terminis infrascriptis: videlicet sex marcas octavo die beati Georgii, martiris et reliquas sex marcas octavo die Omnium Sanctorum, proxime post se venturo, sub pena dupli, si aliquem terminorum premissorum obmitterent in solvendo, prelibato domino Ladisslao abbati, similiter dare et solvere sint astricti. Atque premissa omnia prefatus Paulus sua, ac fratrum suorum in personis, virtute procuratorie prenotate, stricte obligavit coram nobis. Assumens eciam idem Paulus meta*m* et terminos infrascriptos eiusdem possessionis *Valkoch* vocat*a* defendere et custodire iuxta suum posse. Terminaret autem ipsa possessio, cum pertinenciis suis hoc ordine: primo a parte meridionali in quadam via publica curili vadens de villa *Soway* versus villam *Wezekyn,* usque ad aliam viam *Chakyut* vocata, de villa *Nempchen,* versus possessionem *Kelechen* vocat*a* tendentem, que via *Chakyut* separet ab aliis usque rivulum, de dicta possessione *Walkoch* fluentem, et abhinc ipse rivulus divideret ab aliis per modicum spacium ascendendo, usque unam metam terream, penes ipsum rivulum a parte aquilonari habita; deinde ad eandem plagam in valle, que vallis sequestraret ab aliis circu*i*endo et vergendo, quasi ad plagam septemtrionis, ad unam metam terream penes quandam viam habitam, et de ipsa meta ad eandem plagam septemtrionis directe tendendo terminaret ad unam magnam metam terream antiquam, que meta in aliis literis privilegialibus metalibus condam *Gyesse* regis conscripta, haberetur. Datum, die dominico Reminiscere, anno Domini M° ccc° vicesimo septimo.

29. Sept.

1. Maii.

8. Nov.

Sigillum e zona membran., pendet. — Originales membran., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 5. fasc. 1. nr. 1. — Habetur et aliud par hujus instrumenti ibidem sub. nr. 2. priori per omnia consim., excepto quod loco Nempchen scrib. *Nempcsan* et loce Geysse: *Yesse.*

169.

1327. — 2. Apr. — Carolus I. rex literas suas, capitulo Poson., super possessione Flancendorf concessas, privilegialiter edit.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Pium est, ut ea que in ius et proprietatem sancte matris ecclesie devenerunt et cesserunt, perpetuo stabilire principis patrocinio presidentis fulciantur. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod discretus vir, magister *Nicolaus,* prepositus *Posoniensis* ecclesie, capellanus noster fidelis, suo et dicte ecclesie, ac capituli eius nomine et vice, ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras nostras patentes, super composicione inter ipsum prepositum et capitulum nomine ecclesie Posoniensis predicte ab una parte; ex altera quidem inter fratrem *Thomam* abbatem monasterii beate Marie de *Keedhel* et fratrem *Gerungum,* quondam abbatem eiusdem monasterii, suo et tocius conventus eiusdem nomine et vice, racione possessionis, *Flezyndorph* vocata, facta confectas, huismodi promissionem nostram continentes, ut dum presentes nobis reportarentur, iuxta earum tenorem privilegium nostrum concederemus, petens nos humili precum instancia, ut dictas litteras nostras, ad maiorem huius rei evidenciam, in formam privilegii nostri redigi facere dignaremur, quarum tenor talis est:

1326.
Seriem vide super. a 1326. sub. nr. 154. 13. Oct.

Exhibuit eciam idem *Nicolaus* prepositus, cum dictis litteris nostris, litteras patentes fratris *Ottonis* abbatis Sancte Crucis *de Austria,* pariter litteras fratris *Jacobi* moderni abbatis et tocius conventus dicti monasterii sancte Marie *de Keedhel,* ordinis Cysterciensis, sub pendentibus sigillis eorumdem, super consensu et assensu huius composicioni, in prescriptis litteris nostris contente, prestito, confectas et habitas, inter cetera eciam prescriptum tenorem litterarum nostrarum per ordinem modo premisso continentes, quarum tenor, preter tenorem dictarum litterarum nostrarum eisdem insertum, is est:

1326.
Tenorem vide a. 1326. nr. 154. ex ipso orig. edit. 11. Nov.

Nos itaque ex tenoribus prescriptarum litterarum, ex eo quod dicta possessio, *Flezyndorph* vocata, ius et proprietas dicte ecclesie *Posoniensis* existat, lucidissime certitudinem accipientes, easdem litteras nostras patentes, in nulla sui parte viciatas, de verbo ad verbum presentibus insertas et in formam privilegii nostri redactas, pariter et litteras ipsorum abbatum et conventus acceptantes, ratificantes, approbantes, predictam possessionem Flezyndorph vocatam, cum omni ea sui iuris plenitudine, qua dicte ecclesie Posoniensi in ipsa composicione est relicta et resignata, eidem ecclesie Posoniensi, et per eam preposito ac capitulo eius, ex certa sciencia, de consilio prelatorum et baronum regni nostri, perpetuo et irrevocabiliter possidere, tenere et habere, presentis privilegii nostri

patrocinio confirmamus. In cuius confirntacionis memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, novi et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Andre,* Albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini Millesimo trecentesimo vicesimo septimo, quarto Nonas Aprilis, regni autem nostri anno similiter XX^mo^ septimo. Venerabilibus in Christo patribus dominis: Bolezlao Strigoniensi et fratre Ladizlao Colocensi archiepiscopis; Johanne Nytriensi, Georgio Syrmiensi, fratre Petro Boznensi, Iwanka Waradiensi, Benedicto Chanadiensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Herrico Wezprimiensi, Nicolao Jauriensi, Chanadino Agriensi et Andrea Transiluano episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Philippo palatino, comite de Scepes et de Wywar; Demetrio magistro tawarnicorum nostrorum, comite Bachiensi et Trinchiniensi; Mykch bano tocius Sclauonie; comite Alexandro iudice curie nostre; Thoma woywoda Transiluano et comite de Zonuk; Paulo bano de Machou, comite Syrmiensi, de Wolkou et de Budrugh; Johanne magistro tawarnicorum et Deseu iudice curie domine regine, consortis nostre karissime; Stephano magistro agasonum; Dyonisio magistro dapiferorum et Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores. 1327. 2. Apr.

Sigillum e roseo et flavo serico pendebat. — Orig. membran., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa C. fasc. 6. nr. 70.

170.

1327. Avignon. 27. Apr. — Joannes PP. XXII., detentores bonorum ecclesiae Posoniensis, per abbatem Montis Pannoniae, ad restitutionem stringi jubet.

Seriem vide sub nr. 178.

171.

1327. Visegrád. 1. Maii. (?) — Alexander, iudex curiae regiae, ad preces capituli Strigon., ob cautelam, transscribit privilegiales Andreae III. regis, in causa super possesione Felvincz agitata, per Siculos de Aranyas productas.

Nos comes *Alexander,* iudex curie excellentissimi principis domini *Karoli,* Dei gracia regis Hungarie, notum fieri volumus universis, quibus expedit, presencium per tenorem: quod currentibus annis Domini M^0^ ccc^0^ xx^0^ septimo, in octavis beati Georgii martiris, mota inter capitulum *Strigoniense* ex una parte, et Siculos de *Kyzd* ex altera, super possessione *Felwinch* vocata, in partibus Transiluanis sita, coram nobis in figura iudicii questione, productisque hinc inde a partibus instrumentis, reprobatisque iudicialiter dictorum Syculorum instrumentis, sentencia eciam pro dicto capitulo contra ipsos Siculos promulgata omni iuris ordine observato. Ex parte dicti capituli, ad cautelam futurorum, extitit nobis humiliter supplicatum, ut tenores litterarum, per dictos Syculos contra ipsum capitulum productarum, sub nostro sigillo transumi auctoritate iudiciaria faceremus, ne successu temporum queant in fraudem et in dicti capituli preiudicium quomodolibet immutari. Quarum quidem litterarum, per dictos Syculos contra dictum capitulum, super vendicacione dicte possessionis *Felwinch* productarum tenor is est: 1327. máj. 1.

Sequitur transsumpt. capit. Transylv. a. 1320. 24. Mart. concessum T. II. 773. nr. 884 ex hoc ipso trans., privilegium Andreae III. regis de a. 1291 in se contin., et T. II. p. 280. nr. 277. commun. 1320. 24. Maii. 1291. 12. Mart.

Nos itaque, iustas et legittimas, ac racioni fore consonas dicti capituli peticiones censentes, cum non sit maliciis hominum indulgendum, sed eorum fraudibus pocius obviandum, ad instanciam dicti Strigoniensis capituli, suprascriptum tenorem dictarum littararum, per dictos Syculos, ut predicitur, productarum, de verbo ad verbum transcribi et presentibus inseri, ac auctoritate nostra iudiciaria in formam publicam futurorum redigi fecimus ob cautelam. In cuius rei testimonium, presentes eisdem concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum in *Vyssegrad.*

Sigillum detritum e viridi et flavo pendet serico. — Orig. membran. in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 66. fasc. 1. nr. 6.

172.

1327. Visegrád. 4. Junii. — Alexander, iudex curie regie, possessionem Felvincz, in Transylvania sitam, capitulo Strigoniensi adjudicat et statui jubet.

[N]os comes *Alexander,* iudex curie serenissimi principis domini *Karoli* incliti regis Hungarie, memorie commendantes significamus, quibus expedit, presencium per tenorem universis: quod cum anno Incarnacionis Dominice 1320. M° ccc° vigesimo, *Gregorius,* filius Petri de *Gyogh,* homo domini nostri regis, sub testimonio honorabilis capituli *ecclesie Transsiluane,* Siculos de *Kyzd,* iuxta *Aranas* existentes, contra honorabile capitulum sancte *Strigoniensis ecclesie* legitime citacionis processu observato, ad regie maiestatis presenciam citasset specialem; causaque ipsarum parcium iuxta continenciam litterarum magnifici viri magistri *Lamperti,* bone memorie predecessoris iudicis curie regie, edicto regio interveniente, ad octavum diem *accessus domini nostri regis ad partes Transsiluanas in Albam* fuisset prorogata. Demum itaque, dum idem dominus noster rex, pro rebellionibus et ausibus temerariis quorumdam, qui iugo debiti obsequii deposito, cornu sue infidelitatis contra dominum suum naturalem elevare inprobe nitebantur, reconpesscendis et conterendis, anno Domini M° ccc° xx° quarto accedens, memorato magistro Lamperto stadium huius vite ibidem in partibus Transsiluanis feliciter finiente, nobili ac magnifico viro domino 1324. *Thoma* woyuode Transsiluano, comiti de *Zonuk* et de *Cybinio,* prout in litteris eiusdem domini nostri regis plenius continetur, iudicandum commisisset. Idemque Siculi, in termino ad partes Transsiluanas ambabus partibus assignato, ad presenciam ipsius domini woyuode, ipsis pro iudice a domino rege tunc deputati, legitimis procuratoribus eiusdem capituli Strigoniensis coram eodem woyuoda legitime comparentibus et expectantibus, nec venissent nec misissent: iidemque legitimi procuratores capituli antedicti, ex commissione eiusdem domini woyuode, ad legitimum terminum eosdem Siculos, observato debito modo citacionis, ad presenciam sepedicti woyuode, ut in litteris suis uberius vidimus, evocassent. Tandemque idem dominus noster rex, ipsam causam ad suam specialem presenciam, ut caucius iudicium fieri posset inter partes, iterato resumens: de voluntate parcium earundem, ad octavas festivitatis beati Georgii martiris, tunc proxime subsequentes; ipsis autem octavis beati 1324. 1. Maii. Georgii advenientibus, de legitimorum procuratorum earumdem par-

cium beneplacito, ad octavas tercie revolucionis annualis eiusdem festi beati Georgii ad finalem decisionem et expedicionem, sine ulteriori dilacione partibus faciendam, fuisset prorogata. Igitur occurrentibus ipsis octavis tercie revolucionis annualis, videlicet anno Domini M⁰ ccc⁰ xx⁰ septimo, 1327. 3. Maii. discretis viris dominis *Theophilo* preposito et magistro *Johanne* archidiacono *Huntensi,* procuratoribus memorati capituli, pro eodem sancte Strigoniensis ecclesie capitulo ab una parte; item *Jacobo Rufo* et *Petro* filio Jacobi, similiter procuratoribus dictorum Siculorum, cum causalibus litteris eorumdem Siculorum, pro ipsis Siculis de *Kyzd* ex altera, ex regia speciali permissione coram nobis, nec non coram quibusdam prelatis barronibus ac nobilibus regni, *ad id de speciali mandato regio deputatis,* comparentibus et constitutis, iidem prepositus et Johannes archidiaconus, vice et nomine eiusdem Strigoniensis ecclesie capituli, quedam privilegia seu instrumenta illustris principis domini *Ladizlai,* inclite memorie quondam regis Hungarie, privilegiales litteras serenissimi principis domini *Andree* regis, felicis recordacionis, regni Hungariae rem publicam feliciter quondam gubernantis, anno Dominice Incarnacionis M⁰ cc⁰ XIX confectas confirmancia, nobis presentarunt et in medium produxerunt. In quibus, quod prelibatus dominus *Andreas rex,* quandam 1219. terram, *Oronaswynch* vocatam in partibus *Transsiluanis,* sub metis et terminis quibusdam, cum utilitatibus ac aliis pertinenciis, ut ibidem expressius habetur, pro quibusdam specialibus fidelitatibus domini *Johannis* quondam *archiepiscopi,* eiusdem Strigoniensis ecclesie et sui capituli, canonicis de eodem capitulo perpetuo contulerit possidendam; et quod *Neuke,* tunc *woyuoda Transsiluanus,* ex mandato regie maiestatis, convocatis universis quos oportuit interesse, in possessionem et dominium eiusdem terre et suarum utilitatum, sub metis et terminis, ut ibidem clarius continetur, ab aliis terminis aliorum ipsam distinguens introduxerit, nemine penitus contradictore apparente, compertum extitit evidenter. In quorum contrarium, supradicti Jacobus et Petrus, suo et eorumdem Siculorum nomine, formam seu transscriptum quarumdam litterarum privilegialium *Andree* regis, quedam privilegialia instrumenta supradicti domini *Ladizlai* regis anno Domini M CC nonagesimo primo emanata confirmancium, sub sigillo 1291. honorabilis capituli *ecclesie Transsiluane* nobis exhibuerunt, in quibus comperimus contineri: quod idem *Andreas* rex, pro multifariis fidelitatibus et serviciorum meritis, sicut ibidem prolixius est insertum, ipsam terram *Fulwynch* inter certas terras ipsis Siculis, sine preiudicio tamen iuris alieni, ut ibidem habetur, contulisset perempniter tenendam et habendam. Verum tamen, quod aliquis homo regius, legitimo processu observato, ipsam terram dictis Siculis statuisset, et quod idem dominus rex *Andreas,* auferendo eandem terram a capitulo Strigoniensi memorato, ipsis Siculis contulisset, non repericbatur in litteris eorumden. Nos igitur, una cum venerabilibus patribus dominis fratre *Ladizlao,* Dei et apostolica gracia *Colocensi* archiepiscopo, aule regie cancellario, *Nicolao Y*auriensi et *Andrea* Transsiluano ecclesiarum episcopis; item honorabilibus viris magistro *Andrea Albensis* aule regie vicecancellario, *Johanne Wesprimiensis, Nicolao Transsiluane, Andrea Budensis* et *Stephano Quinqueecclesiensis* ecclesiarum prepositis; preterea magnificis viris *Philipo* palatino, comite Scepesiensi et de Wyuar, ac iudice Comanorum; *Demetrio* magistro thawarnicorum domini nostri regis; *Thoma* woyuoda Transsiluano comite de *Zonuk* et

de *Cybinio; Mikch* bano tocius Sclauonie; magistro *Symone comite Siculorum,* nec non cum aliis regni nobilibus, qui tunc interesse poterant ex regio edicto, eorumdem privilegiorum tam diversis temporibus, ut pretactum est, contra sese confectorum et emanatorum continencias diligentissime iudicio racionis intuentes, viresque unius instrumenti ad alterius vigorem comparantes et conferentes, ex hincque plurimis diebus maturis deliberacionibus, coniecturacionibusque providis habitis in premissis, quia privilegialia instrumenta ipsius capituli Strigoniensis antiquiori tempore et priori fuerunt emanata; et quod per duos reges *Belam* videlicet et *Ladizlaum* eedem (sic!) privilegia fuerant confirmata et munita, prout in litteris confirmatoriis eiusdem domini *Ladizlai* regis plenius inspexissemus contineri; ipsaque terra per hominem regium sub certis metis, in ipso privilegio eorum conscriptis, legitimo processu, ut pretactum est, ipsis canonicis seu capitulo statuta fuisse reperiebatur; et deinde quia privilegia ipsius domini *Andree* regis, nomine ipsorum Siculorum exhibita, moderniori et posteriori tempore confecta extiterant, nec legitime per hominem regium ipsis Siculis ipsa terra statuta extitit; et quod per eundem Andream regem eis, sine preiudicio alieni iuris, fuit donata; pro eo eciam, quia iidem Siculi privilegium ipsorum a tanti temporis spacio in lucem non porrexerunt, sed semper in absconditis tenuerunt; propter hoc eciam specialiter quia collacionem, per prius nominatum dominum *Andream* regem ipsis canonicis prius et antiquius factam, novissime subsequens Andreas rex, pretendens aliquam evidentem racionem, in eisdem litteris suis non revocavit, nec ipsam terram quoquo modo abstulit ab eisdem; nec ipse littere domini *Ladizlai* regis, de possessione *Fulvynch,* aliquam pro Siculis faciebant mencionem; item quia dominus *Ladizlaus* rex quorumlibet impetraciones de ipsa possessione *Fulvynch* irritabat, cassabat, seu in irritum revocabat: memoratam terram seu possessionem *Felvynch,* sub metis terminis et distinccionibus, ac cum utilitatibus suis quibuslibet et pertinenciis, atque cum tributo salium, secundum quod in litteris privilegialibus ipsorum capituli uberius habetur, ipsis canonicis capituli ecclesie Strigoniensis adiudicari debere decernentes, modo pretacto ipsis canonicis adiudicavimus, appropriavimus et sentencionaliter proporcionavimus; ac eciam per hominem nostrum specialem *Mark* nomine, secundum regni consuetudinem approbatam, statui iam iussimus perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam; ipsis Siculis, tam singulis singulariter, quam toti communitati eorumdem communiter, super predicta possessione *Feulvynch* perpetuum silencium imponentes. Si autem iidem Siculi aliqua instrumenta, seu litteras privilegiales, in facto terre *Feulvynch* prenotate haberent et habuissent, et easdem occultando noluissent exhibere, in quantum ipsam terram *Feulvynch* in se continent dampnamus, irritamus ac anichilamus in hys scriptis. In cuius adiudicacionis nostre testimonium et perempnem firmitatem, has litteras nostras privilegiales, sigilli nostri autentici, nec non quorumdam aliorum premissorum, ipsam causam regio edicto iudicancium nobiscum, sigillorum pendencium apposicionibus, ad maiorem evidenciam iusticie eiusdem Strigoniensis capituli communitas, ipsi capitulo duximus emanari faciendum. Datum, in *Wyssegrad,* quinta feria proxima ante octavas Penthecostes, anno Domini M CCC vigesimo septimo.

Octo sigillorum quatuor penitus perierunt, quatuor vero solum in fragm. remanerunt... — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Ladula 66. fasc. 1. nr. 5.

Privilegiales ac adiudiciales has Alexandri iud. curie Caroli I. regis, ad preces Theophili prepositi et Ladizlai lectoris, canonicorum capit. Strigon., transsumit eodem anno 17. Junii., Jacobus magister et conventus Crucif. de Strigon. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strig. Priv. Lad. 66. fasc. 1. nr. 4.

173.

1327. Visegrád. 12. Jun. — Carolus I. rex, conventui Cruciferorum de Strigonio mandat, ut Boleslao archiepiscopo possessionem Borch, in comitatu Barsiensi existentem, statuat.

Edid. Cod. Dipl. Com. Zichy T. I. p. 299.

174.

1327. (Pozsony.) Post 24. Jun. — Capitulum Poson., privilegiales magistratus Poson., possessionem Vök, Michaeli filio Gregorii de eadem, ceu haereditariam, remittentes, transsumit et seriem facti attestatur.

Nos capitulum ecclesie *Posoniensis,* significamus quibus expedit presencium per tenorem universis: quod accedens ad nostram presenciam *Michael* filius Gregorii de *Wylk,* exhuit (sic!) nobis litteras nobilis viri magistri *Petri* dicti *Orrus,* vicecomitis Posoniensis, in quibus requirebat nos diligenter, quod nos litteras privilegiales, cum sigillo suo et sigillis quatuor iudicum ipsi Michaeli datas et concessas, nostris litteris transscribi faceremus tuciorem ad cautelam; quarum tenor per omnia talis est:

Nos magister *Petrus,* vicecomes *Posoniensis* et quator iudices nobilium de eodem, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod nos recepimus litteras regias, anulari sigillo consignatas, hunc tenorem continentes:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis magistro *Nicolao,* comiti *Posoniensi,* vel vices suas gerenti, et quatuor iudicibus nobilium de eodem, salutem et graciam. Fidelitati vestre firmiter precipiendo damus pro (sic!) in mandatis, quatenus apud quemcunque vel quoscunque possessiones, hominum sine herede decedencium, indebite per quempiam occupatas et detentas in predicto comitatu, vel (sic!) invenire poteritis, reimpedire et reambulare faciatis, iuris ordine observato.

Nos ergo preceptis regie maiestatis obedire volentes, ut tenemur, quandam possessionem *Vylk* vocatam, in *Chollokuz* existentem, sitam iuxta possessionem discreti viri magistri *Nicolai prepositi Posoniensis* a parte occidentali, et possessionem *Pamse* iudicis nobilium a parte orientali, occupatam per *Michaelem* et *Petrum,* filios Gregorii et detentam usque modo, fecimus reambulare et recaptivare et predictos nobiles nostro iudicio astrare (sic!) coartantes. Sed quia idem Mychael et Petrus, in figura nostri iudicii coram nobis, cum nobilibus et ignobilibus eiusdem comitatus et commetaneis et vicinis hoc comprobarunt, ut ipsa possessio *Wylk* ipsorum sit hereditaria, avus et pater, ac antecessores ipsorum pacifice dinoscantur possidere et quiete, ob hoc nos possessionem predictam eisdem reddidimus possidendam. In cuius rei memoriam presentes concessimus litteras nostras patentes, sigillorum nostrorum presencium munimine roboratas. Datum *Posonii,* in festo beati Johannis Baptiste, anno Domini M° CCC° XX^mo^ septimo. 1327. 24. Jun.

Nos vero peticionibus eiusdem magistri *Petri* vicecomitis annuentes, et

maxime nos eundem *Michaelem* nobilem, *vicinum possessionis ecclesie nostre,* ab olim cuius memoria non constat, certo cercius cognoscentes, dictas litteras de verbo ad verbum presentibus transscribi sigillique, munimine consignari facientes.

Conclusio incompleta mansit. — Fragmen sigilli e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 20. nr. 10.

175.

1327. (Győr.) 29. Jun. — Capitulum Jaurinense, ad preces Wilhelmi prioris sacri montis Pannon. transscribit privilegiales Boleslai archiepiscopi, anno 1325 super immunitate possessionis Dienesd emanatas.

Ed. Cod. Andegav. T. II. p. 308. — Cf. sup. nr. 88.

176.

1327. (Nyitra.) 1. Julii. — Capitulum Nitriense, filios Emerici de Bossány, possessionem Ozna, filiis Zoncsuk, vendidisse perhibet.

Capitulum ecclesie *Nitriensis,* omnibus Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in largitore salutis. Ad universorum igitur noticiam, harum serie, volumus pervenire, quod Janka, filius Emerici de *Wosyan,* Stephanus, Nicolaus, Jacobus et Peteu, filii sui; item *Baka,* frater eiusdem, ab una parte; Rubinus, Nicolaus, Johannes et Dyonisius, filii *Zonchuk* ex altera, coram nobis personaliter constituti; dicti Janka et filii sui, ac Baka frater eiusdem, quandam particulam terre sue *Ozna* vocate, iuxta fluvium *Sytua,* in comitatu Borsiensi, circa possessionem dictorum filiorum Zonchuk, *Ebedych* vocatam, adiacentem, cum universis suis utilitatibus, terris arabilibus, silvis, pratis, nemoribus et aliis quocunque nomine censeantur, et cum privilegio domini regis *Bele,* quondam inclite recordacionis, cuius vigore et quibus mediantibus iidem usque modo possederunt, predictis Rubino, Nicolao, Johannes (sic!) et Dyonisio, ac per eos suis heredibus, heredumque suorum successoribus, pro decem et octo marcis denariorum, plene in nostri presencia receptorum ab eisdem, vendiderunt, dederunt et tradiderunt, iure perpetuo pacifice et irrevocabiliter possidendam, tenendam semper et habendam; omni iure, omnique proprietati et dominio renunciantes, quod vel quam in ipsa particula terre *Ozna* habere noscebantur; assumpmentesque predictos Rubinum, Nicolaum, Johannes (sic!) et Dyonisium, filios Zonchuk, et heredes ipsorum expedire ab omnibus hominibus in futurum, racione dicte terre molestare seu inpetere volentibus, propriis laboribus et expensis. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem, presentes concessimus litteras, sigilli nostri autentici munimine roboratas, et per medium alphabeti intercysas. Datum, in octavis festi beati Johannis Baptiste, anno Domini millesimo trecenthesimo vigesimo septimo, magistro Stephano lectore ecclesie nostre existente.

A. B. C.

Sigillum ex albo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Publ. Caps. 1. fasc. 3. nr. 2.

177.

1327. Avignon. 1. Julii. — Joannes PP. XXII., Strigoniensi et Colocensi archiepiscopis notificat, facultatem contra haereticos inquirendi per Bosniam, a fratribus Ord. Praedic. subreptitie obtentam revocatam, ac Fabiano Ord. Min. reservatam esse.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 247.

178.

1327. (Pannonhalma.) 13. Jul. — Abbas montis Pannonie, literas Joannis PP. XXII., quibus detentores bonorum ecclesie *Poson.*, per eundem abbatem ad restitutionem stringi iubet, transscribit et exequi promittit.

Frater *Nycolaus,* Dei et apostolice sedis gracia, *abbas* monasterii *Sancti Martini de saro* (sic!) *monte Pannonie,* omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis, salutem in Domino. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum volumus pervenire: quod anno Domini millesimo ccc⁰ vigesimo septimo, nobis in ecclesia nostram residenciam facienti, discreti 1327. et honesti viri, prepositus et capitulum *ecclesie Posoniensis,* quasdam litteras sanctissimi in Christo patris domini nostri, domini *Johannis,* sacrosancte Romane ac universalis ecclesie sumpmi pontificis, sub vera bulla cum filo canapi presentantes, petiverunt ut ea, que in ipsis litteris sumpmi pontificis continentur, execucioni mandaremus, ipsisque nostras litteras testimoniales, dictas papales litteras inserendo, super huiusmodi presentacione litterarum papalium concedere dignaremur. Quarum quidem litterarum tenor talis est:

Johannes, episcopus servus servorum Dei, dilecto filio ... abbati monasterii sancti Martini de sacro monte Pannonie, *Jauriensis* dyocesis, salutem et apostolicam benedicciones. Significarunt nobis dilecti filii ... prepositus et capitulum ecclesie *Posoniensis,* Strigoniensis dyocesis, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, decimas, census, redditus, legata, terras, domos, possessiones, ortos, pascua, prata, nemora, instrumenta publica et quedam alia bona, ad ipsam ecclesiam spectancia, temere ac maliciose occultare et occulte detinere presumunt non curantes ea, dicte ecclesie exhibere, in animarum suarum periculum et dictorum prepositi et capituli, ac ecclesie non modicum detrimentum; super quo iidem prepositus et capitulum, apostolice sedis remedium inplorarunt. Quocirca discrecioni tue, per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes huiusmodi occultos detentores decimarum, censuum, reddituum et aliorum bonorum predictorum, ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo, per te vel per alium moneas, ut infra competentem terminum, a te prefigendum, eisdem ea predictis preposito et capitulo a se debita restituant et revellent, ac de ipsis plenam et debitam satisfaccionem impendant. Et si id non impleverint, infra alium terminum competentem, quam eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum, extunc in eos generalem excommunicacionis sentenciam proferas, faciens eam ubi et quando expedire videris, usque ad satisfaccionem condignam, solempniter publicari. Datum, *Auinioni,* V. Kalendas Maii, pontificatus nostri anno undecimo. 1327. 27. Apr.

Nos igitur, dicto domino nostro sumpmo pontifici obedire et obtemperare volentes, ut tenemur, et ipsius mandatum exequi affectantes, peticionibus quo-

que, dictorum prepositi et capituli ecclesie Posoniensis memorate, satisfacere cupientes, ipsas litteras papales in nostras litteras de verbo ad verbum transscribi fecimus et transsumpmi, nostroque sigillo autentico roborari. In quibus quidem litteris nostris, dictos prepositum et capitulum, predictas litteras papales nobis presentasse profitemur, nosque de mandati huiusmodi execucioni intromisisse et ipsum mandatum velle exequi indefesse confitemur. Datum, actum et transsumptum, tercio Idus Julii, anno et loco prenotatis.

Sigillum e zona membr. pendebat. — Orig. pulchre exaratum, in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa G. fasc. 6. nr. 147.

179.

1327. Gyulafehérvár. 30. Jul. — Capitulum ecclesie Transylvaniensis, capitulum Strigon. contra siculos de Kisd, ob possessionem Felvincz, protestatum esse testatur.

Nos capitulum *ecclesie Transsiluane,* damus pro memoria, quod discreti viri *Theophylus* sancte *Strigoniensis* ecclesie prepositus et magister *Gregorius* eiusdem ecclesie canonicus, suo et tocius capituli eiusdem vice et nomine, coram nobis personaliter constituti protestati sunt per hunc modum: quod cum in vigilia Pentecostes proxime preterita, magnificus vir *Alexander* comes, iudex curie domini regis Hungarie, una cum prelatis superioribus et inferioribus, barronibus et nobilibus regni, qui tunc presentes in curia regia aderant, sedens pro tribunali, possessionem *Feluinch* vocatam, cum suis pertinenciis, metis et terminis antiquis limitatam, prout in privilegiis ipsius capituli continebatur, quam Syculi de *Kyzd* potencialiter detinebant occupatam, eidem capitulo adiudicasset et sentenciam diffinitivam tulisset pro eodem capitulo, ipsis Syculis perpetuum silencium imponendo. Sed ipsi Syculi, iudicium regium et iusticiam regni parvi pendentes, ymmo contempnentes, a die date sentencie super hoc, super populos ipsius capituli in eadem possessione *Felwynch* residentes, solum per facti potenciam propria temeritate, centum quinquaginta marcas, successivis vicibus, in grave preiudicium et iacturam ipsius Strigoniensis ecclesie exegissent, prout certitudinaliter a communibus Christi fidelibus et ab eisdem populis experiri potuerunt. Prohibuerunt et coram nobis predictos Syculos, ut a prefata possessione et a populis in eadem residentibus, manus suas retraherent et dominium iudicandi, aut aliquas utilitates et proventus, exacciones, collectas pro se percipiendi, quemadmodum usque nunc potencialiter habuerunt, deinceps non haberent et omnino cessarent a vexacione eorumdem. In cuius protestacionis et prohibicionis testimonium et memoriam, ut tempore debito ius ipsius capituli servetur illesum, ad peticionem eorumdem prepositi et magistri Gregorii, presentes eisdem exigente iusticia, duximus concedendas. Datum, feria quinta proxima ante festum sancti Petri ad Vincula, anno Domini M° ccc° xx^mo^ septimo. 1327. 30. Maii.

Extus: Protestacionalis pro capitulo ecclesie Strigoniensis, contra Syculos de *Kyzd,* super exaccione centum et quinquaginta marcarum a populis ipsius capituli de *Feluinch* et aliis articulis. — Sigillum plicaturae fuit appressum. — Orig. membr., pulchre exaratum, in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 66. fasc. 1. nr. 8.

180.

1327. Torda. 2. Aug. — Thomas vajvoda Transsylvanus, capitulum Strigoniense, contra Siculorum de Aranyaskisd facta potentionaria, protestatum esse testatur.

Nos *Thomas,* woyuoda *Transsiluanus* et comes de *Zonuk,* damus pro memoria: quod cum nos in congregacione nostra generali, in dominica videlicet in crastino octavarum beati Jacobi apostoli, una cum universis nobilibus et iudicibus nobilium de partibus Transsiluanis, in Thorda celebrata essemus, honorabiles et discreti viri *Theophylus* dictus *Puer,* sancte Strigoniensis ecclesie prepositus et magister *Gregorius,* eiusdem ecclesie canonicus, in eadem congregacione nostra, coram nobis personaliter constituti, suo et tocius *capituli Strigoniensis* vice et nomine, dixerunt et protestati sunt in hunc modum: quod vir magnificus *Alexander* comes, iudex curie serenissimi principis domini *Karoli,* Dei gracia regis Hungarie domini nostri, una cum prelatis et baronibus, ex quibus nos tunc unus fuimus, ac nobilibus regni, qui tunc presentes aderant, sedens pro tribunali, possessionem *Feluinch* vocatam, cum omnibus suis pertinenciis, quam Syculi de *Kyzd* longo tempore detinuerant potencialiter occupatam, eidem capitulo Strigoniensi, prout eorum iuris extiterat adiudicavit, data sentencia super hoc diffinitiva pro capitulo memorato, et ipsum capitulum per hominem eiusdem domini nostri regis, *Mark* nomine, cum testimonio capituli *ecclesie Transsiluane,* secundum consuetudinem regni iusserat introduci in possessionem prenotatam. Sed cum ydem homo domini nostri regis, cum testimonio ipsius capituli Transsiluani, una cum eisdem preposito et magistro Gregorio voluissent intrare in eandem possessionem, ut debebant, predicti Syculi de *Kyzd,* congregata multitudine eorum, eosdem domini nostri regis et capituli homines, nec non prepositum et magistrum Gregorium potencialiter, contra iusticiam et mandatum regium prohibuerunt sic dicendo: quod si periculum suarum personarum vellent evitare, ingressum eorum ulterius prohiberent, nullum passum faciendo; ubi in via publica stantes, erecta cervice, propria temeritate ducti, nec mandatum, nec litteras ipsius domini regis videre et audire voluerunt; ac a reambulacione et statucione ipsius possessionis et ereccione metarum similiter prohibuissent manu violenta. Infamantes ipsum Alexandrum comitem, iudicem curie eiusdem domini nostri regis, in presencia multorum et coram ipsius domini regis et capituli predicti hominibus, dixerunt pro pecunia falsum iudicium iudicasse. Protestati sunt eciam, iidem prepositus et magister Gregorius, quod a vigilia Pentecostes, post datam sentenciam iudiciariam, super populos in eadem possessione residentes centum quinquaginta marcas, cum ipsorum gravamine, exegissent Syculi memorati, preter alias molestias et iniurias, quas eisdem populis non desistunt irrogare. Quibus taliter protestati, prohibuerunt eosdem Syculos, in presencia tocius nostre congregacionis, ut cessarent a regimine dominio, infestacione et vexacione eorumdem populorum, et manus suas retraherent penitus ab eisdem, nec ipsos ad suum iudicium ulterius evocarent. In cuius protestacionis et prohibicionis testimonium, ad peticionem ipsorum prepositi et magistri Gregorii, exigente iusticia, nostras litteras duximus concedendas. Datum, die et loco memoratis, anno Domini M° CCC° XX° septimo.

1327. 2. Aug.

1327. 30. Maii.

Extus: Super protestacione facta contra Syculos de *Kyzd,* pro preposito et capitulo ecclesie Strigoniensis. — Sigillum plicaturae fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 66. fasc. 1. nr. 9.

181.

1327. — 6. Oct. — Magistratus comitatus Csongradiensis, conventum s. Benedicti de iuxta Gron, contra Georgium de Tees, ratione possessionis Kesekun, prohibitionem interposuisse, perhibet.

Ed. Cod. Andegav. T. II. p. 327.

182.

1327. (Nyitra) 18. Oct. — Capitulum Nitriense, transscribit bullam Honorii PP. III., super celebratione capituli generalis ordinis S. Benedicti, concessam.

Capitulum ecclesie *Nitriensis*. Omnibus Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in largitore salutis. Ad universorum igitur noticiam, harum serie volumus pervenire: quod viri religiosi et Deo devoti fratres et domini, *Ladislaus*, de Sancto Benedicto *de iuxta Gron, Ladislaus de Klus, Benedictus* de *Sceplok, Gregorius* de *Zoborio* et *Thomas de Ludano* abbates, ad nostram accedentes presenciam personaliter, exhibuerunt nobis litteras sanctissimi patris domini *Honorii* tercii, divina miseracione sumi pontificis, super celebracione capituli generalis ordinis sancti Benedicti confectas, suplicantes cum instancia, ut tenorem earumdem nostris litteris patentibus transcribi faceremus, quatenus temporibus inpaccatis, ipso originali in loco semoto reservato, statuta in eodem quibus et ubicunque voluerint et debuerint in huiusmodi rescripto facilius valeant et possint exhibere. Quarum tenor talis est:

Sequitur bulla Honorii PP. III. de a. 1225 ex hoc ipso trans. edit. T. I. p. 249. nr. 269. 1225. 13. Febr.

Nos igitur peticiones dictorum dominorum abbatum considerantes iuri conggruas, et racioni consentaneas, dictasque litteras apostolicas in omni sui parte iuste inspicientes emanatas, tenorem earumdem de verbo ad verbum, absque addicione, vel diminucione qualibet, presentibus inseri et nostri sigilli appensione feceremus communiri. Datum per manus magistri *Stephani*, ecclesie nostre lectoris, in festo beati Luche ewangeliste, anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo septimo.

Sigillum e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 44. fasc. 1. nr. 14.

183.

1327. — — Capitulum Budense, Stephanum castellanum de Visegrád, Olario de Pozsega, possessionem Nyirmál donasse et partim vendidisse testatur.

A. B. C.

Capitulum *Budensis* ecclesie, omnibus Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum, tam presencium quam futurorum noticiam, harum serie volumus pervenire: quod viro nobili magistro *Stephano* castellano de *Wyssegrad* et comite de *Pylis* ab una parte, item *Olaar* filio Benedicti de *Pasaga* ab altera, coram nobis personaliter constitutis, per eundem magistrum Stephanum, habita deliberacione provida et deliberata provisione, relatum extitit in hunc modum: quod consideratis fidelibus serviciis eiusdem Olaar, filii Benedicti, que sibi cum omni studio fideli-

tatis, a primevis puericie sue temporibus impendit, bona sua et suam personam diversis fortune casibus subnectendo, presertim receptis quinquaginta marcis ab eodem in argento mercimoniali, ut dixit, quandam possessionem suam *Nirmal* vocatam, in comitatu *Strigoniensi* existentem, cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis universis, sub eisdem metis et terminis, sub quibus per ipsum habita extitit et possessa usque modo, per serenissimum principem dominum *Karolum*, Dei gracia illustrem regem Hungarie, dominum nostrum, ob merita serviciorum suorum sibi per eundem dominum regem collatam, ex permissione eiusdem domini nostri regis, sicut in aliis litteris privilegialibus eiusdem domini nostri regis vidimus contineri dedisset, tradidisset, vendidisset et contulisset Olaar predicto, filio Benedicti prenotato, in filios filiorum eiusdem perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam et habendam. Omne ius dominii, quod in ipsa possessione habebat, in ipsum Olaar et suos successores transferens, nullo penitus iure sibi in eadem reservando (sic); privilegia eciam, quibus mediantibus eandem possessionem habuit, ad maiorem cautelam, ad manus ipsius Olaar assignans coram nobis. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad peticionem dicti magistri Stephani, eidem Olaar, presentes nostras litteras privilegiales duximus concedendas. Datum per manus discreti magistri *Petri*, lectoris ecclesie nostre, anno Domini M CCC vigesimo septimo; magistro *Petro* cantore, *Jacobo* custode *Posonio* (sic!), *Petro* quondam decano, Petro *Sykulo*, *Dominico* presbiteris, *Johanne* et altero *Johanne Crisio*, *Laurencio*, *Jacobo* et altero *Jacobo*, *Petro* magistris, ceterisque canonicis existentibus.

Sigillum integrum e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Cap. Strigon, Priv. Lad. 29. fasc. 1. nr. 8. — Cf. nr. 158. super. exhibit.

184.

1328. Visegrád. 25. Jan. — Comes Alexander, judex curiae regiae, possessionem Tŭrnye seu Csukárd, ecclesie Poson. adjudicat, Andream autem et Iványkam, tamquam iniustos detentores, in facto potentiali convincit.

Nos comes *Alexander,* iudex curie serenissimi et illustris principis domini *Karoli,* incliti regis Hungarie, comes *Castri Ferrey,* et castellanus de *Saar,* memorie commendantes significamus, quibus presentes ostenduntur, presencium per tenorem universis: quod cum vir discretus magister *Nicolaus,* prepositus Posoniensis, comes capelle domini regis, in sua personaliter et capituli *ecclesie Posoniensis* persona, cum legitimis procuratoriis litteris, regiam accedendo presenciam, quandam possessionem seu *villam Twrnye,* alio nomine *Chukarfolua* vocatam, in comitatu Posoniensi, inter *Posonium* et *Tyrnauiam* civitates existentem, simul *cum ecclesia parochiali,* in honore *sancti Dominici* constructa, ad ipsam ecclesiam Posoniensem de iure pertinere proponendo, per regiam benignitatem, a quibuslibet illicitis detentoribus auferri et ipsius ecclesie Posoniensis dominio restitui postulasset, regiaque maiestas sui regni antiquam consuetudinem observare sine macula cupiens, honorabili capitulo *ecclesie Jauriensis,* litteris suis transmissis scripsit sub hac forma, ut ipsum capitulum cum Georgio filio Salomonis de *Chulchtu,* homine suo fidele, suum testimonium transmittat, in cuius presencia idem homo regius, vicinorum et commetaneorum dicte possessionis, legitimis convocacionibus habitis, ad faciem dicte possessionis accederet et eandem per

veteres et antiquas metas reambularet, reambulatamque, si contradiccio cuiuspiam sibi non obviaret, predictis magistro Nicolao preposito et capitulo Posoniensi perpetua stabilitate statueret; contradictores autem ad suam presenciam, legitime citacionis modo observato, contra ipsos prepositum et capitulum ad terminum competentem evocaret; ac ipsum capitulum Jauriense nomina contradictorum et citatorum, per suas litteras, cum termino assignato, regie maiestati remandaret. Quod enim capitulum, per *Andream,* filium Nicolai, filii Iwanka *de Neek* et *Johannem* filium *Chama,* in statucione dicte possessionis contradiccionem factam fuisse, et eosdem Andream et Johannem, racione ipsius contradiccionis ad octavas festivitatis Omnium Sanctorum, anno Domini M° CCC° XX° sexto preteritas, contra eosdem dominum Nicolaum prepositum et capitulum Posoniense, citatos extitisse rescripserat regie maiestati, ut in ipsius capituli Jauriensis litteris citatoriis, seriem premissorum continentibus, satis lucide fuimus informati. Cumque autem ipsa causa, a predictarum octavarum Omnium Sanctorum termino, primo racione prioritatis termini, ad octavas beati Andree apostoli; secundo et anno prenotato, quia tunc ipso Nicolao preposito et magistro *Martino canonico* et procuratore dicti capituli Posoniensis, coram nobis comparentibus et in contrarium ipsorum Andree filii Nicolai et Johannis filii Chama, in facto dicte possessionis Twrnye nominate, proponere volentibus, iidem Andreas et Johannes cum eorum generacionibus, eandem possessionem indivisam et communem fore fatebantur, racione statucionis generacionum eorumdem, ad octavas medii quadragesime; tercio ad octavas beati Georgii martiris; et quarto ad octavas beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno Dominice Incarnacionis M° CCC° XX° septimo elapsas, iuxta continenciam litterarum nostrarum memorialium, modum dilacionum explicancium, sub forma faciende pacis fuisset prorogata. Tandem predicti Andreas filius Nicolai, et Johannes filius Chama, neminem de suis generacionibus, ut assumpserant valuerunt statuere, et ex eo gravamen iudicii subportarunt. Et cum, ob maioris iusticie evidenciam, ne aliquid scrupulum falsitatis iudicio nostro temporis in curriculo queat derogari, per *trinas forenses proclamaciones,* diligenti ammonicione prehabita, per hominem regie maiestatis, presente testimonio capituli Nytriensis, generaciones eorumdem Andree filii Nicolai, et Johannis fili Chama, in contrarium ipsorum magistri Nicolai prepositi et capituli Posoniensis, ad *octavas residencie regalis exercitus,* in perhemptorie responsionis terminum, in regiam presenciam vocare et ipsum iudicium, ante litis ingressum, ipsis Andree filio Nicolai et Johanni filio Chama persolvere; aut si nullus de generacionibus ipsorum compareret, vel neminem statuere possent, ipsis Andree filio Nicolai et Johanni filio Chama, per se in facto dicte possessionis respondere commisissemus. Demum ipsis octavis advenientibus, memorati Andreas filius Nicolai et Johannes filius Chama, una cum Johanne et altero Johanne, filiis Nicolai de *Bwd,* et Thoma filio Lypoldy, ac Iwanka filio Nicolai filii Iwanka, fratre dicti Andree proximis et generacionibus ipsorum, ad nostre iudiciarie auctoritatis accedendo presenciam responderunt: ut nullum de ipsorum generacionibus premissa proclamacione vocassent, dicentes, plures de ipsorum generacione non esse, et si qui forte essent ipsi, pro eis et pro seipsis, ad quelibet opposita ipsorum Nicolai prepositi et capituli Posoniensis, una cum Johanne et Johanne, ac Thoma et Iwanka predictis, responderent in facto possessionis

1326. 8. Nov.

1326. 7. Dec.

1327. 25. Mart., 1. Maii, 6. Jul.

memorate. In quorum contrarium prenominatus magister Nicolaus prepositus, ac magistri *Thomas custos* et Martinus canonici ecclesie Posoniensis, cum legitimis procuratoriis litteris dicti capituli, exsurgendo responderunt proponentes: quod predictam possessionem, Twrnye nominatam, Johannes, filius Petri filii *Chukar,* nobilis iobagio castri Posoniensis, ex regali collacione ab antiquo possessam et ad ipsum Johannem tantum pertinentem, ob remedium anime sue et animarum parentum suorum, antedicte ecclesie Posoniensi perpetuo possidendam contulisset et donasset, nemine contradictore existente. In cuius possessionis dominium patres et proximi alii dictorum Andree et Johannis, contra iusticiam de facto propria voluntate introissent, ecclesiam ipsam Posoniensem de possessione et usu prefate possessionis eicendo, et nunc cum ipsis Johanne et Johanne, filiis Nicolai, ac Thoma filio Lypoldy et Iwanka, fratre dicti Andree, commorarentur in possessione supradicta. Et ad suorum verborum propositorum evidentem probacionem, litteras privilegiales quondam domini regis *Andree* et domini nostri regis *Karoli,* cum antiquo et novo sigillo suo munitas; ac capitulorum ecclesiarum *Strigoniensis* et *Jauriensis,* tenorem eciam litterarum dicti Johanis filii Petri, inter cetera continentes; ac litteras magistri cruciferorum sancti regis Stephani de *Strigonio* nobis presentarunt. In quorum tenoribus ipsam possessionem Twrnye vocatam ad ipsum solum Johannem pertinere, et pro remedio anime sue, ac animarum parentum et proximorum suorum, anno Domini M° CC° nonagesimo primo, per ipsum Johannem filium Petri, sub antiquis metis et terminis, quibus antiquitus extiterat limitata et per suos parentes habita et possessa, predicte ecclesie Posoniensi comperimus perpetuo collata fuisse et ipsam collacionem per dictum dominum *Andream* regem, ac per prefatum dominum nostrum *Karolum* regem illustrem, ex certa sua sciencia, confirmatam et perpetuatam extitisse. In cuius possessionis temeraria occupacione, dicti Nicolaus prepositus, Thomas custos et Martinus procuratores predicti, multiplices inquisiciones, prohibiciones et protestaciones, ipsum capitulum et se, contra iam dictos Andream et Johannem, ac proximos ipsorum predictos, exhibicione litterarum dictorum capituli *Strigoniensis* et *Jauriensis,* ac *cruciferorum* sancti regis Stephani *de Strigonio* fecisse comprobabant. Et hys omnibus peractis, ad ultimum alias litteras capituli Jauriensis patentes, predicti Nicolaus prepositus, Thomas custos et Martinus procuratores prefati, in oppositum eorumdem Andree et Johannis et proximum (sic!) ipsorum antedictorum, eorumdemque generacionum, ibidem in momento post exhibicionem litterarum regalium et capitulorum memoratorum demonstrarunt, in quibus palam reperimus contineri, quod cum inter prepositum et capitulum ecclesie Posoniensis ab una parte; Nicolaum filium Iwanka de *Nek,* patrem ipsius Andree, Petrum Rufum, Lipoldum filios Dominici, patrem prefati Thome, Chama *de Paka* patrem ipsius Johannis, et Nicolaum dictum *Bud,* patrem dictorum Johannis et Johannis ab altera, super predicta possessione *Twrnye,* et alio nomine *Chukarfolua* vocata, altercaciones et verba mota fuissent et processissent, tandem secundo die festivitatis Corporis Christi, anno eiusdem M° CC° nonagesimo secundo, predicti Nicolaus filius Iwanka, Petrus Rufus, Lepoldus, Chama et Nicolaus dictus Bud, patres eorumdem Andree, Johannis, Iwanka, Thome, Johannis et Johannis, in presenciam dicti capituli *Jauriensis* accedendo, confessi extitissent: quod licet inter ipsos et prepositum ac capitulum ecclesie Posoniensis,

1291.

1292. 6. Jun.

super facto ipsius possessionis Turnye nuncupate, per Johannem filium Petri ecclesie Posoniensi collate, altercaciones quedam et verba mota fuissent, tamen propter bonum pacis et iusticie, ac premiorum intuitu eternorum, ipsi omni altercacioni controversie et iuri, si quid forte eis in ipsa possessione Turnya nominata ex eo, quod ipsi de generacione quondam *comitis Chukar,* avi prefati Johannis, essent competeret, nomine suo ac nomine et vice omnium fratrum et cognatorum suorum, seu generacionum cessissent, et renunciassent, et quod predictam ecclesiam Posoniensem, ipsam possessionem Turnye dictam, tenere, habere et possidere pacifice et perpetuo dimisissent. Quorum instrumentorum visis continenciis: quia eandem possessionem, post premissam perpetualem tradicionem, per ipsum Johannem filium Petri, predictis preposito et capitulo factam, habito litis processu, iidem Nicolaus filius Iwanka, Lipoldus filius Dominici, Chama de Paka, et Nicolaus dictus Bud, simul cum Petro Rufo, patres ipsorum Andree, Johannis, Thome et secundi Johannis, omnibus iuribus ipsorum, si qua in dicta possessione habuissent renunciatis, in presencia dicti capituli Jauriensis resignasse reperiebantur. Cum eosdem Andream et Iwankam, filios Nicolai filii Iwanka, Johannem filium Chama, Thomam filium Lipoldy et Johannem, ac Johannem filios Nicolai dicti Bud, personaliter astantes, cuius instrumenti vigore seu auctoritate, eandem possessionem antedictis preposito et capitulo Posoniensi reoptinuerint et in dominium dicte possessionis introierint, ternario numero quesivissemus, ac nostri in presencia exhiberi et demonstrari per eosdem postulassemus, predicti Andreas, Iwanka, filii Nicolai, Johannes filius Chama, Thomas filius Lipoldy, ac Johannes et Johannes, filii Nicolai dicti Bud, nullas litteras se et eorumdem generaciones, super premissa possessione habere fatebantur, nisi simplicium suorum verborum prolacionibus, dictam possessionem, sibi de iure pertinere allegabant. Unde, quia ipsam possessionem Turnye, per ipsum Johannem filium Petri, prefatis preposito et capitulo, ut prediximus, collatam et ipsa collacione facta, per patres et proximos ipsorum Andree et Iwanka filiorum Nicolai, Johannis filii Chama, Thome filii Lipoldy, Johanne et Johanne filiorum Nicolai dicti Bud, dominio ipsorum prepositi et capituli modo premisso restitutam, contra iuris processum potencialiter, omnimode indebite et iniuste, ex tenore instrumentorum, per ipsum prepositum et procuratores predictos exhibitorum, occupatam et occupando usque nunc detentam fuisse plene agnovimus, pro eo universis possessionibus eorumdem Andree, Iwanka, Johannis, Thome, Johannis et Johannis, ubicunque existentibus, in duabus partibus nostris manibus iudiciariis, in tercia vero ipsorum prepositi et capituli offensam paciencium applicatis, eosdem Andream et Johannem, ac alios ipsorum proximos predictos, debita pena et iuridica, tanquam potenciales detentores possessionis, decrevimus puniendos. Predictam autem possessionem Turnye vocatam, simul cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, ac sub eisdem metis, signis et terminis, seu distinccionibus, quibus per ipsum Johannem filium Petri et alios primordiales possessores suos habita extitit et possessa, una cum venerabilibus in Christo patribus dominis, fratre *Ladislao* archiepiscopo *Colocensi; Benedicto* Chanadiensi; *Nicolao* Jauriensi et *Herrico* Wesprimiensi ecclesiarum episcopis; ac domino *Andrea* preposito Albensi, vicecancellario eiusdem domini nostri regis; nec non magnificis viris *Demetrio* magistro tavarnicorum domini nostri regis, *Mykch* bano tocius Sclauonie; *Nicolao* comite

Posoniensi; *Johanne* rectore castri *Budensis* et comite Musuniensi et aliis multis nobilibus secularibus et ecclesiasticis personis et nominatis, nobiscum tunc pro tribunali consedentibus, iam dictis preposito et capitulo Posoniensi, sentencionaliter adiudicavimus, cum omni iure proprietatis et possessionis, perpetuo possidendam, tenendam pariter et habendam; a modo et deinceps ipsis Andree, Iwanka, Johanni, Thome, Johanni et Johanni, ac ipsorum proximis generacionibus et heredibus eorumdem, de dicta possessione perpetue taciturnitatis silencium duximus imponendum. Universas autem litteras ipsorum, si que (sic!) in facto dicte possessionis habuissent et quoquo modo habere procurassent et tacita calliditate in fraudem ipsorum prepositi et capituli reservando exhibere non curassent, una (sic!) cassa, frivola et irrita, ac ubicunque, quandocunque et in quorumcunque iudicum presencia exhiberentur, viribus commisimus caritura et vigore; et insuper talium instrumentorum exhibitores, simul cum calumpniatoribus importunis volumus percipere porcionem. Verum, quia predicti Andreas, Iwanka, Johannes, Thomas, Johannes et Johannes, qui alios eorum proximos et generaciones iuxta nostrum mandatum iudiciarium vocari et proclamari facere, mediantibus litteris nostris ad capitulum Nitriense directis, ut assumpserunt, non curarunt, ac plures de eorum generacione superstites non esse asseruerunt in iudicio; sed sponte pro omnibus ipsorum generacionibus, si qui forte ex ipsis generacionibus fuissent et essent absentes, et hunc presentem nostrum iudicium et sentenciam ac alios priores processus iudiciarios ignorantes, stare in iudicio, respondere, ac sentenciam iudiciariam audire et recipere, contra dictos prepositum et capitulum se optulerunt, accionem ipsis eorum generacionibus absentibus, si qui forte forent, contra eosdem non autem contra prepositum et capitulum Posoniensis ecclesie intelligi volumus, quoad omnia dictorum absencium dampna reservatam. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ne causa tam debito fine terminata oblivionis scrupulo novercante, calumpniancium importunitate, per quempiam valeat in irritum revocari, aut aliquatenus retractari, super premissis predictis preposito et capitulo, nostras concessimus litteras privilegiales, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum in *Vysegrad*, in festo Conversionis sancti Pauli apostoli, anno Domini Millesimo trecentesimo vicesimo octavo.

Sigillum e rubro et viridi serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa C. fasc. 4. nr. 41. — Transscript. Ludovici I. regis de a. 1357. 18. Januarii, ibidem sub nr. 42.

185.

1328. (Pozsony.) 2. Febr. — Capitulum Posoniense, Jacobum nobilem archiepiscopalem de Bács, quartam partem possessionis suae, comiti Joanni de Súl, tribus marcis denariorum vendidisse testatur.

A. B. C.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie *Posoniensis,* salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie volumus pervenire: quod constitutus personaliter coram nobis *Jacobus* filius Thome, nobilis *iobagio sancte Strigoniensis ecclesie* de villa *Boch* ab una parte, item comes *Johannes de Sul*, castellanus de

Sancto Georgio ab altera; idem Jacobus est confessus oraculo vive vocis: quod ipse quartam partem tocius porcionis possessionis sue hereditare, excepta seu exclusa quarta parte curie sue, pro qua scilicet quarta parte ipsius curie sue, in alio loco, dimidium iuger terre arabilis dedit et assignavit, que quidem quarta pars dicte porcionis possessionis sue, adiuncto dimidio iugere pretacto, septem iugera terrarum arabilium perficiunt, prout per eosdem fuimus edocti, taliter situantur: videlicet unum iuger retro curiam eiusdem Jacobi; item secundum iuger inter terras *Buzias* nuncupatas; item tercium iuger inter terras *Buded* appellatas; item quintum iuger iuxta metas ville *Samut;* item sextum iuger inter terras *Kakastow* nuncupatas; et septimum iuger penes terras eiusdem comitis Johannis, cum utilitatibus et pertinenciis suis universis, pro tribus marcis denariorum Wyennensium, quamlibet marcam cum singulis decem pensis computando, plene habitis et receptis, cum permissione proximorum ac vicinorum suo (sic!) *Budur* scilicet filio *Budo,* qui pro se, et pro *Nicolao* filio suo, ac *Petro* fratre suo comparuit, item *Johanne* filio Andree, qui similiter pro se et pro *Andrea* filio suo comparuit, vendidisset, dedisset et tradidisset, *ymo* vendidit, dedit et tradidit, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, habendam et tenendam; obligando se, quod quicunque processu temporum, eundem comitem Johannem, aut suos heredes, heredumque suorum successores, occasione dicte quarte porcionis possessionis supradicte, vellent forsitan molestare, extunc idem Jacobus, cum suis successoribus, teneretur expedire propriis laboribus et expensis. In cuius rei testimonium, ad instancias parcium, presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in festo beate Purificacionis Virginis Gloriose, anno Domini M° CCC° XX° VIII°.

Sigillum e flavo et rubro serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 2. nr. 19. — Aliud par lacerum, cum sigillo sat integro ibidem nr. 18. — In enumeratione quartum iuger desideratur.

186.

1328. Visegrád. 2. Febr. — Theophilus prepositus se, apostolicum mandatum Joannis PP. XXII. recepisse, et sensu illius, monialium de Insula Danubii iura tuendum esse, promisit.

Theophilus, sancte *Strigoniensis* ecclesie prepositus, universis Christi fidelibus, ad quos presentes perveniunt, salutem in Domino sempiternam. Noveritis nos tercio die Septuagesime, anno Domini M CCC XXVIII, sanctissimi patris et domini, domini *Johannis,* divina providencia sacrosancte Romane ecclesie sumpmi pontificis, pape XXII., domini nostri, anno pontificatus sui XI., in *Wisegrad*, presentibus multis religiosis, secularibus clericis et laycis fidelibus, litteras, rescriptum seu mandatum, omni reverencia qua decebat, de manibus religiosi viri fratris *Mathie, nuncii* ipsius domini sumpmi pontificis, de ordine fratrum predicatorum, vice et nomine ipsius ordinis et religiosarum dominarum *de Insula Leporum,* prope *Budam,* nobis exibentis recepisse. Quarum tenor talis est: 1328. 2. Febr.

Johannes episcopus servus servorum Dei, dilecto filio . . *preposito* ecclesie *Strigoniensis,* salutem et apostolicam benediccionem. Significaverunt nobis dilecte in Christo filie . . *priorissa* et conventus monasterii Sancte Marie *de insula Danubii,* per priorissam soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, secundum

instituta et sub cura ordinis fratrum predicatorum viventes, quibus licet habere proprium in communi, ex indulto sedis apostolice speciali, Vesprimiensis diocesis, quod nonnuli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, decimas, census, redditus, legata, terras, domos, possessiones, ortos, pascua, prata, nemora, instrumenta publica et quedam alia bona, ad ipsum monasterium spectancia, temere ac maliciose occultare et occulte detinere presumunt, non curantes ea dictis priorisse et conventui exhibere, in animarum suarum periculum et dictarum priorisse et conventus, ac monasterii non modicum detrimentum; super quo eedem priorissa et conventus apostolice sedis remedium implorarunt. Quocirca discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus omnes huiusmodi occultos detentores decimarum, censuum, reddituum et bonorum aliorum predictorum, ex paternitate nostra, publice in ecclesiis coram populo, per te vel per alium moneas, ut infra competentem terminum, a te prefigendum eisdem, ea predictis priorisse et conventui a se debita restituant et revelent, ac de ipsis plenam et debitam satisfaccionem impendant; et si id non impleverint, infra alium terminum competentem, quem eis ad hoc peremtorie dixeris prefigendum, extunc in eos generalem excommunicacionis sentenciam proferas, faciens eam ubi et quando expedit videns, usque ad satisfaccionem condignam, solenniter publicari. Datum in *Auinione,* III Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno undecimo. 1327. 30. Jan.

Nos igitur, tanquam filius vere obediencie, ut ex debito sic ex voto, recepimus, acceptavimus et suscepimus mandatum apostolicum, nobis impositum, volentes prosequi fines mandati, observando et nichil obmittendo, et mandare execucioni contra omnes et presertim contra monasterium et iura predictarum dominarum de Insula procedentes, vel usurpantes indebite et iuste (sic!), et nichilominus freti auctoritate apostolica, contra tales per censuram ecclesiasticam procedemus, donec satisfacere compellantur. Datum in die loco et anno ut supra.

Sigillum cum zona periit. — Orig. membr., in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 2476.

187.

1328. Avignon. 19. Febr. — Joannes PP. XXII., libertates, immunitates et indulgentias, monasterio S. Benedicti de juxta Gron concessas, confirmat.

Ed. Cod. Andegav. T. II. 348.

188.

1328. (Esztergom.) 21. Febr. — Capitulum Strigoniense, molendinum in Németi, retento iure dominii, tribus marcis vendit.

Nos *Theophilus* prepositus et capitulum, *Strigoniensis* ecclesie, significamus tenore presencium universis, quod nos quoddam molendinum nostrum et in terra nostra existens in aqua *Scinniche*, prope villam nostram *Nemty* situm et locatum, et iam a multis temporibus antiquitum et confractum, ita quod usum molendi non habuit, vendidimus *Elye* filio quondam *Gobel,* iobagioni nostro de eadem villa nostra Nemty, in filios filiorum, pro tribus marcis mercimonialis argenti plene habitis et receptis ab eodem, perpetuo possidendum, tenendum et habendum; hac condicione apposita, quod singulis annis iidem Elyas, vel sui posteri, solvent nobis singulos fertones fini argenti; salvo nichilominus iure

dominii ipsius molendini. Datum, in dominica qua cantatur Invocavit, anno Domini M° ccc° xx° octavo.

Sigillum minus tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 18. fasc. 3. nr. 1.

189.

1328. — 22. Febr. — Carolus I. rex, Alexandri comitis, iudicis curiae regiae, definitivam sententiam super possessione Tūrnye seu Csukárfalva, pro capitulo Poson. transscribit, statutionemque comprobat.

[K]arolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Si maiestas regia equitatis tramite et iusticie debet incedere, dignum est ut causarum fines iusto iudicio discussarum, ad extirpandam litis maliciam, sui privilegii patrocinio fulciat et confirmet, ne processu temporum veritati prevaleat falsitas et iniquitas preiudicet equitati, vel lites ex litibus oriantur. Proinde cunctorum noticie, harum serie volumus pervenire: quod discretus vir magister *Nicolaus,* prepositus ecclesie *Posoniensis,* comes capelle nostre, suo et dicte ecclesie, ac capituli eiusdem nomine et vice, ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis litteras privilegiales magnifici viri comitis *Alexandri,* quondam iudicis curie nostre bone memorie, diffinitivam sentenciam, super possessione *Turnie,* sive alio nomine *Chukarfolua* vocata, in comitatu *Posoniensi* existente, ab Andrea filio Nycolai, Johanne filio Chama, Thoma filio Lepoldy, ac Johanne filio Nicolai dicti *Bod,* (sic!) ac tota generacione eorum, per ipsos prepositum et capitulum ordine iudiciario requisita et optenta, pro eisdem preposito et capitulo prolatam continentes, petens a nobis humiliter et devote, ut eas super dicta diffinitiva sentencia et legitima, dicte possessionis optencione, ratas habere et nostro dignaremur privilegio confirmare. Quarum tenor talis est:

Sequitur nr. 184. ut supra. 1328. 25. Jan.

Item dictus prepositus exhibuit eciam nobis litteras capituli *Strigoniensis,* in quibus vidimus contineri, quod cum ad requisicionem dicti comitis *Alexandri* iudicis curie nostre, capitulum ipsum Strigoniense, cum *Paulo de* Wgal, notario et homine ipsius iudicis curie nostre, post iudicium et sentenciam diffinitivam, pro discreto viro magistro Nicolao preposito et capitulo Posoniensi, contra Andream filium Nicolai de *Neek,* Johannem filium *Chama,* Thomam filium Lypoldy de *Paka,* et Johannem filium Nicolai dicti *Bwd* predictos, ac alios fratres et totam generacionem eorumdem, super dicta possessione Twrnye, alio nomine Chukarfolua vocata, in comitatu Posoniensi existenti promulgatam, ad statuendum ipsam possessionem preposito et capitulo Posoniensi memoratis, si contradictores alii non existerent, discretum virum magistrum *Nicolaum* socium et *concanonicum* ipsorum, pro testimonio destinassent, idem homo iudicis prefati et dictus magister Nicolaus homo ipsorum, scilicet capituli Strigoniensis prenotati, demum ad ipsum capitulum Strigoniense redeuntes concorditer retulissent: quod in festo beati Blasii martiris, hoc anno, ad faciem dicte possessionis accessissent, et convocatis omnibus vicinis et com- 1328. 3. Febr.

metaneis possessionis eiusdem, cum nullus contradictor extitisset, predictam possessionem, cum *ecclesia parochiali* et aliis omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, sub metis et limitacionibus seu terminis, quibus antiquitus possessa extitit, statuissent, cum homine magistri *Nicolai* comitis *Posoniensis, Petew* nomine dicto *Toor*, ad statuendum eciam destinato, ipsis prepósito et capitulo Posoniensi perpetuo possidendam, in corporalem possessionem predicte terre *Thomam* custodem ecclesie Posoniensis, et quosdam alios canonicos et procuratores dictorum prepositi et capituli Posoniensis, nomine eiusdem ecclesie perhempniter inducendo. Nos itaque iustis et legitimis eiusdem prepositi Posoniensis peticionibus, de solite regie benignitatis gracia, favorabiliter inclinati, tenorem earumdem privilegialium, per nos diligencius recensitarum et attencius percunctatarum, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum, sed ab omni suspicione semotum, de verbo ad verbum presentibus insertum, nec non et tenorem litterarum predicti capituli Strigoniensis cum diligencia examinatum, ac totum processum iudicium et sentenciam diffinitivam ipsius iudicis curie nostre, et statucionem de predicta possessione prenotatis preposito et capitulo Posoniensi factam, et in corporalem eiusdem possessionis induccionem eorumdem, acceptamus, approbamus et ratificamus; ipsasque litteras privilegiales et possessionem memoratam, ipsi ecclesie Posoniensi, sub appensione sigilli nostri novi ac autentici perpetuamus, et presentis scripti patrocinio, ex certa nostra sciencia, de consilio infrascriptorum prelatorum et baronum regni nostri, perpetuo confirmamus. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, novi et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Andre*, prepositi Albensis, aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini Millesimo trec*h*entesimo XX octavo, octavo Kalendas Marcii, regni autem nostri similiter XX octavo. Venerabilibus in Christo patribus dominis Bolezlao Strigoniensi, locique eiusdem comite perpetuo, et fratre Ladizlao Colocensi, aule regie cancellario, archiepiscopis; Johanne Nitriensi, Benedicto Chanadiensi, Georgio de Sancto Irineo, Nicolao Jauriensi, fratre Petro Boznensi, Iwanka Waradiensi, Ladizlao Quinqueecclesiensi, Andrea Transsiluano, Herrico Wesprimiensi, aule domine regine cancellario, Laurencio Waciensi et Chanadino Agriensi episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis baronibus Mykch bano tocius Sclauonie; Demetrio magistro tawarnicorum nostrorum, comite Bachiensi et Trinchyniensi; Desew iudice curie predicte domine regine; Paulo bano de Machou, comite Sirmiensi, de Wolkow et de Bodrog; Stephano magistro agasonum nostrorum et Dyonisio dapiferorum magistris, Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, comitatus regni nostri tenentibus et honores.

1328. 22. Febr.

Fragmen sigilli e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa C. fasc. nr. 40. — Transscripsit a 1357. 18. Jan. Ludovicus I. rex. Ibidem nr. 42. — Comes Alexander, iudex curiae regiae, cuius hic literae 25. Jan. exaratae transscribuntur, intra hunc diem et datum huius diplomatis, in quo iam ut „bonae memoriae" commemoratur, vita fungi debuit.

190.

1328. Avignon. 1. Mart. Joannes PP. XXII., jubet praeposito Albensi, ut bona abalienata monasterii S. Benedicti de juxta Gron, a nonnullis clericis et laicis, recuperet.

Ed. Cod. Andeg. T. II. 352.

191.

1328. Avignon. 11. Mart. — Caucelinus episcopus Albanensis, absolvit ab irregularitate Nicolaum de Broda, monachum Ord. S. Benedicti.

Caucelinus miseracione divina episcopus *Albanensis,* dilecto in Christo fratri *Nicolao de Broda,* monacho monasterii *de Sancto Benedicto,* ordinis eiusdem sancti Benedicti, *Strigoniensis* diocesis, salutem in Domino. Lecta per nos sanctissimo in Christo patri et domino, domino *Johanni* pape XXII. tua peticio continebatur: quod cum olim venerabilis in Christo pater . . *archiepiscopus Strigoniensis,* fratrem *Heydenricum,* abbatem monasterii *de Cluswar* predicti ordinis, *Albensis* diocesis, propter nonnullos excessus per eum perpetratos, quos idem . . archiepiscopus habet de consuetudine corrigere, a regimine ipsius monasterii amovisset, ipsum monasterium de Cluswar . . abbati *de Dombo, Colocensis* diocesis, regendum et gubernandum comendavit. Et deinde idem abbas de Dombo tibi, tunc suo monacho existenti, auctoritate dicti . . archiepiscopi et sua, regimen prefati monasterii commisit, infra tamen mensem te postmodum ab ipso regimine revocavit. Cui revocacioni acquiescere, seu obedire minime curavisti, *y*mo tenuisti ipsum regimen sicut prius, et quendam monachum eiusdem monasterii proprietarium, qui pecuniam suam tradebat, seu dabat frequenter laycis, pro lucro temporali, licet ut a talibus desisteret sepe monitus fuisset, propter eius inobedienciam captivari fecisti, et sub diligenti custodia, in quadam magna camera in compedibus, absque corporali lesione alia, detineri mandasti; large sibi vite necessaria ministrando. Quarta vero die, post dicti monachi captivacionem, ad regem Vngarie pro negociis sepedicti monasterii expediendo accessisti, dimissis honestis custodibus monacho captivato. Qui quidem custodes, eundem captivum, quadam die, dato sibi prandio, sanum in camera dimiserunt, et eadem die circa vesperas, ipsum, sedentem in lecto suo, mortuum invenerunt; te absente et hoc penitus ignorante. Super quibus supplicasti humiliter, tibi per sedem apostolicam de o*p*portuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur, auctoritate domini pape, cuius penitenciarie curam gerimus, et de eius speciali mandato, te a sentencia excommunicacionis, quam ob predicta incurristi, et a reatibus et excessibus supradictis, absolvimus in forma ecclesie consueta. Et iniuncta inde tibi penitencia, quam tibi vidimus iniungendum super irregularitate inde contracta, quodque premissis non obstantibus in tuis ordinibus valeas licite ministrare, te cum auctoritate et mandato predictis misericorditer dispensamus. In cuius rei testimonium, presentes inde litteras, nostro sigillatas sigillo, tibi duximus concedendas. Datum *Auinione,* V Idus Marcii, pontificatus domini Johannis pape XXII. anno duodecimo.

Fragmen sigilli rubro cereo impressi e flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Primat. Ecclesiast. Vetus. 25/2.

192.

1328. — 18. Mart. — Carolus I. rex, monasterium et populos sancti Benedicti de iuxta Gron, ab omni judicatu saeculari exemptos esse jubet.

[K]arolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac Montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, presencium noticiam habituris salutem, in quo resident sempiterne salutis incremeta. De singulorum provisione solliciti, circa sanctam matrem ecclesiam, quam cultu precipuo veneramur, curam debemus inpendere specialem, ut domino famulantes, regio inducti beneficio, quiete vivant et placabilem hostiam offerre valeant Salvatori. Proinde cunctorum noticie harum serie volumus pervenire: quod nos ex regie liberalitatis munificencia, que pie mentis desiderium, ac laudande deliberacionis diffinicionem, religiosique propositi puritatem intelligit attollendas, *monasterium* beati Benedicti confessoris de *iuxta Goron* intendentes totis sincere mentis affectibus honorare, ut reverencie quam erga ipsam ecclesiam gerimus, specialem exhibeamus expressius argumentum. Hanc specialem regie gracie et libertatis prerogativam eidem ecclesie, de consilio prelatorum et baronum regni nostri duximus concedendam, quod universi populi dicti monasterii, ubique existentes, a iurisdiccione omnium iudicum et comitum parochialium regni nostri, perpetuo quieti sint et exempti, sed in omnibus causis tam maioribus quam minoribus, iudicio abbatis in ipso monasterio, pro tempore constituti, vel officialium suorum, debeant subiacere. Et si idem abbas, sive sui officiales, ex parte populorum dicti monasterii, vel alicui eorum tardi, tepidi seu negligentes cuipiam in reddenda iusticia extiterint, non predicti populi, ymo idem abbas evocetur ad regiam presenciam eo facto. Vobis itaque universis iudicibus et iusticiariis regni nostri: videlicet palatino, iudici curie nostre, comitibus parochialibus, et iudicibus nobilium quorumlibet comitatuum, vestrasque vices gerentibus, nunc et pro tempore constitutis, quocunque nomine censeamini, quibus presentes ostenduntur, hoc presenti regio edicto damus firmo firmius in mandatis, quatenus populos dicti monasterii seu abbatis, aut aliquem ipsorum, in quibuslibet causis et earum articulis, per quospiam motis contra eos et movendis contra quoscumque, iudicare aut vestro iudicio astare compellere, nullomodo audeatis. Secus autem facientes presumpcione temeraria de premissis, regiam indignacionem, que culpam quanque puniet excedentis, se graviter noverint incursuros. Nos quidem deinceps, auctoritate presencium vanum, cassum et inanum fore decernimus, committendo, quicquid contra formam dicte gracie nostre, per quempiam vestrorum fuerit acceptatum. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, novi et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum per manus discreti magistri *Andree*, prepositi ecclesie Albensis et aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini M° trecentessimo vicesimo octavo, quintodecimo Kalendas Aprilis, regni nostri anno similiter XX^mo^ octavo. Venerabilibus in Christo patribus dominis Bolezlao Strigoniensi, locique eiusdem comite perpetuo, et fratre Ladislao Colocensi, aule nostre cancellario, archiepiscopis; Benedicto Chanadiensi, Nycolao Jauriensi, Georgio Syrmiensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Jwanka Varadiensi, fratre Petro Boznensi, Laurencio Vaciensi, Andrea Transiluano, Hen-

1328. 18 Mart.

rico Vesprimiensi, aule domine regine, consortis nostre karissime cancellario; Chanadino Agriensi et Ladislao Zagrabiensi episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Demetrio magistro thawarnicorum nostrorum, comite Bachiensi et Trinchiniensi; Thoma voyuoda Transiluano et comite de Zonuk; Mykch bano tocius Sclauonie et comite Syrmiensi, de Wolkow et de Budrugh; Paulo iudice curie nostre, comite Johanne magistro thawarnicorum et Desew iudice curie dicte domine regine; Dyonisio dapiferorum et Stephano agasonum nostrorum magistris; Nycolao comite Posoniensi et aliis quampluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores.

In tergo manu medii aevi: Privilegium *Karoli* regis, ut nullus iudicum tam spiritualium quam secularium, ad instanciam quorumcunque, populos ecclesie beati Benedicti iudicare audeat vel arrestare. — Sigillum e flavo et rubro serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 1. no. 24. — Transscripsit et confirmavit Ludovicus I. rex, a. 1347. 28. Jul. — Ibidem sub nr. 3. — 1349. 2. Julii vero Nicolaus palatinus. Ibid. Lad. 40. fasc. 3. nr. 16.

193.

1328. — 18. Mart. — Carolus I. rex, literas Andrea II. regis, incolis terrae monasterii s. Benedicti de juxta Gron, libertates hospitum de Pest, Alba et Buda concedentes, transscribit et comprobat.

[K]arolus, Dei gracia Hungaria etc. rex . . . . . Ne quid plenitudinis desit, operibus pietatis expedit, ut principis presidentis benigna consideracio, opus bonum ad divini cultus incrementum concessum stabilitate perpetua fulciat et confirmat. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod vir religiosus frater Ladyzlaus, abbas monasterii sancti Benedicti de iuxta Goron, capellanus noster fidelis, nostro conspectui presentavit quoddam privilegium domini *Andree,* quondam illustris regis Hungarie, attavi nostri karissimi, felicis recordacionis, super libertatum gracia populorum dicti monasterii, per dictum regem salubriter concessa confectum et habitum, petens humiliter et devote, ut ipsum privilegium ratum habere, acceptare, renovare et nostro dignaremur privilegio confirmare. Cuius tenor talis est:

Sequitur priv. Andreae II. regis, ex ipso origin. editum T. I. p. 212. nr. 217. 1217. 13. Jun.

Itaque nos, diligenti sollicitudinis intuitu prescriptum privilegium dicti domini Andre regis, iustum fore et salubriter concessum reperientes et videntes, cupientes quoque, et nobis ex debito incumbere existimantes, ut nostris temporibus, quibus per Dei clemenciam solio sublimitatis regiminis regni feliciter presidemus, ea que pro quiete religiose conservacionis sunt disposita pacifica permaneant, dictum privilegium, in nulla sui parte viciatum, de verbo ad verbum presentibus insertum acceptamus, ratificamus, approbamus et de consilio prelatorum et baronum regni nostri, super concessione prescriptarum libertatum et gracie ipsi ecclesie perpetuo valere et inviolabiliter permanere, presentis privilegii nostri patrocinio confirmamus. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, novi et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Andree,* prepositi ecclesie Albensis et aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo ccc° vicesimo octavo, quintodecimo

Kalendas Aprilis, regni nostri anno similiter xx^{o} octavo. Venerabilibus etc. ut in nr. 192. super.

Sigillum e viridi et violaceo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 1. nr. 2.

194.

1328. (Esztergom.) 27. Mart. — Conventus Cruciferorum Strigon. comitem Ladislaum, filium Gyulae, possessionem Szent-Tamáskürt, 40 marcis Paulo, magistro Colomanni ducis, vendidisse testatur.

A. B. C.

Conventus cruciferorum, domus hospitalis ecclesie sancti regis *Stephani de Strigonyo,* omnibus Christi fidelibus, presentem paginam intuentibus, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Ne memorie inrietur (sic!) oblivio et vetustate temporis, res clara presentibus, obscura reddatur futuris, dignum est ut ea, que aguntur in tempore, patrocinio litterarum fulciantur. Proinde ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie volumus pervenire: quod comes *Ladislaus,* filius *Jula,* pro se et pro Johanne, Jacobo et Petro filiis suis et *Stephanus* frater eiusdem, nobiles de *Kubulkuth* ab una; *Paulus* filius Petri, *magister domini Colomany ducis,* parte ex altera, ad nostram accedentes personaliter presenciam, iidem Ladislaus et Stephanus, oraculo vive vocis, sunt confessi, quandam terram seu possessionem ipsorum *Scenthamaskyurth* vocatam, in comitatu de Comaron existentem, in qua *ecclesia est* in honorem *sancti Thome* constructa, quam iidem Ladislaus et Stephanus, a Cosma filio Phylipy (sic!), cui eandem terram, seu possessionem *Cykw* et *Hyppolitus,* filii *Jakow,* prout fratres sui, racione proximitatis donaverant et dederant, perpetuo olym, mediantibus aliis privilegialibus litteris nostris, precio comparassent, prout in eodem nostro privilegio exinde confecto plenius vidimus contineri, cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis universis, prefato magistro Paulo, et per eum suis heredibus, heredumque suos (sic!) successoribus vendidisse, statuisse et assignasse, quatraginta marcis promptorum denariorum, plene habitis et receptis, perpetuo et irrevocabiliter, nullo penitus contradictore apparente, possidendam, tenendam pariter et habendam, nullum dominium in eadem pro se reservantes. Insuper prefati Ladislaus et Stephanus, tam per se, quam per suos, firmiter assumpmentes et solempniter se se obligantes, ut prelibatum magistrum Paulum et suos posteritates, in predicta possessione, per eosdem modo premisso vendita, pacifice tenere et cum omni tranquilitate conservare, necnon ab omnibus racione eiusdem molestare volentibus, ipsorum propriis laboribus et expensis liberare et expedire. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad instanciam parcium predictarum, litteras nostras privilegiales, nostro sigillo consignatas eidem magistro Paulo duximus concedendas. Datum, in dominica Ramispalmarum, anno Domini Millesimo trecentessimo vigesimo octavo.

Sigillum bene conservatum e violaceo et flavo serico pendet. — Orig. in Arch. Primat. Secul. Lad. M. nr. 57. — Edidit: Fejér Cod. Dipl. VIII. 3. p. 342. qui bene observat, Paulum hunc magistrum fuisse Colomanni, regis Caroli extra matrimonium nati, antequam in clerum receptus fuisset. Colomannus hic tardius prepositus Strigoniensis, tum episcopus Jaurinensis evasit.

195.

1328. Lőcse. 19. April. — Willermus, abbas domus B. Mar. Virg. in Scepusio et Joannes prepositus Scepusiensis, auctoritate mandati apostolici, Chanadinum eppum Agriensem, ad pacificam cum rectoribus ecclesiarum suae dioecesis exortae causae compositionem, hortantur.

Reverendo in Christo patri *Ha.*[nadino], episcopo sancte *Agriensis* ecclesie, frater *Wil.*[ermus], *abbas* ordinis Cisterciensis *domus beate Virginis,* nec non dominus *Johannes* prepositus ecclesie *sancti Martini in Scepus,* oracionum suarum devocionem in Domino Jesu Christo. Vestram karitatem cupimus non latere, nos litteras sanctissimi patris nostri, domini Innocencii quarti, felicis recordacionis, vera eius bulla plumbea bullatas cum filio canapis, non cancellatas, nec in aliqua sui parte viciatas, recepisse in hec verba:

Innocencius, episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis *abbati de Scepus,* Cisterciensis ordinis, priori fratrum predicatorum *de Potoch,* et preposito sancti Martini de *Scepus,* Strigoniensis et Agriensis dyocesis, salutem et apostolicam benediccionem. Conquerentibus olim dilectis filiis rectoribus, ac perpetuis vicariis ecclesiarum Agriensis dyocesis, quod venerabilis frater noster episcopus, ac prepositus, archydyaconi et canonici Agrienses, omnes reditus et proventus ecclesiarum ipsarum, suis usibus indebite applicantes, dictis rectoribus et vicariis non nisi quandam tenuem et exilem partem de oblacionibus et obventibus illarum, pro suo libito, conferebant; et quod diversis aliis gravaminibus afficiebant eosdem. Nos tandem in huiusmodi negocio, partibus coram nobis litterarum nostrarum auctoritate citatis, dilectum filium magistrum *Vbaldum,* subdyaconum et capellanum nostrum, dedimus auditorem. Sed, quia hȳs nimis esset difficile, super premissis apud sedem apostolicam litigare, nos ipsorum laboribus et expensis parcere, ac super hȳs per viam compendii salubriter providere volentes, discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis eisdem partibus, si de ipsarum voluntate processitur, infra tres menses a recepcione presencium, componatis amicabiliter inter eas. Alioquin extunc, episcopo prefato auctoritate nostra mandetis, ut memoratis rectoribus et vicariis, quartam partem omnium decimarum, cum hoc de iure communi existat, libere ipsis pro sustentacione dimittat, percipiendam pacifice in perpetuum ab eisdem; aliam vero quartam decimarum ipsarum, in tuto et competenti loco, cuiuslibet parrochie pro fabricis, luminaribus et aliis ornamentis dictarum ecclesiarum, deponi fideliter faciatis. Ad hec prefatum episcopum, duabus partibus oblacionum, que a parochialibus, vel aliis Christi fidelibus, ex quacunque causa, ecclesiarum ipsarum altaribus offeruntur, — exceptis pane, carnibus et candelis, que omnia cum tercia parte huiusmodi oblacionum, in denariis, auro vel argento facta, rectoribus et vicariis cedant, — faciatis esse contentos, consuetudine vel prescripcione aliqua non obstante. Preter ea nominatos rectores et vicarios, a prefato episcopo, in kathedratico ultra quam a iure permittitur, et ab ipso et memoratis archidyaconis impugnantibus et quibuscunque aliis exaccionibus, nisi quam instituta volunt canonica, indebite agravari, ac eosdem rectores et vicarios in percepcione premissarum, prout superius est expressum, molestari, ab illis vel ab aliis aut ab eis, pro iusticia sibi per eosdem episcopum et archidyachonos exhibenda, exigi aliquid seu extorqueri, nullatenus permittatis. Ceterum eosdem rectores et vicarios, quos per episcopum prefatum, archidyachonos et canonicos supradictos,

post appellacionem ad sedem apostolicam interiectam, ecclesiis vel aliis bonis suis vobis esse constiterit spoliatos, ad ea integre, sicut iustum fuerit, restituere procuretis; necnon susspensionum, interdicti et excommunicacionum sentencias, si quas in eos post appellacionem eandem, per illos aut alios inveneritis fuisse prolatas, denuncietis penitus fore nullas. Contradictores auctoritate nostra, appellacione postposita, conpescendo: non obstante, si eis aut aliquibus aliis communiter vel divisim, a sede apostolica sit indultum, quod suspendi vel interdicendi, aut excommunicari non possint, nisi de indulto huiusmodi, sibi concesso, plena et expressa, seu de verbo ad verbum in nostris litteris mencio habeatur.

Proinde vestram monemus, necnon in Domino hortamur karitatem, quatenus statim visis presentibus, nostri ac iusticie causa, ad amicabilem secundum tenorem superioris scripti expressum, vos recipiatis cum predictis ecclesiarum vestre dyocesis rectoribus ac vicariis composicionem, et eosdem penitus, pendente lite, in nullis presumatis molestare. Alioquin, si secus feceritis, auctoritate nobis a sede apostolica concessa, procedemus. Datum *Lutche,* anno Domini M° CCC° XXVIII°, tercia feria post dominicum diem quo cantatur Misericordia Domini.

Duo sigilla e zona membranacea pendent. — Orig. membr., in Arch. Primat. Ecclesiast. Vet. nr. 25/1.

196.

1328. — — Epistola Stephani, lectoris ecclesiae Nitriensis, ad Petrum et Thomam, canonicos Posonienses, data.

Honorabilibus viris et discretis dominis suis *Petro,* quondam preposito et Thome custodi ecclesie *Posoniensis,* magister *Stephanus,* lector ecclesie *Nitriensis* seipsum. Quidquid est, de meis serviciis et laboribus domino *archiepiscopo Strigoniensi* impensis, dominacioni vestre bene constat, qui dum me suis applicaverat serviciis, firma fide et iuramento, in ecclesia sua me promovere promiserat, quod eciam facere nitebatur dominus Johannes, prepositus Scepusiensis, si non sua fantasia fuisset prohibitus, prout domini mei vos bene scitis. Preterea anno preterito, idem dominus archiepiscopus, ipsa mea servicia in memoriam revocans, die quadam in Wissegrad, presentibus dominis, Nicolao preposito vestro, et Johanne Viti, in canonicum ecclesie sue me recepit. Unde cum ad presens una canonia, per mortem domini Emerici de Cheton [di]catur vacare, rogo vestram graciam ex affeccione (!), ut adiunctis vobis aliquibus dominis Strigoniensibus, proponere velitis ipsa mea servicia eidem domino archiepiscopo, et petatis eum, ut Deum habendo pre oculis, si gracie sue videbitur, prout eciam *nuper in brevi Strigonii,* coram Michaele archidiacono promisit, conferat mihi ipsam canonicatum, per quod aplicet me astriccius serviciis suis et *fratris sui electi nostri.* Domine custos vos bene scitis, quanta mihi prepositus Albensis conferret, si ego a gremio ecclesie Strigoniensis dispendere vellem. Ceterum literis credatis, ad premissa autem confido de gracia vestra, sicut benefactorum et patrum meorum.

Extus: Honorabilibus viris et discretis dominis suis, Petro quondam preposito et Thome custodi ecclesie Posoniensis. — Ex Missali membr. Cap. Poson. sacc. XIII. sub nr. 90 asserv. compacturae aglutinat. — Epistolam hanc a. 1328. ante 1. Maii esse exaratam compertum est ex eo, quod idem Stephanus lector, qui archiepiscopi fratrem, electum Nitriens. vocat, jam eodem anno 1. Maii contra hunc, coram capitulo Albensi, quasi intrusum protestat, Boleslaum

vero archieppum variis attrocitatibus accusat. Electus enim iste fuit crucifer Mesko, frater archieppi Boleslai, qui Joannem, anno hoc, mense Febr. adhuc viventem (conf. superius nr. 189.), in throno Nitr. immediate sequebatur.

197.

1328. (Székesfehérvár.) 1. Maii. — Capitulum Albense testatur, capitulum Nitriense contra Boleslaum archiepiscopum Strigoniensem, quod fratrem suum vi in episcopatum Nitriensem intruserit, protestatum fuisse.

Nos capitulum ecclesie *Albensis*, notum fieri volumus, quibus expedit universis, presencium per tenorem, quod ne veritas occultetur et iusticia Dei metu depressa suffocetur, capitulum honorabile *Nitriensis* ecclesie, per discretum virum magistrum *Stephanum lectorem* ecclesie predicte, procuratorem suum cum sufficienti procuratorio et nuncium specialem protestari, ac per modum protestacionis coram nobis in capitulo fecit conqueri, in hunc modum: quod cum vacante ecclesia Nitriensi predicta, per mortem domini *Johannis*, quondam episcopi bone memorie, *y*dem capitulum discretos viros magistros dominum *Stephanum* lectorem, *Sebastianum* Trinchiniensem et *Paulum* Granensem archidyaconos, ac *Paulum* presbiterum, procuratores et concanonicos suos, ad illustrem principem dominum *Karolum*, Dei gracia regem Hungarie, ad notificandum orbacionem dicte ecclesie sue, et petendum ipsius assensum, racione patronatus eiusdem, in eleccione futuri sui episcopi et prelati debitum; et ad convocandum et citandum fratres seu concanonicos suos absentes ad eleccionem predictam celebrandam, destinassent, — mox indignacionibus venerabilis in Christo patris domini *B.*[oleslai], eadem gracia archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui exardescentibus, tam dure persecuciones personarum dictorum procuratorum insurrexerunt et emerserunt, utpote qui ipsos procuratores invitos, *in suum castrum et monasterium Strigoniense*, per facti sui potenciam ducens et includens, et coram eis, congregato suo capitulo, in dictum episcopatum fratrem suum uterinum, cruciferum nomine Meskonem, intrudi et contra statuta sanctorum patrum, ac ius commune, de ipso episcopatu eidem fratri suo, de facto non de iure, cassata eleccione dicti capituli quantum in ipso fuit, que quibuslibet ecclesiis collegiatis et eciam parochialibus a iure est indulta, per modum collacionis providisset. Dictos procuratores, ad consensum huiusmodi sue provisioni adhibendum et pacis osculum prebendum, per suas fulminaciones minarum mortis, in sue salutis dispendium vi compulisset; nec h*y*s contentus, congregata et armata gente sua, ipsam ecclesiam Nitriensem, castra, oppida, bona et villas, ac capituli eiusdem invadendo et occupando, tante vastitates, distracciones, per ipsum dominum archiepiscopum insurrexissent et tales sediciones, contenciones contencionum, emulaciones, malignitates et alii orribiles (sic!) terrores et temptaciones, que possent cadere virum inconstantem; in ipsum capitulum insilierunt et insidiarum perplexitates invaserunt et emerserunt, ut super huiusmodi provisione de ipso episcopatu, per dictum dominum archiepiscopum, callida venacionis intencione predicto M.[eskoni] fratri suo facta, dictum capitulum concensum adhibere, inviti et coacti, propter metum mortis et persecucionis supradictas oportebat. Ne igitur taciturnitate ipsius capituli, in iure eleccionis sue, propter huiusmodi mortis metum et minarum fulminaciones, preiudicium generetur eidem,

ne iusticia Dei deprimatur, dicto capitulo, per suum procuratorem predictum, ut pretactum est protestante et petente, presentes in huiusmodi protestacionis sue testimonium, robur et memoriam, concessimus litteras sigillo nostro communitas. Datum, in octavis festivitatis beati Georgii martiris, anno Domini M° CCC° XX^mo VIII°.

Originales sigillo clausae, in Arch. Strig. Publ. Capsa 70. fasc. 3. nr. 5.

198.

1328. (Pozsony.) 28. Maii. — Capitulum Posoniense, magistros Sebes et Petrum de Sancto Georgio, Lorando et Mog de Karcsa, pro possessione Népekarcsa, partem possessionis Lábpaka donasse testatur.

[U]niversis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, *capitulum* ecclesie *Posoniensis,* salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie volumus pervenire: quod nobiles iuvenes magistri *Sebus* et *Petrus,* filii comitis *Abree* (sic!) bone memorie de *Sancto Georgio,* in nostri personaliter constituti presencia, sunt confessi oraculo vive vocis: quod quia *Lorandus,* filius *Bolta de Karcha,* nomine suo et nomine *Mog* fratris sui, quandam possessionem, *Nepekarcha* nuncupatam, quam ipsis in retroactis temporibus, mediantibus nostris litteris prioribus, contulerant iure perpetuo possidendam, pro qua per filios *Johannis,* filii Lothardi et *Stephanum* filium Pauli, multipliciter fuerint molestati et gravati indebite, ipsis reddiderunt et restituerunt, dictis filiis Johannis et Stephano filio Pauli, reddendam et restituendam; pro eo eisdem Lorando et Mog, quandam particulam terre in recompensam ipsius possessionis *Nepekarcha,* et in quantitate eiusdem, de quadam possessione ipsorum *Labpaka* nuncupata, sub certis metis infrascriptis separando seu distinguendo, pro serviciis ipsorum meritoris (sic!) et sanguinis eorum effusione, prout prius mediantibus prioribus litteris nostris, dictam possessionem *Nepekarcha* dederant et donaverant, sub eodem titulo dederunt, donaverunt et contulerunt, coram nobis, iure hereditario irrevocabiliter possidendam, habendam et tenendam. Cuius quidem particule terre mete, — prout discretus vir *Johannes, rector ecclesie Sancte Crucis,* homo noster per nos adhoc rogatus et Georgius de *Wata,* homo iudicum nobilium, ac Nicolaus dictus *Orrus* homo comitis Posoniensis, similiter ad hoc destinati, nobis concorditer retulerunt, ubi eciam commetanei eiusdem possessionis *Paka,* videlicet magister *Foko* et *Andych,* filii magistri Petri de *Ogia* et *Beke* filius Petri, ac Blasius filius Georgii, presencialiter affuerunt, ipsisque consencientibus, — noviter erecte, hoc ordine distinguntur: Incipit enim prima meta a parte septemtrionali, ubi sunt due nove mete; quarum una distinguit dictam particulam terre et secunda terram dictorum Sebus et Petri; abhinc progreditur versus meridiem et ulterius eundo sunt similiter due nove mete, distinguentes tamquam prime; deinde vadit eodem modo versus meridiem et sic eundem (sic!) itur iuxta terram Beke filii Petri, ubi sunt due nove mete, omnino tamquam prime distinquentes; abhinc vadit versus occidentem et ulterius eundo sunt due mete, una nova et secunda antiqua, quarum prima distinguit memoratam particulam terre, secunda terram Beke predicti; deinde ulterius procedendo sunt due mete tamquam prime site et

locate, modo antedicto distinguentes; abhinc reflectitur versus meridiem et ulterius eundo adiungitur terris castrensium de *Paka,* ubi sunt quatuor mete, quarum una nova scilicet distinguit ipsam particulam terre, secunda magistri Sebus, tercia castrensium memoratorum, et quarta Blasii, filii Georgii; deinde red*y*t versus occidentem et ulterius eundo sunt tres antique mete et una nova, quarum una nova videlicet, distinguit ipsam particulam terre Lorandi, secunda *ecclesie Sancti Salvatoris,* tercia Sebus et Petri, ac quarta Blasii, filii Georgii; abhinc transit versus septemtrionem et ulterius eundo sunt due mete, quarum una nova distinguit dictam particulam terre, secunda vero antiqua distinguit terram *Foko;* deinde vadit similiter et adiungitur iterato terris *ecclesie Sancti Salvatoris,* ubi est una nova meta, que separat predictam particulam terre, et secunda antiqua terram ipsius *ecclesie Sancti Salvatoris;* deinde protenditur versus orientem et ulterius eundo est una nova meta prope fossatum ville *Foko,* que distinguit ipsam particulam terre a terris *Foko:* abhinc ulterius eundo est una nova meta, que distinguit ipsam terram et secunda antiqua, que distinguit terram *Foko;* deinde vadit ulterius et sunt due mete nove, distinguentes inter ipsum Lorandum et Sebus, ac Petrum; abhinc procedendo sunt due nove mete, distinguentes tamquam prime due; deinde red*y*t ad primam metam, ibidemque cursus earumdem metatur (sic!) terminatur. Obligando se, quod quicunque processu temporum eosdem *Lorandum* et Mog, ac eorum heredes, heredumque suorum successores, occasione dicte particule terre, vellent forsitan molestare, extunc iidem magistri *Sebus* et *Petrus,* ac eorum heredes, heredumque suorum successores, tenerentur expedire propriis laboribus et expensis. In cuius rei testimonium, ad instancias parcium, presentes concessimus litteras sigilli nostri autentici munimine consignatas. Datum, sabbato proximo ante festum sancte Trinitatis, anno eiusdem M° CCC° vigesimo octavo.

A. B. C.

Sigillum cum zona periit. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Capsa 9. fasc. L. nr. 3.

199.

1328. Gelle. 9. Jun. — Magister Nicolaus Treutel, comes Posoniensis, ad preces Michaelis presbyteri plebani, et universorum parochianorum ecclesiae b. Petri Apostoli in eadem Gelle, concessit, ut iobagiones ipsius ecclesiae, nullo tempore sibi, vel officialibus suis aliqua debita vel exactiones solvere teneantur, nec aliqua servitia debeant exhibere.

E transsumpto a. 1735 exarato, in Arch. Capit. Strig. Priv. Miscellanea.

200.

1328. (Nyitra.) 28. Jun. — Capitulum Nitriense, filios Emerici de Bossány, terram Ozna, filiis Zonchuk oppignorasse, perhibet.

Nos capitulum ecclesie Nitriensis, damus pro memoria, quod cum secundum continenciam priorum litterarum nostrarum memorialium, Janka, filius Emerici de *Wospan,* St(ephanus), Nicolaus et Jacobus, ac Peteu filii sui, nec non Baka frater eiusdem, terram eorum, *Ozna* vocatam, in comitatu Borsiensi existentem, Rubino, Nicolao, Dyonisio et Johanni comitibus; filiis *Zonchuk,* pro

sedecim marcis denariorum, sub pena dupli si terminum redempcionis obmiterent, pignori obligatam, prout in ipsis litteris nostris prioribus continetur, in festo beati Johannis Baptiste proximo preterito, redimere debuissent, ipso termino adveniente, dicti Janka, filii sui, et Baka frater eiusdem, ad redimendam dictam terram non venerunt, nec miserunt, dictis comite Rubino, Nicolao, St(ephano), Jacobo et Johanne, filiis Zonchuk, quatuor diebus continuis legitime coram nobis exspectantibus. Datum, quinto die termini, videlicet festi beati Johannis Baptiste antedicte, anno domini M° ccc^mo xx^mo octavo.

Extus: Super obmissione redempcionis terre Ozna, pro filiis Zonchuk, Rubino et fratribus suis contra Janka filium Emerici filii suis (sic!) et Baka frater eiusdem, ac super pena dupli. Sigillum margini ext. fuit appress. — Orig. in scheda membr., in Arch. Cap. Pos. Publ. Capsa I. fasc. 3. nr. 3.

201.

1328. (Esztergom.) 13. Jul. — Magistratus Strigoniensis, comitem Stephanum et Jacobum, cives Strigon., partem terrae in Csév et Csolnok, monialibus de insula Budensi donasse testatur.

Edid. Cod. Andegav. T. II. p. 366.

202.

1328. (Esztergom.) 13. Julii. — Capitulum Strigoniense, comitem Stephanum, civem Strigon., quaedam particulas terrarum in Csév et Csolnok, monasterio de insula Budensi., donasse perhibet.

Theophylus prepositus et *capitulum Strigoniensis* ecclesie, omnibus Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, salutem in largitore salutis. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie volumus pervenire: quod discretus vir comes *Stephanus*, filius quondam comitis Godyni, civis Strigoniensis et Jacobus, filius Rubini, filii eiusdem Godini ab una parte, et frater *Mykael ordinis predicatorum*, nomine et vice dominarum sanctimonialium *de insula Budensi*, tanquam procurator earum generalis parte ex altera, coram nobis personaliter constituti, iidem comes Stephanus et frater suus Jacobus, quandam partem et porcionem terre arabilis et feneti, in *Cheu* et *Cholnuk* existentem, et ipsos contingentem, cum omnibus earum utilitatibus et pertinenciis universis, excepta parte et porcione quondam Frankyni, similiter filii Godini et suorum heredum, dederunt et donaverunt, pro remedio animarum suarum, ipsis dominabus sanctimonialibus de insula Budensi perpetuo et irrevocabiliter tenendam, possidendam et habendam. Universa eciam instrumenta, cuiuscunque virtutis, vigoris et efficacie existant, nomine ipsius comitis Godini super premissis confecta, in manus et in ius ipsarum dominarum tradentes coram nobis; et si qua aliquo ingenio vel, quovis quesito colore reservassent, reddiderunt cassa, inania et penitus viribus caritura. Ita tamen, quod si processu temporum ipsas dominas, super premissis porcionibus terrarum eis datarum et donatarum aliquis vel aliqui traherent in causam, ipsi comes Stephanus et Jacobus et eorum heredes, non tenebuntur, nec se obligant eas defendere vel tueri, cum universa munimenta et instrumenta, super hys emanata, in manus earum tradiderint; presertim et cum iidem, qui ipsum comitem Godynum defen-

dere assumpserant et adhoc se obligarant, habeant superstites et heredes, ut dixerunt. Assumpsit tamen idem frater Mykael, nomine procuratorio vice ipsarum dominarum, quod quandocunque placerent ipsi comiti Stephano et Jacobo fratri suo et eorum heredibus, ipsa instrumenta, in sui defensionem, si per quempiam impeterentur, exhibere eadem et in medium producere ad tutelam; hoc tamen non pretermisso quod et ipse domine, in recognicionem et aliqualem reconpensam talis et tanti beneficii, ab ipsis comite Stephano et Jacobo fratre suo recepti, quandam sumpmam pecunie ipsis Stephano et Jacobo in manus dederunt, sicut iidem Stephanus et Jacobus, coram nobis, sunt confessi. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, presentes sigillo nostro confirmatas et roboratas, duximus concedendas. Datum, in festo beate Margarete virginis et martiris, anno Domini M° CCC° XX° octavo.

Extus manu medii aevi: Super particula terrarum arabilium, necnon fenetorum in Chew et Cholnuk habitarum.

Sigillum e viridi et rubro serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 2502.

203.

1328. Avignon. 9. Aug. — Joannes PP. XXII., assertionem quorumdam, quod Christus Dominus et ejus Apostoli in bonis quae habebant, nullum jus proprietatis, sed simplicem tantum facti usum habuerint, ut haereticam damnat.

Johannes episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus . . . . . *archiepiscopo Strigoniensi,* eiusque suffraganeis et dilectis filiis inquisitoribus heretice pravitatis, *in provincia Strigoniensi,* auctoritate apostolica deputatis, salutem et apostolicam benedictionem. Quia nonnunquam unius impunitas, dum spem impunitatis ad alios prorogat, ad culpam nonnullos invitat, sepe delinquentibus tirannice parcitur, et in eos misericorditer desevitur. Sane licet dudum, quod pertinaciter affirmare, quod Redemptori nostro Domino Jesu Christo eiusque apostolis in hys, que ipsos habuisse scriptura sacra testatur, nequaquam ipsis ius utendi seu consumendi competteret, nec illa vendendi, seu donandi ius habuerint, aut ex ipsis alia aquirendi, que tamen ipsos de premissis fecisse scriptura sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit aperte, cum talis assertio ipsorum usum et gesta evidenter includat in premissis non iusta, quod utique de usu gestis seu factis eiusdem Redemptoris nostri Dei Filii sentire nephas est, scripture sacre contrarium et doctrine apostolicae inimicum, deliberatione tam cum fratribus nostris sancte *Romane* ecclesie cardinalibus, quam cum multis archiepiscopis et episcopis, aliisque ecclesiarum prelatis, nec non et cum pluribus sacre theologie magistris et utriusque iuris professoribus prehabita diligenti, ac de eorumdem fratrum consilio, assertionem predictam pertinacem, deinceps erroneam fore censendam merito et hereticam per nos fuerit declaratum. Subsequenter quoque ad audientiam nostram perducto, quod quorumdam mentes sic pater dicebatur mendacii excecasse, quod ausu nephando, ac petulantia improba ausi fuerunt defendere publice prefatam dampnatam heresim, ac etiam approbare, videlicet quod Christus et eius apostoli in hys que habuisse leguntur, tantum habuerant — absque iure aliquo — simplicem usum facti; ex quo, si verum esset, sequeretur usum Christi fuisse non

iustum, quod profecto blasphemiam continebat et erat catholice fidei inimicum, cum hec de pertinaci animositate et erronea, non esset dubium processisse: omnes et singulos, qui verbo et scripto, per se vel alium seu alios, publice talia presumpserunt, in dampnatam heresim incidisse, ac tales ut hereticos evitandos fore, de eorumdem fratrum consilio declarandum duximus; decernentes, ut si quis predictam heresim deinceps scienter, verbo vel scripto, defendere vel approbare presumeret, deberet ab omnibus tanquam hereticus evitari. Adhuc tamen, sicut multorum insinuatio ad nostrum perduxit auditum, nonnulli in reprobum sensum dati, precipue quidam religiosi habitu, sed re vera heretici, ab unitate catholice ecclesie separati, prefatam heresim approbare presumunt et defendere ac dogmatizare, ut alios in sui errorem pertrahant, non verentur. Ne igitur homines sic perfidi, sic reprobi glorientur sue perversitatis opera sine condignis meritorum stipendiis preteriri, sitque super tante temeritatis excessu illius discipline exercenda severitas, per quam et cauti devoti Deo, eiusque sancte ecclesie reddantur et humiles, ac deliquisse peniteat pestilentes; ad devotorum quoque cedat solacium, quod vindictam viderint perfidorum. Omnes et singulos, qui postquam constitutiones nostre, super predictis edite, ad eorum pervenerunt, vel per eos steterit quominus pervenirent notitiam, predictam heresim, ut premittitur condempnatam, ausi fuerint defendere ac approbare, seu eam dogmatizare; et qui de cetero talia publice vel occulte presumpserint attemptare, hereticos declaramus, sicut et per constitutionem que incipit: *Quia quorumdam* duximus declarandos. Et quia indignum est, ut eius a qua se obedientia subtrahunt, quamque impugnare temere satagunt, privilegiis perfruantur, ipsos omnibus et singulis, tam exemptionis, quam aliis quibuscunque privilegiis et gratiis, libertatibus et immunitatibus, tam ordinibus suis, quam personis et locis ipsorum, sub quacunque forma vel expressione verborum, ab apostolica sede concessis, auctoritate apostolica omnino privamus; et preter penas alias, contra talia presumentes inflictas, quibus ipsos subiacere volumus, privatos perpetuo ac ordinariorum locorum iurisdictioni ordinarie, quo ad causas omnes et alia omnia decernimus, manere subiectos. Quocirca discretioni vestre, per apostolica scripta in virtute obedientie districtius iniungendo mandamus, quatenus singulis diebus dominicis et festivis, quibus videritis expedire, tales excommunicatos hereticos et scismaticos, ac ut predicitur eisdem privilegiis, gratiis, libertatibus et immunitatibus privatos, vos fratres archiepiscope et suffraganei, faciatis in ecclesiis vestrarum civitatum et diocesis publice nuntiari; ac vos vestrique vicesgerentes vestra ordinaria, et vos filii inquisitores apostolica auctoritate, adversus eos, quos in premissis vel circa ea summarie, simpliciter et de plano, in eisdem civitatibus et diocesibus reperitis deliquisse, tanquam contra hereticos et scismaticos, ad captionem, inquisitionem, correctionem et punitionem, iuxta sanctiones canonicas, adeo diligenter procedere studeatis, quod extirpatis de finibus nostris heresibus huiusmodi, catholica fides illibata remaneat in hac parte, vosque divine ac sedis eiusdem gratiam valeatis uberius promereri; non obstantibus quibuscunque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, per que vestra vel alicuius vestrum iurisdictio posset super h*y*s, vel ea tangentibus, quomodolibet impediri; aut ipsi delinquentes, seu eorum aliqui, in aliquo se iuvare valerent, etiam si de illis esset in presentibus specialis et expressa et de verbo ad verbum mentio facienda, que quo ad hec ex super*h*abundanti penitus

revocamus. Porro nostre intentionis existit, quod per premissa dictis ordinibus, aut fratribus eorumdem, qui a predictis heresibus ipsarumque defensione, approbatione, dogmatizatione ac instructione innocentes extiterant et immunes, eorumque privilegiis, gratiis, immunitatibus et libertatibus nullatenus derogetur. Datum *Auinioni,* V Idus Augusti, pontificatus nostri anno duodecimo.

Infra plicaturam a sinistro: Regestrata a Fabri Litterato de curia cito, de mandato domini nostri, omnibus premissis portetur cras sub pena hora prime. G. Or.

Sigillum plumb. e filo cannab. pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 44. fasc. 1. nr. 13.

204.

1328. (Pozsony.) 15. Sept. — Capitulum Posoniense, Elisabetham consortem Rudgerii, civis Tirnaviensis, dimidiam vineam in Récse, filiae suae moniali et claustro Clarissarum Posoniensium, donasse testatur.

Nos capitulum ecclesie *Posoniensis,* significamus, quibus expedit, presencium per tenorem universis: quod constituta personaliter coram nobis *Elysabeth,* consors *Rutgerii* dicti *Reuche,* civis *Tyrnensis* (sic!), est confessa oraculo vive vocis, quod ipsa quandam dimidiam vineam suam, in *monte Benedicti* specialiter dicto, generaliter vero *in monte ville Reche* nuncupato existentem, *Katherine* karissime filie sue, in habitu dominarum velatarum in *claustro beate Clare de Posonio* devote Deo famulanti, et eciam eidem claustro [san]cte Clare, propter tenerrimam ac specialem dilecciones eiusdem filie sue, et maxime pro remedio animarum parentum et predecessorum suorum, ac eciam ob remissionem peccatorum suorum, quam quidem vineam de scitu, consensu et bona voluntate dicti mariti sui, sicut ipsi coram nobis publice fatebatur (sic!), hactenus pro eadem filia sua, et domina matre sua, que videlicet mater sua in eodem claustro beate Clare extitit, inibi Deo famulando defuncta et eciam tumulata, titulo comparaverat empcionis, dedisset, donasset et tradisset, ymmo dedit, donavit et tradidit, coram nobis, iure perpetuo possidendam, habendam et tenendam; tali tamen pacto mediante, quod quamdiu Domino opitulante vivere poterit, ipsam vineam postsidebit, ipsa vero defuncta, in usus et proprietates dicte filie sue et claustri memorita (sic!) devolvetur pleno iure; assumpsit eciam eadem domina Elysabeth, se obligando, eidem filie sue singulis annis, usque finem vite sue, de fructu dicte vinee in suis necessariis providere. Datum, in octavis Nativitatis Beate Virginis Gloriose, anno Domini M° CCC° vicesimo octavo.

Sigillum integrum e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 16. nr. 34. — Ed., ex alio exempl., in Arch., Reg. Hung. Reg. asservato, in Cod. Andeg. T. II. 372.

205.

1328. (Nyitra.) 2. Nov. — Capitulum Nitriense *Carolo* I. regi, abbatem s. Benedicti in possessionem Szemlér statutum fuisse, perhibet.

Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie illustri, capitulum ecclesie *Nitriensis,* oraciones in Domino debitas et devotas. Litteris vestre excellencie generalibus reambulatoriis, pro domino abbate Sancti *Benedicti, de*

iuxta Gron, cum omni qua decuit reverencia et obediencia receptis, cum *Andrea* fratre *Gula,* homine vestro, magistrum *Joseph concanonicum* nostrum, ad reambulandam quandam possessionem ipsius monasterii beati Benedicti, *Semler* vocatam, pro testimonio destinavimus. Qui negocio bene intenti et ad nos reversi, concorditer retulerunt: quod (expunct: cum) sabbato proximo post festum beatorum Symonis et Jude apostolorum proxime preteritum, ad faciem predicte possessionis *Semler* accedentes, convocatis suis commetaneis et vicinis universis, eandem per veteres metas et antiquas reambulassent et, nemine contradictore apparente, statuissent eidem monasterio beati Benedicti, prout ad eundem (sic!) pertinere noscebatur perpetuo, cum omnibus suis utilitatibus possidendam. Datum, in crastino festi Omnium Sanctorum, anno Domini M° CCC^mo XX^mo octavo. 1328. 29. Oct.

Extus: Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie illustri, reambulatoria, pro monasterio beati Benedicti de iuxta Gron. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. in scheda membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 6. nr. 11.

Esztergom- Budapesti Főegyházmegye Esztergomi Érseki Levéltár

III.

VACAT SEDES.

1328. Dec. — 1329. Febr.

206.

1329. (Szepeshely.) 14. Jan. — Capitulum Scepusiense, filios et nepotes quondam comitis Ricolphi, possessionem suam Kolcsva, in comitatu Scepus. existentem, cum illa monasterii Ord. Carthus. de Lapide Refugii, Heimborch nominata, in districtu Tharcensi iacentem, commutasse perhibet.

Ed. Cod. Andegav. T. II. p. 382.

207.

1329. — 20. Jan. — Carolus I. rex, literas fundationales praepositurae Dömös transscribit et confirmat.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac Montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris sa[lutem in omniu]m Salvatore, Cum a nobis petitur, quod iustum et honestum est, decet maiestatem regiam facilem prebere consensum, in hys presertim, que videntur sacrarum ecclesiarum commodis utiliter convenire. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod discretus vir magister *Martinus,* Dymisiensis ecclesie prepo[situs, devotus et fi]delis capellanus noster, ad nostram personaliter accedens presenciam, exhibuit nobis quoddam privilegium domini *Bele* secundi, inclite recordacionis, olym illustris regis Hungarie, tenoris infrascripti, petens nos humili precum instancia, ut quia ipsum privilegium propter sui vetustatem, tam quarte (sic! legendum: charte), quam sigilli in specie, quo esset [. . . . . .] admodum necessarium, deferre non valeret, nostris litteris transscribi et ad uberiorem et maiorem rei firmitatem, nostro privilegio perpetuo valere confirmaremus. Cuius tenor talis est:

Sequitur privil. Belae II. regis de a. 1138, edit. ex hoc ipso transsumpto T. I. p. 88. nr. 65. 1138. 3. Sept.

Cum igitur veritate edocente equitas suadeat, ut reges et ceteri terrarum principes, qui nutu Dei reguntur, in celesti *I*erusalem tunc potissimum collocentur, cum per eos temporalis ecclesia, precioso sanguine Christi decorata, et in eadem iugiter famulantes, quorum precum suffragiis omnia bona optinentur a *D*eo, sollicite et quite in eorum iuribus conservantur atque gubernantur. Hoc

itaque pensantes in animo, hoc regali moderamine in cordis nostri armariolo revolventes, predictum privilegium domini *Bele,* iuxta eiusdem Martini prepositi peticionem et humilem supplicacionem, presentibus de verbo ad verbum insertum, in omnibus suis clausulis approbamus, acceptamus, ratificamus, et de prelatorum ac baronum regni nostri consilio et consensu, presentis scripti patrocinio, perpetuo valere confirmamus. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, novi et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri *Endre,* Albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini M. ccc. xx. nono, tredecimo Kalendas Februarii, regni autem nostri anno similiter xx. nono. Venerabilibus in Christo patribus, domino fratre Ladislao, archiepiscopo Colocensi; *sede autem Strigoniensi vacante;* Nicolao Jauriensi, fratre Petro Boznensi, Benedicto Chanadiensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Herrico Wesprimiensi, Chanadino Agriensi, Andrea Transiluano, Ladislao Zagrabiensi et Mescone Nytriensi episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Johanne palatino; Demetrio magistro tavarnicorum nostrorum; Thoma Woyuoda Transiluano et comite de Zonuk; comite Paulo iudice curie nostre; Mykch bano tocis Sclauonie; Johanne bano de Machou, comite Sirmiensi, de Walko, de Bodrug et de Barana; Johanne magistro tawarnicorum domine regine, consortis nostre karissime; Deseu iudice curie eiusdem; magistro Willermo comite Zepesiensi, de Sarus et de Wyvár; Stephano magistro agasonum nostrorum; Dyonisio magistro dapiferorum nostrorum et Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, regni nostri comitatu[s tenenti]bus et honores. 1329. 20. Jan.

Sigillum cum zona periit. — Orig. membr. situ et humore exesum, in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 70. fasc. 1. nr. 4. — Edidit Fejér: Cod. Dipl. II. 94 et VIII.[3] 362.

208.

1329. (Esztergom.) 13. Febr. — Capitulum Strigoniense, molendinum in Gyarmat, Pathó sartori cum onere census annui, confert.

Theophylus prepositus et capitulum ecclesie *Strigoniensis,* omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis, salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod cum molendinum *Petri* molendinatoris, quondam iobagionis nostri de *Gyarmath,* ex nostra licencia, concessione et consensu, sub census condicione, super aquam *Garan* in nostro territorio, iuxta memoratam villam Gyarmath, per eundem edificatum, fundatum et constructum, et per eum usque ad vite sue finem pacifice habitum et possessum, ex causis legitimis et racionibus evidentibus subsequentibus, tum videlicet propter hoc, quia idem Petrus molendinator, cum quadam vice *Romam peteret,* ipsum molendinum suum nobis legasse, assignasse dignosscitur, pariter et donasse; tum quia census annuales, racione dicti molendini nobis debitos, pluribus annis solvere non curavit, sed eos contumeliose et pertinaciter apud se detinuit; tum eciam quia sine herede decessit; tum quia ante mortem suam, per aliquos dies, litteras suas, sibi a nobis concessas, census et condiciones eiusdem molendini continentes, ad nostram personaliter accedens presenciam, nobis

su[is] manibus assignavit, in manus nostras extitisset pleno iure devolutum. Nos volentes ecclesie nostre iobagiones et nostros solita diligencia promovere, ut eorum status de bono in melius valeat reformari, ad instantem peticionem omnium iobagionum nostrorum, in predicta villa nostra Gyarmat commorancium, sepedictum molendinum, sic in manus nostras ex causis superius pretaxatis perpetuo devolutum, tanquam nostrum, *Patho Sartori,* iobagioni nostro de eadem villa Gyarmath, filio videlicet sororis Petri molendinatoris memorati, habito super hoc tractatu unanimi et consensu parili, sub condicione census infrascripti, duximus concedendum, committendum, tradendum et pariter assignandum, ex gracia speciali dantes eidem ipsum molendinum possidendi, tenendi, habendi, locandi, vendendi et legandi, in filios filiorum suorum plenam et liberam facultatem. Condicione nichilominus census subsequentis, et iure dominii pro nobis reservatis in eodem. Quos quidem census et munera taliter decrevimus moderanda: quod singulis annis in festo nativitatis Domini, quatuor capones et duas tortas molendinares; item in festo passce, unum agnum bonum, quatuor caseos, vyginti ova et similiter duas tortas; item in festo Omnium Sanctorum, similiter quatuor capones et duas tortas; item in festo beate Lucie virginis, unam marcam denariorum cum dimidia; item ante festum nativitatis Domini, in septimana proxime precedenti, unum bonum porcum nobis dare et solvere tenebitur, occasione qualibet procul mota, ut assumpsit. In cuius rei testimonium et memoriam firmiorem, presentes nostras litteras privilegiales eidem Patho duximus concedendas, nostri sigilli munimine roborando. Datum, feria secunda proxima post octavas Purificationis Virginis Gloriose, anno Domini Millesimo CCC^mo^ XX^mo^ nono.

25. Dec. 1. Nov. 13. Dec.

Sigillum cum zona avulsum. — Orig. membran., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 38. fasc. 1. nr. 4.

IV.

NICOLAUS III. DE DÖRÖGD ARCHIELECTUS.

1329. Febr. — 1330. Sept.

209.

1329. — 14. Febr. — Capitulum Scepusiense, Nicolaum, filium Gurk, dimidiam partem suae possessionariae portionis, fratribus Ord. Carthus. de Lapide Refugii, testamento legasse testatur.

Ed. Cod. Andeg. T. II. p. 387.

210.

1329. (Somogyvár.) 25. Mart. — Conventus Simigiensis, possessionem Tyukos, Paulo de Fehéregyház, venditam esse testatur.

Tenorem vide sub nr. 216.

211.

1329. Avignon. 1. April. — Joannes PP. XXII. episcopo Constantiensi, praeposito et decano comittit, ut Hugonem et Radulphum, comites de Monteforti, et eorum complices, qui Nicolaum electum Strigonien. ceperunt, denuncient excommunicatos.

„Sane non absque gravi perturbatione percepimus, quod cum dilectus filius *Nicolaus,* prepositus ecclesie *Posoniensis,* Strigoniensis dioecesis, electus Strigoniensis, de Ungarie partibus, ad curiam Romanam accederet, pro confirmationis electionis sue munere obtinendo, et transitum per civitatem Constantiensem faceret, nobiles viri Hugo et Radulphus, comites de Monteforti, Curiensis diocesis, et quidam alii eorum in hac parte complices et fautores, in gravem divine maiestatis et nostram, ac eiusdem sedis offensam, ausu sacrilego eundem prepositum, nec non socios suos et familiares ipsius, capere et detinere captivos, eosque equis, pecunia et bonis aliis eorumdem spoliare nequiter presumpserant."

Ed. Theiner: Monumenta Hung. Hist. T. I. p. 524.

212.

1329. (Pozsony.) 29. April. — Capitulum Posoniense Margaretham, marito suo Joanni de Csölösztő, dotem et res parafernales testamentaliter legasse, testatur.

A. B. C.

[U]niversis Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, capitulum ecclesie *Posoniensis,* salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam, tam presencium, quam futurorum, harum serie volumus pervenire: quod cum ad peticionem *Johannis,* filii Johannis de *Chyleztu,* pro audiendo testamento domine *Margarete* karissime consortis sue, in lecto egritudinis decumbentis, hominem

nostrum, videlicet magistrum *Albertum*, clericum nostrum familiarem misissemus, demum idem ad nos reversus nobis retulit: quod ipsa domina Margareta, licet egra corpore, compos tamen sue mentis, coram ipsos, et presentibus honestis viris dominis Johanne scilicet *de Kyliti*, et *Akurone* de *Chyleztu, ecclesiarum rectoribus*, et nobili viro Stephano dicto *Guot* layco, dotem et res parafornales (sic!) suas, predicto Johanni karissimo coniugi suo, racione dileccionis maritalis, quam gessit erga ipsam, et Jacobo fratri eiusdem Johannis, et per eos suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo ac irrevocabiliter delegasset; ita quod nullus proximorum, vel cognatorum ipsius domine, ullo umquam tempore, ipsos Johannem et Jacobum antedictos, vel eorum heredes, racione dotis et rerum parafornalium prememoratarum, possint seu valeant agravare. Datum, sabbato in Albis, tercio Kalendas Maii, anno Domini millesimo CCC° vigesimo nono.

Sigillum e rubro et flavo serico contexto dependet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 3. nr. 9.

213.

1329. (Esztergom.) 14. Maii. — Capitulum Strigoniense, populos in Szebelléb, a solutione tributi in Németi, in perpetuum exemptos esse, graciose concedit.

Nos capitulum ecclesie *Strigoniensis*, memorie commendantes significamus, quibus expedit, tenore presencium universis: quod nos *multiplicacionem populi de villa nostra Scebhleb* vocata, pociusquam diminucionem affectantes, volentesque in omnibus grato favore occurrere, eisdem nos graciosos exhibendo, pro eo maxime quia in nostris necessitatibus, cum ad eos recursum habuimus, nobis iuxta qualitatem et quantitatem suorum bonorum exacciones, quas ab eisdem decrevimus exigendas, sine difficultate exsolvere curaverunt; ea eciam spe ducti, quod tractu temporum in exsolvendis dacionibus, exaccionibus, seu collectis quibuscunque, per nos oportunitatis tempore eciam ultra consuetam dacionem moderate postulandis ab eisdem, se facilibus faciliores exhibebunt, sicut hactenus exhibuisse dignoscuntur. Habita super hoc matura deliberacione et tractatu sufficienti, ex consensu parili et voluntate unanimi, hanc graciam specialem eis duximus faciendam: quod omnes universaliter et singuli singulariter, heredesque ipsorum et heredum suorum successores, a solucione tributi, quod in villa nostra *Neymthy* vocata, pro nobis exigi consuevit, penitus et per omnia in perpetuum vigore presencium sint exempti; nychilominus hoc adiecto, quod si aliqui eorumdem, cum rebus alienis sub eorum nominibus deducendis, per tributum memoratum sine solucione tributi consueti, fradulencia inducente, transire presumpserint et de hoc tributario pro tempore constituto, vel nobis veritas constiterit, ipsos rebus huiusmodi, vel suis rebus propriis hys — sic fraudulenter deductis — equipollentibus, privari volumus eo facto. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, eisdem populis nostris, presentes concessimus litteras, nostri sigilli munimine roboratas. Datum, in dominica proxima post quindenas Passce Domini, anno eiusdem M° ccc° xx^mo nono.

Sigillum e zona membran. pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 15. fasc. 2. nr. 11.

214.

1329. Magasvár. 17. Jun. — Carolus I. rex, Stephani castellani de Visegrád adoptionem in filium et haeredem, per Mikócsa factam et promissam, comprobat.

Tenorem vide sub nr. 366.

215.

1329. Avignon. 19. Jun. — Joannes PP. XXII., Rodolphum, ex ordine Praedicatorum, in episcopum Vaciensem praeficit, simulque capitulo et regi commendat.

„Johannes episcopus etc. . . . .

Dudum siquidem Waciensi ecclesia per obitum bone memorie Laurencii episcopi Waciensis, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solacio destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa pro futuri substitucione pastoris, ut moris est, convenientes in unum, te ordinis fratrum predicatorum professorem, in sacerdocio constitutum, in Waciensem episcopum per formam scrutinii concorditer elegerunt, tuque huiusmodi electioni de te facta ad instantiam dictorum capituli, prius tui superioris obtenta licentia, infra debitum tempus consentiens, *a dilectis filiis capitulo ecclesie Strigoniensis,* tunc et adhuc pastore carentis, *cui prefata Watiensis ecclesia iure metropolitica est subiecta, confirmari electionem tuam* huiusmodi cum instantia *postulasti. Verum* quia *prefati Capitulum renuerunt, sine aliqua causa rationabili electionem confirmare predictam,* ad sedem apostolicam personaliter accessisti, confirmationem electionis tue huiusmodi petiturus etc.“

Apud Theiner: Monumenta Hist. Hung. T. I. p. 524. nr. 811.

216.

1329. (Somogyvár.) 22. Jul. — Conventus Simigiensis, literas suas pro Paulo de Fehéregyház concessas, privilegialiter edit.

Conventus monasterii *sancti Egidii de Symigio,* omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presentes litteras inspecturis, salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam harum serie litterarum volumus pervenire: quod comes *Paulus,* filius Andree de *Feyreghaz,* ad nostram accedens personaliter presenciam, litteras nostras patentes nobis presentavit, petens a nobis humili cum instancia, ut tenorem earumdem de verbo ad verbum rescribi, nostrisque privilegialibus litteris inseri et confirmari faceremus. Cuius tenor talis est:

Nos conventus monasterii sancti Egidii de Symigio, memorie commendamus, quod Paulus, Petrus, Mychael et Stephanus, filii Nicolai, filii Farkasii de *Feyreghaz* ab una parte, comes Paulus, filius Andree de eadem ab altera, coram nobis personaliter constituti, predicti filii Nicolai confessi sunt viva voce: ut totam possessionariam porcionem suam in villa *Tykus* ipsos contingentem, videlicet in terris, fimatis, locis sessionalibus, fenilibus, virgultis et terris arabilibus, ac eciam tributis montaneis, hereditario iure eis attinentes, comiti Paulo predicto et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, pro viginti marcis plene receptis ab eodem, sicut dixerunt, vendidissent, perpetuo possidere

et habere; obligacione tali interposita et per eosdem filios Nicolai assumpta, quod si qui temporis processu, predictus comes Paulus vel sui posteri, per predictum Nicolaum patrem eorumdem, racione quinte partis premisse possessionis *Tykus*, que ipsum in eadem contingit, inquietarentur, extunc iidem ipsum comitem Paulum et heredes suos defendere et expedire tenerentur. Qui si expedire non possent, vel non curarent, tantumdem et consimilem de eorum possessione *Feyreghaz* predicta, scilicet quantum ad quintam partem eiusdem possessionis *Tykus* in porcionem patris ipsorum cederet, ipsi conïiti Paulo et suis posteris dare tenerentur. Dicimus tamen, quod cum presentes nobis reportabuntur, nostro tenebimur privilegio confirmare. Datum, sabbato proximo ante dominicam Oculi, anno Domini M° ccc° xx° nono. 1329. 25. Mart.

Nos igitur, quia peticiones predicti comitis Pauli iustas fore et legitimas agnovimus, easdem litteras nostras de verbo ad verbum rescribi fecimus, presentibus privilegialibus litteris inseri et confirmari faciendo. Datum, sabbato proximo ante festum beati Jacobi apostoli, anno Domini M° ccc° xx° nono. Religioso viro domino *Stephano* abbate prelato nostro, *Wrlico* custode, *Herrico* decano, *Adriano* celerario, *Fridrico* cantore, ceterisque fratribus ibidem existentibus, Deoque famulantibus iugiter et devote.

Sigillum exesum e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 65. fasc. 1. nr. 2.

217.

1329. (Pozsony.) 4. Aug. — Capitulum Posoniense, Cosmam et Petrum de Bánkvölk, contra Ferencz de Madarasszeg, iuramentum rite depositos esse rescribit.

Excellentissimo principi domino *Karolo*, illustri regi Hungarie, domino suo, capitulum ecclesie *Posoniensis*, oraciones in filio Virginis gloriose. Noverit vestre maiestatis excellencia, quod cum iuxta formam iudicii et seriem litterarum magnifici viri comitis Pauli, iudicis curie vestre, Petrus, filius Jacobi et Cozmas, filius Michaelis, in octavis festi beati Jacobi apostoli nunc in proximo preteritis, contra *Ferenchz* (sic!), filium Benedicti de *Madarazeg*, coram et presente *Thoma* filio *Chezthwe*, vel Petro filio *Kumperd*, homine regio altero absente, et nostro testimonio (expunct.: iurare), in facie cuiusdam litigiose particule terre, pro qua inter partes iam nominatas litigabatur, secundum regni consuetudinem, prout est moris, pro terra iurare debuissent. Adveniente ipso termino iuramenti, memoratus Thomas filius Cheztve, homo vester, una cum domino Johanne presbitero, ecclesie beati Petri in villa *Eberhardi rectore*, quem ad ipsum Thomam providendo ipso ibi fiendo iuramento deputaveramus, tandem ad nos reversus retulit nobis, sub eiusdem hominis nostri testimonio: quod ipsi in dictis octavis, super faciem dicte terre litigiose accesserint, et presente dicto Ferenchz de Madarazyg, prelibati Petrus, filius Jacobi, et Cosmas, filius Michaelis de *Bankwlke*, *discalciati stando in facie ipsius particule terre, absque cingulis, cespitibus, seu terris in manibus super caput latis*, omnibus verbis ipsius iuramentalis deposicionis, ipso homine nostro eis predicente seriatim, ymo omnibus et universis condicionibus, ad ipsum deponendum iuramentum requisitis, legittime observatis, ipso Ferenchz in nullo penitus contradicente, iuravissent. Quibus, prestitis eorum iuramentis, dictam particulam terre, a terra dicti Ferench per 1329. 1. Aug.

seriem metarum subscriptarum separatam, et ipsorum Petri et Cosme terris adiunctam, perpetuo possidendam statuisset et habendam. Mete autem ipsius terre hoc ordine distinguntur, a parte terre ipsius Ferenchz: quod a parte orientis, prope aquam magnam, que exit de fluvio *Chollou,* sunt due mete nove, separantes hanc terram ipsorum Petri et Cosme de *Wlk*, a terra ipsius Ferenchz; deinde versus meridiem, in quadam terra arenosa *w*lgariter *Humuk* dicta, sunt iterum due mete, separantes ut priores; illinc similiter eundo versus aquam *Humon,* sunt iterum due nove ut prius separantes; ultra iterum similiter sunt due, seiungentes ut prius; iterum ultra similiter eundo, in modum anguli girando, sunt in valle adhuc due, ut priores semoventes; item in littore ipsius aque *Humon* iterum due nove separantes ut priores; de inde transit ipsam aquam Humon versus meridiem et pervenit iterum ad duas metas novas similiter separantes; ultra similiter eundo sunt iterum due nove ut prius distingwentes; et (expunct.: ml) ultra similiter eundo iterum sunt due nove, que distingunt ut priores. De illinc vellent ipsi (expunct.: filii) de *Bankwlky,* quod ad locum, ubi tres veteres mete stant, prosiliret iterum unam veterem, suam ad terram Bankwlky pertinere dicunt; sed nos eandem metam nostram et nostre possessionis *Wlky* vocate fore asserimus, pro qua lis inter nos et ipsos de Bankwlky pro adhuc pendet. Datum, feria sexta proxima post octavas festi beati Jacobi apostoli, anno Domini M° ccc° xx^mo^ nono.

Extus: Excellentissimo domino suo *Karolo,* illustri regi Hungarie, pro Cosma filio Michaelis et Petro filio Jacobi de *Bankwlky,* contra *Ferenchz,* filium Benedicti de *Madarazeg,* super serie iuramenti in octavis beati Jacobi depositi. — Sigillum plicaturae fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 9. fasc. V. nr. 1.

218.

1329. (Nyitra.) 13. Aug. — Capitulum Nitriense, abbatem et conventum de iuxta Gron, praedium suum Bohosnice, sub certis conditionibus, Phillippo de Vezekeny, elocari perhibet.

Nos capitulum ecclesie *Nitriensis,* significamus quibus expedit universis: quod religioso et Deo devoto viro fratre *Ladislao, abbate* monasterii *sancti Benedicti de iuxta Gron* ab una parte, et *Phylippo,* filio Nicolai fili (sic!) Berzo de *Vezeken* ex altera, coram nobis personaliter constitutis, idem dominus abbas quoddam predium, seu possessionem ecclesie sue, *Bohosniche* vocatam, predicto Phylippo et fratribus suis, ac iobagionibus eorundem de Vezeken, donavit pro tempore ad utendum et colendum tali modo: quod de singulis iugeribus singulos medios sapones, usque ad sumpmum mensurando Borsienses, nunc et pro tempore currentes, puta: de tritico, de siligine, de ordeo et de avena, item de lenticulis, pisis; et de milio quartam partem unius saponis, in propriis curribus suis, usque festum *beati Martini* confessoris singulis annis, et a qualibet curia singulas duas tortas et duos pullos dare et assignare tenebuntur. Silvam vero et prata eiusdem possessionis, idem dominus abbas possidebit; gramina campestria autem dicti iobagiones, pro suis pascuis possidebunt. Assumpsit et idem Phylippus, quod ipsam possessionem incultam non tenebit, quod si secus faceret tantum de incultis iugeribus, quantum de cultis se obligavit solviturum; tali eciam condicione interposita, quod si infra festum beati Martini confessoris predictum, ipsam solucionem facere obmitteret, in duplo convinceretur et dictus

dominus abbas liberam haberet ipsam possessionem ab eisdem auferendi potestatem, prout ad premissa se partes, coram nobis, sponte obligarunt. Datum, in festo beati Ipoliti martiris, anno Domini M° CCC^mo XX^mo nono.

Sigillum tergo fuit appressum. Orig. membran., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 8. fasc. 2. nr. 4.

219.

1329. — 23. Sept. — Capitulum Jauriense, ad preces Georgii, presbyteri de S. Georgio, dioec. Jaurin., literas Thomae archieppi Strig., literas Nicolai episcopi Jaurin. confirmantes et transsumentes, transscribit.

Ed. Cod. Dipl. Patr. T. III. p. 104. — Orig. in Arch. Mus. Nation. Bpest. Mat. Vet.

220.

1329. (Buda.) 31. Oct. — Magistratus Budensis Jacobum, filium Rubini, cum noverca sua, quoad bona patris sui, per compromissum concordasse testatur.

Tenorem vide sub numero 222.

221.

1329. Visegrád. 11. Nov. — Carolus I. rex, mandat capitulo de Posega, ut inquiret utrum possessio Szentbertalan esset hominis sine haerede decedentis, et event. statuet ipsam Thomae de Karthal.

Tenorem vide sub nr. 225.

222.

1329. (Esztergom.) 12. Nov. — Vicarii Nicolai, electi archiepiscopi Strigoniensis, compositionem inter Jacobum Rubini et suam novercam initam, transscribunt.

Nos *Lodomerius*, prepositus ecclesie *sancti Thome* martiris de promonthorio *Strigonyensi*, et magister Ladizlaus lector ecclesie *Strigonyensis maioris*, vicarii venerabilis viri domini *Nicolai, electi Strigonyensis* ecclesie, eiusdemque loci comitis perpetui, in spiritualibus generales, memorie commendantes significamus, quibus expedit, tenore presencium universis: quod nobilis et honestus iuvenis magister Jacobus, filius Rubini, civis de castro Budensi, ad nostram accedens personaliter presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras patentes nobilium et honestorum virorum comitis Johannis, rectoris castri *novi montis Pestyensis*, iuratorum et universorum civium de eodem, super facto composicionis inter nobilem dominam *Eles* vocatam, relictam dicti *Rubini* patris sui, novercam videlicet eiusdem et ipsum emanatas, petens nos humiliter cum instancia, ut tenorem earumdem de verbo ad verbum nostris litteris patentibus, maiorem ad cautelam, transscribi faceremus et nostris sigillis confirmari. Cuius quidem tenor talis est:

Nos comes *Johannes*, rector castri *novi montis Pestyensis*, iurati et universi cives de eodem, commendantes significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem: quod cum inter dominam *Eles*, relictam *Rubini*, quondam concivis nostri beate memorie ab una parte; et *Jacobum* filiastrum eiusdem

domine Eles, racione porcionis eiusdem Rubini, quam idem habuit in predio comitis *Kunch* patris sui, orto, terris arabilibus, feneto et aliis utilitatibus suis, ac vinee situate in *monte Pestyensi*, in vicinitate vinearum *Hench de Pesth* ab una parte, et relicte *Salamonis* ex altera iacenti, causa ex parte altera fuisset ventilata; tandem volentibus et consencientibus prenominatis partibus, mediantibus comite *Tylmano Veluengo*, magistro *Jacobo de Agria, Kunchlino de Mogordorfh, Nicolao de Jaurino, Kunchlino* filio Johannis quondam iudicis, et *Rudlino Rudner* dicto, concivibus nostris et iuratis, pacis et quietitudinis earumdem parcium amatoribus, in nomine Domini, in talem concordiam et pacis unionem devenerunt: quod predicta domina Eles, cum *Kathus* filia sua, a prescripto Rubino genita, prefatam vineam, receptis eciam decem marcis grossorum *Bohemicalium*, et perceptis fructibus feni, segetum porcionis predicti predii duobus annis preteritis, perpetualiter possidebunt et habebunt de ipsa vinea servandi, vendendi, legandique, in vita vel in morte, liberam facultatem; predictam vero porcionem prefati Rubini patris sui, idem Jacobus et sui heredes, cum fructibus, feneto, terris arabilibus et aliis utilitatibus, in ipso predio ad ipsum spectantibus, similiter iure perpetuo possidebunt et habebunt, essentque sua ad servandum, vendendum, legandumque, in vita vel in morte, et quicquid libuerit de eisdem tanquam rebus propriis faciendum. In cuius rei testimonium et firmitatem, ut prenotata concordia perpetua memoria firmiter teneatur et inviolabiliter observetur, presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in vigilia festi Omnium Sanctorum, anno Domini M° CCC° XX° nono. 1329. 31. Oct.

Nos igitur iustis et legitimis peticionibus eiusdem magistri Jacobi, civis Budensis, annuentes, tenorem predictarum litterarum de verbo ad verbum, nil addendo vel diminuendo, uberiorem ad cautelam presentibus inseri fecimus, nostrorumque sigillorum duximus confirmandas. Datum, in crastino festivitatis sancti Martini confessoris, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo nono.

Duo sigilla tergo fuerunt appressa. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Publ. Capsa 52. fasc. 6. nr. 2. — Hoc privil. transscribit 1329. 18. Nov. etiam Capitulum Budense, cum lect. variantibus: Eles = *Els*; quas quelibet pars sui iuris . . . = quas quelibet pars *nomine* sui iuris . . .; Kunchlino de Mogordorfh = *Kunchylino de Meyerdorf*; et Rudlino = *Ruedlino*. — Orig. in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 41. fasc. 1. nr. 8. — Imo et 1329. 1. Nov. Conventus Crucif. de Calidis Aquis Budens. — Orig. membr., quo sigill. tergo fuit appres. sat negligenter exaratum, ibidem Lad. 62. Fundat. nr. 1. e.

223.

1329. Visegrád. 15. Dec. — Carolus I. rex, conventui Simigiensi reambulationem possessionis Szob, dat in mandatis.

Tenorem vide sub. nr. 226.

224.

1329. — 17. Dec. — Capitulum de Posega, Carolo I. regi, inquisitionis et statutionis seriem, in possessione Szentbertalan peractam, rescribit.

Tenorem vide subsequenti nr. 225.

225.

1330. — 2. Januarii. — Carolus I. rex, possessionem Szentbertalan, in provincia de Bokova iacentem, Thomae de Karthal, castellano de Roholcha et fratri suo Ethele, iure perpetuo possidendam confert.

[K]arolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Sernie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, Montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Regie serenitatis glorie congruit et honori, fidelia fidelium obsequia, ubertatis gracia fecundare, promptumque suorum animam prompciorem efficere, retribucionis cum favore. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod cum magister Thomas de Karthal, castellanus *de Roholcha,* fidelis noster, ad nostre maiestatis accedens presenciam, sueque fidelitatis servicia nobis inpensa proponens et declarans, quandam possessionem *Scenthbartholom* vocatam, in districtu sive provincia de *Bokowa* existentem, asserens eam fore hominis sine herede decedentis, et ex eo nostre collacioni devolutam, a nobis sibi et *Ethele* fratri suo, dari et conferri perpetuo postulasset. Nos itaque, sicut de regia maturitate tenemur, in faciendis donacionibus ex certa sciencia procedere cupientes, fidelibus nostris *capitulo* ecclesie beati Petri *de Posega,* ut sub ipsorum testimonio Johannes clericus, vel Farcasius de *Kuchuk,* homo noster, vicinis et commetaneis suis convocatis, reambularet eandem per veras metas et antiquas, et si inveniret eam nostre collacioni pertinere, statueret ipsam ipsis magistris Thome et Ethele fratri suo, perpetuo possidendam, si non fuerit contradictum; contradictoribus si qui fierent, contra eosdem, ad nostram presenciam ad terminum competentem legittime evocatis; et post hec, diem citacionis, terminum assignatum, nomina citatorum, cum cursibus metarum, tociusque facti serie, nobis fideliter rescriberent, per nostras litteras mandassemus. Tandem idem capitulum, fideles nostri, nobis rescripserunt in hec verba.

Excellentissimo domino eorum *Karolo,* Dei gracia inclito regi Hungarie, capitulum ecclesie beati Petri de Posega, oraciones in Domino. Receptis litteris vestre magnitudinis in hec verba:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis, capitulo ecclesie beati Petri de Posega, salutem et graciam. Noverit vestra fidelitas, quod magister Thomas de Karthal, castellanus de Roholcha, fidelis noster, ad nostre maiestatis accedens presenciam, sueque fidelitatis servicia nobis inpensa proponens et declarans, quandam possessionem *Scenthbartholom* vocatam, in districtu sive provincia de Bokowa existentem, asserens eam fore hominis sine herede decedentis, et ex eo nostre collacioni devolutam, a nobis sibi et Ethele fratri suo dari et conferri perpetuo postulavit. Sed, quia de qualitate et quantitate ipsius possessionis, et utrum nostre collacioni pertineat nec-ne, nobis veritas non constat, fidelitati vestre precipientes mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem *g*doneum pro testimonio, coram quo Johannes clericus, vel Farcasius de Kuchuk, altero absente homo noster, accedat ad faciem ipsius possessionis, vicinisque et commetaneis suis convocatis, reambulet eandem per veras metas et antiquas; et si invenerit eam nostre collacioni pertinere, statuat ipsam ipsis magistro Thome et Ethele fratri suo, perpetuo possidendam, si non fuerit con-

tradictum; contradictoribus si qui fuerint, contra eosdem, ad nostram presenciam ad terminum competentem legittime evocatis, et post hec diem citacionis, terminum assignatum, nomina citatorum, cum cursibus metarum, tociusque facti serie, nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Wisegrad*, in festo beati Martini confessoris, anno Domini Millesimo CCC° vigesimo nono. 1329. 11. Nov.

Nos itaque vestris mandatis obedientes, ut tenemur, secundum earumdem litterarum vestrarum continenciam, cum predicto Johanne clerico, homine vestro, unum ex nobis, Johannem custodem ecclesie nostre, concanonicum nostrum, ad exequendum premissa pro testimonio duximus transmittendum. Qui demum ad nos redientes, nobis concorditer retulerunt: quod prefatus Johannes clericus, homo vester, presente dicto magistro Johanne custode, testimonio nostro, feria quinta proxima post festum beate Lucie virginis nunc preteritum, ad faciem predicte possessionis Scenthbartholom vocate, in districtu seu provincia de Bokowa existentis accedendo, et eandem, convocatis vicinis et commetaneis suis universis, per veras metas et antiquas, prout inferius seriatim annotatur reambulando, vestreque collacioni pertinere inventam, statuisset prenominatis magistro Thome de Karthal et Ethele fratri suo, perpetuo possidendam, nullo ibidem contradictore penitus existente. Cuius scilicet possessionis Scenthbartolom vocate, prout predictus homo noster et vester nobis in scriptis reportarunt, per circuitum mete hoc ordine distinguntur; prima meta incipit a parte aquilonis, iuxta terram nobilium *de generacione Gatal* et eundo ad meridiem, venit ad metam terream; inde eundo cadit in fluvium et contra cursum eiusdem fluvii, per magnum spacium eundo, ascendit ad montem, ubi est arbor tylie et meta terrea; inde descendendo venit ad arborem tylie, inde adhuc descendendo cadit in fluvium *Dobonykpothok* vocatum, et contra cursum eiusdem fluvii eundo, versus occidentem, venit ad originem seu caput ipsius *Pothok Dubnykfew* dictum; inde adhuc versus occidentem asscendit ad arborem *byk*, eundo per bonum spacium, reflectiturque versus aquilonem et eundo in via per *berch* venit ad arborem *byk cruce signatam*, inde ad arborem *ihor*, inde ad arborem tylie, ubi est meta terrea; inde per eandem viam eundo, intrat silvam et flectitur versus occidentem, et eundo per bonum spacium venit ad arborem *tylie cruce signatam*, inde (sic!) ad metam terream; inde per eandem silvam eundo in via, venit ad arborem *harazth*, exitque de silva et venit ad arborem harazth cruce signatam et ibi iungitur terre Bokowa, et eundo versus aquilonem, venit ad metam terream; inde descendit ad vallem et venit ad arborem byk, inde transit fluvium et asscendit ad berch, ubi est meta terrea; inde transit vallem et asscendit ad berch, ubi est meta terrea; inde flectitur versus occidentem et descendit ad vallem, ubi est meta terrea; inde cadit ad fluvium et exit de eodem fluvio, ascenditque ad berch ubi est meta terrea; inde flectitur versus aquilonem et venit ad metam terream; inde versus occidentem eundo iungitur terre filiorum Moys et modicum eundo iungitur terre Johannis, filii Nicolai, et pervenit ad metam terream; inde descendit modicum et ascendit ad berch, inde versus aquilonem descendit per eundem berch et venit ad metam terream; inde descendit ad fluvium et exit de eodem, pervenitque ad metam terream; ibi separatur a terra Johannis, filii Nicolai, et iungitur terre filiorum *Moys*, et in commetaneitate terre eorumdem filiorum 1329. 14. Dec.

Moys, meatum declinando versus orientem, flectitur versus meridiem, per magnum spacium eundo pervenit ad priorem metam, ibique terminatur. Datum, die dominico proximo ante festum beati Thome apostoli, anno Domini millesimo·ccc⁰ vigesimo nono. 1329. 17. Dec.

Nos itaque ex tenore prescriptarum litterarum dicti capituli, fid[elium nostrorum], super statucione dicte possessionis *Scenthbartholom* vocate, predictis magistro *Thome* et *Ethele* legitime facta, recepta huiusmodi veritate, consideratis fidelitatibus et fidelium serviciorum preclaris meritis eorumdem, quibus iidem a toto eo tempore, quo regnum nostrum Hungarie, iure geniture nobis debitum, intravimus, non proprie ipsorum sed nostre voluntati se fideliter subicientes, in cunctis nostris et regni nostri expedicionibus et negociis prosperis et diversis, nec eciam proprias ipsorum, nec proximorum et clientum eorumdem personas, possessiones et bona, pro exaltacione nostri regiminis et honoris incremento variis fortune casibus et publicis periculis submittere et relinquere minime formidantes, eo fideliter quo ferventer, nobis meruerunt complacere et se reddere graciosos, quorum in recompensacionem, quamvis iidem a nobis multo plura mererentur, tamen in aliqualem retribucionem tot et tantorum fidelium famulatuum ipsorum, predictam possessionem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, sub metis suprascriptis, eo iure quo nostre collacioni pertinere dinosscitur, de consilio prelatorum et baronum regni nostri infra nominatorum, ex certa sciencia, eisdem Thome et Ethele fidelibus nostris, et per eos ipsorum heredibus, heredum suorum successoribus dedimus, donavimus et contulimus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam. In cuius donacionis memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, dupplicis sigilli nostri novi et autentici munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Endre*, Albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo, quarto Nonas Ianuarii, regni autem nostri anno similiter tricesimo. Venerabilibus in Christo patribus et dominis, *Strigoniensi sede vacante*, fratre Ladizlao archiepiscopo Colocensi, aule nostre cancellario; Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jauriensi, Georgio Sirimiensi, fratre Petro Boznensi, Ladizlao Quinqueecclesiensi, Andrea Transiluano, Chanad (sic!) Agriensi, Henrico Wesprimiensi, Ladizlao Zagrabiensi, Meskone Nitriensi, Andrea Waradiensi et fratre Rodolpho Wachiensi episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis baronibus Johanne palatino; Demetrio magistro thavarnicorum nostrorum et comite Trinchiniensi; Thoma woiuoda Transiluano et comite de Zonuk; Mikch bano tocius Sclauonie; Johanne bano de Machou et comite Sirimiensi, de Walkou, de Bodrug et de Barana; Paulo iudice curie nostre; Dionisio dapiferorum et Stephano agasonum nostrorum magistris; Nicolao comite Posoniensi, et aliis quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores. 1330. 2. Jan.

Ad sinistram in plicatura legitur consueta confirmatio Ludovici regis cum conclusione: „inter que presens privilegium paternum, omni suspicione destitutum, et omnia in eo superius contenta et expressa, pro heredibus et successoribus eiusdem Thome de *Kartal* dicti, sigilli nostri novi dupplicis et autentici appensione innovamus et perpetuo confirmamus, salvis iuribus alienis. Datum, per manus eiusdem domini Nicolai, archiepiscopi, cancellarii nostri, tercio Idus Maii, anno Domini M CCC LX quarto, regni autem nostri anno vigesimo tercio. 1364. 13. Maii.

Extus manu coeva: Privilegium super possessione Scenth Bortolom, magistri Athile de Kortol. — Sigilla deperd. — Orig. membr., in Arch. Primatiali Archiv. Seculare. Lad. T. nr. 15.

226.

1330. (Somogyvár.) 3. Jan. — Conventus Simigiensis, reambulationem metarum possessionis Szob, Carolo I. regi rescribit.

Excellentissimo domino eorum *Karolo*, Dei gracia regi Hungarie illustri, conventus monasterii sancti Egidii de *Symigio*, oraciones in Domino. Noveritis litteras vestre excellencie recepisse in hec verba:

*Ka*rolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis conventui Symigiensi salutem et graciam. *Nicolaus*, filius Nicolai de *Tenguld* dicit nobis, quod quedam possessio sua, *Zub* vocata, aquisiticia, olim reginalis, in comitatu Symigiensi existens, circumquaque reambulacione per veteres sui metas, et in quibusdam locis metarum ereccione, et vicinorum et commetaneorum distinccione et separacione indigeret, iuxta quod fidelitati vestre mandantes precipimus per presentes, quatenus vestrum detis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente *Finta* de *Alch*, vel *Nicolaus* filius Jacobi, altero absente homo noster, accedendo ad faciem dicte possessionis, legitima vicinorum et commetaneorum convocacione facta, per veteres metas et antiquas reambulando eandem et, ubi necesse fuerit, novas iuxta veteres circumquaque erigendo eo iure, quo ipsius fuisse dinosscitur, relinquat prenominato Nicolao possidendam, si non fuerit contradictum; contradictores vero, si qui fuerint, ad nostram citet presenciam ad terminum competentem; et post hec diem citacionis, nomina citatorum et terminum assignatum, cum (expunct.: nob, et iterum: nominibus citatorum et) cursibus metarum nobis fideliter rescribatis. Datum, *in alto castro*, in octavis concepcionis *B*eate Virginis, anno Domini millesimo ccc° xx^mo^ nono. 1329. 15. Dec.

Nos igitur preceptis vestre excellencie in omnibus satisfacere et obedire debemus (sic!), ut tenemur, cum predicto Finta homine vestro, Laurencium presbiterum ecclesie nostre de *Terpech*, capellanum et hominem nostrum misimus pro testimonio fidedignum. Qui tandem ad nos reversi, nobis consona voce retulerunt, quod feria tercia proxima post diem Strennarum, ad faciem dicte possessionis Zwb accessissent et eandem, vicinorum et commetaneorum suorum legitimis convocacionibus factis, reambulassent per veteres metas et antiquas, reambulatamque statuissent magistro Nicolao predicto, nullius contradiccionis obstaculo obviante. Cuius quidem possessionis mete et limitaciones hoc ordine distinguntur: videlicet incipit prima meta in duabus metis terreis in parte septemtrionali, quarum una separat terram civitatis *Segusdiensis* et alia terram Zwb prenotatam; deinde tenditur ad orientem et incidit in fluvium *Lapud* vocatum, in cuius meatu tendit ad partem meridionalem, et in meatu ipsius fluvii satis per bonum spacium eundo, pervenit ad locum *w*lgariter *Lapudteluk* dictum; deinde in meatu eiusdem fluvii, ad eandem partem eundo, pervenit ad terram *Barath* vocatam, transiensque ipsam terram in meatu ipsius fluvii, ad eandem partem eundo, parumper sallit de ipso fluvio ad partem occidentalem ad terras arabiles et pervenit ad duas metas terreas, quarum una separat terram nobilium de *Sancto Ladislao* et alia terram Zwb supradictam; abhinc vertitur ad partem septemtrionalem et veniet ad caput unius stagni ubi 1330. 2. Jan.

sunt due mete terree, quarum una separat terram *Bolhas* vocatam et alia Zwb supradictam; deinde ad partem occidentalem tenditur et pervenit ad fundum unius veteris stagni ad tres metas terreas, in quarum duabus sunt due arbores videlicet *zylfa* et *tulfa* vocate; abhinc ad partem occidentalem et pervenit ad duas arbores *w*lgariter *bykfa* vocatas, sub quibus sunt due mete terree antique, iuxta locum sessionalem *Boynylese* vocatum, a parte septemtrionali erecte; demum tendit ad eandem partem occidentalem et pervenit ad duas metas terreas antiquas, quarum una separat terram *Scenta* vocatam, et alia terram Zub antedictam, de quibus vertitur ad partem septemtrionalem et pervenit ad duas arbores ilicis, sub quibus sunt due mete terree, que separant terram *Chycho* vocatam a terra *Zwb* sepedicta; abhinc vero ad partem orientalem tenditur et pervenit ad unum stagnum *w*lgariter *Balatafeu* vocatum, de quo ad eandem partem eundo pervenit ad unum rivulum *w*lgariter *Naadeer* dictum; abhinc autem ad eandem partem orientalem eundo incidit in magnam viam, per quam itur in *villam Churgo,* in qua via, ad eandem partem eundo, transiit quoddam nemus *Ronnya* vocatum et pervenit ad duas metas terreas iuxta eandem viam in parte meridionali erectas, que separant terram *Herneg* dictam, a terra memorata; de quibus ad eandem partem orientalem eundo directe, pervenit ad priores metas, sicque terminantur. Datum, feria quarta proxima post diem Strennarum, anno Domini Millesimo ccc^{mo} tricesimo.

Extus: Domino regi super reambulacione possessionis Zwb vocate et quod metarum inclusione circumdederunt eandem. — Sigillum extr. margini fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 26. fasc. 6. nr. 6.

Esztergomi Érseki Főegyházmegye Központi Levéltár

V.

LADISLAUS Quinqueeccl. et HENRICUS Vespr. eppi Coadministratores.

1330. 8. Febr. — 1330. 16. Sept.

227.

1330. Avignon. 8. Febr. — Joannes PP. XII., Ladislaum Quinqueecclesiensem et Henricum Vesprimiensem eppos, ecclesiae Strigoniensi pastoris solatio orbatae, conservatores constituit.

„Cum itaque, sicut fide digna, licet infesta nobis relatione percepimus, *post obitum b. m. Boleslai archieppi* Strigon. nonnulli ceca cupiditate seducti, ad bona archiepiscopalis mense et Ecclesiae Strigon. manus improbas extendentes, multas res, etiam sacras et bona, quae fuerunt eiusdem archiepiscopi defuncti et ipsius Ecclesiae, decimas quoque, possessiones et alios reditus omnes — abstulerunt et occupaverint — curam — et administrationem eiusdem Strigon. Ecclesiae ac bonorum — in spiritualibus et temporalibus vobis, donec electionis novissime in eadem Ecclesia celebrata, ac provisionis — negotium fuerit — expeditum — duximus committendas — — — — Volumus autem, ut de his, quae per vos gesta, administrata fuerint, — — teneamini fidelem ponere et reddere rationem. — Datum, *Auenione,* VIII. Febr. Pontificatus nostri anno XIV."

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 464.

228.

1330. (Buda.) 9. Febr. — Magistratus Budensis, Ortolfum praeceptorem Cruciferorum, terram quandam in villa Nándor, comiti Kunklino centum marcis vendidisse, testatur.

Nos comes Johannes, rector castri *novi montis Pestiensis,* iurati et universi cives de eodem, tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod frater *Ortolfus,* magister *domus hospitalis Sancti Spiritus in suburbio* prefati castri, et preceptor per Hungariam generalis, in medio nostri personaliter constitutus, quandam terram suam desertam et incultam, in territorio ville *Nandur* situatam, in vicinitate vinearum comitis Kunclini filii Johannis ab una parte, et Pauli dicti *Magyar* ex altera iacentem, necnon vineis Lorandi et Ladislai fratris eiusdem Johannis dicti *Rauaz,* et fratrum suorum adiacentem, videlicet circa viam et stratam communem, de consensu universorum fratrum suorum, nullo contradictore existente, vendidit et tradidit predicto comiti Kunclino, filio Johannis, iurato et concivi nostro et per eum suis heredibus, heredumque suorum

successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter ac pacifice possidendam, pro centum marcis argenti, plene receptis ab eodem; *quam quidem pecuniam in structuram et edificium ecclesie Sancti Spiritus* predicte redigentes expenderunt, necessitate legitima exigente. Assumpsit nichilominus predictus frater Ortolfus, eundem comitem Kunclinum, suosque heredes, secundum usum et consuetudinem nostre civitatis, ab antiquo approbatam, propriis laboribus et expensis expedire ab omnibus, racione prenotate terre volentibus molestare. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad instanciam et peticionem parcium, presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas, promittentes privilegialibus litteris nostris confirmare, dum presentes nobis fuerint reportate. Datum, in octavis purificacionis Virginis Gloriose, anno Domini M° CCC^mo tricesimo.

Sigillum tergo fuit appressum, in cera, ut videtur, rubra. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Publ. Capsa 67. fasc. 3. nr. 7.

229.

1330. (Pozsony.) 2. Mart. — Capitulum Posoniense, quinque jugera terrae in Sámod archiepiscopali, per Benedictum Dominico, duabus marcis vendidisse testatur.

Universis Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, capitulum ecclesie *Posoniensis* salutem in salutis amatore. Ad universorum, tam presencium quam futurorum noticiam, harum serie volumus pervenire: quod Matheus, filius Johannis filii *Elsev*, de villa *Samuth archiepiscopi*, ad nostram personaliter accedendo presenciam, confessus extitit: quod Benedictus, filius Elsev memorati, iam defunctus, quondam frater Johannis sui patris prenotati, de suis terris arabilibus hereditariis, in eadem terra Samuth, quinque iugera terre, Dominico filio Benke de eadem villa Samuth, per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, pro duabus marcis, cum dimidia latorum Wyennensium, plene ab eodem Dominico habitorum, in perpetuum possidenda, pariter et habenda vendidisset. Et quia idem Benedictus, morte preventus, ad nos, pro litteris super huiusmodi vendicione emanandis, venire non potuit, ob hoc nomine ac vice dicti Benedicti, proximi sui, sibi rogato et petito per eundem, sub testimonio discreti viri domini *Stephani, rectoris ecclesie de villa Sancte Marie*, commissis, sicut dixit, dicta quinque iugera terre, inter quandam pirum in terra eiusdem Mathei existentem et dictam villam Samuth iacencia, per Benedictum prenotatum suum proximum, eidem Dominico et suis heredibus, pro nominata quantitate pecunie fore vendita, idem Matheus affirmavit, confirmando et confirmavit affirmando. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem presentes, nostro sigillo consignatas, duximus concedendas. Datum, feria sexta proxima ante dominicam Reminiscere, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo.

A. B. C.

Sigillum e caeruleo et flavo serico pendebat. — Orig. membran., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa A. fasc. 8. nr. 1.

230.

1330. — 11. Mart. — Carolus I. rex, transscribit et confirmat priv. Belae IV. regis, de a. 1264., fundetionales literas monast. de Bakonybél in se continentes.

[K]arolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crouacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac Montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presens scriptum inspecturis, salutem in salutis largitore. Hec est illa preexcellens suffragatrix, que nos excusat a peccatis, propicium reddens creatorem et reformans gracie Salvatoris; eapropter ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod religiosus et Deo amabilis vir, frater Jacobus, *abbas* monasterii beati Mauricii *de Beely*, fidelis capellanus noster, ad nostre serenitatis accedens presenciam, exhibuit nobis privilegium domini *Bele,* olim incliti regis Hungarie, predecessoris et avi nostri carissimi; felicissime recordacionis, confirmantes privilegium *sanctissimi regis Stephani*, similiter predecessoris nostri pie memorie, super donacionibus et collacionibus, ac generatum (sic!) prerogativis ipsi monasterio, per eundem factis et concessis confectum, petens a nobis humiliter supplicando, ut idem privilegium, sew ipsas donaciones et concessiones prerogativarum specialium ratificare, ad uberioremque cautelam et conservacionem iurium subscriptorum ipsius monasterii tuciorem, nostro privilegio, de benignitate regia, dignaremur confirmare. Cuius tenor talis est:

Bela, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque rex, omnibus Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, salutem et omne bonum. Quoniam pie disposicionis presentis Domini, ob reverenciam divini cultus sacrosanctis ecclesiis ordinate debent a quolibet inviolabiliter observari, regia decrevit auctoritas, ut que variis etatum temporibus oblivionis, sew vetustatis caligina possent in irritum revocari, ad posterorum noticiam vivacitati commendetur litterarum. Proinde ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire: quod, *cum nos ad monasterium beati Mauricii de Bely accessissemus,* solercii providencia deformacionem status eiusdem provisury, privilegium beate memorie *sancti regis Stephani,* per abbatem et conventum eiusdem monasterii, in quo dotaciones et libertates ipsius fuerant denotate, nobis extitit presentatum, supplicantes nobis humiliter et devote, ut cum autenticum illud propter antiquitatem temporis retroacti potuisset demoliry, et propter viarum discrimina tam magne et sancte auctoritatis privilegium ad examen iudicum diversorum esset periculosum deportari, nos illud de nuvo innovare dignaremur. Cuius tenor talis est:

In nomine Domini Dei Summi, *Stephanus*, superna providenciali clemencia Hungarorum rex, universorum Christi fidelium sani intendat discrecioni, quod dum in dicta Hungaria Christiane religionis, per Dei graciam, nova pullularet professio, multi catholici et religiosi viri, ex vicinis provinciis, sancti Spiritus dono illuminati, ceperunt ad me confluere, quorum consilio, monicione, in diversis locis ad Dei servicium aptis, ecclesias et monasteria incepi construere, in quibus e seculo fugientes regulariter possent conversari, et Deo Omnipotenti famulari. Igitur inter cetera, in illo loco qui *Beel* dicitur, in silva *Wacon* (sic!) quia divino cultui videbatur mancipari valde idoneus, sub titulo *beati Mauricii*

Christi martiris, monasterium incepi construere, quod et per Dei adiutorium consumavi, regiisque munificenciis sicut potui dotavi, in quo *Gerardus monachus, de Wenecia* venitus, primus cepit conversari. Et sicut habui potestatem ut ubicunque, vel in quocunque vellem loco ecclesias, aut monasteria construerem, ita nichilominus a Romane sedis sumpmo pontifice habui auctoritatem, ut quibus vellem ecclesiis sew monasteriis, libertates et dignitates conferrem, quam ob rem in futurum precavens, ne idem monasterium multorum temporum successione aliquo modo gravaretur, ab omnium episcoporum potestate et iurisdiccione illud liberum esse statui; que autem in dotacione ipsius contulli, propriis volui vocabulis exprimere videlicet: tributa de foro regine et de foro *Zyl* et de portu *Arpas* in *Baba*, de portu et de foro in *Camarin*, piscinas duas in *Drawa*, cum piscacionibus, quarum una *Zualyn* et altera *Toplouca*, que separantur rivulo nomine *Bwczy*, in portu Modosa, dedi liberam piscacionem, que vulgo Tana dicitur; preterea statui, ut in *Zelyp* detur septimus piscis usonum, et de piscina *Nandwr* in *Thyzya* detur similiter septimus piscis, sive septimus annus ad piscandum; de fructibus vero arborum, que ibi sunt detur septima pars; piscinam autem *Tenere Ere* dedi totaliter. Has omnes piscinas, cum piscatoribus suis, dedi beato Mauricio. Villarum autem vel prediorum nomina sunt hec, que sancto Mauricio contulli: *Cuppan, Pannanad, Arpas, Mogos, Quiar, Nuul, Orol, Poloznuk*, in hys villulis sive prediis cuiuscunque condicionis homines sunt ad me pertinentes, sancto Mauricio dedi, qui secundum ordinem condicionis sue, ita plene serviant abbati sancti Mauricii, sicut solebant servire regie maiestati. Do licenciam famulis eiusdem monasterii in silva *Bakon* ligna incidere ad omnia opera monasterii et prediorum eius; porcyque abbatis in eadem libere pascantur. Sunt preterea quatuor lapides viciniores ad monasterium, qui vulgariter hys vocabulis nuncupantur: *Hegeskew, Kertheskew, Feerkew, Oduoskew*, in hys a quocunque fuerint fere interfecte, dimidiam partem illarum ministri abbatis accipiant, cum cutibus earundem. Adhuc autem subiungens statuo sic, ipsum monasterium ab omni inquietudine semotum, abbasque eius a monachys illius locy partis sanioris libere eligatur, electus vero a quo voluerint consecretur episcopo, infulaque, anullo, baculo pastorali decoratus; nullius episcopi subiaceat potestati, nisi *Strigoniensis archiepiscopi*, tantummodo generali adsistat synodo, ut ibi salutaria monita audiendo, se suosque subiectos valeat salubriter instruere; sitque illius loci monachys et clericys licitum sacros ordines accipere a quo voluerint episcopo, tantummodo catholicus sit; populus quoque eidem loco subiectus et omnes supervenientes hospites, qui ad eiusdem monasterii capellas, terras, predia, sew quascunque possessiones, habitandi gracia accesserint, in cuiuscunque episcopi dyocesi fuerint, decimas suas de vino, de segetibus, sive aliis nascenciis, ac de pecudibus vel animalibus, nulli episcopo dent, nisi ipso monasterio suoque abbati. Liceatque eciam eidem abbati, in prediis et possessionibus monasterii sui, oratoria et capellas construere, consecraciones vero earum a quo voluerint episcopo petere; et ille episcopus, ut divine benediccionis partem habeat, petenti satisfaciat, alioquin ulcionem divine indignacionis incurrat. Precipio itaque firmiter statuendo, sub testificacione Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchyo, comes, vicecomes, prefectus, nec aliquis potens homo, sive magnus sive parvus, de prefato monasterio et eius iure infrascripto, se ali-

quo modo intromittat in tributis, in prediis, in mancipiis, in terris et vineis, decimacionibus tam populi sui et hospitum suorum, quam prediorum, in piscacionibus, in rypis, in placitis et in universis bonis sibi collatis, sive conferendis; sed ita libere possideat, sicut episcopi sua possident iura. Si quis autem Christiane religionis, de huius monasterii libertate et nostra constitucione subtrahere vel minuere temptaverit, remanserit anathema perpetuale et componat xxti marcas purissimi auri, medium camere regie, mediumque abbati et rectoribus sepedicti monasterii. Cunctis autem, servantibus illius iura, sit pax a Domino Patre et Iesu Christo Filio eius amen. Anno Dominice Incarnicionis M° XXX^mo VII° indiccione V, epacta concurrente V, existentibus Hungarie primatibus *Dominico* archiepiscopo, *Modesto* episcopo, *Vrzyo, Chuncio* Gpmoyno comitibus. Signum domini Stephani incliti regis I. S. H. Dominicus archiepiscopus pater E. S. T. 1037.

Nos igitur, peticioni ipsorum consensum prebentes et favorem, cum ipsum autenticum, nostris manibus contractatum et inconspectum diligenter, in nulla sui parte appareret viciatum, cancellatum, abrasum vel eciam delinitum, nec eciam in sigillo aliqualiter redargutum, presenti scripto duximus innovandum. In cuius rei memoriam, presentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum, anno Domini M° CC° XL^mo VI. *secundo* Idus Novembris, regni autem nostri anno XI. 1246. 14. Nov.

Nos siquidem, iustis et condignis peticionibus ipsius fratris *Jacobi abbatis de Bel,* debito favore inclinati, prescriptum privilegium domini *Bele* regis confirmatorium, in nulla sui parte viciatum ad (sic!) verbo ad verbum presentibus insertum, simul cum dotacionibus et collacionibus villarum, prediorum, piscacionum et aliorum quorumlibet iurium, ac libertatum concessionibus, per ipsum sanctissimum *regem Stephanum,* predicto *monasterio* beati Mauricii *de Beel,* pie et salubriter factis, nostre salutis invigilare volentes, ut imitaciones bonorum operum fieri valeamus, ipsumque monasterium beati Mauricii suis iuribus valeat quiecius et comodius gratulary, ratificamus, acceptamus, presentisque scripti patrocinio, auctoritate regie maiestatis, confirmamus. In cuius confirmacionis memoriam firmitatemque, presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri novi et autentici munimine roboratas. Datum, per manus dilecti et honorabilis viri magistri *Endre,* Albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° CCC^mo XXX^mo, quinto Idus Marcii, regni eciam nostri anno similiter XXX. *Strigoniensi sede vacante,* venerabilibus in Christo patribus fratre Ladislao Colocensis ecclesie archiepiscopo; Benedicto Canadiensi, Georgio Syrimiensi, Nicolao Jauriensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, fratre Petro Boznensi, Herrico Wesprimiensi, Meskone Nitriensi, Andrea Transilwano, Chanadino Agriensi, Ladislao Zagrabiensi, Andrea Waradiensi, Rodolpho Vaciensi episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis virys Johanne Drwgwth palatino; Demetrio magistro tawarnicorum nostrorum et comite Trinchyniensi; Thoma wayuoda Transilwano et comite de Zonuk; comite Paulo iudice curie nostre; Mykch bano tocius Sclawonie; Johanne bano de Machow, comite Syrimiensi, de Walko, de Bodrwgh et de Barana; Johanne magistro tawarnicorum domine regine, concortis nostre carissime; magistro Desew iudice curie eiusdem regine et comite Soproniensi, Dionisio magistro dapiferorum nostrorum; Stephano magistro agazonum nostrorum et 1330. 11. Mart.

magistro Nicolao comite Posoniensi, aliisque plurimis, regni nostri comitatus tenentibus et honores.

E transsumpto conventus de Kapornak a. 1502. — Orig. membr., cum sigillo e rubro et flavo cotone dependente, in Arch. Primat. Archiv. Vet. Ecclesiast. nr. 63.

231.

1330. — 14. Mart. — Carolus I. rex, transscribit et confirmat privilegium Stephani V. regis, a rege Ladislao IV. transsumptum, super molendino fratrum Augustin. de Mező-Somlyó.

[K]arolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac Montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presens scriptum inspecturis, salutem in largitore salutis. Cum a nobis petitur, quod iustum est, decet maiestatem regiam facilem prebere consensum, in hys precipue, que ecclesiarum commodis utiliter videntur convenire. Inconcussum namque id permanet, quod regio fuerit patrocinio communitum. Eapropter ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod religiosus vir, frater *Petrus,* dictus *de Koza,* prior *ordinis* fratrum beati *Agustini* (sic!) de *Mezew Somlyow,* ad nostre serenitatis accedens presenciam, suo proprio et conventus eiusdem loci nomine, exhibuit nobis quoddam privilegium domini quondam *Ladizlai,* illustris regis Hungarie, karissimi fratris et predecessoris nostri, beate recordacionis, privilegium quondam domini *Stephani,* similiter illustris regis Hungarie, patris sui, super quodam molendino, ibi in Mezew Somlyow, super fluvio *Burzua* currente, cum aliis utilitatibus et attinenciis universis, per eundem dominum regem Stephanum, fratribus et *domui sancti Thome* martiris de eadem Mezew Somlyow, in perpetuam elemosinam dato et collato, confirmans, tenoris infrascripti; nostro culmini humili et devota precum instancia supplicans, ut dictum privilegium per*h*enniorem rei ad cautelam et tuciorem conservanciam (sic!) eidem ecclesie et patribus, nostris privilegialibus litteris innovare et confirmare dignaremur. Cuius tenor talis est:

Sequitur privil. Ladislai IV. regis de a. 1278. in T. II. p. 89. nr. 72; et illud Stephani V. de 1270. T. I. p. 582. nr. 751. ex hoc ipso transsumpto edit. 1278. 1270.

Unde nos iustis petencium desideriis gratuito occurrentes beneplacito, ipsamque ecclesiam sancti Thome martiris, ac fratres in eadem iugiter Deo famulantes, ad instar priorum progenitorum nostrorum, de nostra gracia speciali regia et favore amplectentes, ac prioris eiusdem memorati et confratrum suorum peticionem et supplicacionem, regia admissione dignam recensentes, prescriptam donacionem possessionariam, per dominum condam Stephanum regem memoratum, eidem ecclesie et fratribus ordinis sancti Augustini de Mezeusumlow olim factam, et per dictum Ladizlaum regem, filium suum, confirmatam, ex certa sciencia ratam, gratam et acceptam habentes, invenientes ipsum privilegium non abrasum, non cancellatum, nec aliqua sui parte viciatum, de consilio prelatorum et baronum nostrorum, toto tenore ipsius presentibus inserto, huius scripti nostri privilegialis patrocinio in perpetuum valere confirmamus, atque innovamus. In cuius confirmacionis testimonium et robur perpetuum, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, memorate ecclesie et fratribus, dupplicis sigilli nostri

novi et autentici munimine roboratas. Datum, per manus venerabilis (sic!) viri magistri *Endre*, prepositi ecclesie Albensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° ccc° xxx^mo, regni autem nostri, anno similiter xxx, pridie Idus Martii. Venerabilibus patribus, *vacante ecclesia Strigoniensi*, fratre Ladizlao archiepiscopo Colocensi, aule nostre cancellario; Ladizlao Quinqueecclesiensi, Nicolao Jauriensi, Benedicto Chanadiensi, Herrico Wesprimiensi, aule domine regine, consortis nostre karissime, cancellario, Georgio Syrmiensi, fratre Petro Boznensi, Chanadino Agriensi, [Meskone] Nitriensi, Andrea Transiluano, Ladizlao Zagrabiensi et fratre Rodolfo Vaciensi, ecclesiarum episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Johanne palatino; Paulo, filio Symonis, iudice curie nostre; Demetrio magistro thavarnicorum nostrorum; Thoma Voyvoda Transiluano et comite de Zonuk; Mikch bano tocius Slauonie; Johanne, filio *Logreti*, bano de Machou; Johanne, filio *Bobonik*, magistro tawarnicorum domine regine, consortis nostre karissime; Deseu iudice curie eiusdem domine regine, Dionisio dapiferorum nostrorum et Stephano agasonum nostrorum magistris; Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores. 1330. 14. Mart.

Sigillum cum zona periit. — Orig. in Arch. Cap. Strig. Priv. Capsa August.

232.

1330. (Esztergom.) 18. Mart. — Conventus Cruciferorum Strigon., Stephanum filium Valteri, comiti Stephano civi Strigon., palatium Strigon. Zenie palotája dictum, quinquaginta marcis cessisse testatur.

Edid. Cod. Andeg. T. II. p. 477.

233.

1330. — 23. Mart. — Carolus I. rex, ad petitionem Thomae, praepositi Cibiniensis, salis fodinam in Vizakna, ab antiquo ad praeposituram pertinentem, novo privilegio confirmat.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII^3. p. 411.

234.

1330. (Nyitra.) 31. Mart. — Capitulum Nitriense, de praedio Herencs, per comitem Bodor, in lecto aegritudinis iacentem, monasterio S. Benedicti de juxta Gron, legato, testatur.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII^3. p. 487.

235.

1330. Magasvár. 16. Apr. — Carolus I. rex, palatium Zenye palotája, si capitulum Strigon. non contra dixerit, jubet per Cruciferos Strigon. Stephano civi Strig. statui.

Tenorem vide subtus nr. 237.

236.

1330. (Esztergom.) 3. Maii. — Conventus Cruciferorum Strigon. palatium Zenye palotája, postquam capitulum Strigon. omni eatenus juri expresse renunciasset, Stephano civi Strigon. statutum esse, Carolo I. regi rescribit.

Seriem vide sub. nr. 237.

237.

1330. — 5. Maii. — Carolus I. rex, Stephano civi Strigon., palatium Zenye palotája dictum, post informationem a conv. Crucifer. de Strigonio acceptam, capitulo Strigon. eatenus perpetuum silentium imponens, ac litteras per Stephanum productas transsumens, perpetuo possidendum confert.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac Montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presens scriptum cernentibus, salutem in salutis largitore. Cum a nobis petitur quod iustum est, decet maiestatem regiam facilem prebere consensum in hys, que precipue subiectorum comodis utiliter videntur convenire. Inconcussum namque id permanet, quod fuerit patrocinio regis communitum. Eapropter ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod cum nos ad instanciam et peticionem *Stephani,* fratris Colomani, fidelibus nostris, *conventui cruciferorum* sancti regis Stephani de *Strigonio,* ut idem hominem eorum fidedignum (emansit: mittat), quo presente *Petew iudex* civitatis *Strigoniensis,* homo noster regius, inquisicione perhabita a *capitulo Strigoniensi,* si in pallacio in eadem civitate Strigoniensi habito, quondam *domine Zenye,* et tandem ad manus nostras devoluto, ac meritis fidelitatis et serviciorum dicti Stephani exigentibus sibi perpetuo per nos dato et collato, idem capitulum aliquid ius dicunt se habere nec-ne; et si dixerint, extunc assignet coram nobis terminum competentem, titulum quo mediante dictum pallacium ad eos pertinere asserunt ostensuro, ipsi capitulo comparendi; sin autem, convocatis civibus dicte civitatis, ipsum pallacium statuat eidem Stephano perpetuo possidendum, si non fuerit contradictum; contradictoribus, si qui fuerint, ad nostram contra eundem evocatis presenciam ad terminum competentem; et post hec tocius facti seriem nobis fideliter rescripturi transmittere debeant, — dedissemus in mandatis. Tandem idem conventus, super premissis, nobis rescripser*unt*, in hec verba:

Excellentissimo domino *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, domino suo reverendo, frater Jacobus, Dei et apostolice sedis gracia, magister et *conventus* cruciferorum domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani *de Strigonio,* oracionum suffragia devotarum. Litteras vestre serenitatis, honore quo decuit recepimus, in hec verba:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis conventui cruciferorum sancti regis de Strigonio, salutem et graciam. Cum nos quoddam pallacium in civitate Strigoniensi habitum, quondam cuiusdam *domine Zenye,* et tandem ad manus nostras devolutum, Stephano fratri Colomani, fideli nostro contulerimus, meritis sue fidelitatis exigentibus, in filios filiorum eius perpetuo possidendum et habendum; nuncque volentibus nobis dictum pallacium eidem statui facere, iuxta consuetudinem regni nostri, relacion*e* eiusdem Stephani intellexerimus, quod capitulum Strigoniensis ecclesie ipsum pallacium suo iuri pertinere vendicar*ent*; fidelitati vestre mandantes precipimus, per presentes, quatenus mittatis hominem vestrum pro testimonio fidedignum, quo presente Petew iudex nostre civitatis, homo noster, accedens ad dictum capitulum, inquirat ab eis, si in ipso pallacio ius aliquod se dicunt habere; qui si dixerint, extunc eis terminum assignet coram nobis comparendi competentem, in quo contra ipsum Stephanum, coram nobis debeant comparere, titulum quo mediante dictum pallacium ad eos

pertinet ostensuri; sin autem, convocatis civibus dicte civitatis universis, predictum pallacium statuat eidem Stephano, perpetuo possidendum et habendum, si non fuerit contradictum: contradictores autem si qui fuerint contra eundem, ad nostram citet presenciam ad terminum competentem; et post hec tocius facti seriem nobis fideliter rescribatis. Datum, in *alto castro,* feria secunda proxima post octavas Pasce Domini, anno eiusdem millesimo ccc^mo^ tricesimo. 1330. 16. Apr.

Nos igitur, iuxta preceptum vestre sublimitatis, prout in omnibus, obedire cupientes, ut tenemur, cum prefato comite Petew, iudice Strigoniensi, homine vestro, virum discretum et honestum *fratrem Nicolaum, custodem* ecclesie nostre, pro testimonio ad premissa prosequenda duximus destinandum. Qui quidem homo vester, cum prefato nostro testimonio, demum pariter ad nos reversi, concorditer retulerunt: quod ipsi sabbato proximo ante festum beati Georgii martiris, accessissent ad predictum capitulum, et idem comes Peteu, homo vester, in presencia nostri testimonii, inquisivisset a predicto capitulo, si aliquod ius habeant in dicto pallacio, vel aliquod munimentum, quo mediantem eundem (sic!) possident nec-ne; quod quidem capitulum feriam quintam proximam post festum beati Georgii martiris, ad previdendum semetipsos et responsionem faciendam, ab eisdem sibi prorogare postulassent. Ipso die itaque adveniente, prefatus homo vester, cum dicto nostro testimonio, secundario ad dictum capitulum accedentes, responsionem ab eodem expectando. Quod quidem capitulum, alium diem et terminum pro semetipsis previdendi et responsionem faciendi, ab eisdem similiter postulasset, scilicet quartam feriam proximam post festum beatorum Philippi et Jacobi apostolorum. Et cum ipso, namque die et termino secundo, idem homo vester et testimonium nostrum ad dictum capitulum accessissent, idem capitulum taliter respondisset: quod ipsum pallacium ad ipsos in nullo pertineret, nec aliquod ius, seu proprietatem haberet in eodem; statucioni dicti pallacii in nullo contradixissent. Hys peractis et auditis, idem comes Petew, homo vester, in presencia dicti testimonii nostri, feria quarta predicta, prefatum pallacium, convocatis iuratis et universis civibus dicte civitatis et specialiter vicinis eiusdem, nullo penitus contradictore apparente, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis ad eundem, predicto Stephano fratri Colomani, perpetuo statuissent possidendum, tenendum pariter et habendum. Datum, in festo invencionis sancte Crucis, anno Domini millesimo ccc^mo^ tricesimo. 1330. 21. Apr. 1330. 26. Apr. 1330. 2. Maii. 1330. 3. Maii.

Nos igitur ex rescripcione huiusmodi magistri et conventus cruciferorum domus hospitalis sancti regis Stephani de Strigonio, cercius et clarius intelligentes, dictum capitulum Strigoniense nullum ius proprietarium in ipso pallacio habere, prout idem per hominem nostrum regium predictum, sub testimonio dicti conventus requisiti asseruerunt, et per consequens dictum pallacium, convocatis iuratis et universis civibus dicte civitatis, specialiter eiusdem pallacii vicinis, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis memorato Stephano, fratri Colomanni, perpetuo, nullo penitus contradictore apparente, statutum cognoscentes, huiusmodi statucionem de dicto pallacio sic legitime, absque cuiusquam contradiccione factam, ratam, gratam et acceptam habentes, idem pallacium, cum suis utititatibus et pertinenciis, de consilio prelatorum et barronum nostrorum, memorato Stephano et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, silencio perpetuo ipso capitulo exinde imposito, in perpetuum valere con-

firmamus. Exhibuit eciam idem Stephanus, frater, Colomani, privilegium transscripcionis memorati conventus cruciferorum, plerorumque instrumentorum causalium, super pallacio sepedicto, contra capitulum Strigoniense antedictum, scilicet causaliter emanatorum et cause eviccionalium, ad repellandam accionem, si quam forte in posterum idem capitulum, recidive questionis scrupulum amplectendo, denuo super eodem pallacio intentaret, tenoris infrascripti, quod similiter uberiorem ad cautelam futurorum, presentibus inseri et privilegialiter confirmari instancius postulavit. Cuius tenor talis est:

Sequitur privil. Stephani vicejudicis curiae regiae a. 1300. 2. Febr. emanat. T. II. p. 478. nr. 459. edit.; confirmatio hujus per Andream III. regem eodem anno concessa, edit T. II. p. 482. nr. 499. et demum horum transscriptio per convent: crucif. de Strigon. a. 1300. 16. Apr. facta, ibidem p. 483. nr. 500. ex ipso orig. edit. 1300. Febr.—Apr.

Cuius siquidem Stephani similiter devotis instanciis benignius inclinati, ad precludendum in posterum viam accionaliter malignandi, et recidive questionis scrupulum suscitandi, per ipsum capitulum, tenore ipsius privilegii inserto, idem privilegium et per consequens eviccionem, contra ipsum capitulum de eodem pallacio factam, similiter ratam, gratam et acceptam habentes, de eorumdem prelatorum et barronum nostrorum consilio confirmamus. In cuius confirmacionis testimonium et robur perpetuum, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, memorato Stephano, fratri Colomani, dupplicis sigilli nostri novi et autentici munimine roboratas. Datum, per manus venerabilis(!) viri magistri *Endree*, prepositi ecclesie Albensis, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini millesimo ccc^mo^ tricesimo, tercio Nonas Maii, regni autem nostri anno similiter tricesimo. Venerabilibus patribus et dominis, *vacante ecclesia Strigoniensi* supradicta, fratre Ladislao archiepiscopo Colocensi, aule nostre cancellario; Ladislao Quinqueecclesiensi, Nicolao Jauriensi, Benedicto Chanadiensi, Herrico Wesprimiensi, aule domine regine karissime consortis nostre cancellario, Georgio Syrmiensi, fratre Petro Boznensi, Chanadino Agriensi, Andrea Waradiensi, Meskone Nitriensi, Andrea Transiluano, fratre Rodolpho Waciensi, ac Ladizlao Zagrabiensi, ecclesiarum episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Johanne palatino; Paulo filio Symonis iudice curie nostre; Demetrio magistro tawarnicorum nostrorum; Thoma woyuoda Transsiluano et comite de Zonuk; Mykch bano tocius Sclauonie; Johanne filio Logreti, bano de Machow; Johanne filio Bobonyk magistro tawarnicorum domine regine, consortis nostre karissime; Deseu iudice curie eiusdem domine regine; Dyonisio dapiferorum nostrorum et Stephano agasonum nostrorum magistris; Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores. 1330. 5. Maii.

In inferiori margine a dextris adiecta est clausula confirmationis Ludovici I. regis, in Corpore Juris Hung. contenta, cum hac conclusione:

Inter que presens privilegium paternum, omni suspicione destitutum, et omnia in eo superius contenta et expressa, pro *Johanne*, filio Thome filii Petri, *magistro ianitorum nostrorum*, suisque fratribus, eorumque heredibus et successoribus, dicti sigilli nostri novi dupplicis et autentici appensione innovamus et perpetuo confirmamus, salvis iuribus alienis. Datum, per manus eiusdem domini *Nicolai archiepiscopi, cancellarii* nostri, quinto Idus Aprilis, anno Domini M^o^ CCC^o^ LX^o^ quarto. 1364. 9. Apr.

Fragmen sigilli Caroli I. regis, e rubro et viridi; Ludovici I. autem regis e rubro contexto serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 837. (Signatura vetus: N. R. Act. fasc. 707. nr. 35.) — Cf. Fejér: Cod. Dipl. VIII^3^. p. 447.

238.

1330. (Szepeshely.) 1. Jun. — Carthusiani de Lechnicz, coram capitulo Scepusiensi, cedunt decem marcis terram, a villa Eör separatam, magistro Rycolpho.

Ed. Wagner: Analecta Scep. T. I. 408. — Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 505.

239.

1330. — 10. Jun. — Carolus I. rex palatium Strigon. a Petro filio Martini, ob notam infidelitatis ademptum, magistro Berchtoldo medico suo confert.

Tenorem vide sub nr. 301.

240.

1330. Magasvár. 17. Jun. — Carolus I. rex mandat magistratui civit. Strigon., ut magistro Berchtoldo medico suo, super collato eidem palatio, literas privilegiales expediat.

Seriem vide sub nr. 301.

241.

1330. Visegrád. 1. Jul. — Comes Paulus, judex curiae, Stephanum omnibus litibus, contra filios Beke, renunciasse testatur.

Nos comes *Paulus,* iudex curie domini regis, memorie commendamus significantes tenore presencium, quibus expedit universis: quod Stephanus, filius *Lonchereth* ab una parte; *Cosmas* et *Damianus,* filii *Beke* pro se ipsis, eciam pro *Leoncio* et *Anthimio,* nec non et pro parte ipsorum, cum sufficienti procuratorio conventus monasterii Waradiensis ex altera, personaliter coram nobis sunt constituti; idem Stephanus confessus extitit oraculo vive vocis, ut per composicionem proborum virorum omnes causas, *seu* acciones, cum filiis predicti Beke coram nobis motas vel movendas, a data presencium reddidisset cassatas et inanes. Preterea idem Stephanus, omnes possessiones suas, quas quidem possessiones propter infinitas conturbaciones, per predictum Beke et per filios eiusdem sibi illatis et factis, *capitulo ecclesie Albensis* vendidisset, propter bonum pacis unionem, hinc et inde, eandem possessionem a predicto capitulo, cum suis instrumentis, rehabere se dixit; e converso iidem filii Beke, Cosmas et Damyanus assumpserunt, [ut eun]dem Stephanum ab omnibus nocumentis defenderent, et in possessionibus suis, absque molestacione observarent. Obligarunt eciam se ipsos eidem Stephano, quod si processu temporis, eundem Stephanum, *unus ex ipsis quibuslibet occideret,* quod absit, vel per consilio (sic!) ipsorum mori contingat, et hoc posteri predicti Stephani, cum litteris alicuius capituli, vel conventus, contra ipsos comprobari poterunt, extunc pro morte sepedicti Stephani, centum marcas teneantur persolvere. Insuper obligarunt iidem filii Beke scipsos, quod si eundem Stephanum in suis possessionibus molestarent, vel (emansit: causam) movere intenderent, coram quovis iudice, extunc ante litis ingressum, absque porcione iudicum, eidem Stephano similiter centum marcas teneantur persolvere. Quas quidem predictas possessiones, sicut vidimus in litteris capituli *Quinqueecclesiensis* contineri, diu ab antiquis temporibus divi-

sissent. Datum, in *Wysegrad*, in octavis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° CCC° XXX^mo.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Cap. Strigon. Publ. Capsa 8. fasc. 5. nr. 4.

242.

1330. (Esztergom.) 4. Julii. — Magistratus civitatis Strigoniensis, Berchtoldum medicum Caroli I. regis, in palatium a rege sibi donatum, introducit.

Tenorem vide sub nr. 301.

243.

1330. 10. Jul. — Dionisius episcopus Drivastinensis, qui se suffraganeum Strigon. eccl. affirmat, XL. dierum indulgentias, monasterium S. Marie de Kluza visitantibus, concedit.

Nos *Dyonisius*, Dei et apostolice sedis (emansit: gracia) *episcopus Drywastensis, suffraganeusque Strigoniensis*, universis Christi fidelibus salutem in Domino. Quia nobis commissum est, ut beneficia Christi racionabiliter dispensantes, populum Domino acceptabilem reddamus, unde beneficiis Dei et sanctorum meritis in Domino gloriet̃r. Nos igitur considerantes humilitatem et devocionem, peticionemque domini *Johannis abbatis* et fratrum suorum, *monasterio Sancte Marie Kluza*, atque ecclesie eiusdem ad quodlibet altare, damus XL. dies indulgenciarum, omnibus vere penitentibus, confessis et contritis de [. . . .]ctis nimia et beatorum Petri et Pauli apostolorum meritis confisi misericorditer, in Domino relaxavimus, videlicet omnibus visitantibus predictum monasterium ac ecclesiam, festivitatum Christi et Marie Virginis Gloriose matris sue, apostolorum, confessorum, martirum et virginum, dedicacionis et patroni, tocies quocienscunque visitaverint predictum monasterium [ac ecclesi]am, indulgencias perpetue duraturas. In cuius rei testimonium presentes litteras, [commis]simus sigillo nostro pontificali appensione communiri. Datum, anno Domini millesimo CCC° XXX^mo, mensis Julii die decima.

Sigillum e viridi et flavo serico contexto pendet. — Orig. in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 14. fasc. 1. nr. 15. — Eppatus Drivastensis = Drivasto ad littus maris Adriatici in Dalmatia meridionali jaceus, teste: Notitia Joannis PP. XXII., hoc tempore metropol. Antivarensi suberat. Qua de causa se suffrageneum Strigoniensem esse fatetur, mihi penitus ignotum. Cf. Neher Kirch. Geographie II. 507.

244.

1330. (Nyitra.) 13. Julii. — Capitulum Nitriense, conventum de iuxta Grón, possessiones suas Bessenyő et Szentmárton, Stephano castellano de Ghymes elocasse testatur.

Nos capitulum ecclesie *Nitriensis*, tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod viri religiosi fratres Nicolaus prior, vice et nomine domini Seueridi abbatis sancti Benedicti *de iuxta Gron*, et Iacobus, vice et nomine conventus loci eiusdem ab una parte, item comes Stephanus vicecastellanus de *Gymus* et de *Opun* ex altera; coram nobis personaliter constituti, iidem

prior et frater Iacobus, nomine dictorum abbatis et conventus, quasdam terras seu possessiones dicti monasterii, unam *Besenev* vocatam, et aliam *Zenmartun* nuncupatam, prope *Vduard* adiacentes, cum universis earum utilitatibus et sub metis antiquis per eosdem fratres ostendendis, eidem comiti Stephano, per spacium decem annorum a data presencium, commiserunt et tradiderunt ad utendum et usus fructus earumdem plenarie percipiendum, ac populis decorandum; ita videlicet quod populus, per ipsum comitem Stephanum medio tempore ad easdem possessiones congregandus, ab omnibus hominibus tueri debet et defendi; elapsis vero decem annis predictis, dictas possessiones, cum earum utilitatibus predictis et populis seu iobagionibus ad easdem congregandis et congregatis, idem comes Stephanus tenebitur, absque lesione et dampno dictorum populorum reddere et resignare, nec de cetero idem, vel sui successores vicecastellani, aut officiales de *Gymus*, se debent vel tenentur intromittere de eisdem, ecclesie abbati et conventui memoratis; hoc eciam adiecto, quod si ipsum comitem Stephanum, vocante celi domino decedere, vel ipso officialatu medio tempore, quod absit, ad partes alias removere vel accedere contingeret, extunc eedem possessiones, cum earum utilitatibus predictis, in ius et proprietatem dictorum ecclesie abbatis et conventus devoluntur. Datum, in festo beate Margarete virginis et martiris, anno Domini M° CCC^mo^ tricesimo.

Extus manu medii aevi: Locacio condam possessionis, videlicet *Sent Marton* et *Besenev*. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 3. fasc. 1. nr. 1. — Par huius instrumenti, evidenter e quodam transsumpto excisum, in charta, asserv. in eadem ladula arch. sub. nr. 2.

245.

1330. (Ipolyság.) 20. Jul. — Conventus Praemonstrat. de Ságh, rescribit Carolo I. regi, populos de Patak et Dejtár, ab usurpatione terrae Kaladni, prohibuisse.

Excellentissimo domino ipsorum, domino K.[arolo], Dei gracia illustri regi Hungarie, Stephanus prepositus et conventus ordinis *Premonstratensium*, monasterii Beate Marie Virginis *de Saag*, oraciones in filio Virginis Gloriose. Litteras vestre excellencie recepimus in hec verba:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis preposito et conventui ecclesie de Sag, salutem et graciam. Dicunt nobis Andreas, filius *Kysa* et Nicolaus, filius Cosme, quod *vicini* et cometanei ipsorum, specialiterque *populi de Potok* et de *Dehter*, fructus et utilitates possessionis eorum, *Kaladey* vocate, perciperent in eorum preiudicium et iacturam, super quo fidelitati vestre precipientes mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem ydoneum pro testimonio, coram quo Sebastianus de Neek, vel Thomas de Chytar, altero absente homo noster, predictos vicinos eorum et specialiter populos predictarum villarum prohibeat ab usu et percepcione utilitatum possessionis sue prenotate. Qui si prohiberi voluerint bene quidem, alioquin citet eosdem contra ipsos Andream et Nicolaum, ad nostram presenciam, ad terminum competentem; et post hec diem citacionis et terminum assignatum, nomina citatorum, cum serie tocius prohibicionis, nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Wysegrad*, feria tercia proxima post festum beate Margarete virginis, anno Domini M° CCC° XXX^mo^. 1330. 17. Jul.

Nos igitur preceptis et mandatis vestris obedire volentes, ut tenemur, cum *Thoma,* homine vestro predicto, nostrum hominem misimus fidedignum, qui quidem dum ad possessionem predictam, Andree et Nicolay predictorum, *Kaaladey* vocatam, accessissent et ibidem universos vicinos et commetaneos, et specialiter populos predictarum villarum de *Potok* et de *Dehter*, ab usu et percepcione omnium utilitatum possessionis predictorum Andree et Nicolai, scilicet a pratu (sic!) terrarum arabilium, silvarum, nemorum et aliarum utilitatum, idem homo vestre excellencie, in presencia hominis nostri prohibuisset et interdixisset; prout homo vestre regie maiestatis, ad nos reversus, in presencia hominis nostri, nobis oretenus affirmavit. Datum, feria sexta proxima post festum divisionis Apostolorum, scilicet die prohibicionis prenotate, anno vero prenotato.

Extus: Excellentissimo domino ipsorum, domino K.(arolo), Dei gracia illustri regi Hungarie, pro Andrea et Nicolao de *Kaaladay,* contra universos vicinos et commetaneos ipsorum prohibicionalis. — Sigillum margini exter. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. F. nr. 4.

246.

1330. — 25. Jul. — Magistratus comitatus Hontensis testatur, super prohibitione, facta in terra Kaladey, contra omnes commetaneos, pro Andrea et Nicolao Kesey.

Nos magister *Nicholaus,* comes Hontensis, et quatuor iudices nobilium eiusdem comitatus, damus pro memoria; quod Andreas, filius *Keyse* (sic!), de *Kaladey,* tam pro se quam pro Nicolao filio Cozme, filii Kesey, coram nobis personaliter constitutus, unum ex nobis ad prohibicionem faciendam ab usu et percepcione omnium utilitatum possessionis ipsorum prenotate, scilicet universos vicinos et commetaneos ipsorum, a nobis sibi dari postulavit, nos vero comitem *Pahum* (forte: Ivahum!) *de Neek,* unum ex nobis, illuc transmisimus, scilicet ad possessionem *Kaladey.* Qui quidem, dum illuc accessissent et ibidem universos villanos de *Potak* et *Dehter*, villarum magistri Petri, item villanos de *Bolug,* et alios quoslibet vicinos et cometaneos predicte possessionis ipsorum *Kaladey,* ab usu et percepcione omnium utilitatum possessionis ipsorum, scilicet a pratu (sic!), silva (sic!), nemorum, terrarum arabilium et aliarum utilitatum prohybuisset et interdixisset, in superficie possessionum prenotatarum, seu villarum, feria sexta proxima ante festum beate Marie Magdalene, prout unus noster predictus, ad nos reversus, nobis affirmavit. Datum, feria quarta proxima post festum prenotatum, anno Domini M° CCC° XXX^mo. 1330. 20. Jul.

Extus: Pro Andrea filio Kesey et Nicolao filio Cosme de *Kaladey,* contra universos vicinos et commetaneos ipsorum quoslibet, super prohibicione facta memorialis. — Sigilla duo tergo fuerunt appressa. — Orig. membr., in Arch. Primat. Sec. Lad. F. nr. 5.

247.

1330. Visegrád. 29. Jul. — Ladislaus archiepiscopus Colocensis, Nicolaus Jaurinensis eppus et Andreas prepositus Albensis, res quondam Boleslai archiepiscopi, in quadam camera in Visegrád inventas, capit. Strigon. resignant.

Nos frater *Ladislaus,* Dei et apostolice sedis gracia *archiepiscopus Colocensis,* aule regie cancellarius, *Nicolaus Jauriensis* ecclesie *episcopus* et magister *Andreas*

prepositus Albensis ecclesie, eiusdem aule regie vicecancellarius, [. . . . . .] Significamus universis, quibus expedit, presencium [per tenorem, quod anno] Domini M° ccc^mo xxx^mo, die Dominica proxima post festum beati Jacobi . . . . . domini *Bolezlai, quondam archiepiscopi* Strigoniensis . . . . . in camera eiusdem receptis, ex parte serenissimi principis domini *Karoli* illustris regis Hungarie, per magistrum *Paulum* Hungarum, venerabilibus patribus dominis *Ladislao Quinqueeccleslensis* et *Henrico Wesprimiensis* ecclesiarum episcopis, sancte *Strigoniensis ecclesie amministratoribus,* per sedem apostolicam constitutis, in nostra presencia hec res fuerunt restitute: Primo una casula alba; item unus calix deauratus; item tria vitra cum balsamo sed . . . . . registro capituli habebantur duo vitra; item tria tapeta; item quatuordecim paria litterarum papalium, due videlicet confirmatorie domini B. archyepiscopi Strigoniensis, item tercia littera quod suffraganei ecclesie Strigoniensis ipsi archyepiscopo obedire debeant, quarta super . . . . . eiusdem ecclesie Strigoniensis, dicto archyepiscopo debitam inpendant obedienciam; item quinta, super elargicione indulgenciarum quadraginta dierum; item sexta super confirmacione ducis B.; item septima littera super indulgenciis unius anni in die consecracionis predicte ecclesie Strigoniensis elargiendis; item octava super dispensacione natalium; item nona preceptoria ad clericos, ut eidem archyepiscopo obedire teneantur; item decima super processu et responsione contra Lodovicum; item undecima super processu contra Lodovicum Bavarum, ut infra tres menses ab amministracione imperii cesset; item duodecima super absolucione decem personarum . . . . . super manuum violentarum inieccione; item terciadecima, super eo, quod predictus archyepiscopus a suis diocesanis honorifice recipiatur; item quartadecima ad prepositum et *capitulum Strigoniense,* ut eidem B. archyepiscopo, tamquam prelato eorum, debeant obedire; item unum pectorale rotundum. In cuius resignacionis testimonium presentes concessimus litterarum (sic!), sigillorum nostrorum appressione communitas. Datum in *Wissegrad,* die et anno prenotatis.

Sigilla tria tergo fuerunt et quidem cerae rubr. impressa. — Orig. membr., situ et humore valde exesum, in Arch. Cap. Vesprimiens. Priv. Lad. 3. Vespr. eccl. et capit. nr. 17.

248.

1330. (Szepeshely.) 5. Aug. — Capitulum Scepusiense, Christianum scultetum de Antiqua villa, judicatum suum haereditarium, Joanni priori domus de valle S. Antonii Ord. Carthus., prope Dunajecz, vendidisse testatur.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 177.

249.

1330. Sáros. 9. Aug. — Testamentum Wilhelmi Drugeth, comitis de Scepus et Ujvár.

„de principali pecunia et lucro ad meam rationem redeunte, triginta marcas Ecclesiae, inqua meum corpus condetur, dare lego et comitto; dimidium residuae pecuniae ad comparationes missarum per Ecclesias dividatur, pro remedio animae meae; residuam dimidietatem hominibus per me offensis vel damnum passis . . ."

Ed. Fejér: Cod. Dipl. T. X. p. 440.

250.

1330. Avignon. 6. Sept. — Johannes PP. XXII., archiepiscopo Strigoniensi, eiusque suffraganeis, retractationes Petri de Corbario antipapae, submittit.

Johannes, episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus . . . . . archiepiscopo Strigoniensi, eiusque suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem. Sicut de hys, quos ab unitate sancte Dei ecclesie abscidit error pravitatis heretice, indubie vos affligi supponimus et dolere, sic de ipsorum conversione ad eiusdem unitatem ecclesie firmiter credimus in Domino vos gaudere. Sane aversionem a fide catholica et separationem ab ecclesie catholice unitate *Petri de Corbario,* ordinis fratrum minorum, quam instigatione versuti hostis, qui a principio ruine sue, unitatem ecclesie sancte nititur scindere, humanumque genus perturbare et evertere, processisse, supponimus ad vestram non ambigimus notitiam pervenisse. Sed et ut que illius immensa misericordia, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis desiderat pervenire, circa conversionem prefati Petri hys diebus operata misericorditer fuerit et quid circa hec idem Petrus fecerit, vestra prudentia non ignoret, ecce quod ad gaudium ad vestram illud notitiam deducimus per presentes, ut sicut passionis predicte ecclesie, per hec inflicte, fuistis socii, sic consolationis et gaudii participes existatis; vestram providentiam exhortantes in Domino et rogantes, ut magnitudinem gratie impense, a divina clementia eidem ecclesie catholice in hac parte considerantes attente, et a quo bona cuncta procedunt, studeatis laudes et gratias, et si non debitas vel condignas, cum hoc etiam per ecclesiam universalem impleri nequeat, saltem vobis possibiles exhibere, subditos vestros ad similia inducentes sedule, ac supplicantes Altissimo humiliter et devote, ut quod cepit circa pacem dandam ecclesie tam mirabiliter operari, ipse, cuius perfecta sunt opera, dignetur misericorditer adimplere. Et ut vestra circumspectio non ignoret, quod ad ea que continentur inferius, dictus Petrus non vi, non metu, sed propria et spontanea, a Spiritu Sancto mota, ut firmiter credimus, inductus est voluntate. Ecce, quod transcriptum, cuiusdam littere scripte manu propria dicti Petri, dum adhuc in loco innoto nobis existeret, libere misse, nobis inserendum presentibus duximus; quod tale est:

Reverendissimo et sanctissimo patri et domino, domino *Johanni* pape, sacrosancte Romane ecclesie, frater Petrus de Corbario, dignus omni pena, seipsum ad pedes cum reverentia vere subiectionis. Licet secundum canonem evangelice veritatis: qui non intrat per hostium in ovile gregis Dominici, fur appelletur et latro rapacitatis lupine, audiens et considerans diligenter tanta enormia scelera pravitatis heretice stilo ferreo exarata, in ungue adamantino quanta dicebantur a multis de vestra solida fide, sicut presumptuosus, temerarius et superbus ascendi super astra celi ecclesiastici, ubi michi, meis peccatis exigentibus, parata fuit sedes inique prelationis; sed postquam deveni ad territorium Pisanum et quesivi diligentissime de predictis et inveni, quod obliqua erant et falsa, et deficiebant in pondere veritatis, dolui et doleo vehementer, et penitet me fecisse que feci, contra iura et leges vestri sanctissimi nominis, de consilio perversorum. In cuius rei testimonium iam est annus completus, quod adversarium vestrum sponte dimisi, et sedem mei presumptuosi culminis dereliqui; et propono firmiter in civitate Pisana, et etiam in urbe atque ubique

locorum renuere, secundum quod vestra benignissima sanctitas decreverit ordinandum. Et quia gravissime peccavi et erravi patenter, in invio et non in via, supplico vestre clementissime pietati, quatinus michi maximo peccatori dignemini parcere, secundum multitudinem magnam misericordie Dei vivi, ut renuens ex totis visceribus, deleam et annichilem supradicta de cordibus universorum fidelium et ora claudam omnium obloquentium de vestra serenissima sanctitate, ut in ecclesia Dei de cetero sit unus pastor et unum ovile, pro pace totius populi Christiani. Datum in confinibus Lucanis.

Rursus tenor conversionis, abiurationis et reconciliationis dicti Petri, sequitur in hunc modum;

Pater sanctissime, sicut vestra tenet memoria, nec excidit a mea, die XXV mensis Augusti proxime preteriti, Ego frater *Petrus de Corbario*, ordinis fratrum minorum, in vestri sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini *Johannis*, superna providente clementia sacrosancte *Romane* et universalis ecclesie summi pontificis, veri et unici vicarii Iesu Christi, sacrique collegii vestri, reverendorum in Christo patrum dominorum cardinalium presentia, necnon presente fidelium, tam prelatorum et religiosorum, quam aliorum clericorum et secularium multitudine copiosa, in publico consistorio quantum ad sententiam et effectum recognovi et confessus fui, reprobavi, anathematizavi, refutavi et renui omnes et singulos errores et hereses, in quibus incideram hactenus ex assumptione damnati et heretici, ac scismatici status antipapatus, per me erronee et inique dudum assumpti, ab heretico et scismatico *Ludouico de Bauaria*, et nonnullis fautoribus suis, eius complicibus in hac parte scismaticis et hereticis condempnatis, necnon ex dampnabilibus fautorys et adhesionibus ipsorum et plurium aliorum hereticorum et specialiter *Ludouici* predicti, *Michaelis de Cesena*, olim generalis ministri ordinis antedicti, pessimorum hereticorum et scismaticorum, reprobatorum per ecclesiam sanctam Dei, multorumque sequacium complicum et fautorum suorum, quibus in eorum factis perversis et falsis, opinionibus et dampnatis, favi sepius dampnabiliter et adhesi; illosque ac quoscunque alios errores et hereses abiuravi, iurando ad sancta Dei evangelia mentaliter et corporaliter per me tacta, premissa omnia et singula inviolabiliter observare, ac mandatis sancte matris ecclesie et vestris apostolicis per omnia obedire. Sane cum tunc fatigatus ex labore, debilitatus in vigore, angustiatus in dolore et confusus ex rubore, confractusque ex timore, impeditus in clamore, extinctus in devotione, mortuus tandem in amore, eo, quod dilexi dudum malitiam super benegnitatem et iniquitatem magis quam loqui equitatem, iusto Dei iudicio obmotuerim evidenter et sicut volui non potuerim omnia exprimere supradicta, nec vos etiam forsan beatissime pater, una cum dicto sancto vestro collegio, dominorum cardinalum predictorum, ea plene propter tumultum assistentium, et dicta impedimenta mea intelligere potuistis. Ideo latius in presenti privato consistorio resumptis confortativis viribus, postquam mihi de benignitate et humanitate clementie sanctitatis vestre apparuit, quam non ex operibus iustitie, que nunquam feci actualiter, sed secundum magnam Dei et vestram misericordiam me salvastis et operuistis omnia mea scelera et peccata, laborem meum oppressivum sedando pacifice, ac vigorem proditum michi restituendo integre et dolorem afflictivum dulci faciendo consolatione, ruboremque confusivum laudabiliter removendo, ac timorem meum confortando viriliter et

1330. 25. Aug.

clamorem meum raucum sanando celeriter, extinctamque devotionem meam suaviter inflammando et amorem meum mortuum vivificando; cum confidentia securitatis pacifice et benigne predictos errores et hereses, ac omnia et singula scelera et delicta mea iniquissima et nephanda proponere, confiteri, publicare et legere volo in scriptis, ut certius pateant universis, vosque beatissime pater una cum dictis dominis cardinalibus, possitis ea intellectu suscipere pleniori. Quare huiusmodi hereses, et errores, ac scelera et delicta mea, coram vobis et dictis dominis cardinalibus, ac testibus aliis, et clericis camere apostolice, publicis tabellionibus, ad laudem et gloriam altissimi Dei patris, beatissime semperque Virginis Marie, beatorum angelorum et sanctorum omnium et nostri sanctissimi patris predicti, veri et unici in terris vicarii Iesus Christi, pro salute et pace perfecta totius populi Christiani propono, confiteor, recognosco, publico et lego, per ordinem ut inferius describuntur: In nomine Dei patris omnipotentis, ac Filii et Spiritus Sancti amen. Quum iuxta sapientis doctrinam, occultanti scelera sua denegatur directio, pure autem confitenti et ea penitus deferenti est misericordia repromissa: Idcirco ego frater *Petrus de Corbario,* ordinis fratrum minorum, immanissimus et sceleratissimus peccatorum, hoc consideranter attendens, nolens ulterius cum impiis commisceri, sed cupiens toto corde in viam veritatis, quam inique deserui dirigi, ac misericordiam et gratiam Iesu Christi et nostri beatissimi in Christo patris, ac domini nostri, domini *Johannis,* superna providente clementia summi pontificis, veri et unici eius in terris vicarii, ac ecclesie sacrosancte catholice, quibus meis iniquissimis et nefandis me privavi sceleribus, valeam promptius et efficacius obtinere, quamquam nuper *Pisis* existens, coram reverendis patribus, dominis *Symone archiepiscopo Pisano* et *Guilelmo Lucanensi episcopo,* ac discreto viro, magistro *Raymundo Stephani,* clerico papalis camere et *apostolico nuntio,* presentibus quoque multis prelatis aliis, ac religiosis, nobilibus et popularibus civitatis predicte, errores meos et scelera spontanee, cum ingenti cordis amaritudine confessus fuerim, et dictis archiepiscopo et episcopo, ad hec per vos pater sanctissime deputatis, supplicaverim humiliter et devote, ut michi parato prefatos errores et quoscunque alios abiurare, ac mandatis stare vestris apostolicis, et insuper michi recognoscenti, quod ea, que ut papa, immo verius ut antipapa, tam circa personam heretici Bauari, quam circa creationem, quam de facto presumpsi cardinalium et aliorum officialium, quos veri summi pontifices soliti sunt habere, quam circa dispositionem et ordinationem patrimonii beati Petri apostoli, necnon et circa privationem nonnullorum prelatorum a suis prelationibus et aliorum clericorum a suis dignitatibus et beneficiis aliis ecclesiasticis, quocunque nomine censeantur, et provisionem attemptatam de facto de premissis prelaturis, dignitatibus et beneficiis aliis ecclesiasticis quibuscunque, necnon et quecunque alia, que ut papa quocunque medio presumpseram, seu feceram: nulla, presumpta, ac temeraria fuisse et esse, et ab omni effectu iuris vacua et nullius penitus existere firmitatis, velut attemptata ab illo, cui nullum ius talia facere competebat et illi, in quorum personas illa attemptata fuerunt, cum essent scismatici et heretici, seu hereticorum fautores notorii, essent penitus non capaces; necnon et ea quatenus de facto processerunt, quantum erat michi possibile, revocanti et nulla fore et inana declaranti, absolutionis michi impenderent beneficium ab omnibus sententiis iuris et honoris quas ob premissa incurreram, vel aliquod

premissorum, neque incorporarent et restituerent sacrosancte ecclesie catholice unitati, quod utique prefati archiepiscopus et episcopus, auctoritate vestra apostolica, ipsis per litteras vestras patentes apostolicas, in hac parte concessa, recognitionibus et revocationibus supradictis receptis, ac iuremento de stando mandatis vestris apostolicis prompte et liberaliter exequi curaverunt. Hoc adiecto, quod si ad pristinos errores, seu actus scismaticos sceleratos redirem, in easdem penas et sententias reincidam ipso facto; ac nichilominus illa nuper in diversis civitatibus Provincie provincie confessus fuerim et abiuraverim, et nulla fore per me attemptata recognoverim et, ea quatenus de facto processerunt, quantum poteram et ad me pertinere poterat, revocaverim et declaraverim esse nulla: nichilominus tamen ad fortius abolendas maculas heresum et infamie, quas contraxi et incurri, ex premissis et pluribus aliis dampnabilibus fautoriis, adhesionibus et consiliis, per me dudum exhibitis heretico et scismatico *Ludouico de Bauaria,* principali status mei dampnati huiusmodi patratori, ac eius sequacibus, fautoribus et complicibus et specialiter heretico et scismatico *Michaeli de Cesena*, olim fratrum ordinis minorum generali ministro, de heresibus et scismate, ac pluribus hereticorum fautoriis et adhesionibus, per vos prefate sanctissime pater legitime condempnato, adhuc tamen errores meos et scelera in presentia vestra, sacrique vestri collegii dominorum cardinalium constitutus, intendo et volo recognoscere et abiurare, et alia facere, que vestra sanctitas duxerit ordinanda. In primis itaque confiteor, et cum ingenti amaritudine animi recognosco, quod cum seductor ille scismaticus et hereticus manifestus, Ludouicus de Bauaria, dudum iure, si quid sibi quesitum fuerat ex electione discordi, de ipso in regem Romanum celebrata, iuste privatus fuisset per sedem apostolicam et eandem sanctitatem vestram, ac ut hereticus et fautor hereticorum notorius, de multis heresibus et fautoriis hereticorum, ac scismatibus condempnatus, ad urbem Romanam imbutus diabolico spiritu pervenisset et religiosus vir frater *Johannes de Maliano,* minister Romane provincie dicti ordinis fratrum minorum, ac reverendus in Christo pater dominus *Johannes,* Dei gratia *sancti Theodori diaconus cardinalis,* sedis apostolice et eiusdem vestre sanctitatis legatus, pro maiori observatione interdicti, cui tunc erat per vos sanctissime pater supposita urbs predicta, eiusdem Ludouici adventu percepto, michi et aliis fratribus, in eadem urbe morantibus, sub virtute obedientie ac excommunicationis penis, quas non parentes ipso facto incurrerent, publice iniunxissent, ut dictam urbem omnes et singuli exiremus, ego tamen infelix peccator, preceptis huiusmodi non obstantibus, licet omnes alii fratres, paucis exceptis, eisdem legato et ministro promptius obedirent, in eadem urbe, presente dicto pessimo heretico et scismatico Ludouico, et assistentibus, et reprobatis per sanctitatem vestram et ecclesiam sanctam Dei, pertinaciter remanere presumpsi et in ea, licet esset iuste et sancte per vos ecclesiastico interdicto supposita, celebravi divina sepius, immo quantum in me fuit, verius prophanavi. Deinde cum idem perfidus Ludouicus, datus in sensum reprobum, se de facto fecisset in imperatorem a certis Romanis perfidis coronari, et contra vos beatissime pater diabolicam et nequissimam depositionis, immo verius abusionis promulgasset sententiam, ac processus diversos temerarios, falsos nimium et iniustos, meque ad quorumdam perfidorum principalium Romanorum clericorum et laicorum instantiam, eius sequacium, una cum certis de clero et

populo perfidis eius complicibus et fautoribus, ad hoc secum vocatis, in papam et summum pontificem, immo verius antipapam dampnatum et pestiferum elegisset, Ego miser inductus, immo seductus suis et multorum tam clericorum quam laicorum, eius fautorum et sequacium dicte urbis precibus importunis et pernitiosis instantiis ac infestis, falso et erronee asserentium, quod papam imperator deponere poterat, et loco depositi alium ordinare, et quod per consequens eidem heretico et scismatico Ludouico, qui tunc in fictum et falsum [imperatorem denuo se] coronari fecerat, et vos pater sanctissime abusive deposuerat, hoc licebat mea superbissima elatione more Luciferi, ambitioneque dampnabili nichilominus excecatus, huiusmodi electioni, tam nephande quam reprobe, immo nulli malitiose consensum meum temerarium et elatissimum excecatum, sicut premittitur, omni pena dignissimum, non erubui adhibere, ac subsequenter consecrari, immo execrari ab heretico et scismatico *Jacobo* dudum Castellanensi episcopo excommunicato et deposito, et coronari a dicto heretico Ludouico de Bauaria me permisi, — licet ad eum, etiam si verus imperator existeret, sicut revera non erat, nec est, sed hereticus manifestus et reprobus; egoque verus essem papa, sicut in veritate non eram, sed antipapa potius scismaticus et hereticus et iniquus, — nequaquam talis coronatio pertineret. Item quod cardinales, immo verius anticardinales et omnes officiales, quos verus papa est habere solitus, ordinare de facto presumpsi, bullamque more pape, licet essem reprobus et dampnatus, fieri feci et habui, eaque falso usus fui temere et inique. Et ut statum meum perversissimum et Ludouici predicti dampnati, ac falsas opiniones heretici et scismatici Michaelis de Cesena, dudum ministri generalis ordinis antedicti fratrum minorum, scilicet quod Christus et eius apostoli, in hys que habuisse leguntur, non habuerunt nisi tamen usum facti simplicem, possem fortius ac promptius stabilire, Dei timore postposito, extendens ad omnia illicita manus meas; processus et depositionis sententiam Ludouici, manifesti predicti heretici et de pluribus heresibus condempnati, contra vos sanctissime pater habitam et etiam fulminatam, supplens omnem defectum, si quis esset in ipsis, ex certa scientia et de plenitudine potestatis non solum illos confirmare et mei scripti communire patrocinio non erubui, sed etiam de novo sententiare, pronuntiare, declarare et predicare publice omnia et singula, in predictis processibus promulgata, presumpsi. In quibus quidem processibus Ludouicus predictus pronuntiabat et declarabat, fore hereticum et scripture sacre contrarium dicere, quod Christum et apostoli in hys, que habuisse leguntur, habuerint aliud quam simplicem usum facti, ex qua quidem pronuntiatione evidenter concluditur, ipsum et me etiam ex confirmatione, pronuntiatione et predicatione predictis in dampnatam heresim, per constitutionem vestram apostolicam de fratrum vestrorum promulgatam consilio incidisse. Et nichilominus ad diversos reges et principes, meas litteras destinavi, per quas ad eorum notitiam deducebam, quomodo vos pater beatissime, cui multa falsa, heretica et erronea, in eisdem litteris imponebam, suggerentibus dictis hereticis sceleratis Ludouico et Michaele, ac iuxta votum suum ordinantibus, per eundem Ludouicum, ac per me eratis depositus et sententialiter condempnatus, eosdem reges et principes exhortando nichilominus et rogando, ut vobis sanctissime pater, tanquam pape, non parerent in aliquo, nec favores aliquos exhiberent, sed contra vos potius michi et dicto Ludouico preberent auxilium, consilium et favorem; nec hys

contentus, tam in Urbe, quam in pluribus civitatibus et locis aliis, clericos seculares et regulares compuli, ut non obstante interdicto, cui per vos beatissime pater erant supposita loca ipsa, in eisdem celebrarent, immo verius quantum erat in me, prophanarent divina. Tallias quoque ecclesiis imposui, tam in Urbe, quam alibi, pro quibus calicibus, ornamentis et nonnullis rebus aliis, ipsas ecclesias spoliavi; fideles insuper prelatos nonnullos et alios clericos, in dignitatibus et beneficiis aliis ecclesiasticis constitutos, suis privavi prelationibus, dignitatibus et beneficiis aliis ecclesiasticis, in illis preficiendo vel hereticos, vel scismaticos, vel eorum fautores, et plerumque non absque Symoniaca pravitate, quibus etiam illis scilicet, quorum hoc prelatio requirebat, de facto, cum de iure non possem, per me vel alium, munus consecrationis, immo verius execrationis impendi. Contra fratres quoque minores, non parentes Michaeli predicto tanquam generali ministro, qui tamen depositus erat iuste et condempnatus de heresi et hereticus, ac scismaticus declaratus, et alius per generale capitulum ordinis minorum concorditer in generalem assumptus, et contra servantes interdicta, per vos sanctissime pater, vel legatos, seu officiales vestros alios promulgata, utroque spirituali videlicet et temporali gladio procedere non expavi, eidem Michaeli et suis sequacibus hereticis et scismaticis inique impertiendo iniuste, ac temere auxilium et favorem. Indulgentias insuper et dispensationes, sedi reservatas apostolice, concedendo de facto et etiam faciendo. Nonnullis quoque, qui pro pontificibus se gerebant, commisi ut sacros ordines celebrarent, in quibus ordinibus plures, ut credo, ad sacros ordines promoverunt temere, cum eis virtute prefate licentie non liceret. De patrimonio quoque beati Petri in nonnullis locis ad tempus, et interdum in perpetuum, disponere non expavi. Hec omnia et plura alia contra Deum, sanctamque catholicam ecclesiam, ac vos beatissime pater, verum et unicum Iesus Christi vicarium, recognosco et confiteor me de facto inique nimium ac temere perpetrasse. Que omnia et singula recognosco et confiteor nulla fore, ac cassa et inania, velut ab eo, cui ea faciendi non competebat ius aliquod attemptata, eaque, quantum ad me spectare potest, quatenus processere de facto revoco et nulla fore et fuisse pronuntio et declaro. Confiteor insuper et ore, ac animo recognosco, me credere et tenere fidem illam, quam sancta Romana ecclesia, ac vos pater sanctissime tenetis, predicatis, atque docetis. Et specialiter recognosco me tenere et credere, quod ad imperatorem non pertinet deponere, nec instituere papam; immo hoc tenere hereticum reputo, prout in processu contra *Marcilium de Padua* et *Johannem de Janduno,* per vos beatissime pater super hoc et nonnullis aliis erroribus habito, quem diligenter studui, continetur. Item fateor et recognosco, hereticum esse dicere, Christum et eius apostolos non habuisse in hys, que eos habuisse scriptura sacra testatur, nisi simpliciter usum fructi, licet dudum contrarium tenuerim, et hoc tenentibus impenderim indebite auxilium et favorem. Et fateor et recognosco, quod hoc asserentes sunt censendi heretici manifesti, secundum quod in constitutionibus vestris pater sanctissime, quarum una incipit: *Cum inter,* alia vero: *Quia quorumdam,* plenius continetur. Et *super materia proprii et communis,* ac *iuris et dominii,* quod Iesus Christus et eius apostoli in rebus temporalibus habuerunt, credo, profiteor et teneo in omnibus et per omnia firmiter id, quod in dictis constitutionibus et responsionibus per vos factis obiectionibus, quas dictus Michael eiusque sequaces

contra constitutiones predictas fecerant, de quibus sum informatus, plenius continetur, ac omnia et singula scripta, dicta et publicata contra constitutiones et responsiones predictas et tangentia ea per hereticos et scismaticos, Ludouicum et Michaelem predictos, seu quoscunque alios, assero, recognosco et dico, fuisse et esse nulla, erronea, scismatica, heretica atque falsa; eaque, ut talia refuto, renuo, anathematizo, reprobo et detestor. Item confiteor et recognosco in veritate, quod vos sanctissime pater et domine, domine *Johannes papa XXII* et nullus alius, estis verus summus pontifex et unicus in terris vicarius Iesus Christi et contrarium, quod tenui et dicta quorumcunque idem mecum dicentium refuto, anathematizo, renuo, reprobo et detestor. Item recognosco et fateor in veritate, ut supra, quod ego male, falso, temere, erronee et inique assumpsi et exercui de facto statum summi pontificatus, immo verius antipapatus dampnabilem antedictum, et pluribus aliis. Ideoque statum, adhesionem et fautoriam huiusmodi in omnibus et per omnia refuto, renuo, anathematizo, reprobo et detestor. Item recognosco et fateor in veritate, quod male, temere et inique de facto promovi et consecrari feci, seu potius execrari nonnullos prelatos, presertim scismaticos et hereticos, seu fautores hereticorum, et aliquos devotos catholicos et fideles deposui, et beneficia ecclesiastica pluribus infidelibus, scismaticis et rebellibus, seu eorum fautoribus contuli, et sepius per Symoniacam pravitatem, quam exercere per me et dictos hereticos desperatos et alios perfidos non expavi, et cetera que verus papa gerere consuevit, malitiose de facto exercui, que omnia et singula scelera tam horribilia et nefanda refuto, renuo, anathematizo, reprobo et detestor. Item fateor et recognosco in veritate, quod anticardinales et antiepiscopos, per me, ut premittitur promotos, et quos feci consecrari, immo verius execrari, de facto non reputo esse cardinales, nec episcopos, immo confiteor ipsos fuisse et esse, si non fuerint absoluti et reconciliati per vos beatissime pater, scismaticos, hereticos atque nullos; et omnes actus, quos circa ipsos, vel quoscunque alios et specialiter circa Ludouicum predictum et eius fautores, complices et sequaces exercui, de facto cum de iure non possem, dico, quantum in me est, fore et fuisse de iure, tanquam hereticos et scismaticos, invalidos ac nullius roboris vel momenti, consequenter tales quatenus processere de facto, in quantum possum infringo, irrito et denuntio nullos esse, ac expresse refuto, renuo, anathematizo, reprobo et detestor. Que quidem omnia et singula, per me supra assertive proposita et probata: Juro per hec sancta Dei evangelia, a me tacta mentaliter et corporaliter, vera esse, ac prescripta vitanda vitare et observanda inviolabiliter observare. Ea vero, que me asserui credere, iuro ut supra, me illa credere fore vera. Item omnes errores et hereses supradictos et eorum singulos et specialiter dicere, credere et tenere, quod ad imperatorem pertineat deponere, ac instituere papam; item quod Christus et eius apostoli, in hys que habuisse leguntur, non habuerunt nisi simplicem usum fructum et quoscunque errores et hereses alios abiuro, anathematizo, renuo, reprobo et refuto. Et insuper promitto et iuro, tactis mentaliter et corporaliter per me evangeliis sacrosanctis, super omnibus et singulis suprascriptis, stare mandatis ecclesie sancte Dei et vestris apostolicis, ac fidem quam sancta Romana ecclesia catholica et vos pater beatissime creditis, tenetis et predicatis, necnon vestras constitutiones et declarationes factas, super materia proprii et communis, ac iuris et dominii, quod Iesus Christus et eius apostoli in rebus temporalibus habuerunt, perpetuo et inviolabiliter observare ac stare et

parere, in omnibus et per omnia, mandatis sacrosancte Dei ecclesie, ac vestri prefati domini nostri pape. Item promitto et iuro, ut supra, quod nunquam prescripta, nec infrascripta, seu aliqua eorumdem, per me retracta et abiurata tenebo, nec exercebo, nec pro tali scilicet papa me habeo, nec quantum in me etiam erit permittam, quoquomodo ab aliis me haberi. Item promitto et iuro ad sancta Dei evangelia, corporaliter et mentaliter per me tacta, quod nunquam dictis hereticis et scismaticis Ludouico et Michaeli, nec eorum fautoribus, complicibus et sequacibus, aut aliis per vos beatissime pater et eandem ecclesiam denotatis, vel denotandis, scienter, quandiu in rebellione et extra devotionem et gratiam fuerint sancte matris ecclesie atque vestram, adherebo, nec eis prestabo auxilium, consilium, vel favorem, nec cum eis aut eorum aliquibus, ligam, coniurationem, pacta, conventiones, seu conspirationes faciam, aut contraham quoquomodo. Item, quod cum hereticis et scismaticis antedictis, seu fautoribus, sequacibus et complicibus eorumdem, seu cum aliquibus a me promotis, immo verius execratis, ut premittitur, conversationem aliquam non habebo, nec eis prestabo aliquod consilium, auxilium vel favorem. Petens humiliter et devote me per vos, pater sanctissime, non attentis meis excessibus et sceleribus gravibus, sed sola Dei misericordia, cuius estis unicus in terris vicarius, ab omnibus penis et sententiis, iuris et hominis, quas propter premissa, vel eorum singula, seu aliquod eorumdem incurri, absolvi et unitati reintegrari, et reincorporari ecclesie sancte Dei. Paratum me offerens omnem penam, sive penitentiam, quas michi pro premissis iniungendas, vel imponendas vestra sanctitas duxerit, cum omni obedientia sustinere et etiam adimplere. De quibus omnibus et singulis suprascriptis, ad eternam rei memoriam, pro salute mea et publica, peto unum et plura, quotquot erunt expedientia, fieri publica instrumenta.

Nos vero, considerantes attente, quod ipsum Petrum ad conversionem huiusmodi non induxit violentia aliqua, sed timor Dei, spontaneaque voluntas; necnon quod eius contritio videtur probabiliter esse vera; tum ex eo, quod premissa *Pisis* et ad nos veniendo in multis civitatibus et locis Provincie provincie, publice et hic etiam in curia, tam in publico consistorio, quam privato, non erubuit confiteri, nec ad nostram sponte pretermisit venire presentiam, pro gratia humiliter et devote, ac misericordia impetrandis; tum etiam quia paratum se obtulit, atque offert, quecunque ei iniungenda duximus adimplere; ut partes nostri officii exequamur, eique actibus, cuius vices in terris gerimus, nostros conformemus, prout est nobis possibile, qui mortem peccatorum non desiderat, sed ut convertantur et vivant: de fratrum nostrorum consilio, absolutionem et reincorporationem predictorum, archiepiscopi Pisani et Lucani episcopi, ratas habentes, ac etiam confirmantes, nichilominus ipsum Petrum ad nostram et ecclesie restituentes gratiam, absolvendum duximus et reincorporandum sancte Dei ecclesie unitati; super irregularitatibus, quas propter premissa contraxit, seu aliqua premissorum, cum eo nichilominus misericorditer dispensando. Ordinationem et declarationem penitentie dicto Petro, pro premissis et eorum singulis, prout quando et quotiens expedire videbitur, imponende, nobis specialiter et expresse nichilominus reservantes. Datum *Auinione,* VIII. Idus Septembris, pontificatus nostri anno quintodecimo.

Bulla cum zona periit. — Orig. membr. hinc inde humore maculatum, in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 44. fasc. 1. nr. 15. — Initium et finem edidit Fejér: Cod. Dipl. VIII³. 466.

VI.

CHANADINUS DE TELEGD.

1330. 17. Sept. — 1349. Dec.

251.

1330. Avignon. 17. Sept. — Chanadinus, olim episcopus Agriensis, in archiepiscopum Strigoniensem praeficitur; quod etiam capitulo et aliis de more scribitur.

„Johannes episcopus — — — — Dudum siquidem Strigoniensi ecclesia, per obitum bone memorie *Bolezlai* archiepiscopi Strigoniensis, qui in partibus illis diem clausit supremum, pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, dilectum filium *Nicolaum,* prepositum ecclesie Posoniensis, Strigoniensis diocesis, in sacerdotio constitutum, per formam scrutinii, in Strigoniensem Archiepiscopum, concorditer elegisse dicuntur: idemque prepositus, huiusmodi electioni de se facte prestans assensum, ad apostolicam sedem se personaliter contulit, et tam ipse, quam prefati Capitulum, per eorum procuratores et nuntios, ad nos propter hoc specialiter destinatos nobis, cum instantia supplicarunt, ut electionem huiusmodi illius nobis presentato decreto, confirmare de benignitate apostolica dignaremur — — — deinde vero prefatus Nicolaus, ex certis causis omni iure, quod sibi ex electione predicta — — competebat — — sponte cessit — — — Nos igitur ad provisionem ipsius ecclesie Strigoniensis celerem et felicem — — — — demum in te, tunc Episcopum Agriensem, consideratis grandium virtutum meritis, et donis multiplicium gratiarum, quibus personam tuam Altissimus insignivit, et quod tu, qui Agriensis ecclesie hactenus utiliter prefuisti, teque alias exercuisti laudabiliter et prudenter in officio pastorali, dictam Strigoniensem ecclesiam scies et poteris, auctore Domino, utiliter regere et feliciter gubernare, nostrum animum duximus dirigendum — — — te a vinculo, quo tenebaris eidem Agriensi ecclesie — — de ipsorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, te ad predictam Strigoniensem ecclesiam transferimus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem — — — — Datum, *Avenione,* XV Kal. Octobris. Anno Quinto decimo."

Edid. Theiner: Mon. Hung. Hist. T. I. p. 527. — In e. m. capitulo Strigoniensi, Clero civit. et dioces., universis suffraganeis; et Carolo I. regi, verbis competenter mutatis.

252.

1330. Avignon. 28. Sept. — Joannes PP. XXII., Chanadino archiepiscopo concedit, ut confessor semel, in articulo mortis, plenam sibi absolutionem dari possit.

Ed Theiner: l. c. T. I. p. 529.

253.

1330. Avignon. 1. Oct. — Nicolaus, praepositus Posoniensis, quondam electus archiepiscopus Strigoniensis, in episcopum Agriensem praeficitur.

Ed. Theiner l. c. T. I. p. 529.

254.

1330. Avignon. 2. Oct. — Joannes PP. XXII., Joannem de Ragatz Liephardi de Posonio, presbiterum dioeces. Strigon., super defectu natalium dispensat.

„Sane petitio tua, nobis nuper exhibita, continebat, quod olim Mathias de Zagrabia, ordinis predicatorum, tecum, qui defectum natalium pateris de presbitero genitus et soluta, quod huiusmodi non obstante defectu, ad omnes sacros ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium sine cura acceptare valeres, de facto pretextu litterarum apostolicarum, per quas potestatem se habere asserebat, super hoc dispensavit, prout in litteris inde confectis, ipsius Mathie sigillo munitis plenius continetur; tuque — — credens ipsam legitime fore factam — — — te fecisti — — ad omnes prefatos ordines promoveri — — — Postmodum vero audito dictum Mathiam nullam habuisse super hoc potestatem — nobis humiliter supplicasti — — Nos igitur — — meritorum tuorum intuitu — — — tecum — — — de speciali dono gratie dispensamus — — — — Datum, *Avenione,* VI. Non. Octobris. Anno Quintodecimo.

Ed. Theiner l. c. T. I. p. 530.

255.

1330. Avignon. 2. Nov. — Joannes PP. XXII., quibusdam personis ecclesiasticis de beneficiis providet.

Johanni Dominici canonico Strigoniensi, de canonicatu huius ecclesie et prebenda vacatura — — —

Radulpho Stephani canonico Strigoniensi de dignitate in ecclesia Strigoniensi, infra unius mensis spatium vacatura — — —

Demetrio de Benedicto de Agria, canonico Strig. ex consideratione Roberti regis Sicilie, de canonicatu in ecclesia Strigoniensi — — —

Magistro Andree, nato quondam Mancii de Eugubio, clerico, medicinalis scientie Professori, ex consideratione Caroli regis Ungarie, canonicatus in ecclesia Strigoniensi vacans — — —

Ed. Theiner l. c. T. I. p. 530—531.

256.

1330. Lipcse. 15. Nov. — Carolus I. rex, hospitibus suis de Lipcse, comitatus Zoliensis, inter cetera privilegia, ius plebanum eligendi, salvo iure confirmationis archiepiscopi Strigon., concessit.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 416.

257.

1330. (Esztergom.) 13. Dec. — Conventus Cruciferorum de Strigon., transsumit literas suas, pro preposito de Bozók, super possessione Szebelléb editas, et in camera sua custoditas.

Conventus *Cruciferorum* domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani *de Strigonyo,* omnibus Christi fidelibus, presentem paginam intuentibus, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie volumus pervenire: quod vir religiosus frater Micael prepositus de *Bozouk,* suo et conventus sui nomine, ad nostram accedens personaliter presenciam, nobis humiliter supplicans, petens nos instanter, ut partem dupplicati privilegii ecclesie sue predicte, super facto mutacionis, seu concambii cuiusdam terre et trecentarum capeciarum, inter honorabilem capitulum ecclesie *Strigonyensis* et ecclesie sue olym confecti, que in nostra camera tenebatur et servabatur, requiri et inveniri faceremus; quod et nos fecimus, fuit enim habita et inventa a nobis exhibita seriatim, unde nos videntes et considerantes, predictam partem privilegii in nostra camera servatam, non abrasam seu cancellatam, nec in aliqua sui parte viciatam, in littera vel in sigillo, scriptum cum alphabeto, sed in toto in prima parte reservatam, nil mutando in ea, vel detrahendo seu addendo, de verbo ad verbum, presentibus nostris litteris privilegialibus inseri curavimus diligenter. Cuius tenor talis est:

Sequitur privilegium de a. 1285. T. II. p. 203. nr. 183. ex hoc ipso transsumpto editum. 1285.

Partem autem presentis privilegii, cum parte dicti privilegii in eadem camera inventi, maiorem ad cautelam in eadem nostra camera deponi fecimus, nil in eodem privilegio novo innovantes. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad instanciam et peticionem eiusdem fratris Micaelis, prepositi de *Bozouk,* presentes sigilli nostri munimine duximus concedendas. Datum, in octavis sancti Nicolai confessoris, anno Domini M^{mo} ccc^{o} xxx^{o}.

Extus: manu med. aevi: Super Zebehleb. — Sigillum e rubro et albo serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 15. fasc. 2. nr. 12.

258.

1331. Avignon. 5. Jan. — Joannes PP. XXII., Chanadino, episcopo olim Agriensi, in archiepiscopum Strigoniensem electo, pallium concedit; Varadiensi et Vesprimiensi episcopis vero jubet, ut illud ei assignent.

„cum palleum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte tua fuisset a nobis, per dilectos filios Nicolaum Nicolai, clericum Waradiensem et Anselmum Catharensem monachum, monasterii sancti Ambrosii Nonensis, ordinis sancti Benedicti, nuntios tuos, cum ea, qua decuit instantia postulatum: Nos — — ipsum de corpore beati Petri sumptum, per Venerabiles patres nostros... Waradiensem et... Vesprimiensem Episcopos assignandum, per prefatos Nicolaum et Anselmum duximus destinandum — — Datum *Avenione,* Nonis Januarii. Pontificatus nostri Anno Quintodecimo."

Ed. Theiner l. c. p. 532. et sq.

259.

1331. (Esztergom.) 15. Januarii. — Jacobus, canonicus Strigoniensis, filius comitis Frank de Strigonio, vineam ecclesiae S. Ambrosii revindicat.

Nos capitulum Strigoniensis ecclesie, memorie commendantes significamus, quibus expedit tenore presencium universis, quod cum magister Jacobus noster concanonicus, filius quondam comitis Frank de Strigonio, Petrum suum sororium, filium quondam *Bacyn,* civem de eadem, ad nostram legitime citasset presenciam, ad terminum competentem; ipso termino adveniente, utrisque partibus coram nobis comparentibus, predictus magister Jacobus, contra eundem Petrum proposuit in hec verba: quod idem Petrus, *vineam ecclesie sancti Ambrosii,* per nos sibi assignatam detineret occupatam, in ipsius preiudicium et gravamen; prefatus vero Petrus e contrario respondens, ipsam vineam ex ipsius magistri Jacobi collacione ad ipsum asseruit pertinere. Et super eo assumpsit in octavis Epiphanie Domini testes *g*doneos coram nobis producere et litteras exhibere. Cum autem idem terminus advenisset, dictus Petrus produxit testimonium et exhibuit litteras, quibus perspectis in earum tenore predictam vineam, ex nostra collacione, ad prefatum magistrum Jacobum comperimus pertinere. Et quia dicte littere nichil pro ipso Petro, sed pocius pro magistro Jacobo asserebant, et testimonium cum personis, quibus idem Petrus producere debebat, non produxit, idcirco una cum probis viris Petheu judice, et quibusdam juratis de Strigonio, nobiscum assidentibus, testimonium ipsius Petri inconvenienter productum et assercionem suam decrevimus fore inconvenientem, ipsam vineam eidem magistro Jacobo relinquentes, secundum tenorem priorum litterarum nostrarum, exinde confectarum, possidendam; a predicto Petro iusto iudicio eam removendo. In cuius rei testimonium presentes duximus concedendas, nostro sigillo communitas. Datum, feria tercia proxima post octavas Epiphanie Domini, anno eiusdem M° ccc° xxx° primo.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nation. Budapest. Mat. Vet. Collect. Gust. Wenzel.

260.

1331. Avignon. 12. Febr. — Wronino de Suadetz, de canonicatu in ecclesia collegiata S. Martini de Scepus, providetur.

„Johannes episcopus — — — canonicatum ecclesie Sancti Martini Scipisiensis, Strigoniensis diocesis, cum plenitudine iuris canonici, apostolica tibi auctoritate conferimus — — — inhibentes Archiepiscopo Strigoniensi, qui est pro tempore, et dilectis filiis capitulo eiusdem ecclesie — — — ne de huiusmodi prebenda — — — nisi postquam eis constiterit, quod tu — — illam nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant — — — Datum, *Avenione* II. Idus Februarii. Anno Quintodecimo."

Ed. Theiner: Monumenta Hung. Hist. T. I. p. 535.

261.

1331. (Pozsony.) **21. Febr.** — **Capitulum Posoniense, Margaretham, relictam Egidii de Kőrtvélyes, et Nicolaum de Soprony, amicabilem compositionem inter se fecisse testatur.**

A. B. C.

Nos capitulum *ecclesie Posoniensis,* universis quibus expedit presencium significamus per tenorem, quod mulier *Margareta,* relicta Egidii de *Kurthwlyusd,* item Petrus et Andreas filii eiusdem, ad nostram personaliter accedentes presenciam ab una parte; ab altera vero *Nycolaus,* filius Gregorii de *Supronio* similiter in propria persona; eadem mulier Margareta, cum dictis duobus suis filiis Petro videlicet et Andrea, vive vocis oraculo, medietatem possessionis sue similiter Kurthwlyusd vocate, cum omnibus utilitatibus ad dictam medietatem spectantibus, de voluntate omnium suorum proximorum, ut dixerunt cum *Elyzabeth* filia ipsius Margarete, et sorore dictorum puerorum prefato Nicolao sororio ipsorum puerorum, et genero ipsius mulieris Margarete, dederunt, tradiderunt et donarunt possidendam, tenendam pariter et habendam per hunc modum: quod si Deus ipsi Elyzabeth, cum dicto Nicolao heredem, aut heredes ministrabit, extunc dicti heredes ipsam possessionis medietatem iure perpetuo, irrevocabiliter possidebit (sic!); si vero ipsam orbam liberorum, seu heredum solacio decedere contingerit, eo non obstante dictus Nicolaus, filius Gregorii, ad usque suos dies, dictos *pueros, mitis more patris educando, alendo, pariter et fovendo;* et de aliis bonis mobilibus et immobilibus, que forte iuvante Domino successu temporis ambe parcium memoratarum acquirere valebunt, ipse partes videlicet Nicolaus et dicti pueri, equa lance perfruendo possidebunt; sed ipso decedente Nicolao, dicte possessionis medietas in usum dictorum puerorum, Andree videlicet et Petri, iure perpetuo et hereditario possidenda revolvetur. In cuius rei testimonium presentes litteras, vallo nostri sigilli communitas duximus concedendas. Datum, feria quinta proxima ante Dominicam Reminiscere, anno Domini M° CCC° tricesimo primo.

Sigillum e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 10. nr. 19.

262.

1331. (Nyitra.) **23. Febr.** — **Capitulum Nitriense, monasterium S. Benedicti de iuxta Gron, praedium suum Bálvány, castellano Magyar, ad revolutionem duorum annorum, elocasse perhibet.**

Nos Capitulum ecclesie Nitriensis, memorie commendamus, quod religiosus vir dominus frater Syfrydus, abbas monasterii sancti Benedicti de *iuxta Gron* parte ab una, ex altera vero magister Paulus dictus Magyar, castellanus de *Gymes,* coram nobis personaliter constituti, confessi sunt in hunc modum: quod idem dominus abbas, quoddam predium, dicti sui monasterii *Balwan* vocatum, nunc habitatoribus destitutum, quattuor videlicet aratrorum regalis mensure, inter duos rivulos *Vhlapatak,* a parte possessionis *Solmus* et *Debrechepathak* vocatos, a parte possessionis *Vyfalv* decurrentes, situm et habitum, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis, videlicet terris cultis et incultis, silvis, nemoribus, montibus, pratis et pascuis, ad ipsum predium spectantibus, memorato magistro

Paulo Magyar, ad utendum et seminandum populis et iobagionibus de dicta Vyfalu, a data presencium usque revolucionem duorum annorum integrorum, sic ut in quolibet annorum predictorum pro tribus marcis denariorum, in festivitatibus Omnium Sanctorum, tunc affuturorum, per ipsum magistrum Paulum Magyar, vel dictos populos de Vyfalu, sub pena dup*pli*[ci], si aliquem terminum predictorum preterirent in solvendo, coram nobis ipsi domino abbati, vel dicto suo monasterio persolvendo, in feudum locasset et arendasset, et ipso magistro Paulo id benigne acceptante locavit et arendavit, nostri in presencia. Datum, secundo die festi Kathedre beati Petri apostoli, anno Domini M° ccc^mo tricesimo primo.

Extus, manu medii aevi: Balwan. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Mus. Nation. Budapest, Arch. Famil. Forgách. — Cf. et Cod. Dipl. VIII³. p. 560.

263.

1331. Avignon. 1. Mart. — Joannes PP. XXII., universis prelatis Hungariae mandat, ut decimas sexennales, per Clementem V. in concilio Viennensi impositas, Jacobo Berengarii et Raymondo de Bonofato collectoribus, persolvant.

Ed. Theiner: Monumenta Hist. Hung. T. I. p. 536. et sq.

264.

1331. Avignon. 1. Mart. — Jacobo Berengarii et Raymondo de Bonofato, pecunias et bona ecclesiae Strigoniensis, post obitum Boleslai archiepiscopi, tempore vacationis per Varadiensem et Vesprimiensem episcopos administrata et collecta, recipiendi potestas datur.

Ed. Theiner l. c. p. 538.

265.

1331. Eger. 3. Mart. — Chanadinus, archiepiscopus Strigoniensis, grato animo valedicens ecclesiae Agriensi, capitulo eiusdem, quamdam possessionem suam, de patrimonio suo emptionis titulo comparatam, donat.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 542.

266.

1331. Magasvár. 4. Mart. — Elisabetha regina, num tres particulae possessionum Tyukos ad Andream et reliquos nobiles pertineant, nec-ne, per conventum Simigiensem inquiri jubet.

Tenorem vide sub nr. 289.

267.

1331. Magasvár. 4. Mart. — Elisabetha regina, in eadem causa possessionum Tyukos, magistratum comitatus Simigiensis ad inquirendum et referendum provocat.

Seriem vide sub nr. 289.

268.

1331. (Esztergom.) 7. Mart. — Conventus Cruciferorum Strigon., nobilem Mike terram Bél, archiepiscopatui Strigon. donasse, testatur.

Conventus *cruciferorum* domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani de *Strigonio,* omnibus Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Rerum omnium iusto deliberacionis humane mentis acumine dispositarum, firmamentum a posterorum recordacione evanesceret, nisi sagax discretorum providencia scripture remedio nebulose oblivionis caliginem suffocando, supervivencium noticie geste rei veritatem lucidaret. Proinde, ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie volumus pervenire: quod *Myke,* filius Symonis, nobilis de *Beel,* frater Johannis, filii *Apsa,* in nostri presencia personaliter astando, dixit et confessus est, oraculo vive vocis: quod terram Beel predictam, scilicet porcionem predicti Johannis fratris sui et ipsius, in vicinitate et commetaneitate, ex omni parte, terre seu possessionis *ecclesie sancti Adalberti de Strigonio, Sorlow* vocate, in comitatu *Borsiensi* existentem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, ob remedium animarum parentum suorum et ipsius Johannis iam defuncti, necnon pro salute sua dedisse et coram nobis dedit, donavit, statuit et assignavit predicte ecclesie sancti Adalberti, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam; prout eciam dictus Johannes, adhuc vivens, dictam terram totalem dicte ecclesie donare commisisset perpetuo. Ita tamen, quod dominus archyepiscopus, seu prelatus ecclesie sancti Adalberti, quicunque fuerit, ipsum Myke, prout decet, de bonis dicte ecclesie usque suam vitam tenebit et conservabit. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad instanciam parcium predictarum, presentes concessimus litteras privilegiales, pendentis sigilli nostri munimine roboratas et alfabeto intercisas. Datum, feria quinta proxima post Dominicam Oculi mei, anno Domini M° ccc° xxx° primo.

A B. C.

Sigillum e rubro serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Publ. Capsa 14. fasc. 6. nr. 15.

269.

1331. — 16. Mart. — Comitatus Simigiensis, tres particulas possessionum Tyukos, ad Andream et alios nobiles, hereditario jure pertinere, reginae rescribit.

Tenorem vide sub nr. 289.

270.

1331. (Somogyvár.) 20. Mart. — Conventus Simigiensis, quoad possessiones Tyukos, idem ac comitatus sub nr. 269., perhibet.

Seriem vide sub nr. 289.

271.

1331. (Nyitra.) 24. Mart. — Capitulum Nitriense, pro abbate s. Benedicti de juxta Gron, transscribit duo privilegia, super domos et possessiones Szölény et Zengő emanata.

Capitulum ecclesie Nytriensis, omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presens scriptum inspecturis, salutem in largitore salutis. Ad universorum igitur noticiam harum serie volumus pervenire: quod vir religiosus frater *Syffridus abbas* monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gron,* ad nostram accedens personaliter presenciam, exhibuit nobis duo paria privilegiorum, unum videlicet sub nostro maiori sigillo, aliud autem par sub sigillo quondam *Dyonisii* comitis *Borsiensis* confecta, super quibusdam terris seu possessionibus infrascriptis emanata, supplicans cum instancia, ut tenores eorumdem privilegiorum, sub minori sigillo nostro et autentico quo utimur, transscribi ad cautelam et confirmari faceremus. Quorum primi privilegii, videlicet nostri tenor talis est:

Sequitur privil. de a. 1265. ex ipso orig. edit. T. I. p. 522. sub nr. 681. 1265. 5. Jul.

Item secundi privilegii, eiusdem Dyonisii comitis Borsiensis, talis est:

Sequitur privil. de a. 1275 ex orig. edit. T. II. p. 54. nr. 40. 1275.

Nos igitur peticiones dicti domini abbatis considerantes iuri congruas et racioni consentaneas, eisdemque ut tenemur annuentes, dicta privilegia in omni sui parte iuste scripta et emanata inspicientes, tenores eorumdem de verbo ad verbum, sine diminucione vel augmento, presentibus inseri et nostro privilegio presenti confirmari, dictique sigilli nostri appensione minoris et autentici fecimus communiri. Datum, in dominica Ramispalmarum. Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo primo. Magistro *Stephano* lectore ecclesie nostre existente.

Extus manu medii aevi: Super terra ecclesie sancti Benedicti, cum domibus et utilitatibus in Bors habita. Item Zengeu et Zewlen, prope Bars. — Orig. membr., in duob. exempl., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 1. nr. 25. et 26. — Habetur hujus doc. transumptum a Carolo I. rege, ad preces Jacobi prioris et Emerici fratris concessum, literas etiam Stephani V. regis a. 1272. 13. Julii in se continens (Cf. T. I. p. 601. nr. 775.), ast dato carens. Ibidem: sub nr. 21.; a Ludovico I. vero de a. 1347. 28. Julii. — Lad. 40. fasc. 2. nr. 35.

272.

1331. Avignon. 25. Mart. — Joannes PP. XXII., mandat Jacobo Berengarii et Raymondo de Bonofato collectoribus, ut Nicolao quondam electo Strigoniensi, medietatem fructuum collectorum assignent.

„Volentes itaque Venerabili fratri nostro Nicolao Episcopo Agriensi, qui electus eiusdem ecclesie Strigoniensis fuerat, gratiam facere specialem, discretioni vestre — — mandamus, quatenus medietatem fructuum, reddituum et proventuum — qui de tempore vacationis predicte ad manus vestras devenient — eidem Episcopo assignare, libere per eum in usos suos convertendos, — — studeatis — — — — Datum *Avenione,* VIII. Kal. Aprilis. Anno Quintodecimo.

Ed. Theiner: Monumenta Hung. Hist. T. I. p. 540.

273.

1331. (Nyitra.) 27. Mart. — Capitulum Nitriense, terram Kistürnye, metis circumscriptam et capitulo Poson. statutam esse, Carolo I. regi rescribit.

Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, capitulum ecclesie *Nitriensis*, oraciones in Domino tam debitas quam devotas. Litteris vestre excellencie generalibus rehabulatoriis (sic!) pro capitulo ecclesie *Posoniensis,* cum sumpma qua debuit reverencia receptis, ad reambulandam possessionariam eiusdem ecclesie particulam, *iuxta terram castri Posoniensis, Kusthorni* vocatam adiacentem, cum Jacobo de *Kelethy,* homine vestro, discretum virum magistrum Emericum concanonicum nostrum, pro testimonio destinavimus. Qui negocio bene intenti et ad nos reversi concorditer retulerunt: quod die dominica proxime preterita, ad faciem dicte possessionarie particule accedentes, convocatis universis suis commetaneis et vicinis, et specialiter officiale magistri *Nicolai comitis* Posoniensis, de eadem Kusthurne convocato, eandem reambulassent et metis infrascriptis antiquis ac novis, ab eadem possessione Kustherne limitando separasent, nulloque contradictore aparente et ipso magistro Nicolao comite Posoniensi, ac officiale suo predicto consencientibus, eidem ecclesie Posoniensi statuisset, prout ad eandem pertinere dinosscitur, perpetuo possidendam. Cuius quidem mete hoc ordine distinguntur: incipit prima meta ab oriente iuxta quasdam vias, que per modum crucis simul coniunguntur, penes terram *Chanyk* nuncupatam, que habitatoribus caret, ubi sunt due antique mete, iuxta quas erecte sunt due nove mete; abhinc progreditur versus plagam occidentalem, et ulterius eundo est una antiqua meta, penes quam est una nova meta erecta; deinde similiter procedendo, ulterius sunt similiter due mete et una nova, subtus arborem quercinam; abhinc procedendo ulterius simili modo sunt due mete, una antiqua et alia nova, sub quadam arbore quercina; deinde procedendo modo prehabito, sunt due mete, una antiqua et una nova, sub quadam arbore pirus (sic!) silvestre; abhinc eundo ulterius iuxta quendam la*q*um rotundum, sub arbore quercina, est una nova meta; deinde similiter procedendo, due antique mete renovate; abhinc ulterius eundo, similiter subtus unam pirus (sic!) silvestrem est una antiqua meta renovata; item ulterius procedendo, sunt due antique mete renovate; item ulterius eundo, simili modo est una antiqua meta et una renovata; item deinde veniendo ulterius penes ortum ol*l*erum, iuxta fluvium, qui fluit per medium *Chukar* possessionis ecclesie, est una antiqua meta renovata; deinde transsit ipsum fluvium similiter versus occidentem, et ex alia parte eiusdem, valde prope, sunt due mete antique renovate inter dictam villam ecclesie sancti Salvatoris et parvam villam *Thurne*, ad castrum Posoniense pertinentem; item abhinc versus montem ascendendo, in radice montis in extremitatibus cuiusdam nove plantacionis vinearum, sunt due antique mete renovate; deinde flectitur aliquantulum versus septemtrionem et itur super unum monticulum eminenciorem aliis ibidem, in cuius vertice est una antiqua meta renovata; abhinc itur similiter versus septemtrionem, transit vales (sic!) et rubetas et venit ad vineas, quas transit sursum, et in superiori parte quarumdam vinearum, penes viam, per quam vina et uvas deferre tempore vindem*e*arum consueverunt, sunt due antique mete renovate, inter dictam villam ecclesie et parvam villam *Thorne* castri; item abhinc similiter itur sursum in mont*e,* et sic

1331. 24. Mart.

eundo in superiori parte vinearum, sunt due antique mete renovate; deinde reflectitur versus occidentem et facit quendam circulum per quandam viam, ubi solent interdum cum curribus transire, et itur demum ad viam quandam magnam, que transit ad silvas magnas, que licet su*f*iciens foret meta, tamen iuxta eandem sub quadam arbore pirus silvestria (sic!) est una meta antiqua renovata; deinde vadit versus septemtrionem ubique per eandem viam, et sic sicut prius dividit terram ipsius ecclesie prenotate, a terra parva *Thorne,* que est castri; deinde vadit ulterius, super eandem viam simili modo et ulterius eundo, iuxta dictam viam est una antiqua meta renovata; item ulterius eundo similiter est una antiqua meta renovata, subtus arborem *sorbelli;* item eodem modo transiendo, iuxta unam arborem tilie, est una antiqua meta renovata; deinde vadit ulterius, et subtus arborem quandam *w*lgariter *Bigfa* vocatam, est una antiqua meta renovata; abhinc transit per suas metas veteres seu antiquas ad loca remociora, ubi demum finiuntur et terminantur. Datum, feria quarta proxima post dominicam Ramispalmarum, anno Domini M° CCC° XXX° primo.

Extus: Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie illustri, pro capitulo ecclesie Posoniensis reambul[atoria].

Sigillum exter. margini fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa D. fasc. 2. nr. 25.

274.

1331. Avignon. 30. Aprilis. — Jacobo Berengarii, operario monasterii Crassensis, ord. S. Ben., Carcassonensis dioecesis, et Raymondo de Bonofato, rectori oratorii ecclesiae S. Michaelis Lemovicensis dioecesis, mandatur, ut se informent de decimis ecclesiarum Strigoniensis dioecesis et referant.

Ed. Theiner: l. c. T. I. p. 540.

275.

1331. Avignon. 30. Apr. — Eisdem, ut villas, per comitem Scepusiensem datas Carthusiensibus, ab omni iurisdictione exemptas esse declarant.

Ed. Theiner l. c. p. 541.

276.

1331. Avignon. 30. Apr. Joannes PP. XXII., comiti Scepusiensi, ante diem divina celebrari facere, concedit.

Theiner l. c. p. 542.

277.

1331. — 3. Maii. — Elisabetha regina, transscribit et approbat privilegium Caroli I. regis, anno 1326. Stephano castellano de Visegrad, super possessione Nyirmál concessum.

Elyzabeth, Dei gracia regina Hungarie, universis Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Reginalem decet excellenciam, suorum fidelium preces legitimas favorabiliter exaudire et eorum fidelitatibus recensitis, iustis ipsorum peticionibus facilem prebere consensum, in h*y*s precipue, que videntur suorum subditorum co*m*odis utiliter convenire. Proinde ad universorum noticiam, tam presencium quam fut*t*urorum,

harum serie volumus pervenire: quod nobilis vir magister *Stephanus,* castellanus de *Wysegrad,* dilectus et fidelis noster, ad nostram personaliter accedens presenciam, exhibuit nobis privilegium serenissimi principis, domini nostri domini *Karoli,* per eandem incliti regis Hungarie, carissimi consortis nostri, super donacione cuiusdam possessionis, *Nyrmal* vocate, in comitatu *Strigoniensi* existentis confectum, petens nos humili precum instancia, ut ipsum privilegium renovare, ratificare, approbare, nostrisque litteris privilegialibus, de benignitate reginali, confirmare dignaremur. Cuius quidem privilegii tenor talis est:

Sequitur privilegium Caroli I. regis de a. 1326. superius sub nr. 146. ex originali exhibitum. 1326. 30. Aug.

Itaque nos peticionibus eiusdem magistri Stephani iustis, ac iuri consonis, favorabiliter inclinati, revocatisque in memoriam fidelitatum obsequiosis meritis ipsius magistri Stephani, quibus a toto eo tempore, quo dominus noster rex ad serenissimum culmen regiminis Hungarici, volente Domino, accessit gubernandum, unacum eodem domino nostro rege, hoc regnum intrando in legacionibus suis diversis, novem vicibus ad partes ultra marinas destinatus, quo fideliter eo sollerter, negocia ipsius domini nostri regis ibidem promovendo et fidelitatis commendabilem prerogativam pro suis consortibus sorciendo, ipsi regie maiestati et nobis studuit complacere et reddere se graciosum adeo, ut animus ipsius domini regis in serviciis suis, que prolixa ad narrandum et presentibus foret inseri tediosum, mitissime conquievit, volentes pro tot et tantis serviciis eiusdem magistri Stephani reginali eidem occurrere cum favore, predictum privilegium, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte suspectum, presentibus de verbo ad verbum insertum, ratificamus, approbamus, et presentis scripti patrocinio confirmamus. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus litteras privilegiales autentici sigilli nostri dupplis (sic!) munimine roboratas. Datum, per manus venerabilis in Christo patris domini *Herrici,* Dei gracia episcopi Wesprimiensis, aule nostre cancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M ccc xxx primo, quinto nonas Maii.

Fragmen sigilli duplicis e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 29. fasc. 1, nr. 7. — Edid. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. 535.

278.

1331. Visegrád. 3. Maii. — Carolus I. rex, statutionem possessionis Kisturnye, alias Csukárd, capitulo Posoniens. factam, confirmat.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium, quibus expedit, significamus universis: quod cum nos ad instanciam et peticionem honorabilis capituli ecclesie *Posoniensis,* fidelium nostrorum, fidelibus nostris capitulo ecclesie *Nytriensis,* litteris nostris generalibus reambulatoriis graciose eis per nos concessis, ut ipsi mitterent suum hominem ydoneum pro testimonio, quo presente Jacobus de *Kelethy,* homo noster, accederet ad faciem particule possessionarie iuxta terram castri Posoniensis adiacentis, *Kusthorny* vocate, vicinisque et commetaneis eiusdem convocatis reambularet ipsam, per veras metas et antiquas, ubi necesse foret iuxta veteres novas metas erigendo, separaret et distingueret a possessionibus aliorum, eandemque eo iure et eo titulo,

quo ipsius ecclesie et capituli Posoniensis fuisse dignoscitur, relinqueret eidem ecclesie et capitulo perpetuo possidendam, si non fieret contradictum; contradictoribus, si qui fierent, contra idem capitulum ad nostram presenciam ad terminum competentem legitime evocatis, dedissemus in mandatis. Tandem iidem fideles nostri, capitulum videlicet Nytriensis, ecclesie nobis rescripserunt in hec verba:

1331.
Tenor literarum superius sub nr. 273. ex ipso orig. edito omnino consons. 27. Mart.

Nos siquidem ex relacione predictorum capituli Nitriensis, fidelium nostrorum, sic lucide informati, cognoscentes prefatam possessionariam particulam iuxta terram castri Posoniensis, Kusthorne vocatam habitam, ad ipsam ecclesiam et capitulum Posoniense de iure pertinere, eo quod tam in ereccione metarum, quam in statucione eiusdem particule possessionis ipsi ecclesie et capitulo Posoniensi facta, nullius contradiccio obviavit, eandem possessionariam terre particulam, sub metis et terminis prescriptis, eatenus quatenus primitus ad ipsam ecclesiam et capitulum Posoniense pertinuisse dinoscitur, eisdem perpetuo possidere, tenere et habere confirmamus, promittentes ut dum presentes nobis fuerint reportate, in formam privilegii nostri redigi faciemus. Datum, in *Wyssegrad*, in festo Invencionis Sancte Crucis, anno Domini M° ccc° xxx^mo primo.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa D. fasc. 2. nr. 23. et 24.

279.

1331. (Esztergom.) 8. Maii. — Magistratus Strigon., comitem Egidium de Bajon, Berchtoldo medico regis, vineam Borkúta, quinquaginta marcis vendidisse testatur.

Edid. Cod. Andegav. T. II. p. 528.

280.

1331. — 11. Maii. — Fr. Joannes, abbas B. Mariae Virg. de Scepus contestat, quod Jacobus et Hank, filii Arnoldi, nobiles de Gargou, una cum famulo suo dicto Both, feria VI., proxima post festum Ascensionis Domini, clara die, ad domum magistri Christophori lectoris, armata manu intravissent et eum interfecissent.

Ed. Wagner: Anacleta Scepus. T. I. p. 316. — Fejér: Cod. Dipl. VIII². p. 554.

281.

1331. (Esztergom.) 14. Maii. — Capitulum Strigoniense, ad mandatum Caroli I. regis, pro Michaele, praeposito monasterii S. Reg. Stephani de Bozók, populos de Mizmenelő, de Palast et de Zalatna, ab usu et utilitatum perceptione possessionis monasterii Zamar; item eosdem, ac populos de Domanig theutonicali et de Némethi, ab usu possessionis Tót-Domanig, prohibuissent.

Ed. Cod. Andegav. T. II. p. 534.

282.

1331. (Nyitra.) 6. Junii. — Capitulum Nitriense, Carolo I. regi, seriem inquisitionis, contra Nicolaum dictum Csuka, vicecomitem Nitriensem, in facto potentiali in familiares praepositi de Turocz patrato, rescribit.

Ed. Cod. Andegav. T. II. p. 538.

283.

1331. Visegrád. 15. Jun. — Carolus I. rex, capitulo Strigon. mandat, ut metam antiquam terrae Kovácsi, ad monasterium de iuxta Gron pertinentis, per comitem Petrum propria auctoritate eversam, restituet.

Seriem vide in nr. 284. subsequenti.

284.

1331. (Esztergom.) 26. Jun. — Capitulum Strigon., Carolo I. regi rescribit, se metam terrae Kovácsi restituisse, et com. Petrum ab usurpatione illius prohibuisse.

Excellentissimo domino suo K.(arolo), Dei gracia illustri regi Hungarie, capitulum ecclesie *Strigoniensis*, oraciones in Domino debitas et devotas. Celsitudini vestre presentibus declaramus, quod litteras vestras prohibicionales, pro religioso viro domino fratre Seyffrido abbate monasterii sancti Benedicti de *iuxta Goron* et suo conventu, per religiosum virum fratrem Jacobum, eiusdem monasterii *prepositum,* nobis exhibitas, reverenter recepimus in hec verba: *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo ecclesie Strigoniensis salutem et graciam. Dicitur nobis in personis religiosorum virorum Seyffridi abbatis et conventus monasterii sancti Benedicti de Goron, quod comes Petrus, frater *Bors de Palast*, unam metam principalem, que a tempore fundacionis eiusdem monasterii semper illesa et intacta permansisset, sua propria auctoritate, tempore *Mathei de Trinchinio* et ipsius potencie, per famulos et iobagiones suos de *villa Nemchen* subfodiendo ac sulkando (sic!) demoliri et destrui fecisset, et magnam terre quantitatem, intra eandem metam habitam, ad possessionem ipsius monasterii sancti Benedicti, *Koachy* vocatam, pertinentem, potencialiter excisam et abstractam, ad antedictam possessionem suam *Nemchen* occupando applicasset, et applicatam detineret, fructus et utilitates ipsius percipiendo, in grande preiudicium predicti monasterii et gravamen. Quare fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus ad videndum predicta, scilicet metam destructam et terram occupatam, vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente Chepan de *Baluan*, vel Benedictus de eadem, aut Dyonisius de *Hymd,* aliis absentibus homo noster, ad faciem predicte particule terre occupate, ubi supradicta meta ab antiquo semper fuisse dicitur, nunc vero destructa, vicinis et commetaneis eiusdem universis inibi legittime convocatis accedendo, prohibeat eundem comitem Petrum, famulos et iobagiones suos universos de supradicta Nemchen, auctoritate nostra regia, ab ulteriori prenominate particule excise et abstracte occupacione et detencione, usuum fructuum et utilitatum eiusdem percepcione, consuetudine regni nostri id requirente; et posthec tocius facti seriem nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Wyssegrad,* in die sancti Viti martiris, anno Domini millesimo CCC⁰ XXX⁰ primo. 1331. 15. Jun.

Nos igitur mandatis vestre serenitatis obtemperare cupientes, cum predicto *Chepan de Balwan,* homine vestro, Stephanum sacerdotem de choro nostro, iuxta vestrum preceptum hominem nostrum, ad faciendum prohibicionem infrascriptam pro testimonio destinavimus. Tandem iidem ad nos reversi nobis concorditer retulerunt: quod feria sexta proxima ante festum Nativitatis beati Johannis Baptiste, proxime preteritum, ad faciem 1331. 21. Jun.

particule terre, per comitem Petrum de Palast a possessione monasterii sancti Benedicti, Koachy vocata, tempore Mathei de Trinchinio et ipsius potencie excise et abstracte, ubi meta eiusdem monasterii ab antiquo semper fuerat, ut superius in vestris literis declaratur, vicinis et commetaneis predicte ville Koachy universis inibi legittime convocatis accedentes, prefatum comitem Petrum, famulos et iobagiones suos universos de sepedicta Nemchen, ab occupacione et detencione memorate particule terre, indebita usuum, fructuum et quarumlibet utilitatum percepcione violenta, auctoritate vestra regia prohibuissent. Sepe recitate vero mete destructionem et prehabite terre occupacionem violentam, se vidisse asseruerunt fide oculata. Datum, feria quarta proxima post predictum festum Nativitatis beati Johannis Baptiste, anno Domini prenotato.

Extus: Domino regi, pro domino fratre Syffrido abate monasterii Sancti Benedicti de iuxta Goron et suo conventu, contra comitem Petrum fratrem Bors de Palast, famulos et iobagiones suos universos de Nemchen, super principalis mete destruccione et particula terre excise et abstracte, ad possessionem eiusdem monasterii Koachy vocata pertinente, prohibitoria.

Sigillum margini exter. fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 2. fasc. 1. nr. 6.

285.

1331. (Esztergom.) 13. Jul. — Magistratus Strigon., Stephanum civem Strigon., magistro Thoma, castellano de Csókakő et Gesztes, palatium suum Zenye palotája dictum, cessisse ac vendidisse testatur.

Edid. Cod. Andegav. T. II. p. 541.

286.

1331. Esztergom. 26. Julii. — Nuntii apostolici et collectores Joannis PP. XXII., necnon Chanadinus archieppus clerum, Hungariae pro tractanda mandata apostolica, in octavis festi S. Stephani regis, Budam congregatos esse volunt.

Jacobus Berengari, *operarius monasterii Crassensis* et *Raimundus de Bonofato,* rector ecclesie oratorii sancti *Michaelis,* Carcassonensis et Lemovicensis diocesium, sedisque apostolice nuncii et collectores, ad regnum Vngarie destinati; necnon *Chanedinus,* Dei et apostolice sedis gracia *archiepiscopus Strigoniensis:* Reverendis in Christo patribus, ac venerabilibus et discretis viris dominis episcopis, electis abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archidiaconis, plebanis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis et rectoribus, capitulis quoque, collegiis seu conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, Cartusiensis, Vallis Umbrose Camaldulensis, Sanctorum Benedicti et Augustini et aliorum ordinum, ceterisque personis ecclesiasticis, tam secularibus quam regularibus, exemptis et non exemptis, Sancti Johannis Jerosolimitani, Beate Marie Teutonicorum, Calatravensis et higlliatorum (sic!) magistris, prioribus et preceptoribus, eorumque loca tenentibus, in *Strigoniensi provincia* constitutis, et omnibus aliis, aliis et singulis, quorum interest et ad quos presentes littere pervenerint, et eorum cuilibet, salutem et mandatis nostris, *y*mo verius apostolicis, firmiter cum debita reverencia obedire. Reverendam paternitatem et discrecionem vestram volumus non latere, *y*mo ad ipsius noticiam produci cordialiter affectamus, nos nuncios et collectores predictos, de expresso sedis apo-

stolice mandato, super nonnullis levandis decimis, ac beneficiorum vacancium reservatoribus, et aliis certis causis arduis, ceterisque negociis, tam sanctissimi patris et domini nostri, domini *Johannis,* divina providencia pape XXII-di, et eius camere, ac sancte Romane ecclesie, quam ecclesiarum, diocesium utrarum tociusque cleri et regni reformacionem, utilitatem et honorem contingentibus, cum certis eiusdem domini pape rescriptis, munimentis et litteris eius veris, bullis plumbeis communitis, de quibus nisi obstarent viarum discrimina et alia imminerent pericula, vel una cum presentibus fieret prompta fides nuper ad ipsum regnum Vngarie declinasse. Ad quorum omnium expedicionem, ac sedis apostolice beneplacitum adimplendum, sine nostro consilio, favore et presencia comode procedere non valemus. Cum itaque expediat, et ex nobis potestate a dicta sede apostolica plenius atributa, spectet ad vos et vestrum quemlibet, super expediendis prudenter et celeriter negociis supradictis recurrere, et si necesse fuerit vos ad eandem hortari, compellere censura ecclesiastica et monicione; si tamen, quod absit, voluntatem . . . . . duceretis aliquathenus obviandum; deliberavimus, favente tamen illustricimo principe domino *Carolo,* Vngarie rege, quem eciam expedit et sibi placet, super predictis interponere partes suas, ipsum vosque et nos simul ad certum diem et locum, super execucione dictorum mandatorum apostolicorum uberius facienda, personaliter ac unanimiter convocare et eciam agregare sit. Quod annuente Domino, ut veri filii obediencie, obtatum dicte sedis apostolice pro viribus impleamus, et de negligencia redargui, sed pocius de solercia commendari, nullathenus debeamus. Eapropter paternitatem et discrecionem vestram et vestrum quorumlibet, auctoritate apostolica supradicta hortamur in domino, et attente requirimus et monemus semel, secundo, tercio et peremptorie, ac in virtute sancte obediencie, et sub excommunicacionis pena precipimus et mandamus, quatenus *die octava Sancti Regis Stephani,* proxime subsequentis, apud *Budam* una nobiscum velitis et placeat interesse; ad quos, diem et locum, personaliter vos citamus tractaturi nobiscum et expedituri, quod nobis et vobis dicta duxit sedes apostolica, per suas litteras iniungenda. Que autem illa sint, nobis ibidem liquide apparebit et fiet lacius copia de eisdem, sciturі: Quod nisi predicta ad effectum producere vos et quisquam vestrum curaveritis, super prefatis negociis et contra vos si expedit procedetur, et fiet quod iusticia suadebit, vestri contumacia seu absencia non obstante. 1331. 27. Aug.

Demum nos *Chamedinus* (sic!), archiepiscopus Strigoniensis, prefatus, predictis omnibus adherentes, presertim cum ipsa mandata apostolica plene nostris occulis subiecta extiterint, sintque nonnulle ardue, sanctissime et processus, per nostras civitates et dioceses publicandi, et tot et tanta alia, quibus habemus non modicum reveri, et que nobis et vobis, domini suffraganei nostri, efficaciter diriguntur, celeri effectui mancipanda, quantum in nobis est, possumus et debemus; tam dicta auctoritate apostolica, quam nostra metropolitica, paternitatem hortamur et primo, secundo, tercio et peremptorie requirimus et monemus, quatenus mandato predictorum dominorum nunciorum, ymo verius apostolico et nostro, benigne parentes, velitis ad locum et diem prefixos superius, personaliter comparere; et nichilominus, auctoritate vestra ordinaria, electos abbates, priores, decanos, prepositos, archidiaconos, plebanos, archipresbiteros, et alios superius nominatos, prout vobis in vestris diocesibus et iurisdiccioni vestre

ordinarie subesse noveritis, et tam exemptos eciam, quam alios non exemptos, monere eciam personaliter et citare, ut ad dictos diem et locum nobiscum comparere procurent, facturi quod super predictis fuerit, racionis precaventes si placet; ne propter nostri et vestri deffectum, ipsa sancta sedes, contra nos aliquathenus indignetur, nec pretextu eorumdem ipsi domini nuncii et nobis, contra vos habeatis materiam procedendi. Diem autem et formam citacionum predictarum et quicquid (expunct.: autem) super predictis respondendum et aliter agendum, vos et ipsi duxeritis nobis et dictis nunciis, per vestras litteras sigillis vestris munitas, vel alias legitime intimare procuretis. In quorum omnium testimonium et certitudinem pleniorem, nos nuncii et collectores, ac archiepiscopus prefati, sigilla nostra presentibus litteris apponi fecimus et appendi. Actum et datum *Strigonii*, in domo archiepiscopali, XXVI die mensis Julii, anno a Nativitate Christi Millesimo trecentesimo tricesimo primo, indiccione XIIII, pontificatus dicti domini nostri pape anno XVI.

Tria sigilla e zona membr. pendebant. — Orig. membr., in Arch. Cap. Vesprimien. Priv. Lad. 4. Szaladiens. cottus decim.

287.

1331. (Szepeshely.) 27. Julii. — Capitulum Scepusiense, controversiam de metis, inter Matheum, filium Jekkel de Gilnicz, ac religiosos fratres Carthus. de Lapide Refugii, pacifice compositam esse, testatur.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 555.

288.

1331. Visegrád. 27. Julii. — Carolus I. rex, magistro Thomae, castellano de Csókakő et Gesztes, palatium Zenye palotája dictum, quod a comite Stephano cive Strig. emerat, eidem ex parte quoque sua confert.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes significamus tenore presencium, quibus expedit universis: quod comite *Stephano,* fratre Colomani, cive de *Strigonio* ab una, magistro *Thoma,* filio Petri Magni, castellano de *Chokakw* et de *Geztus,* fidelibus nostris, parte ab altera, coram nobis propriis eorum in personis constitutis, idem comes Stephanus dixit et confessus est coram nobis, oraculo vive vocis, quoddam pallacium suum, olim *Zenie Palataya* vocatum, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis universis, in medio civitatis nostre Strigoniensis, prope locum fori, iuxta parvum Danubium, in vicinitate domorum Petri carnificis, dicti Wkur, a parte septemtrionali, et Jekkul fili Ludueg a parte meridionali existentes et habitum, quondam per magistrum *Vgrinum* filium *Pous,* comiti *Waltero,* quondam rectori *novi montis* Pestiensis, pro debito quadraginta tunellarum vini, ac viginti quinque marcarum fini argenti, ordine iudiciario iure (sic!) et legitimę devolutum, et per duos discretos viros, scilicet canonicos et socios honorabilis *capituli* ecclesie *Strigoniensis,* de mandato et precepto serenissimi principis domini *Ladizlai,* quondam incliti regis Hungarie, felicis recordacionis, progenitoris nostri, ad manus eiusdem comitis Walteri legittime, nullo contradicente assignatum, prout in privilegialibus litteris iamdicti capituli,

feria sexta proxima ante festum Omnium Sanctorum, anno Domini M° cc° septuagesimo tercio emanatis, plenius vidimus contineri; et postmodum de eodem comite Waltero ad manus nostras devolutum, per nosque sibi pro meritoriis suis serviciis datum perpetuo et collatum, et per comitem Pethew, quondam iudicem Strigoniensem, hominem nostrum, coram testimonio conventus cruciferorum sancti regis Stephani de *Strigonio*, ad scitum eiusdem capituli Strigoniensis, nullo penitus contradicente, *y*mo ipso capitulo permittente et consenciente statutum, seu assignatum palam et manifeste, secundum quod in privilegialibus litteris nostris anno Domini M° ccc° tricesimo, tercio Nonas Maii confectis, lucidissime vidimus contineri; preterea per comitem Stephanum, filium predicti comitis Walteri, tum racione proximitatis, quod quia prefatus comes Stephanus, frater Colomanni, ex parte nobilis domine et honeste, Anna vocate, filie comitis Nicolai, filii Rubini civis Strigoniensis, consortis sue, annexus extitit; tum eciam pro quinquaginta marcis, plene eidem Stephano, filio comitis Walteri persolutis, haduc (sic!) sibi donatum, datum et venditum, prout in privilegialibus litteris predicti conventus cruciferorum et civitatis Strigoniensis, in dominica Judica me, anno preterito confectis, plenissime vidimus contineri, de bona voluntate et permissione Pauli et Andre filiorum suorum et domine Anne predicte consortis sue, ac domine Clare consortis Georgii, filii Rubini, filie sue, necnon Ladizlai et Colom*a*ni, filiorum prefati Colom*a*ni fratris sui, ac omnium cognatorum, proximorum, seu vicinorum suorum, superius nominatorum, penitus nullo contradicente, pro centum marcis *grossorum Bohemicalium* et latorum Wyennensium, coram nobis plene et in toto persolutis, vendidisse, tradidisse et assignasse, sicut eciam vendidit et tradidit, de beneplacito nostre maiestatis et permissione, prefato magistro Thome, filio Petri Magni, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendum, tenendum pariter et habendum. Privilegia vero, nostrum et prenominate civitatis Strigoniensis, item predictorum capituli et conventus cruciferorum de Strigonio, ad manus eiusdem magistri Thome, in nostri presencia statuit, dedit et assignavit, maiorem ad cautelam. Obligavit se idem comes Stephanus, frater Colom*a*ni, quod si aliquas litteras, super predicto pallacio suo, apud se in fraudem reservasset quovis colore, et processu temporum, quod absit, in lucem per eundem, vel per alios exhiberentur, easdem cassas esse reliquit et inanes, penitus viribus firmitatis carituras. Nosque, fidelitatibus et fidelium serviciorum meritis multimodis et preclaris, sepedicti magistri Thome, regie retribucione condignis, nostre serenitati propensius exhibitis, occurrere cupientes regio cum favore, prenominatum pallacium, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis universis, nomine quovis vocitatis, quantum ad nostram collacionem pertinebat, magistro Thome, filio Petri predicto dilecto et fideli nostro, perpetuo dedimus, donavimus et contulimus possidendum, tenendum pariter et habendum. Datum in *Wyssegrad*, in quindenis beate Margarete virginis et martiris, anno Domini M ccc tricesimo primo.

1273. 27. Oct.

1330. 5. Maii.

1330. 25. Mart.

Extus manu medii aevi: Super palacio Zenia palataya vocato, prope locum fori in Strigonio, per Thomam, filium Petri, precio emptum. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 2640. (Vet. sign.: N. R. Act. fasc. 536. nr. 1.)

289.

1331. — 3. Aug. — Elisabetha regina, e literis conventus Simigien. et comitatus Simig. eatenus informata, tres particulas possessionum Tyukos, Andreae de Fehéregyház et cognatis suis, remittit.

Elysabeth, Dei gracia regina Hungarie, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presens scriptum intuentibus, salutem in largitore salutis. Reginalem decet excellenciam, suorum fidelium preces legitimas favorabiliter exaudire et eorum querimoniis, ac iustis peticionibus recensitis, ad conservanda ipsorum iura, facilem prebere consensum et hȳs presertim, que rite videntur suorum subditorum commodis convenire. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod Andreas, filius Pauli de *Feyreghaz* suo, et eiusdem Pauli patris sui, ac Georgii fratris sui nomine, et Michael, filius Johannis dicti *Zeuke*, pro se et pro Petro fratre suo, ac *Guege*, filius Teodorȳ, pro se similiter et pro Petro fratre suo, ad nostre maiestatis accedentes presenciam, verbis querelosis nobis intimare curarunt: quod tres particule possessionum *Tyukus* vocatarum, in comitatu Symigȳensi, licet diversis metis distincte, tamen in una continuacione existentes, ipsorum essent et fuissent hereditarie, et nunc per nostros officiales, nomine possessionum nostrarum reginalium, forent impedite. Verum, quia super facto ipsarum particularium possessionum, si ad nostram spectent excellenciam, vel ad nobiles prenotatos, nobis veritas non constabat, fidelibus nostris *conventui* monasterii *sancti Egydii de Somugwar*, et iudicibus nobilium, ac universis nobilibus eiusdem comitatus, nostris litteris dedimus in mandatis, ut idem conventus unum ex ipsis pro testimonio transmitterent fidedignum, quo presente Petrus de *Kyuskomard*, vel Johannes, filius Gregorii, de *Horuathkuth*, altero absente homo noster, facta diligenti inquisicione, ab omnibus hominibus sciret et inquireret omnimodam veritatem, utrum predicte particule possessionum ad reginalem excellenciam, aut ad predictos nobiles de iure pertinuerint; et modo simili prefati iudices nobilium, necnon ceteri nobiles eiusdem comitatus Symigȳensis, scita huius rei veritate super facto predictarum possessionum, iuxta fidem et fidelitatem ipsorum, nobis rescriberent veritatem. Qui quidem fideles nostri, conventus scilicet Symigȳensis, nobis rescripserunt in hec verba:

Excellentissime domine eorum Elysabet, Dei gracia regine Hungarie, conventus monasterii sancti Egydii de Symigio, oraciones in Domino assiduas, debitas et devotas. Litteras vestre excellencie noveritis recepisse in hec verba:

Elysabeth, Dei gracia regina Hungarie, fidelibus suis conventui monasterii de *Somugwar*, salutem et graciam. Ex conquestione Andree, filii Pauli; Michaelis filii Johannis dicti *Zeuke*; item Guege et aliorum filiorum Teodorȳ, datur nobis intelligere, quod tres particule possessionum *Tyukus* vocatarum, in comitatu Symigȳensi in una continuacione, sed diversis metis separate existentes, que nunc nomine possessionum ad nos pertinencium sunt impedite, ipsorum essent hereditarie et ad ipsos iure hereditario pertinuissent ab antiquo, cuius memoria non extaret. Quam ob rem fidelitati vestre precipientes damus firmiter in mandatis, quatenus unum ex vobis trasmittatis fidedignum, coram quo Petrus de *Kyuskomard*, vel Johannes filius Gregorii de *Horuathkuth*, altero absente homo noster, accedendo ad partes illas, facta diligenti inquisicione ab omnibus quibus decebit, sciat et inquirat omnimodam veritatem, utrum predicte particule pos-

sessionum ad predictos nobiles iure hereditario pertinuerint, vel ad reginalem excellenciam spectent nec-ne; et post hec, prout vobis veritas constiterit, de premissis nobis fideliter rescribatis. Datum, *in alto castro,* feria secunda proxima post dominicam Oculi mei, anno Domini M° CCC° XXX° primo. 1331. 4. Mart.

Nos itaque, preceptis et mandatis vestre excellencie in omnibus satisfacere et obedire cupientes, cum predicto Petro de *Kyuskomard*, homine vestro, fratrem Adrianum, unum ex nobis, misimus pro testimonio fidedignum. Qui demum ad nos reversi, nobis consona voce retulerunt: quod sabbato proximo ante dominicam Iudica me, a quibus decuit et licuit indagata et investigata veritate, diligentissime inquirendo scivissent: quod prememorate tres particule possessionum nobilibus supradictis, hereditario iure pertinerent, et pertinuissent a tempore sancti regis; et nullo unquam tempore ad reginalem excellenciam, prout memorie constaret, spectassent. Datum, feria quarta proxima ante dominicam Ramispalmarum, anno Domini M° CCC° XXX° primo. 1331. 16. Mart. 1331. 20. Mart.

Iudices vero nobilium, et universi nobiles de eodem comitatu Symigyensi, nobis suas litteras sub sigillo ipsorum iudicum confectas, super eisdem particulis possessionum destinarunt, hunc tenorem continentes:

Excellentissime domine eorum *Elysabet*, Dei gracia regine Hungarie, Leustachius de Kara, Gregorius de *Feyreghaz*, Paulus, filius Andree, et *Arach de Varda,* iudices nobilium comitatus Symigyensis, item Petrus et Nicolaus filii *Trepk,* Phylippus filius *Iconye,* Johannes filius Dominici, magister *Gaal, Gebeth de Hetis,* magister Petrus filius *Ders*, Petrus dictus *Thuz*, Johannes filius Gregorii de *Huruathkuth,* Johannes filius Nicolai et Petrus de *Bothyan,* ac alii nobiles de eodem comitatu, fidelitatis obsequium. Litteras vestre excellencie noveritis recepisse in hec verba:

Elysabet, Dei gracia regina Hungarie, fidelibus suis Leustachio de *Kara,* Gregorio *Orrus,* dicto de *Feyreghaz,* Paulo filio Andree de eadem, et Arach de *Warda,* iudicibus nobilium, ac aliis universis nobilibus de comitatu Symigyensi, salutem et graciam. Dicunt nobis Andreas filius Pauli, Michael filius Johannis dicti *Zeuke,* item Guege et alii filii Teodory: quod tres particule possessionum *Tyukus* vocatarum, in comitatu Symigyensi in una continuacione, sed diversis metis separate existentes, que nunc nomine possessionum ad nos pertinencium sunt impedite, ipsorum essent hereditarie et ad ipsos iure hereditario pertinuissent ab antiquo, cuius memoria non extaret. Quamobrem fidelitati vestre universitatis precipientes damus firmiter in mandatis, quatenus facta diligenti inquisicione, ab omnibus hominibus ecclesiasticis scilicet et secularibus, quibus decens fuerit, sciatis et inquiratis, iuxta fidelitatem vestram et fidem Deo et nobis debitam, omnimodam veritatem: utrum predicte tres particule possessionum *Tyukus* vocate, ad predictos nobiles iure hereditario pertinuerint ab antiquo nec-ne, vel ad reginalem excellenciam spectare de iure dignoscantur. Et post hec, prout vobis veritas constiterit, de premissis ad eandem fidem et fidelitatem vestram, qua Deo et nobis tenemini, sub sigillis vestris autenticis, vel sub sigillo conventus Symigyensis, nobis fideliter rescribatis; secus non facturi, sicut nostram graciam caram habetis. Datum, in *alto castro,* secunda feria proxima post dominicam Oculi mei, anno Domini M° ccc° xxx° primo. 1331. 4. Mart.

Nos igitur quia vestris mandatis et preceptis in omnibus satisfacere et obedire debemus, (sic) ut tenemur, indagata et investigata veritate ab universis ecclesiasticis hominibus et secularibus, a quibus decuit et licuit, fide et fidelitate nostra Deo et vobis debita, diligentissime inquirendo scivimus: quod prememorate tres particule possessionum, *Tyukus* vocate, nobilibus supradictis, a tempore sancti regis hereditario iure pertinuissent seu pertinerent; et, ut memorie constaret, nunquam spectassent ad reginalem maiestatem. Datum, sabbato proximo ante dominicam Judica, anno Domini M° ccc° xxx° primo. 1331. 16. Mart.

Nos siquidem, prout de benignitate solita reginali quoslibet subditos fideles nostros, et maxime nobiles, in eorum iuribus confovere debemus et indempniter conservare, ex relacione predictorum fidelium nostrorum conventus Symigyensis et nobilium eiusdem comitatus, prenotatas tres particulas possessionum, *Tyukus* vocatas, ad prefatos nobiles de iure pertinere considerantes, tenores predictarum litterarum conventus et nobilium, superius nominatorum, de verbo ad verbum, ad maiorem rei evidenciam presentibus inseri faciendo, prelibatas tres particulas possessionum, *Tyukus* nominatas, sepedictis nobilibus Paulo, scilicet filio Andree, Georgio et Andree filiis eiusdem, Michaeli et Petro filiis Johannis *Zeuke* dicti, Guege et Petro filiis Teodori, ac eorum posteritatibus, eo iure quo hactenus possedisse dignoscuntur, de baronum nostrorum consilio, remisimus et restituimus pacifice perhempniter possidendas, sine preiudicio iuris alieni. In cuius restitucionis testimonium et memoriam perpetuam, presentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum, per manus venerabilis patris domini *Herrici,* episcopi Wesprimiensis, aule nostre cancellarii, fidelis nostri, anno Domini M° ccc° xxx^mo primo, tercio Nonas Augusti.

Extus manu medii aevi: Super facto possessionis *Tykws* per preceptoriam Elizabeth regine (expunct.: metas). — Sigillum detritum et mutilum e rubro, albo et viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 26. fasc. 6. nr. 7.

290.

1331. Visegrád. 21. Sept. — Elisabeth regina, abbatissam et conventum sanctimonialium de Apácza-Somlyó, in suam recepit protectionem, et easdem, vice personae suae, Chanadino archiepiscopo Strigoniensi, compatri suo, committit defensandos.

Ed. Cod. Andeg. T. II. p. 549.

291.

1331. Esztergom. 12. Oct. — Magister Petrus archidiaconus, generalis vicarius Chanadini archiepiscopi, partes super patronatu ecclesiae de Vereb litigantes, ad instrumentorum suorum exhibitionem stringit, Petrumque, filium Stephani, in iudicio lingue remansum esse testatur.

Ed. Cod. Andegav. T. II. p. 567.

292.

1331. (Esztergom.) 13. Oct. — Conventus Cruciferorum Strigon. dominam *Cyne,* relictam Lamberti, portiones suas in Család, Pécsfüze et Bileg, archiepiscopo Strigon. donasse testatur,

Conventus *cruciferorum,* domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani, de *Strigonio,* omnibus Christi fidelibus, presentem paginam intuentibus, salutem in eo, qui est omnium vera salus. In humane devocionis providencia, in divine pietatis conspectu exuberaciorem fecunditatem ea, que divinis usibus applicantur, temporaliter, [in etern]a recompensacione consequi dinoscuntur. Dum enim ipsa domus oracionis Crucifixi flagranciori karitate cernitur terrenis bonis predotantur, largitorum [excessus et] crimina pie imploracionis suffragio, ab ipso rerum opifice mitigantur. Proinde igitur ad universorum, tam presencium quam futurorum, noti[ciam harum seri]e volumus pervenire: quod nobilis domina *Cyne* nuncupata, filia *Moyus de Berench,* relicta *Lamperti,* filii *Vythalus,* ad nostram [propria] in persona accedens presenciam, cupiens per sancte contemplacionis desiderium mundane felicitatis bravium in sempiterne salutis premium [commutar]e, ut pro terrenis celestia, pro transitoriis eterna, in superne civitatis Irhusalem (sic!) habitaculo, ubi nec langor, nec senium, nec dolus, nec [tenor ho]stium, sed perpetue tranquilitatis et eterne iocunditatis viget solacium, consequi mereretur ewangelice veritatis sequens doctrinam, facu[ltate ter]renorum derelicta, in ususque salutares applicata, vestigia conditoris secuta, centupli doni, eterneque vite possessionis mercede ane[lans r]efici, ad *monasterium beati* et gloriosi martiris *Adalberti,* pre ceteris regni ecclesiis specialem habendo devocionem, ut ipsius suffragiorum meritis, in consorcio fidelium eterne beatitudinis ianuam introire digna computaretur; quasdam possessiones, seu possessionarias porciones suas in *Chalad, lapideam ecclesiam ad honorem Matris Misericordie fabricatam,* in se habente, in *Peethkfyuze,* in *Bylegh,* ac quandam particulam de terra Bylegh, que alio nomine *Bathafeulde* dicitur, ex quibus aliqua racione emende *homicidii Nicolai* filii sui, aliquam vero iusto titulo ad ipsum maritum suum devolutam, seu devolutas, in comitatu Borsiensi existentes, racione dotis sue et rerum suarum parafornalium, recto iuris tramite sibi provenientes et se contingentes, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis quibuslibet, sub antiquis metis suis et terminorum distinccionibus, pro sue et prefati *Lamperti,* karissimi consortis sui, nec non parentum, sobolum et heredum suorum remedio salutis, ob spem divine remuneracionis, ipsi monasterio beati Adalberti *Strigoniensi,* et per ipsum domino *Chanadino,* Dei et apostolica gracia *archiepiscopo Strigoniensi,* locique eiusdem comiti perpetuo, ac archiepiscopatui monasterii prelibati dedisse, donasse et legasse est confessa; ymo dedit, donavit et contulit coram nobis, perpetuo possidendas, tenendas irretractabiliter (sic!) et habendas. Nulli a modo fratrum, proximorum, propaginum, seu heredum, neque sibi ipsi in dictis possessionariis porcionibus relinquens et reservans, in posterum, ius dominii seu proprietatis aliquale, totalem earumdem iurisdicionis proprietatem in dictum monasterium, ut in legitimum successorem et in heredem in Christo adoptivum, absque omni contradiccionis obstaculo transferendo. Ad cuius rei firmiorem stabilitatem, perpetuamque vigorositatem, presentes concessimus litteras nostras, partibus presentibus, privilegiales, pendentis sigilli nostri munimine roboratas et alfabeto intercisas. Datum, in quindenis beati Mychaelis archangeli, anno Domini myllesimo ccc° xxx° primo.

Extus manu medii aevi: Super porcionibus possessionariis in possessione Chalad, Peethkfyze, in Bylegh, ac super quadam particula terre in terra Bylegh. — Et alia manus adnot.: que alio nomine Bathafeude dicitur. — Originale per medium exustum est; aliud tamen

par, quod literis incisis, in fine signatum est, in modica solum parte exarsit, sicque textus ex utroque bene combinari potuit. — Sigillum in primo exemplari e rubro, in secundo autem e rubro et viridi serico pendet. — In Arch. Primat. Secul. Lad. A. nr. 37. — Edid. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. 551.

293.

1331. (Esztergom.) 19. Oct. — Magistratus Strigon., Andream Capo, domos suos Stephano castellano de Csókakő, vendidisse testatur.

Edid. Cod. Andegav. T. II. p. 569.

294.

1331. Avignon. 22. Nov. — Joannes PP. XXII., Chanadino archiepiscopo Strigoniensi concedit, ut confessor semel eum, a sententiis canonicis, absolvere possit.

Ed. Theiner: Monumenta Hung. Hist. T. I. p. 545.

295.

1331. Avignon. 1. Dec. — Joannes PP. XXII., bona alienata archiepiscopatus Strigon., per episcopum Vesprimiensem, revocari jubet.

Johannes, episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri . . . *episcopo Vesprimiensi,* salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod tam venerabilis frater noster *Chenadinus, archiepiscopus Strigoniensis,* quam predecessores sui archiepiscopi Strigonienses, qui fuerunt pro tempore, decimas, terras, domos, vineas, possessiones, villas, redditus, census, prata, pascua, nemora, molendina, iura, iurisdicciones et quedam alia bona, ad mensam suam archiepiscopalem spectancia, datis super hoc litteris, confectis exinde publicis instrumentis, interpositis iuramentis, factis renunciationibus et penis adiectis, in gravem eiusdem mense lesionem, nonnullis clericis et laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, et aliis perpetuo ad firmam, vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicuntur super hys confirmacionis litteras in forma communi a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest super hoc de oportuno remedio providere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ea, que de bonis predicte mense per concessiones huiusmodi alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, renuntiationibus, iuramentis, penis et confirmationibus supradictis, ad ius et proprietatem eiusdem mense legitime revocare procures. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum *Auinione,* Kalendis Decembris, pontificatus nostri anno sexto decimo.

Bulla e cannabi pendet. — Orig. in Arch. Cap. Strigon. Priv. Ladula 44. fasc. 2. nr. 2. — Hoc idem mandatur et episcopo Agriensi tenore omnino simili. Ibidem. nr. 1.; et a. 1333. 3. Jul. archiepiscopo Colocensi. Ibidem. Lad. 49. fasc. 1. nr. 13.

296.

1331. — — Capitulum Agriense testamentum Ladislai, quondam praepositi majoris ecclesiae Strigon., transscribit.

Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presens scriptum inspecturis, capitulum ecclesie Agriensis, salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire: quod discretus vir et honestus, magister Petrus archydiaconus de Sombon et concanonicus noster, ac cancellarius venerabilis in Christo patris domini *Cha(nadini),* Dei et apostolica gracia archyepiscopi sancte *Strigoniensis* ecclesie, locique eiusdem comitis perpetui, necnon canonicus eiusdem ecclesie Strigoniensis, pro se et pro honorabili capitulo prefate ecclesie Strigoniensis, ad nostram personaliter accedendo personaliter accedendo (sic!) presenciam, exh*y*buit nobis quasdam litteras patentes, super facto testandi *L.*(adislai), quondam prepositi prenotate ecclesie Strigoniensis, bone memorie, per eundem L. prepositum in eulogio ultime sue voluntatis conditi et ordinati, confectas, petens nos suo et nomine dicti capituli cum instancia, ut totam seriem earumdem nostro inseri faceremus privilegio. Quarum quidem tenor talis est:

Sequitur testamentum Ladislai praepositi a. 1277. conditum, et ex hoc ipso transsumpto edit. T. II. p. 71. nr. 54. 1277. 3. Mart.

Nos igitur legitimis peticionibus eiusdem capituli Strigoniensis et iusticie annuentes, dictas literas, per prefatum magistrum Petrum, modo prémisso nobis exh*y*bitas, in nulla sui parte viciatas, de verbo ad verbum rescribi facientes, nostro presenti inseri fecimus privilegio. In cuius rei testimonium, perpetuamque firmitatem presentes contulimus litteras, s*y*gilli nostri pendentis munimine roboratas. Presentibus tamen Petro preposito, Nicolao lectore, Martino cantore, Johanne custode, dominis Dominico de Wyvar, Petro de Zemlyn, Laurencio de Kemey, item prelibato Petro de Sombon, David de Zobouch, Georgio de Maramoros archydiaconis et aliis multis. Anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo primo. Regnante *Karolo* illustri rege Hungarie, *Chanadyno* Strigoniensi, Lad(islao) Colocensi archiepiscopis, et domino nostro venerabili patre *Nicolao,* Dei et apostolica gracia episcopo Agriensi, existentibus.

Sigillum e flavo serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 19. fasc. 1. nr. 8.

297.

1332. Tessin. 12. Febr. — Prothus, praepositus de Domo Dei, seu Czarnowasensis, iurisdictionem parochiarum Podolin, Gnézda et Lublo, contra archiepiscopum Strigoniensem et praepositum Scepusiensem, episcopo Cracoviensi adiudicat.

Edid. Piekosiński: Kodeks Dyplomat. Katedry Krakowskiej S. Waclawa. Mon. Polon. Med. Aevi. T. I. p. 190 et sq. — Wagner: Analecta Scepus. P. III. p. 24 et squ. — Commem. paucis Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 638 et sq. Habetur copia, huius litis, per Jacobum Blassinszky, lectorem capit. Cracoviens., ex libro privilegiorum capit. eccl. Cracov. desumpta et transscripta, in consistorio collacionata a. 1648, in Arch. Primat. Eccl. Vet. nr. 58.

298.

1332. Avignon. 24. Febr. — Cum magistro Andrea de Eugubio physico dispensatur, ne ad sacros ordines se facere promoveri, usque ad triennium teneatur.

„Carissimi in Christo filii nostri, Caroli Regis Ungarie Illustris, pro te phisico suo nobis — supplicantis — — — tecum, ut dicti Regis obsequiis insistendo, ratione plebanatus plebis de *Potock, Strigoniensis diocesis,* cui cura imminet animarum, quemque obtines, usque ad triennium ad diaconatus et presbiteratus ordines promoveri, dummodo infra annum te facias, si forsitan nondum es promotus, ad subdiaconatus ordinem promoveri, quodque ad residendum interim in plebe predicta minime tenearis, — — — de speciali gratia dispensamus. Datum *Avenione*, VII. Id. Marcii. Anno Sextodecimo."

Ed. Theiner: Monumenta Hung. Hist. T. I. p. 547.

299.

1332. (Pozsony.) 1. Mart. — Capitulum Posoniense, Joannem de Körtvélyes, tertiam partem possessionis suae, Thomae consobrino suo donasse, perhibet.

Universis Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, capitulum *ecclesie Posoniensis* salutem, in eo qui salutis est origo. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie volumus pervenire: quod Johannes, filius *Hencz* nobilis dicti de *Kurthuelyus,* personaliter coram nobis constitutus, ministerio vive vocis, terciam partem possessionis sue hereditarie, similiter *Kurthuelyus* vocate, Thome filio *Chathov,* qui eciam presencialiter aderat, consubrino suo et proximo sibi dilecto, tamdiu donec sibi, videlicet Thome, vita socia permanebit, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis dicte tercie partis ipsius possessionis dedit, tradidit et donavit, irrevocabiliter possidendam, pacifice et quiete tenendam, pariter et habendam. Que quidem tercia pars ipsius possessionis sic, racione proximitatis, per ipsum Johannem, dicto Thome data, pariter et donata si, quod absit, ipsum Thomam mori contingerit, eidem Johanni iure perpetuo possidenda revolvetur. In cuius rei memoriam et maiorem firmitatem presentes, nostro sigillo consignando, eidem Thome duximus concedendas. Datum, in Dominica Esto mihi, anno Domini M° CCC° tricesimo secundo.

A. B. C.

Sigillum e serico albo pendet. — Orig. membran., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 10. nr. 20.

300.

1332. Esztergom. 8. Mart. — Magistratus civitatis Strigon., Berchtoldum medicum regis, magistro Thomae, castellano de Csókakő et Gesztes, vineam Borkút vocatam vendidisse testatur.

Edid. Cod. Andegav. T. II. p. 581 et sq.

301.

1332. (Esztergom.) 8. Mart. — Magistratus civit. Strigon., recapitulans totam seriem facti, magistrum Berchtoldum, vineam suam a Carolo I. rege ei donatam, magistro Thomae vendidisse, testatur.

Comes *Nicolaus*, filius Balduini iudex, comes Stephanus filius Godini, comes Nicolaus filius Michaelis, magister Georgius filius Rubini, Stephanus filius Gilethii, magister Thomas filius Kunchel, Stephanus filius Hermany, magister Anda, comes Valentinus, Stephanus filius Hurricy et comes Stephanus filius Nigram (sic!) iurati, ceterique cives de Strigonio, omnibus Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in salutis largitore. Quia res gesta labitur a memoria, quam non serenat lucida series litterarum, proinde ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie volumus pervenire: quod vir providus et honestus, magister *Perettoldus*, ciroicus excellentissimi domini nostri regis *Karoli*, noster socius et concivis, domina Elisabeth consors sua, Johannes uterque et Nicolaus, filii eiusdem, ab una parte: ac vir nobilis et honestus magister Thomas, filius Petri, castellanus de *Chokakeu* et de *Kezthes* ex altera, coram nobis personaliter constituti, ydem magister Perettoldus, domina consors sua et filii sui predicti exhibuerunt nobis quasdam litteras privilegiales, sigillo nostro duplici sigillatas, hunc tenorem continentes:

Comes *Petheu* iudex civitatis, comes Gehan filius Mauricii, comes Nicolaus filius Michaelis, comes St(ephanus) filius Godini, Nicolaus filius Baldini, St(ephanus) filius Gilethii, magister Thomas filius Kunchel, Stephanus filius Hermani, comes Valentinus, Georgius filius Robini, St(ephanus) filius Hurnici, magister Anda mercator, et Stephanus filius Nigram iurati, ceterique cives de Strigonio, universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie volumus pervenire: quod providus vir et honestus magister Perettoldus, medicus excellentissimi principis domini nostri *Karoli*, Dei gracia regis Hungarie, ad nostram accedendo personaliter presenciam, exibuit nobis quasdam litteras clausas eiusdem domini nostri regis, sub sigillo anuleo sub hac forma:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fideli suo *Petheu* iudici, iuratis civibus et universis hospitibus *de Strigonio*, salutem et graciam. Fidelitati vestre firmiter precipiendo damus in mandatis, quatenus super possessionibus, quas magistro Perettoldo, medico nostro fideli, in medio vestri dedimus et contulimus, scilicet fundo curie pallacii, seu domibus, vineis vel aliis utilitatibus, eidem magistro Perettoldo litteras vestras privilegiales, scilicet litteras civitatis dare et conferre debeatis, et eidem in omnibus iusticiam, prout decet concivi vestro, observetis; aliud nullatenus facere presummatis. Item volumus, quod eciam alteram vineam, sibi attinentem, que nondum est sibi statuta, eidem statuatis. Datum, *in alto castro*, in dominica proxima post festum beati Barnabe apostoli, anno Domini millesimo CCC° tricesimo. 1330. 17. Jun.

Exibuit eciam litteras privilegiales, dicti domini nostri regis, hunc tenorem continentes:

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Salernitanus et Honoris, montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Ad hoc celsitudini

regie a Domino gladius est collatus, ut benemeritis digna rependat premia, et malemeritis ulciscatur. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod quia Petrus, filius Martiny, *a via fidelitatis nobis et sacre corone* regie debita divertendo, quosdam adversos processus contra nostram maiestatem, non atendens, quod qui naturali domino resistere moliuntur, divinis disposicionibus manifeste viderentur obviare; olym videlicet, *mortuo* quondam wenerabili patre domino Thoma archiepiscopo Strigoniensi, existendo in *castro Strigoniensi*, et reverenciam nobis debitam, non curans exibere, committere non formidavit, nos attendentes, quod publice utilitatis intersit, ne crimina maneant inpunita, et ne per inpunitatis audaciam aliis presumptoribus similia facti perversitas transeat in exsemplum, eundem Petrum, qui licet pretextu dicte cuiusdam contumacie sue, multa peyora a nobis meruisset, tamen severitate pietatem per moderamen misericordie preferentes, quodedam (sic!) pallacio suo et fundo curie, in civitate Strigoniensi habito, vineisque et aliis ad dictum pallacium pertinentibus, de consilio baranum (sic!) nostrorum, duximus spoliandum. Quod quidem pallacium, cum fundo et vineis, ac aliis suis utilitatibus, ab eodem Petro velud malemerito et suis heredibus, sicut tunc, sic et nunc auferentes, consideratis fidelitatibus et fidelium serviciorum meritis, magna laude dignis, magistri Perettoldy, fidelis cyrodici nostri, quibus idem nobis continuis laboribus in ferventi fidelitate studuit complacere et se redere graciosum, quorum consideracione, quamvis a nobis multo plura mereretur tamen in aliqualem in (sic!) recompensacionem suorum fidelium obsequiorum, eidem magistro Perettoldo, item Johanni et alteri Johanni, ac Nicolao, filiis suis, eorumdemque heredibus, de consilio prelatorum et baronum regni nostri infrascriptorum dedimus, donavimus et contulimus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendum, tenendum et habendum. Donacionem, si quam de eodem pallacio, seu fundo et vineis, ac aliis utilitatibus suis cuicunque vel quibuscunque fecissemus revocantes, litteras quoque sive privilegia quodcumque et qualescunque, ac quorumcunque exinde confectas cassantes, et de regie potestatis plenitudine reddentes penitus et per omnia deinceps viribus carituras. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, duplicis sigilli nostri novi et autentici munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Endre*, Albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini Millesimo CCC° XXX°; quarto Idus Juni, regni autem nostri anno similiter tricesimo. Venerabilibus in Christo patribus et dominis, *Strigoniensi sede vacante*, fratre Ladislao archiepiscopo Colocensi, aule nostre cancellario; Benedicto Chanadiensi, Nicolao Jauriensi, Georgio Sirmiensi, fratre Petro Boznensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Andrea Transsiluano, Chanad (sic!) Agriensi, Herrico Wesprimiensi, Ladislao Zagrabiensi, Mescone Nitriensi, Andrea Varadiensi et fratre Rodolfo Vaciensi episcopis, ecclisias Dei fideliter (sic!) gubernantibus. Magnificis baronibus Johanne palatino; Demetrio magistro tovarnicorum nostrorum et comite Trinciniensi; Th.(oma) woyuoda Transsiluano et comite de Zonuk; Mych bano tocius Sclauonie; Johanne bano de Macho, et comite Syrmiensi, de Volko, de Bodruk et de Barania; Paulo iudice curie nostre; Dyoniosio dapiferorum et St(ephano) agazonum nostrorum magistris; Nicolao comite Posoniensi, et aliis quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores.

1330. 10. Jun.

Nos vero, visis et perlectis dictis litteris clausis, nobis destinatis, et privilegii antedicti tenore intellecto, in omnibus preceptis et mandatis eiusdem domini nostri regis obedire cupientes, ut tenemur, tandem predictarum litterarum clausarum et privilegialium, domini nostri regis memorati, tenorem nostris litteris privilegialibus, de verbo ad verbum, inseri fecimus diligenter, et pallacium ac domos, cum fundo curie in medio nostri existentes, simul cum vineys in *territorio Strigoniensi* existentibus, olym Petri filii Martiny, iuxta donacionem eiusdem domini nostri regis, et secundum libertatem civitatis ab antiquo constitutam, in manus prefati magistri Perettoldi, medici domini nostri regis, duximus statuendas. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem presentes concessimus duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in octavis sancti regis Ladislai, anno Domini M° ccc° xxx^mo. 1330. 4. Julii.

Hoc eciam declaramus, et per presentes volumus fieri manifestum: quod eodem die et termino, quo predicte littere privilegiales, per magistrum Perettoldum et suos, nobis fuerunt exibite seu presentate, modo superius prenotato, ydem magister Perettoldus, domina consors sua et filii sui superius expressi seu nominati, similiter coram nobis astantes propris (sic!) in personis, quandam vineam ipsorum, *Burkuth* vocatam, ex donacione domini nostri regis *Karoli* ipsi magistro Perettoldo datam et donatam, in territorio Strigoniensi, videlicet *in terra Strigoniensis ecclesie capituli* sitam, retro *ecclesiam sancti Dominici* confessoris, in vicinitate vinearum comitis St(ephani), filii Nigram, a parte septemtrionis, et magistri Gehan pistoris, a placa (sic!) orientis existentem et contiguam, cum omnibus utilitatibus ad eandem pertinentibus, de bona voluntate et ex permissione vicinorum suorum superius expressorum, dixerunt, aseruerunt et confessi sunt, oraculo vive vocis, dedisse seu vendidisse, prefato nobili viro, magistro Thome, similiter coram nobis personaliter astanti, centum marcis grossorum denariorum, plene habitis et receptis ab eodem, et per ipsum magistrum Thomam suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam, nec non pariter et habendam, contradictore nullo penitus aparente, seu existente nostri in presencia. Et quia predictum privilegium, per magistrum Perettoldum nobis presentatum, ceteras alias possessiones; videlicet domos et pallacium, ac fundum curie, per dominum regem sibi datas et donatas, in se continebat, pro quo predictas litteras ad manus Thome asignare nequivisset, ne ipsis domibus et pallacio magister Perettoldus, et sui filii privarentur, tenorem earumdem presentibus litteris privilegialibus inseri fecerunt pro eodem, maiorem ad cautelam. Insuper predictus magister Perettoldus et sui filii, superius expressi ac nominati, tam per se quam per suos firmiter et solempniter asumpserunt, ut si qui ullo umquam tempore predictum nobilem virum, magistrum Thomam et suos heredes seu successores, racione premisse vinee inquietare et molestare volentibus, expedire et liberare ipsorum laboribus propriis et expensis. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad instantes peticiones parcium premissarum, presentes concessimus, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in dominica Invocavit, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo secundo.

Extus manu medii aevi: Super vinea de Strigonio, quam a Perihtoldo cirolico, pro centum marcis comparavi — que vinea *Burkuth* vocatur. — Sigillum e flavo et rubro serico pendebat. — Orig. in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 69. fasc. 15. nr. 9.

302.

1332. Visegrád. 15. Mart. — Carolus I. rex, transcribit et confirmat privilegia a sanctis regibus ecclesie Strigon. concessa.

Nos Karolus, Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes significamus tenore presencium, quibus expedit universis: quod venerabilis in Christo pater, dominus *Chanadinus,* eadem gracia *archiepiscopus Strigoniensis,* eiusdemque loci[1] comes perpetuus, dilectus et fidelis noster, ad nostre maiestatis accedens presenciam, exhibuit nobis quoddam privilegium serenissimi principis domini *Bele,* incliti quondam regis Hungarie, felicis memorie predecessoris nostri carissimi, tenoris infrascripti, petivitque nos cum instancia, ut visis ipsius continentiis et cognita eius veritate, ad firmiorem cautelam nostris litteris patentibus, *eo quod adhuc aliud par ipsius sigilli nostri, quo uti debemus,*[2] *non extitit publicatum,* ratificare seu confirmare, de regie pietatis clementia dignaremur. Cuius tenor talis est:

Sequitur privilegium Belae IV. regis, privilegta antiqua eccl. Strig. confirm. a. 1256. emanatum et. T. I. p. 436. nr. 571. ex hoc ipso transsumpto editum. 1256. 16. Dec.

Nos igitur, iustis ac legitimis[3] peticionibus prefati domini archiepiscopi Strigoniensis favorabiliter inclinati, attendentes, quod iusta et modesta peticio auribus regie benignitatis displicere non debet, ymo pocius ad exaudicionis graciam admitti meretur, predicti privilegii tenorem et eius continencias, utique valere cognosscentes, de verbo ad verbum presentibus transscribi facientes, uberiorem ad cautelam, nostro consensu adhibito eatenus, quatenus tenor dicti privilegii vigorem firmitatis habere dinosscitur, testimonio presencium duximus confirmandam; promittentes eidem, ut dum presentes nobis fuerint reportate, in formam privilegii nostri redigi faciemus. Datum, in *Vysagrad* (sic!), in dominica Reminiscere, anno Domini M° CCC° XXX° II.

Duo origin. membr. supersunt, utrobique sigillum ab extus appressum fuit; sub quo in exemplari altero sequentia adnotantur: Relacio Thome woyuode et propria commissio regis, coram Barronibus et archiepiscopo Colocensi. — In alt. exempl.: [1] locique eiusdem; [2] solemus; [3] modestis. — In Arch. Primat. Secul. Lad. A. nr. 4—5.

303.

1332. Visegrád. 15. Mart. — Carolus I. rex, ad preces Chanadini archiepiscopi, transscribit modo ut supra, duas privilegiales literas Belae IV. regis, unam de decimis in Puchruch, alteram de illis camerae de ultra Drava, ad jus archiepiscopatus Strigoniensis pertinentibus, illudque confirmat.

Sequuntur literae Belae IV. regis a. 1256. emanatae, ex ipsis originalibus T. I. p. 438—439. et sub nr. 572. et 573. editae. 1256. 16. Dec.

In dorso hujus transsumpti vestigium sigilli cum hac inscriptione:

Relacio Thome woyvode et propria regis commissio, coram Barronibus et Colocensi archiepiscopo.

Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. B. nr. 3. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII[3]. 573.

304.

1332. Visegrád. 15. Mart. — Carolus I. rex, ad preces Chanadini archiepiscopi Strigoniensis, transscribit et approbat literas Stephani V. regis, super decimas de ultra Dravam, ad jus archiepiscopatus pertinentes, Lorando bano perpetuum imponentes silentium.

Sequitur privilegium Stephani V. regis de a. 1272. ex ipso originali editum T. I. p. 595. nr. 767. 1272. 29. Mart.

Sigillum appressum fuit, sub quo iam detrito, sequentia leguntur:

Commissio specialis regis, coram Colocensi archiepiscopo et barronibus, et eciam relacio Woyvode.

Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. B. nr. 4.

305.

1332. (Pozsony.) 21. Apr. — Capitulum Nitriense, Dominicum de Uzur, contra alienationem portionum in Csölle, Récse et Uzur, protestationem interposuisse testatur.

Nos capitulum ecclesie Nitriensis, tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod *Dominicus,* filius Petri de Vzur, comitatus Posoniensis, coram nobis personaliter constitutus, nomine proprio et vice ac nomine *Luka,* fratris sui, comitem *Andream* de *Churle,* eiusdem comitatus, proximum suum, quem esse dixit *infirmitate prepediente* quodammodo *a sua mente alienum,* ne aliquid de suis possessionibus in *Churle,* in *Reche* et in *Vzur,* iure hereditario ipsum tangentibus, quantum in ipso est, cuiquam vendere, locare aut qualitercunque aliter possit alienare, vel valeat, presencium testimonio prohibuit, coram nobis. Datum, tercio die festi Passce domini, anno eiusdem M° ccc° xxx° secundo.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 7. fasc. 1. nr. 6.

306.

1332. Esztergom. 26. Apr. — Chanadinus archiepiscopus, quartas decimarum frugum, a capitulo Posoniensi ex certis districtibus ab antiquo perceptas, eidem capitulo denuo concedit.

Nos *Chanadinus,* Dei et apostolica gracia *archiepiscopus Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, universis Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presens scriptum inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod honorabilis vir dominus Thomas vicarius et vicepreposítus, ac canonicus ecclesie *Posoniensis,* una cum discretis viris *Tyboldo,* Paulo de *Wienna* et *Ivanka* magistris, necnon Petro plebano, canonicys dicte ecclesie Posoniensis, et pro toto collegio eiusdem ecclesie, ad nostre paternitatis accedentes personaliter presenciam, nobis querulose proposuerunt in hunc modum: quod quarte decimarum nostrarum frugum et apum, necnon agnellorum et edorum (sic!), ad districtus castrorum, videlicet de *Stompha,* de *Deuen,* de *Bozin* et de *Sancto Georgio;* item villarum de *Reche,* de *Prachan,* et de *Iuany;* item de *Sancto Andrea,* de *Palazoukuz,* et de *Ilka,* necnon villarum *Pruk, Eburharth* et de *Wilk* in *Colloukuz* existentes habitarum, ipsorum essent et continuis temporibus predecessorum nostrorum archiepiscoporum, usque ad hoc temporis (sic!) pacifice et quiete percepissent et nunc perciperent. Nunc autem, decimatores nostri, in aliqua parte dictarum quarta-

rum suarum indebite perturbarent et de eisdem pro se ipsis usurparent. Super quo nostre paternitati humiliter et devote, precum cum instancia, supplicarunt, ut eisdem et ecclesie eorum cum paternali remedio occurrere intenderemus et prenominatis quartis ipsorum cum paternali favore confirmare dignaremur. Et quia nostre paternitati de prenominatis quartis et magistratus veritas non constabat, venerabilem in Christo patrem dominum *Nicolaum*, eadem gracia *episcopum Agriensem*, quondam prepositum predicte ecclesie Posoniensis, requisitum habuissemus, utrum tempore sue prepositure, cum in eadem ecclesia presedisset, dictas quartas ipsi canonici possidendo percepissent, vel ne, nostram paternitatem per suam conscienciam, Deo debitam, informaret. Per cuius veridica informacione, necnon eciam per plebanos et rectores ecclesiarum, ad predicta castra pertinentes percepimus, ut a multis temporibus, cuius memoria distaret eisdem, ipsas quartas idem canonici et capitulum pacifice possedissent et percepissent et multociens ab ipsis canonicys, pro sumpma quantitatis pecunie conduxissent. Unde cum nos habita huiusmodi veritate, super premissis quartis et sufficienter approbatis, supplicacionibusque predictorum dominorum canonicorum, tamquam membro ecclesie nostre, paternaliter inclinati, prout nostre incumbit officio pastorali, prenominatas quartas, ad districtus castrorum, scilicet de Stompha, de Deuen, de Bozin, de Sancto Georgio; item villarum de Reche, de Prachan, et de Juany; item de Sancto Andrea de Palazoukuz, ac de Ilka; necnon villarum de Pruk, Eburhart et de Wilk, in maiori et minori comitatus Posoniensis existenses, eisdem cum universis suis iuribus et pertinenciis, ac utilitatibus earumdem, de novo paternaliter duximus confirmandas et patrocinio litterarum nostrarum roborandas; committentes nostris decimatoribus, nunc pro tempore constitutis, vel in futurum constituendis, ut quartas prefatarum decimarum nostrarum, ipsum capitulum tangentes, ipsis et eorum procuratoribus plene et integre dare et exigere permittant; qui si secus facerent in premissis, indignacionem omnipotentis Dei, beatorumque Petri et (expunct.: apostoli) Pauli apostolorum, necnon beatissimi Adalberti martiris, (expunct.: patroni) nostri, incurrant eo facto. In cuius rei testimonium presentes concessimus cum pendenti sigillo nostro munimine roboratas. Datum *Strigonii*, tercio die festi beati Georgii martiris, anno Domini M° CCC^mo XXX^mo secundo.

Sigillum e viridi serico pendebat. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 67. fasc. 6. nr. 21. — Attentione dignum est, in literis his, formulam execrationis papalem occurrere.

307.

1332. (Esztergom.) 1. Maii. — Conventus Cruciferorum de Strigonio, transscribit literas super possessione Zalazsony.

Nos conventus *cruciferorum*, domus hospitalis ecclesie sancti Stephani regis *de Strigonio*, significamus tenore presencium, quibus expedit universis: quod *Demetrius*, *decanus* ecclesie *Strigoniensis*, vice et nomine capituli ecclesie predicte, ad nostram personaliter accedens presenciam, exhibuit nobis quasdam literas nostras priori et antiquo sigillo nostro consignatas, super terra *Zalasun* confectas, petens a nobis cum instancia, ut easdem nostro privilegio novo, propter sigilli vetustatem, renovare dignaremur. Quarum tenor talis est:

Sequitur privil. sine anno emanat. ex ipso orig. edit. T. II. p. 473. Nr. 488. —

Nos igitur, attendentes peticionem predicti decani esse iustam et modestam, dictasque nostras litteras veras et iustas, nec in aliqua sui parte viciatas, de verbo ad verbum rescribi facientes, auctoritate novi sigilli nostri duximus renovandas. Datum, in octavis beati Georgii martiris, anno Domini M° ccc° xxx° secundo.

Sigillum e zona membr. pendet. — Orig. in Arch. Capit. Strigon., Priv. Lad. 38. fasc. 1. nr. 5. a).

308.

1332. (Esztergom) 1. Maii. — Conventus Cruciferorum de Strigonio, metas possessionum Gyerk et Pereszlény reambulatas esse perhibet. —

Nos frater *Jacobus* magister et universi fratres cruciferorum, ecclesie sancti St(ephani) regis *de Strigonio,* significamus tenore presencium, quibus expedit universis: quod, cum nos iuxta preceptum litteratorium domini nostri regis, ad reambulandum metas inter terras *Gereky* et *Perezlen,* cum magistro Thoma *aule iuvene* regie, nostrum hominem pro testimonio, videlicet fratrem Paulum transsmisissemus, dixerunt tandem ad nos reversi: quod presentibus universis vicinis, et presente magistro, Nicolao comite *Hutensi,* iuxta formam litterarum predictarum taliter reambulassent metas possessionum predictarum, quod incepissent primo in quadam valle, a parte septemtrionis, ubi tenerent metas cum *preposito de Saagh* in una meta terrea, et veniret directe per vallem, parum inclinando ad sinistram, ad litus *aque Ipul* et ibi transissysset (sic!) Ipul ad partem meridionalem, ad arbores magnas, quas uterque populus predictarum villarum, Perezlen et Gereky, pro metis colebant; et deinde veniendo per distincciones terrarum arabilium *Mege* dictas, ubi invenissent in spinis unam metam destructam, quam renovare voluissent, dicendo, quod semper inter se ita fuisset, et sic *per continuos meatus spinarum et veprum, que Mege dicitur,* inter terras ipsas dictarum villarum et circumflexisset se post modum ad partem ocidentalem, et venisset ad *Nepberegh,* quod nemus vocatur, et per ipsum nemus veniret ad flumen Ipul et cadendo ad aquam in angulo transiret aquam ad partem occidentalem, et veniret per flumen *Sniche* usque ad metas terre *Tompa,* et ibi in nemore iuxta terram Tompa exiret ad terras arabiles, et sic veniret ad metas in montibus, que sunt eiusdem ville Gereky. Et nulla contradiccione, cuilibet suum ius relinquendo, recessissent. Datum, in octavis beati Georgii martiris, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ secundo.

Sigillum integrum e rubro serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 19. fasc. 1. nr. 13.

309.

1332. Esztergom. 29. Maii. — Petrus archidiaconus et generalis vicarius Chanadini archiepiscopi Strig., causam super patronatu ecclesiae de Vereb, ex mandato archiepiscopi, ad novum terminum prorogat.

Ed. Cod. Andegav. T. II. p. 599.

310.

1332. — 14. Jun. — Carolus I. rex, transscribit et confirmat Belae IV. regis privilegium, super immunitatibus ecclesie Strigoniensis.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes significamus, tenore presencium, quibus expedit universis: quod venerabilis in Christo pater dominus *Chanadinus,* eadem gracia *archiepiscopus Strigoniensis, compater noster* dilectus et fidelis, ad nostre serenitatis accedens presenciam, exhibuit nobis quonddam (sic!) privilegium domini *Bele,* quondam illustris regis Hungarie, super graciis et libertatibus dicte ecclesie Strigoniensis concessum et emanatum, petens nos, ut ipsum privilegium ad maiorem sui iuris conservacionem, de verbo ad verbum rescribi faciendo, de ben*i*volencia regia, ad tocius iuris ipsius ecclesie et libertatis conservacionem, in eodem habite, nostris litteris patentibus, de benignitate regia, confirmare dignaremur. Cuius quidem privilegii tenor talis est:

Sequitur privil. Belae IV. regis de. a. 1262. in quo immunitates eccl. Strig. enumerat et confirmat, quodque pro originali privilegio valere deputat; ex ipso orig. edit. T. I. p. 473. nr. 618. 1262. 28. Oct.

Nos igitur peticionibus ipsius domini archiepiscopi favorabiliter inclinati, predictum privilegium, simul cum graciis et libertatibus in eodem contentis, presentibus nostris litteris patentibus, perpetuo valere confirmamus. Datum, in octavis festi Pentecostes, anno Domini M° CCC° XXX^mo II°.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 47. fasc. 1. nr. 10. — *Ibidem* in transsumpto Sigismundi regis de anno 1418. sub: nr. 24. et 26. — Imo transscribit hoc privilegium, ad preces Thomae lectoris eccl. Titeliensis et praepositi Strigoniensis, anno 1357. 1. Jul. Conventus de Ságh; hoc vero transsumptum iterum transscripsit a. 1368. 27. Mart. capitulum Budense. — Orig. membr., cum sigillo e serico rubicundo dependente, *ibidem* Lad. 47. fasc. 1. nr. 15. — Cf. et Fejér: Cod. Dipl. VIII.[4] p. 82.

311.

1332. Visegrád. 14. Jun. — Carolus I. rex, magistro Thomae castellano de Csókakő et Gesztes, vineam Borkút, a Berchtoldo medico suo emptam, ex parte etiam sua donat et confirmat.

[N]os *Karolus*, Dei gracia rex Hungarie, tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod magistro Prehtoldo, *cyrogico* (sic!) nostro fideli, pro se et pro domina Elizabet consorte sua, cum sufficienti procuratorio, item Johanne et altero Johanne, ac Nicolao filiis suis ab una; item magistro Thoma, filio Petri Magni, castellano nostro de *Chokakw* et de *Geztus*, familiari nobis et fideli, parte ab altera; coram nobis personaliter constitutis: idem magister Prehtoldus, suo et dicte domine consortis eius nomine et vice, ac predicti filii sui, confessi sunt oraculo vive vocis: quod quandam vineam ipsorum, *Burkwth* vocatam, in *territorio Strigoniensi,* retro ecclesiam sancti Dominici confessoris, in facie terre capituli ecclesie Strigoniensis existentem, a parte orientis vinee magistri Gehan pistoris, a parte quidem septemtrionis vinee comitis Stephani, filii Nigram, civis Strigoniensis vicinantem, per nos sibi scilicet magistro Prehtoldo et filiis suis, pro meritoriis eiusdem obsequiis perpetuo, vigore privilegii nostri, collatam; post ipsamque nostram collacionem, a comite *Egidio de Boyon,* et domina Eli-

zabet, consorte ipsius Egidii, ac Katherina filia eiusdem, in eadem ius sibi vendicantibus, per eundem ad uberiorem cautelam precio comparatam, sicut hec, videlicet dictam nostram collacionem in ipso nostro privilegio, vendicionem et empcionem premissam in litteris iudicis, iuratorum et universorum civium civitatis Strigoniensis, nobis exhibitis, vidimus contineri, cum omnibus suis utilitatibus, pertinenciis et integritatibus, quibus ipsa per priores possessores suos et per eundem magistrum Prehtoldum habita extitit et possessa, eidem magistro Thome, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, pro centum marcis denariorum grossorum Bohemicalium vendidissent, vendideruntque ex nostro beneplacito, consensu et permissione, dictis quoque vicinis suis permittentibus, coram nobis, perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam, nil sibi et eorum posteris ex eadem reservando. Et quia dictum privilegium nostrum, collacionem ipsius vinee, dicto magistro Prehtoldo et dictis filiis suis factam continens, eo quod in eodem plures donaciones nostre sibi facte habentur, ad manus dicti magistri Thome nequierunt assignare, ideo assumpserunt et se, ac ipsorum heredes firmiter obligarunt, quod ipsum magistrum Thomam et suos heredes, ab omnibus impetitoribus, si qui temporis in processu, racione dicte vinee fierent contra ipsum magistrum Thomam, vel suos heredes, ipsi et eorum heredes deberent et tenerentur expedire, propriis laboribus et expensis; dictas quidem litteras ipsius civitatis, predictam ipsius vinee vendicionem et empcionem continentes, ad manus eiusdem magistri Thome assignarunt; cuius quidem vinee empcionem nos ratam habentes, de regie potestatis plenitudine eidem magistro Thome et suis heredibus perpetuo valere et inviolabiliter permanere, mox actoritate (sic!) presencium duximus confirmandum; *y*mo si qui*d* titulus huiusmodi empcionis dicte vinee, dicto magistro Thome et suis heredibus ad inviolabilem perpetuitatem minus expleret, nos ex nostra donacione regia, si in quantum ad nostram collacionem pertinere dinoscitur, adimplemus; presentes autem in formam privilegii nostri redigi faciemus, dum nobis fuerint reportate. Datum, in *Visegrad,* in octavis Pentecostes, anno Domini millesimo CCC⁰ XXX⁰ secundo.

Extus: Super vinea de Strigonio Burkuth vocata, data et vendita per Perihtoldum cirolicum domini regis.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 2730. (Sign. vetus: N. R. Act. fasc. 552. nr. 18.) —

312.

1332. Visegrád. 17. Jun. — Carolus I. rex, dat conventui de Ságh in mandatis, ut inquiret utrum possessio Kaladei, in provincia Hontensi, jure haereditario ad Andream, filium Kese, pertineret nec-ne.

Tenorem vide sub nr. 315.

313.

1332. Visegrád. 19. Jun. — Carolus I. rex, iubet magistratui comitatus Hontensis, ut in causa possessionis Kaladei veritatem inquiret.

Tenorem vide sub nr. 316.

314.

1332. Avignon. 22. Jun. — Bulla Joannis PP. XXII. super capitulo annuali, Ordini S. Benedicto praescripto, emanata.

Tenorem vide sub nr. 330.

315.

1332. (Ipolyság.) 30. Jun. — Conventus de Ságh, possessionem Kaladei, Andreae filii Kese, hereditariam esse testatur.

Excellentissimo domino suo, domino K.(arolo), Dei gracia illustri regi Hungarie, Stephanus prepositus, et conventus fratrum ordinis Premonstratensium, monasterii Beate Virginis Marie de *Saag,* oraciones in Domino debitas et devotas. Litteras vestre celsitudinis, honore quo decuit, recepimus hunc tenorem continentes:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis conventui ecclesie de *Saag,* salutem et graciam. Dicit nobis Andreas, filius *Kese,* quod quedam possessio *Kaladay* vocata, in comitatu Hontensi existens, iure hereditario prius ad progenitores suos primitivos, deinceps ad avum et patrem suum, et per consequens ad ipsum ab antiquo pertinuisset et pertineret. Super quo fidelitati vestre precipientes mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente Thomas, filius Benedicti, de *Chytar,* vel Sebastianus de *Neek,* altero absente homo noster, ab omnibus quibus decuerit et specialiter a vicinis et commetaneis suis in eadem provincia, sciat et inquirat super eo, si dicta possessio Kaladay ad ipsum Andream filium Kese iure hereditario pertineat nec-ne, omnimodam veritatem et secundum quod veritas vobis constiterit de premissis tandem nobis fideliter rescribatis. Datum in *Wyssegrad,* in crastino festi Corporis Christi, anno eiusdem M° ccc° xxx^mo^ secundo. 1332. 17. Jun.

Nos igitur preceptis et mandatis vestris obedientes, ut tenemur, cum Thoma homine vestro, nostrum misimus hominem fidedignum, ad inquirendam de premissis omnimodam veritatem. Qui quidem, dum sabato proximo post festum sancti Johannis Baptiste, ad provinciam Hontensem, scilicet ad illas partes accessissent, et ibidem a nobilibus et ignobilibus, a vicinis et commetaneys predicte possessionis Kaladay, et ab aliis a quibus decuit, resciendo veraciter rescivissent: quod predicta possessio Kaladey, iure hereditario prius ad progenitores suos primitivos, deinceps ad avum et patrem suum, et per consequens ad ipsum Andream ab antiquo pertinuisset et nunc pertineret, secundum quod homo vestre excellencie ad nos reversus, in presencia hominis nostri nobis affirmavit. Datum, feria tercia proxima post festum prenotatum, anno vero prenotato. 1332. 27. Jun.

In parte inferiori, tamen seriei docum. opposito, alio prorsus charactere: Capitulum Strigoniense, homo regius Thomas de Chytar, cum Nicolao, filio Nicolai. — Extus: Excellentissimo domino suo domino K.(arolo), Dei gracia illustri regi Hungarie, pro Andrea filio Kese, super possessione *Kaladay* inquisitorie. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Primat. Sec. Lad. F. nr. 6.

316.

1332. — 30. Jun. — Magistratus comitatus Hontensis, seriem inquisitionis in possessione Kaladei peractam, Carolo I. regi rescribit.

Excellentissimo domino suo, domino K.[arolo], Dei gracia illustri regi Hungarie, *Johannes, vice*comes Hontensis magistri *Nicolai,* et quatuor iudices nobilium eiusdem comitatus, se de promptis promciores ad omnia genera vestrorum mandatorum. Litteras excellencie vestre recepimus in hec verba:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis comiti, vicecomiti et iudicibus nobilium de comitatu Hontensi, salutem et graciam. Dicit nobis *Andreas* filius *Kese:* quod quedam possessio, *Kaladay* vocata, in eodem comitatu existens, iure hereditario prius ad progenitores suos primitivos, et deinceps ad avum et patrem suum, et per consequens ad ipsum ab antiquo pertinuisset et pertineret. Super quo fidelitati vestre precipientes mandamus, quatenus visis presentibus, unus aut duo ex vobis, ab omnibus quibus decuerit, et specialiter a vicinis et commetaneis suis, in eadem provincia, sciat et inquirat super eo: si dicta possessio Kaladay ad ipsum Andream, filium Kese, iure hereditario pertineat nec-ne, omnimodam veritatem; et post hec, prout vobis veritas constiterit, de premissis nobis fideliter rescribatis. Datum in *Vyssegrad,* in crastino festi Corporis Christi, anno eiusdem M° CCC° XXX^mo^ secundo. 1332. 19. Jun.

Nos igitur, preceptis et mandatis vestris obedientes, ut tenemur, comitem *Ladizlaum* de *Koary,* unum ex nobis, misimus ad inquirendam de premissis omnimodam veritatem. Qui quidem, dum sabbato proximo post festum beati Johannis Baptiste ad provinciam Hontensem, scilicet ad villas, partes accessissent, et ibidem a nobilibus et ignobilibus et vicinis et commetaneis predicte possessionis Kaladey, et ab aliis a quibus decuit, resciendo veraciter rescivissent: quod predicta possessio Kaladay, iure hereditario prius ad progenitores suos primitivos, deinceps ad avum et patrem suum, et per consequens ad ipsum Andream, ab antiquo pertinuisset et nunc pertineret; secundumque unus noster predictus, ad nos reversus, nobis affirmavit. Datum feria tercia proxima post festum prenotatum, anno vero prenotato. 1332. 27. Jun.

Extus: Excellentissimo domino suo, domino K.[arolo], Dei gracia illustri regi Hungarie, pro Andrea, filio Kese, super possessione *Kaladay* inquisitorie. — Sigillum exter. margini fuit appressum. — Orig. in scheda membran., in Arch. Primat. Lad. F. nr. 7.

317.

1332. Avignon. 5. Julii. — Johannes PP. XXII., episcopo Nitriensi, recuperationem bonorum distractorum monasterii S. Benedicti, de iuxta Goron, injungit.

Johannes, episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri . . . episcopo Nitriensi, salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit: quod tam dilecti filii . . . *abbas* et conventus monasterii sancti Benedicti *de Goron,* ordinis eiusdem sancti (sic!), *Strigoniensis* diocesis, qua predecessores eorum, decimas, terras, domos, possessiones, redditus, prata, pascua, nemora, molendina, iura, iurisdictiones, et quedam alia bona ipsius monasterii, datis super hec litteris confectis, exinde publicis instrumentis, iuramentis, interpositis factis, renuntiationib[us] et penis adiectis, in gravem ipsius monasterii lesionem, nonnullis

clericis et laicis aliquibus eorum ad u[. . . .], quibusdam vero ad non modicum tempus, et aliis perpetuo ad firmam, vel sub censu annuo concesserunt; quorum aliqui dicuntur super hys confirmationis litteras, in forma communi, a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra (sic) interest super hoc de oportuno remedio providere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ea que de bonis ipsius monasterii, per concessiones huiusmodi alienata inveneris, illicite vel distracta, non obstantibus litteris, instrumentis, iuramentis, renuntiationibus, penis et confirmationibus supradictis, ad ius et proprietatem eiusdem monasterii legitime revocare procures. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appelatione postposita, compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum, *Auinioni*, III. Nonas Julii, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Bulla e cannabi pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 1. nr. 6. —

318.

1332. Avignon. 31. Julii. — Joannes PP. XXII., archiepiscopo Colocensi, Ludovicum Caroli I. regis filium, certis in casibus, coronandi potestatem largitur.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 797.

319.

1332. Visegrád. 22. Sept. — Carolus I. rex, possessionem Gyorok, per capitulum Nitriense reambulari et Chanadino archiepiscopo statui demandat.

Tenorem vide in nr. 320.

320.

1332. (Nyitra.) 3. Oct. — Capitulum Nitriense, possessionem Gyorok, Chanadino archiepiscopo statutam esse refert.

Nos *capitulum* ecclesie *Nitriensis,* tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod venerabilis in Christo pater dominus *Ch.(anadinus),* Dei et apostolice gracia sancte *Strigoniensis* ecclesie *archiepiscopus,* locique eiusdem comes perpetuus, per Johannem, filium Dominici, *famulum suum,* litteras serenissimi principis domini *Karoli,* Dei gracia regis Hungarie, domini nostri, nobis destinare curavit, quarum tenor talis est:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis *capitulo Nitriensis* ecclesie, salutem et graciam. Venerabilis in Christo pater dominus Ch.(anadinus), eadem gracia archiepiscopus Strigoniensis, ciusdemque loci comes perpetuus, dilectus nobis et fidelis, dicit nobis: quod quedam possessio, *Gyrug* vocata, Strigoniensis ecclesie supradicte (emansit: esset), et ad eam de iure pertineret. Super quo vestre fidelitati firmiter precipimus per presentes, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, coram quo Stephanus, filius *Gyule,* vel Ladislaus, frater ipsius, homo noster, accedat ad faciem dicte possessionis *Gyurug,*

Esztergom Budapesti Főegyházmegye Esztergom Érseki Levéltár

in comitatu *Kamariensi* existentis, et presentibus vicinis et commetaneis, reambulet eandem per veteres metas et antiquas, et statuat dicto domino archiepiscopo Strigoniensi perpetuo possidendam, si non fuerit contradictum; contradictores autem si qui fuerint, contra ipsum dominum archiepiscopum, ad nostram citet presenciam ad terminum competentem; et post hec facti seriem nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Wyssagrad*, in festo beati Mauricii, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ secundo. 1332. 22. Sept.

Nos igitur mandatis regalis magnificencie obedientes, ut tenemur, cum eodem Ladislao, filio Gyule, homine regio, discretum virum dominum Nicolaum custodem ecclesie nostre, ad exequendum premissa pro testimonio destinavimus. Qui negocio bene intenti et ad nos reversi, concorditer retulerunt: quod cum feria sexta proxime preterita, ad faciem dicte possessionis Gyurug accessissent, et vicinos seu commetaneos eiusdem, specialiter autem populos ville *Leek*, et Mathyam officialem earumdem villarum Leek et Gyrug, ac rectorem seu *sacerdotem eiusdem ecclesie*, iuxta regni consuetudinem convocassent, dictus Mathyas officialis eiusdem possessionis Gyrug, in nullo fuisset, nec alii eiusdem vicini contradictor, seu contradictores extitissent. Prefatusque Mathyas officialis asseruisset tali modo: quod licet (expunct.: vestre) regalis excellencia in antea eandem possessionem Gyrug Petro, filio Menul, domino suo tradidisset; tamen regia magnificencia, dicto domino archiepiscopo et sue ecclesie eandem possessionem conferendi, ab ipso domino suo removendo, frueretur libare (sic!) potestate. Et nichilominus, contradictoribus aliquibus non obstantibus retulerunt: quod dictam possessionem Gyurug, sub metis suis veris et antiquis, eidem domino archiepiscopo Strigoniensi et sue ecclesie statuissent, perpetuo possidendam. Datum, sabbato proximo post festum beati Michaelis archangeli, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ secundo. Presentes autem nostro privilegio confirmari p*p*romittimus, cum nobis fuerint reportate. 1332. 2. Oct.

Extus: Super terra *Gerud*, prope *Leek*, in comitatu Camariensi. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 52. fasc. 6, nr. 23. — Aliud par hujus privilegii, penitus simile, ast cum introductione, ut sequitur: Excellentissimo domino suo *Karolo*, Dei gracia illustri regi Hungarie capitulum ecclesie Nitriensis, oraciones in Domino debitas et devotas. Litteras vestre excellencie sumpmo recepimus cum honore, in hec verba: Karolus etc. . . . In tergo vero: Excellentissimo domino suo Karolo, Dei gracia illustri regi Hungarie, pro domino archiepiscopo Strigoniensis ecclesie, super possessione Gyrug, statucionales. — Sigillum margini fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. M. nr. 14. — Edidit Fejér: Cod. Dipl. VIII². 652.

321.

1332. Avignon. 7. Octob. — Joannes PP. XXII., episcopatum Milkoviensem, in statum pristinum restituendum, eique fratrem Vitum Ord. Min., Caroli I. regis capellanum praeficiendum, — Chanadino archiepiscopo Strigoniensi defert.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 635.

322.

1332. Magasvár. 21. Oct. — Caroli I. regis protectionales monialium de Apácza-Somlyó, ad compatrem suum Chanadinum, archiepiscopum Strigoniens. datae.

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, dilecto sibi et fideli venerabili in Christo patri, domino *Chanadyno*, eadem gracia *archyepiscopo Strigoniensi*, compatri suo reverendo, salutem et graciam. Cum nos, ad instantem peticionem religiosarum dominarum, *sororum ordinis beati Benedicti de Apachasupmlya*, ipsas et earum possessiones, ubilibet in regno nostro existentes, in nostram proteccionem receperimus specialem, viceque nostre persone vobis commiserimus protegendas, vestram compaternitatem et reverendam paternitatem, presentibus requirimus affectuose, quatenus tam monasterium, quam universas possessiones ad illud spectantes, predictarum dominarum, ubicunque in regno nostro existant, a quibuslibet indebite molestantibus, prout in litteris nostris, cum sigillo nostro anulari consignatis, vestre paternitati transmissis videbitis contineri, protegatis et defendatis, nostre peticionis ob respectum. Datum, in *Alto Castro*, feria quarta proxima post festum beati Luce ewangeliste, anno Domini M° CCC° XXX° secundo.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Primat. Ecclesiast. Vetus nr. 26. —

323.

1332. Visegrád. 30. Oct. — Wilhelmus Drugeth, comes Scepusiensis, urburam e fodinis in Rozsnyóbánya repertis, centum viginti marcis ad anni circulum, ab archiepiscopo Strigoniensi exarendat.

Nos magister *Wyllermus Drugeth* comes *Scepusyensis* et de *Wyuar*, tenore presencium significamus, quibus expedit, memorie commendantes universis: quod nos, simul cum *Johanne* dicto *Kun*, familiari serviente venerabilis in Christo patris et domini *Chanadini*, Dei et apostolica gracia *archyepiscopi Strigoniensis*, urboram auri et argenti fodinarum, in territorio civitatis sue *Rosnoubana* vocate repertarum, laboratarum ac ex novo inveniendarum, ipsi domino archyepiscopo provenientem, cum omnibus iuribus et utilitatibus et cum iudicatu moncium, iuxta consuetudinem montanorum, ab eodem domino archyepiscopo pro centum et viginti marcis ad compotum Budensem, a festo sancti 11. Nov. Martini confessoris iam affuturo, usque integram annualem comparavimus revolucionem pariter percipiendam, et eodem modo ipsam sumpmam pecunie, centum et viginti marcarum, dicto domino archyepiscopo in communi assumpsimus terminis infrascriptis persolvendam: videlicet ad festum 1332. Nativitatis Domini nunc venturum septuaginta marcas, et ad festum 25. Dec. Nativitatis sancti Johannis Baptiste consequenter quinquaginta marcas; 1333. incursuri dupli penam si quemlibet predictorum terminorum obmiserimus in solvendo. Exceptis tamen quibusdam auri et argenti fodinis, quas nondum a domino rege, dictus dominus archyepiscopus, valuit rehabere. Datum in *Wysegrad*, feria sexta proxima ante fe (sic!) octavam festi Omnium Sanctorum, anno Domini Millesimo ccc° tricesimo secundo. 24. Jun.

Sigillum tergo erat appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 49. fasc. 1. nr. 14.

324.

1332. (Esztergom.) 22. Nov. — Conventus Cruciferorum de Strigonio, Catharinam relictam Michaelis, possessionem suam Bileg, pro quinquaginta marcis, Chanadino archiepiscopo vendidisse, testatur.

Conventus *cruciferorum*, domus hospitalis sancti regis Stephani *de Strigonio*, omnibus Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Rerum omnium, iusto deliberacionis [. . . . . e] mentis acumine dispositorum firmamentum, a posterorum recordacione evanesceret, nisi sagax discretor [. . . . . a] scripture remedio [n . . . . .] oblivionis caligine suffocando, supervivencium noticie geste rei [veritatem] daret. Proinde ad universorum [noticiam], tam presencium, quam fu*t*urorum, harum serie volumus pervenire: quod nobilis domina *Katha* nuncupata, relicta *Mychaelis*, filii Pangracii, filia *Lamperti* filii Wytalus, unacum *Thoma* filio suo, ad nostram personaliter accedens presenciam, totalem possessionariam porcionem in *Byleg*, racione quarte sue puellaris ipsam omni veritatis [trami]te contingentem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis quibuslibet universis, sub antiquis suis metis [. . . . . rum] distincciouibus, pro quinquaginta marcis grossorum compoti *Budensis*, *w*enerabili in Christo patri domino *C[hanadino, D]*ei et apostolica gracia *archiepiscopo Strigoniensi*, locique eiusdem comiti perpetuo, plene habitis et [. . . . . is] receptis ab eodem, dedisse, vendidisse et contulisse perpetuo et irrevocabiliter est confessa coram nobis, organo vive vocis; *y*mo dedit, vendidit et contulit, perpetuo possidendam, tenendam et habendam, omne ius dominii [proprie]tarii in ipsum dominum arch*y*episcopum penitus transferendo; nulli igitur fratrum, proximorum, [con . . . . . mum], aut aliorum quorumcunque, neque sibi relinquens, in ipsa possessionaria porcione, in quarta*m* suam puellari sibi devoluta iurisdiccionem, preter ipsum dominum arch*y*episcopum, aliqualem. In cuius rei memoriam, perpetuam[que fir]mitatem, ad instanciam parcium predictorum, presentes concessimus litteras privilegiales, pendentis sigilli n[ostri munim]ine roboratas et alfabeto intercisas. Datum, in festo beate Cecilie virginis, anno Domini M CCC X[XX] secundo.

A. B. C.

Sigillum e rubro et violaceo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 41. fasc. 7. nr. 13.

325.

1332. Avignon. 24. Nov. — Joannes PP. XXII., Chanadino archiepiscopo Strigoniensi, de multis favoribus, apostolicae sedis nunciis impensis, graliarum actiones uberes refert.

Ed. Theiner: Mon. Hung. Hist. T. I. p. 592.

326.

1332. Csút szigetén. 25. Nov. — Jacobus praepositus, et conventus de Csúth, transscrib. literas Lodomerii archiepiscopi, super concambio possessionis Nyárhid, emanatas.

Nos frater *Jacobus*, Dei paciencia *prepositus* ecclesie beati Eustachii de *insula Chuth*, prior et conventus loci eiusdem, memorie commendantes significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem: quod inspectis forme

et tenore (sic!) littere domini *Lodomeri,* Dei gracia *archiepiscopi Strigoniensis,* eiusdemque loci comitis perpetui, pie memorie, super quadam possessione predicte ecclesie de Chuth, *Narhyd* vocate, suarum utilitatum et pertinencium ad eandem, in concambium et commutacionem aliarum possessionum, et quarumdam decimarum *archiepiscopatus Strigoniensis* ecclesie et episcopatus *Wesprimiensis ecclesie* reducte, presentibus litteris nostris inscribi fecimus. Cuius quidem privilegii tenor talis est:

Sequitur privilegium Lodomerii archiepiscopi de a. 1295., ex ipso originali editum T. II. p. 370. nr. 368. 1295. 12. Maii.

Et quia propter *novitatem* domini nostri Cha.(nadini), Dei et apostolice sedis gracia, archiepiscopi Strigoniensis, eiusdemque loci comitis perpetui, de tenore prenotati privilegii veritas non constabat, ne erroris materia exinde suscipiat incrementum, presentes ipsi domino nostro Cha.(nadino) archiepiscopo, concessimus litteras, nostris sigillis communitas in testimonium veritatis. Datum, in *insula Chuth,* in quindenis festi beati Martini confessoris, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo secundo.

Extus: Composicio cum preposito de Chut. Et iterum: super possessione *Naarhyd* et aliis intrascriptis. — Sigilla duo, unum ovale, alterum vero modo circuli, tergo fuerunt appressa. — Notandum, quod in hoc transsumpto literae Lodomerii dato 1294. sunt signatae; originale vero datum anni 1295. monastrat. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. M. nr. 15.

327.

1332. Avignon, 30. Nov. — Joannes PP. XXII., villam Neusiedel, alio nomine Szombathely, ecclesiae Strigoniensi, per Agnetem reginam viduam donatam confirmat.

Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 629.

328.

1332. Avignon. 1. Dec. — Johannes PP. XXII., abalienationes, a Chanadino archiepiscopo Strigoniensi et aliis factas, per episcopum Vesprimiensem revocari jubet.

Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 628.

329.

1332—1337. Registrum decimarum dioecesis Strigoniensis.

Incipit liber rationum domini Raymundy particulariter de dyocesi Strigoniensi, et provincia Strigoniensi.

E codice Vaticano: Rationes Collectorum Pontificum in Hungaria. Monumenta Vaticana. I. Ser. I. T. p. 182—203. — p. 216—234. et p. 408.

330.

1333. (Győr.) 16. Jan. — Capitulum Jaurinense transscribit bullam Joannis PP. XXII., pro ordine S. Benedicti editam et archiepiscopo Strigoniensi submissam.

Universis Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, capitulum ecclesie *Jauriensis,* salutem in Domino. Ad universorum noticiam cupimus pervenire: quod religiosi viri frater *Johannes prior* claustralis, ac frater *Bertoldus*

TSR Watermark Image - Unregistered version - This line is removed when registered

procurator monasterii beati Martini *sacri montis Pannonie,* litteras sanctissimi patris et domini nostri, domini *Johannis,* divina providencia pape XXII. nobis exhibuerunt, cum instancia postulantes quatinus earundem tenorem nostris litteris faceremus inseri, ob cautelam. Quarum quidem litterarum tenor noscitur esse talis:

Johannes, episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus . . . . . *Strigoniensi* et . . . . . *Colocensi archiepiscopis,* eorumque suffraganeis, salutem et apostolicam benediccionem. Sacrum *beati Benedicti ordinem* non indigne gerentes in visceribus caritatis, ad ea vigilanter intendimus, ac opem et efficacem operam impertimur, per que status eiusdem ordinis, presertim in remotis partibus, de quibus non potest pro singulis in dicto ordine reformandis commode ad sedem apostolicam haberi recursus, ad divini nominis gloriam, ac ordinis eiusdem honorem, prosperis semper successibus affluat, in regulari observancia floreat et tranquillis foveatur eventibus, ac multimodis proficiat incrementis. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum universorum abbatum et priorum, abbates proprios non habencium monasteriorum et prioratuum ordinis memorati, in regno Vngarie consistencium, peticionis series nobis exhibite continebat: quod post statutum de capitulis abbatum et priorum, proprios abbates non habecium (sic), in singulis regnis sive provinciis celebrandis, per felicis recordacionis *Innocencium* papam III., predecessorem nostrum, edictum in concilio generali pie (expunct.: memorie) memorie *Honorius papa III.,* predecessor noster, pro salubriori reformacione religionis eorum et observancie regularis et eciam ex eo, quia abbates et priores ipsi de regno predicto ad huiusmodi celebrandum capitulum iuxta statutum prefatum neglexerant convenire, ac hy qui presidere debebant eisdem cogendi rebelles, non videbantur habere aliquem potestatem, dilectis filiis . . . de *Waraud* et de *Bols* monasteriorum abbatibus, dicti ordinis, *Quinqueecclesiensis* et *Cenadiensis* diocesis, suis dedit litteris in mandatis, ut apud monasterium de *Modocha* eiusdem ordinis, *Colocensis* diocesis, illo anno capitulum convocantes abbates et priores dicti ordinis, proprios non habentes abbates, tam exemptos quam non exemptos Strigoniensis et Colocensis provinciarum, qui non consueverant huiusmodi capitulum celebrare, venire ad illud, dummodo impedimento canonico prepediti non essent, monicione premissa, per censuram ecclesiasticam, sublato cuiuslibet contradiccionis et appellacionis obstaculo, coartarent et advocatis caritative *duobus Cysterciensis ordinis* vicinis *abbatibus,* in celebracione capituli, Deum habendo pre oculis, procederent iuxta statutum concilii memorati; eademque censura, que in eo ordinata. Et ut que in eo ordinata provide forent, facerent firmiter observari. Et ut que statuta existerent magis tenerentur memoriter et eciam servarentur, prefatus Honorius predecessor, voluit et mandavit huiusmodi (expunct.: capitulum capitula et cogendi rebelles) capitulum, in singulis regnis sive provinciis, annis singulis celebrari; concessa eis, qui annis tunc futuris ordinarentur ad presidendum capitulis celebrandis, convocandi abbates et priores predictos ad huiusmodi capitula et cogendi rebelles, appellacione cessante; simili potestate adiciens, ut si visitatores, qui essent in eodem ordinati capitulo, aliquos exemptos deponentos invenirent, id nunctiare (sic!) sedi apostolice non different; in ceteris iuxta formam sepedicti concilii processuri. Quodque, licet iuxta mandatum prefati Honorii aliquando in regno predicto celebratum fuerit capitulum supradictum,

TSR Watermark Image - Unregistered version - This line is removed when registered

tamen pro eo, quod aliquibus annis citra certis ex causis huiusmodi capitulum in regno predicto non potuit annis singulis celebrari, dissolvitur ibidem religio, ac monasteria et loca dicti ordinis in regno consistencia supradicto, plurimum in spiritualibus et temporalibus sunt collapsa. Quare pro parte abbatum et priorum predictorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis et eorum ordini super premissis salubriter dignaremur. Nos igitur, qui statum quorumlibet regularium adaugeri, ac in dicto sancti Benedicti ordine virtutes crescere et vicia exstirpari, monasteria quoque et loca predicta in eodem regno consistencia, spiritualiter et temporaliter, auctore Domino reformari cupimus, oportunum in hac parte, prout ex debito nobis incumbit officii pastoralis, remedium adhibere, ac eiusdem Honorii predecessoris vestigiis inherere volentes, de fratrum nostrorum consilio, au*th*oritate apostolica statuimus et iussimus expresse: quod deinceps in regno predicto abbatum et priorum predictorum, abbates proprios non habencium, tam exemptorum, quam non exemptorum, generale capitulum in aliquo monasterio eiusdem ordinis, ad hoc apto, debeat usque ad apostolice sedis beneplacitum, annis singulis celebrari. Et ut satutum et mandatum nostrum huiusmodi, debitum sortiretur (expunct.: aff) effectum, dilectis filiis . . . *sancti Martini de Pannonia,* ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, et sancti *Benedicti de Goron,* monasteriorum abbatibus dicti ordinis, Jauriensis et Strigoniensis diocesis, anno primo, extunc singulis annis subsequentibus illis, qui ordinabuntur ad presidendum huiusmodi futuris capitulis celebrandis, convocandi au*th*oritate apostolica abbates et priores predictos, de regno prefato, ad huiusmodi celebrandum capitulum; eosque cessante impedimento legit*i*mo veniendi ad illud, monicione premissa, qualibet contradiccione et appellacione cessantibus, per censuram ecclesiasticam compellendi, quibuscunque privilegiis ipsis seu monasteriis et locis eorum, sub quavis forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis, que, quo ad hec, in nullo eis suffragari volumus, nequaquam obstantibus, plenam et liberam au*th*oritate predicta concessimus potestatem. Volentes et au*th*oritate apostolica decernentes, quod visitatores in huiusmodi capitulo deputandi, cum abbates dicti ordinis exemptos deponendos invenerint, id sedi apostolice non differant intimare, et quod abbates et priores ipsi, iuxta statutum eiusdem (expunct.: eiusdem) concilii alias in huiusmodi capituli celebracione procedant; et nichilominus h*y,* qui ut premittitur, ad presidendum eisdem celebrandis capitulis fuerint deputati, que in huiusmodi capitulis deliberacione provida ordinata (expunct.: fuerint) extiterint, faciant au*th*oritate apostolica, per censuram eandem, sublato cuiuslibet contradiccionis et appellacionis obstaculo, firmiter observari. Quia igitur, sicut fidedigna relacio ad apostolatus nostri perduxit auditum, nonnulli ex vobis abbates et priores, predictos abbates proprios non habentes, in vestris civitatibus et dyoc(esibus) existentes, quominus ad huiusmodi capitulum convenire potuerint impedire ac eis, ne ad illud accederent inhibere, non sine temeritatis audacia, presumpserunt, non cupientes statutum nostrum huiusmodi inconcusse servari, ac talibus presumpcionibus obviare volentes, fraternitate (sic!) vestre in virtute sancte obediencie per apostolica scripta mandamus, quat*i*nus ab omni impedimento, molestia et turbacione prefatis abbatibus et prioribus, quominus ipsi ad huiusmodi capitula celebranda annis singulis convenire libere valeant, per vos vel alium seu alios, publice vel occulte de cetero inferendis

TSR Watermark Image - Unregistered version - This line is removed when registered

studeatis penitus abstinere (expunct.: sicut) cupitis indignacionem apostolicam evitare. Datum, *Auinione*, X Kalendas Julii, pontificatus nostri anno sextodecimo. 1332. 22. Jun.

Nos igitur predictis litteris, de verbo ad verbum visis, et diligenter perlectis, invenimus eas filo canapis integra et vera bulla plumbea ipsius domini pape bullatas, non viciatas, non concellatas, nec in aliqua sui parte corruptas, sed omni suspicione carentes, nostris ipsas inseruimus litteris, nichil addendo vel diminuendo, prout ordo iuris postulat et requirit. In cuius rei memoriam presentes, nostri sigilli munimine duximus roborandas. Datum, *Jaurinii* XVII° Kalendas Februarii anno Domini M° CCC° XXX° tercio.

Sigillum e zona membr. pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 1. nr. 27.

331.

1333. (Buda.) 27. Febr. — Magistratus castri Budensis, magistrum Jacobum, comiti Kunchlino, patruo suo, allodium suum Nyék, centum marcis vendidisse testatur.

Magister *Nicolaus*, rector castri novi montis Pestiensis, comes Thylmannus viceiudex, Kunckylinus de Megerdorf, Voluengus, Leeb, Jacobus de Agrya, Nicolaus frater Thylmanni, Ruedulynus, Sedulynus, Perenhauser, Nycolaus de Jaurino, Michael filius Wlmanni, Petrus filius Myko, Johannes filius Bothuk, tunc pro tempore iurati ipsius castri, omnibus Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Quoniam ea, que aguntur in tempore, ne cum temporis labilitate elabantur et pre textu (sic!) posteritatis in oblivionem deducantur; ideo sapientum sèu discretorum sollers providencia adinvenit, ut litterarum testimonio et patrocinio perpetua stabilitate solidentur et roborentur. Proinde ad universorum, tam presencium quam futurorum noticiam harum serie litterarum volumus pervenire: quod iuvenis, providus et honestus magister Jacobus, filius comitis Rubyni, filii Kunch, quondam iudicis castri prenotati, concivis noster, coram nobis personaliter constitutus, predium suum, seu allodium, quod sibi iure paternali devolutum extiterat, inter civitatem *Budensem* ab una parte et villam *Neek* ex altera, in medio duarum viarum, seu stratarum magnarum, quod vulgo *Kunch sppan maiura* dicitur, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, videlicet pratis, fenetis, terris arabilibus, cultis et incultis, ortis et curiis, ac edificiis lapideis et ligneis, foveis et fodinis, confraccionibus lapidum, aquis fontalibus et fluminalibus, necnon cum dimidietate vinee prope ryvulum et ecclesiam beatissime Virginis Marie, noviter plantate adiacentis, ex permissione et bona voluntate omnium commetaneorum et cognatorum suorum, nullo penitus contradictore existente, vendidit et tradidit comiti Kunchylino, filio Johannis, filii Kunch, karissimo patruo suo, concivi nostro et iudici, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter, ac pacifice possidendum, tenendum pariter et habendum, pro centum marcis argenti mercimonialis, plene receptis ab eodem. Assumpsit nichylominus idem magister Jacobus supra se, ut quicunque processu temporum prescriptum comitem Kunchlynum, vel suos heredes, heredumque suorum successores, racione predicti predii seu allodii et suarum utilitatum ac pertinencium (sic!) universalium, videlicet pratorum, fenetorum, terrarum, ortorum, curiarum,

TSR Watermark Image - Unregistered version - This line is removed when registered

edificiorum, fovearum et fodinarum, confraccionis lapidum, aquarum, fontalium, et fluvialium, necnon dimidietatis vinee prope ry*v*ulum annotatum, noviter plantate, molestare seu aggravere niterentur, eosdem ab omnibus quovismodo impetitoribus, coram quovis iudice, cum suis propriis laboribus et sumptibus, secundum usum et consuetudinem nostre civitatis, ab antiquo approbatam, occasione qualibet non obstante, teneretur expedire. In cuius re*j* memoriam, perpetuamque firmitatem, ad instanciam peticionemque parcium, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, duplices sigilli nostri munimine roboratas. Datum sabbato proximo post octavas Cynerum, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo tercio.

Fragmen sigilli duplicis e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membr., pulchre exaratum, in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 41. fasc. 2. nr. 9. — Hanc ipsam venditionem confessus est idem Jacobus 30. Jan. eodem anno coram *Bartholomeo* priore Crucif. de Calidis Aquis. — Orig. ibidem Lad. 41. fasc. 2. nr. 6.

332.

1333. Gömör. 8. Mart. — Egidius vicearchidiaconus de Gömör, Benedictum de Csetnek, contra Stephanum Bebek, ob laesionem iuris patronatus ecclesiae de Pelsőcz, protestationem interposuisse, testatur.

Ed. Cod. Andegav. T. III. p. 7.

333.

1333. Visegrád. 24. Mart. — Carolus I. rex, tertiam partem possessionis Széplak, in comitatu Abaujvár existentis, quondam filiorum Omodei, Petro filio Joannis, confert.

Ed. Cod. Dipl. Com. Zichy. T. 1. p. 409.

334.

1333. (Esztergom.) 29. Apr. — Capitulum Strigoniense, possessiones praepositurae de Ságh, Iva et Hacsak nominatas, iuxta fluvium Zagyva existentes, per nonnullos vi desolatas esse, perhibet.

Ed. Cod. Dipl. VIII². p. 257.

335.

1333. Visegrád. 1. Mai. — Elisabetha regina, possessionem suam Gyarmath, habitatoribus destitutam, Thomae et Paulo, specialibus tavarnicis suis, confert.

Nos *Elysabeth, D*ei gracia regina Hungarie, memorie commendantes significamus, quibus expedit, tenore presencium, universis: quod *Thomas* et *Paulus,* filii Jacobi, speciales thawarnici nostri, ad nostre serenitatis accedentes presenciam, ipsorumque fidelitatis obsequia nostre maiestati inpensa proponentes et declarantes, quandam possessionem nostram reginalem, *Gyarmath* vocatam, vacuam et habitatoribus destituam, in comitatu *Strigoniensi,* prope *Danubium* existentem, a nobis sibi dari et conferri perpetuo postularunt. Nos siquidem, pensatis fidelitatibus et serviciis meritoriis ipsorum Thome et Pauli, que ipsos a multis iam retrolapsis temporibus exhibuisse scimus, exhibere sentimus in presenti, et exhibituros pro firmo credimus in futurum, memoratam possessionem nostram reginalem, Gyarmath nuncupatam, e consensu et beneplacito excellentissimi principis domini *Karoli,* eadem gracia regis Hungarie illustris, consortis

TSR Watermark Image - Unregistered version - This line is removed when registered

nostri karissimi, sub certis metis et antiquis, cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis universis, pretactis Thome et Paulo, filiis Jacobi, et eorum heredibus, heredumque ipsorum successoribus dedimus, donavimus et contulimus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam. Datum, in *Vyssegrad,* in octavis festi beati Georgii martiris, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo tercio.

Extus: Donacio super Gyarmath. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon, Priv. Lad. 38. fasc. 1. nr. 6. — Literas has Elisabeth regina a. 1368. 7. Mart. novo confirmat privilegio. — Orig. ibidem sub nr. 12.

336.

1333. Avignon. 5. Maii. — Joannes PP. XXII., iniungit de Buda et S. Laurencii prope muros Vratislavienses abbatibus, ac praeposito S. Crucis Vratislaviensis, ut sententiam judicialem praepositi de Domo Dei, in causa iurisdictionis spiritualis eccl. Podolin, Gnezna et Lublo latam, revideant et Joanni praeposito Scepusiensi iustitiam impendant.

Wagner: Analecta Scepus. P. I. p. 316. — Fejér: Cod. Dipl. VIII³. p. 700.

337.

1333. Esztergom. 6. Maii. — Mesko episcopus Nitriensis, promittit pretium alienandarum, cum consensu Chanadini archiepiscopi, terrarum Horo et Leveled, in restaurationem ecclesie suae cadethralis, impendere.

Nos *Mesko,* Dei gracia *episcopus Nitriensis,* tenore presencium significamus quibus expedit universis; quod cum nos ecclesiam nostram kathedralem, per emulos et infideles domini regis et regni dirutam, et per omnia demolitam, rehedificare Deo auxiliante et construere intendamus, et iam in aliqua parte opus dicte ecclesie, de nostris sumptibus et expensis, sit inceptum; et quia venerabilis in Christo pater dominus *Chanad(inus,)* Dei et apostolice sedis gracia, sancte *Strigoniensis* ecclesie *archiepiscopus,* locique eiusdem comes perpetuus, quasdam particulas terrarum predicte ecclesie nostre, *Horo* et *Leueled'* vocatarum, in comitatu Borsiensi existencium, de quibus nos et dicta ecclesia nostra nullum fructum penitus reportare valuimus usque modo, auctoritate metropolitica ad obligandum seu alienandum, pro certa sumpma pecunie, ad consumpmandum opus dicte ecclesie, suum nobis consensum benivolum adhibuit et assensum: promittimus nos, eidem venerabili in Christo patri domino archiepiscopo vigore presencium, ut ipsam quantitatem pecunie, eciam de nostris proventibus et redditibus addendo, ad evidens opus et fabricam dicte ecclesie, de scitu eiusdem domini archiepiscopi et fratrum nostrorum, capituli videlicet ecclesie nostre predicte, expendemus ex integro; assumpmimus insuper, quod si medio tempore nos translacionem aliquam facere contingat, vel ab ipsa ecclesia alienari, et dictam quantitatem pe[cuni]e, ut premissum est, ad predictum opus ecclesie non expendissemus, extunc ad scitum eiusdem domini archiepiscopi, ipsi ecclesie et dictis fratribus nostris, de nostris sumptibus et proventibus restaurabimus plenarie firma fide. Datum *Strigonii,* in festo beati Johannis apostoli et ewangeliste ante portam Latinam, anno Domini M° CCC° XXX° tercio.

Sigillum ovale tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Publ. Capsa 67. fasc. 6. nr. 18.

338.

1333. Visegrád. 8. Maii. — Paulus, judex curiae regiae, causam Chanadini archiepiscopi, contra Nicolaum dictum Mese motam, ad novum terminum prorogat.

Nos comes Paulus, iudex curie domini regis, damus pro memoria, quod causam quam venerabilis in Christo pater, dominus *Chanadinus archiepiscopus* ecclesie *Strigoniensis,* contra Nicolaum dictum Mese, personaliter astantem, iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum, in octavis festi beati Georgii martiris, in relata accione movere habebat coram nobis, ob regium preceptum, ad quindenas residencie presentis exercitus regii, sub priori statu perhemptorie duximus prorogandam. Datum in *Wyssegrad*, octavo die [. . . . . .] Anno domini M⁰ ccc⁰ xxx⁰ tercio.

Extus: Pro Nicolao dicto Mese, contra dominum Chanadinum archiepiscopum ecclesie Strigoniensis, ad quindenas residencie exercitus regii prorogatorie.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. Orig. membr., in Arch. Mus. Nation. Hung. Bpest. Mat. Vet.

339.

1333. (Esztergom). 10. Maii. — Capitulum Strigoniense, Stephanum et Andream, nobiles de Bars, terras suas Bagátfölde, Mocsudfiamihálfölde et Parlag, Gekmino apothecario Caroli regis, perpetuo vendidisse, perhibet.

Nos Theophylus prepositus et capitulum Strigoniensis ecclesie, damus pro memoria, quod Stephanus, filius *Ibur* et Andreas, filius Herbordi, nobiles de comitatu Borsiensi, pro se et filiis ipsorum, ut dixerunt, coram nobis personaliter constituti, confessi sunt viva voce: quod quasdam terras, seu sessiones *Bagatfeulde, Mochwdfiamichalfeulde* et *Parlagy* vocatas, in comitatu Huntensi existentes, cum eorum utilitatibus et pertinenciis universis, de bona eorum voluntate a*n*uissent et dimisissent magistro Gekmyno, apotecario domini nostri regis, in nostri personaliter comparenti presencia, septem marcis grossorum denariorum, Budensis ponderis, plene receptis ab eodem, sibi et per ipsum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendas, tenendas, pariter et habendas. Tria paria privilegiorum, super h*y*sdem terris, seu sessionibus, aut possessionibus confecta, quibus mediantibus ipsas usque modo *a*buerunt, tenuerunt et possiderunt, videlicet duo privilegia conventus monasterii de Saag, cum alphabetis consignata; item tercium privilegium a nobis ol*y*m emanatum; ac duas litteras conventus cruciferorum domus hospitalis sancti regis Stephani de Strigonio, unam videlicet abcisam et cum capite sigilli eiusdem domus hospitalis reclusam, et aliam clausam, super eisdem possessionibus confectas, eidem magistro Gekmyno restituendo. Preterea prefati Stephanus et Andreas se et suos heredes obligarunt, coram nobis, ab omnibus, processu temporum dictum magistrum Gekmynum, nec non ipsius heredes, racione earundem terrarum, seu sessionum, aut possessionum, inquietare et impetere volentibus, expedire propriis laboribus et expensis. Ita tamen, quod idem magister Gekm*i*nus, vel heredes sui universa instrumenta sibi reddita et litteras restitutas, per eosdem Stephanum et Andream, coram quovis judice, super expedicione facienda ipsis Stephano et Andree, vel ipsorum heredibus ostendere, vel exhibere tenebuntur tempore o*p*portuno. Item sepedicti Stephanus

et Andreas, vel ipsorum heredes penam calumpnie erunt incursuri, si huiusmodi composicionem, vel ordinacionem contra pretactum magistrum Gekmynum, aut suos heredes, temporum quovis curriculo, conarentur retractare. Hoc eciam expresso, quod si Stephanus et Andreas memorati, vel heredes eorundem, sepedictum magistrum Gekmynum et ipsius heredes, seu posteritates tractu temporis, racione earumdem terrarum, seu sessionum, aut possessionum ab impetitoribus et inquietare volentibus, ordine judiciario premisso modo non valerent expedire, ex tunc de ipsorum possessionibus hereditariis, *Hebech* et *Domian* nominatis, in comitatu Huntensi existentibus, terras seu sessiones similes tot et tantas, sepefatis tribus possessionibus in qualitate et quantitate equivalentes, eidem magistro Gekmyno, vel suis heredibus, absque contradiccione et contumacia, dare tenentur et assignare. Datum feria secunda proxima ante octavas festi ascensionis Christi anno eiusdem M° ccc° xxx^mo tercio.

Extus: pro magistro Gekmyno, apotecario domini regis, contra Stephanum filium Ibwr et Andream filium Herbordi, super possessionibus Bagathfelde et Mochwdfia Michalfelde et Parlagy vocatis memorialis. — Sigillum margini ext. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nation. Budapest. Arch. Famil. Kubinyi.

340.

1333. Visegrád. 12. Maii. — Judiciales Demetrii, magistri tavarnicorum, pro monasterio s. Benedicti, contra civitatem Bars.

Nos *Demetrius,* magister thawarnicorum domini regis, damus pro memoria: quod dominus *abbas* de Sancto Benedicto de *iuxta Gron,* qui pro se personaliter et pro conventu monasterii ecclesie eiusdem, cum litteris procuratoriis legitimis, ab octavis festi beati Georgii martiris, undecim diebus continuis, contra *Veym* villicum et totam civitatem de *Bors,* iuxta continenciam litterarum citatoriarum *capituli Nitriensis,* stetit in termino coram nobis; qui quidem Veym villicus et civitas predicta de *Bors,* nec personaliter venire, nec aliquem pro se mittere procurarunt; unde decrevimus ipsos fore in iudicio remansisse, si non poterunt racionabiliter excusare. Datum in *Wyssegrad,* (expunct.: un) duodecimo die termini prenotati, anno Domini Millesimo ccc^mo xxx^mo tercio. 1333. 1. Maii.

Extus: Pro domino abbate et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, contra *Veym* villicum et totam civitatem de *Bors,* in octavis festi beati Georgii martiris iudicialis. — Sigillum margini ext. fuit appressum. — Orig. in scheda membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 1. nr. 29.

341.

1333. Avignon. 3. Jul. — Joannes PP. XXII., bona alienata archiepiscopatus Strigoniensis, per Colocensem archiepiscopum revocari jubet.

Mutato nomine resumitur bulla ad episcopos Wesprimiensem et Agriensem a. 1331. 1. Dec. data et sub. nr. 295. edit. 1331. 1. Dec.

— — — — Datum *Auinione* V. nonas Julii, pontificatus nostri anno decimo septimo.

Bulla cum zona periit. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 49. fasc. 1. nr. 13. — Cf. nr. 295.

342.

1333. (Pozsony.) 13. Jul. — Fassio Andreae de Potun, super possessione Potun, coram capitulo Posoniensi, Joanni et Stephano fratribus suis facta.

A. B. C.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, *capitulum* ecclesie *Posoniensis* oraciones in Domino Iesu Christo. Ad universorum, tam presencium quam futurorum, noticiam harum serie volumus pervenire: quod Andrea, filio Pauli, filii Michaelis de *Potun* nepote, *y*mmo filio Benedicti, filii *Elsev de Samoth* adoptivo, sicut in litteris quondam *Bolezlai* felicis memorie, et domini nunc *Chanadini,* sancte Strigoniensis ecclesie *archiepiscoporum* vidimus, ab una; item Johanne et Stephano germanis, ac uterinis fratribus (expunct.: suis) eiusdem Andree parte ab altera; presente Paulo memorato patre suo,. personaliter coram nobis constitutis; idem Andreas vive vocis ministerio, Johannem et Stephanum antedictos suos fratres, nunc superstites et dehinc alios suos fratres, volente Deo et natura procreandos, de possessione Benedicti filii *Elsev* memorati, avi sui, per adopcionem sibi devoluta, sicut vidimus in litteris memoratis, ut seipsum participes constituit, et fecit veros pariter et heredes, ita scilicet: quod quamdiu vita sibi comes fuerit ipse, et dicti sui fratres superstites, ac deinceps procreandi, de ipsa possessione equa limite, seu equaliter non magis altero-alter utantur et fruantur; sed ipso [mort]uo seu defuncto, totam ipsam possessionem, quondam Benedicti filii Elsev, modo premisso adopcionis sibi devolutam, dictis suis fratribus Johanni scilicet et Stephano superstitibus ac procreandis, pleno iure ac perpetuo, irrevocabiliter reliquit et dimisit, ac donavit, semper heredum suorum (expunct.: per) per heredes habendam, tenendam et pariter possidendam. In cuius rei memoriam presentes, nostro sigillo consignantes duximus concedendas. Datum, in die beate Margarete virginis et martiris, anno Domini M° ccc° xxx^mo tercio, Michaele, filio *Thome woyuode* Transiluani, preposito, et *Nicolao Marci* notario et canonico ecclesie nostre, existentibus.

Sigillum e viridi et violaceo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. P. nr. 16.

343.

1333. (Nyitra.) 15. Jul. — Capitulum Nitriense Claram, relictam Lodomerii de Csehi, ratione suae dotis et rerum parafernalium, Joannem de Csehi expeditum reddidisse, perhibet.

Nos *capitulum* ecclesie *Nitriensis*, tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod domina Clara, relicta Lodomeri de *Chehi* ab una parte, et comes Johannes de eadem Chehi ex altera, coram nobis personaliter constituti, eadem domina dictum Johannem et suos heredes, super dote sua et rebus parafornalibus, ex parte possessionis, dicti Lodomeri quondam mariti sui, sibi debitis, reddidit expeditos et penitus absolutos; e converso autem dictus comes Johannes eandem dominam glorem suam, in media parte possessionarie porcionis dicti Lodomeri, eiusdemque utilitatis curia, orto et domibus omnibus, usque vitam suam assumpsit conservare; ipsa vero defuncta eadem media pars possessionarie porcionis, ad dictum comitem Johannem et suos heredes denuo devolveretur. Asserentes eciam partes, quod si domina *Inch,* filia eiusdem Lodo-

meri, pro sua quarta filiali, ante mortem eiusdem domine matris sue, ipsos inpeteret, dictus comes Johannes in media parte, in alia vero parte ipsius quarte eadem domina Clara respondere tenebuntur. Adicientes eciam, quod dicta domina Clara nullum hominem advenam, in preiudicium dicti comitis Johannis, ad eandem curiam et possessionem adducere teneretur. Taliter se obligantes, quod si que parcium in premissis ordinacionibus quidquam affringerent et hoc, nostra amonicione premissa, infra quindenas emendare non curaret, extunc contra partem in premissis perseverantem in decem marcis, absque porcione iudicis, convinceretur eo facto. Datum, in festo divisionis apostolorum, anno Domini M° CCC° XXX^mo tercio.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 22. fasc. 1. nr. 2.

344.

1333. Visegrád. 9. Aug. — Comes Paulus, judex curiae, possessionem Nyir, a possessione Kesztölcz metis, per capitulum Strigoniense sub juramento declaratis, separat.

[N]os comes *Paulus*, iudex curie excellentissimi et magnifici principis domini *Karoli*, Dei gracia illustris regis Hungarie, memorie commendantes significamus tenore presencium, quibus expedit universis: quod cum *Alarch*, filius *Benk*, honorabile *capitulum* ecclesie *Strigoniensis*, per formam legittime citacionis, iuxta seriem litterarum citatoriarum religiosi conventus *crucíferorum*, ecclesie sancti regis St(ephani) de eodem *Strigonio*, ad feriam secundam proximam post quindenas festivitatis Epiphanye Domini nunc elapsas, contra se ad regiam 1333. 25. Jan.
presenciam in causam attraxisset, et ipsa causa multiphariis, multiplicibusque dilatoriis terminis intervenientibus, secundum diem octava- 1333. 12. Apr.
rum festi Dominice resurreccionis attinxisset. Ipso termino adveniente, pretacto Alarch filio Benk, veras metas et metarum limitaciones cuiusdam possessionis sue aquisiticie, *Nyr* vocate, in comitatu Strigoniensi, in vicinitate possessionis memorati capituli Strigoniensis, *Keztelch* nuncupate existentis, ex parte eiusdem possessionis Keztelch sequestrari et distingi facere postulante; discreto enim viro *Demetrio, decano* dicte ecclesie Strigoniensis, pro eodem capitulo Strigoniensi, cum sufficientibus procuratoriis litteris eiusdem capituli consurgente, et ipsum capitulum Strigoniense dictas veras metas predicte possessionis Nyr, ex parte prescripte possessionis Kezthelch, regni consuetudine requirente, sequestrari facere velle respondente, cum honorabili *capitulo* ecclesie *Budensis* scribendo, per ipsum capitulum Strigoniense, vel eiusdem legittimos procuratores, tercia feria proxima post quindenas festi beati Georgii martiris, tunc proxime venturas, legittimis vicinorum et commetaneorum eiusdem con- 1333. 11. Maii.
vocacionibus factis, veras metas et metales limitaciones dicte possessionis Nyr, ex parte pretacte possessionis Keztelch, iuxta regni consuetudinem, presentibus homine domini regis, et testimonio iam nominati capituli Budensis, sequestrari et ab invicem distingi; particulam enim in qua partes discordarent, per ipsum hominem regium, presente testimonio eiusdem capituli Budensis, una cum aliis probis viris, regali mensura mensurando estimari, seriemque premissorum, cum cursibus metarum, easdem possessiones ab invicem separancium, et estimacione particule litigiose, nostro iudiciario examini per partes, in litteris

dicti capituli Budensis, ad octavum diem reportari facere commisissemus, et ipsius reportate seriei discussionem, petentibus partibus, sub forma habende concordie, *ad vicesimum secundum diem reversionis domine regine* prorogassemum. Demum ipso termio adveniente, pretactus Alarch filius Benk, pro se personaliter, et dominus Theophylus, prepositus ecclesie Strigoniensis, pro capitulo eiusdem ecclesie, cum sufficientibus procuratoriis litteris, ad nostram accedentes presenciam, litteras prenominati capituli Budensis nobis demonstrarant. Quarum series, honorabiles viros pretactum Theophylum prepositum, Ladyzlaum lectorem et Demetrium decanum, nomine et vice ipsius capituli Strigoniensis, presentibus Georgio de *Thoh,* homine domini regis, et magistro Emerico, clerico chori et testimonio dicti capituli Budensis, in predicta feria tercia post quindenas festi beati Georgii martiris, predictam possessionem Nyr, ex parte possessionis Keztelch, omnibus vicinis et commetaneis earum legittime convocatis, per has metas — incipit prima a parte orientali de quodam monte petroso *Vodsumlo* vocato, et inde vadit versus occidentem, transit quandam viam, ubi est apparens meta terre; deinde transiens directe ad aliam metam terream, currit adhuc eundo versus eandem plagam ad quendam monticulum, vadit ad terciam metam terream; abhinc descendit ad vallem in fine ville eiusdem Nyr, circa curiam suam, vadit ad quartam metam terream; abhinc descendendo parum, intra sepem et fossam, est quinta meta terrea; abhinc descendendo directe vadit ad quandam arborem piri, deinde descendendo per bonum spacium venit ad unam metam terream, que per *Jazones* arata fuisset; adhuc descendendo iterum ad bonum spacium, venit ad quendam puteum *Beseneukuth* vocatum, abhinc descendendo it ad tres metas terreas, quas similiter per Jazones aratas fuisse affirmassent; et inde descendendo ad quandam viam antiquam et ibi terminantur mete terre —, sequestrasse exprimebat. Quas quidem metas, prenominatus Alarch, non esse veras dicte possessionis sue Nyr, coram nobis asserens, quandam particulam de dicta possessione sua Nyr, ad usum unius aratri, extra dictas metas adiacentem, ipsum capitulum Strigoniense occupasse proponebat. Sed quia ipse dominus Theophylus prepositus memoratus, metas veras dicte possessiones Nyr, ex parte memorate possessionis Keztelch separantes esse fatebatur, utraque pars ipsum capitulum Strigoniense in dominio dicte possessionis Keztelch priorem possessorem fore asserebat, ideo volentibus utrisque partibus decrevimus iudicando: quod una persona de dicto capitulo Strigoniensi, canonicali vel digniori beneficio sublimata, cum duobus nobilibus hominibus sibi adiunctis, presentibus Georgio de Thoh, vel Lukachio nobili de *insula Roos,* pro parte ipsius Alarch; item Egidio de *Boyun,* vel Rophayn de *Lybad,* pro parte memorati capituli Strigoniensis, aliis absentibus pro hominibus domini regis adducendis, ac testimonio prectacti capituli Budensis, feria quinta proxima post octavas festi beate virginis Margarete, proxime tunc sequentes, in facie dictarum metarum in uno loco astando, prout moris est, secundum regni consuetudinem iurare super terram, ut premisse mete vere mete ipsius possessionis Nyr, quibus ab ipsa possessione Keztelch separatur, — sint, sacramentum deponent, et seriem premissi iuramenti partes, octavo die in litteris dicti capituli Budensis, nostre iudiciarie deliberacioni reportarent. Tandem, iam dicto termino reportacionis seriei premissi iura-

1333. 18. Maii.

1333. 11. Maii.

1333. 22. Jul.

1333. 29. Jul.

menti occurrente, prenominati Alarch, filius Benk, pro se personaliter, et dominus Theophylus prepositus pro ipso capitulo Strigoniensi, cum sufficientibus procuratoriis litteris eiusdem capituli, ad nostrum iudiciarium accedentes conspectum, litteras pluries dicti capituli Budensis nobis demonstrarunt, quarum continencie in predicta quinta feria proxima post octavas beate Margarete virginis et martiris, discretum virum, magistrum *Thomam, canonicum* sepedicte ecclesie Strigoniensis et *rectorem misse altaris Beate Virginis* de eadem, presentibus pretactis hominibus domini regis, per partes adductis et magistro Johanne sublectore et fidedigno testimonio memorati capituli Budensis, in facie predictarum metarum astantem, cum duobus nobilibus hominibus sacramentum, regni consuetudine requirente, ipso Alarch ibi personaliter ipsum iuramentum exigente, suo modo deposuisse, declarabant. Unde, quia pretactus magister Thomas, canonicus dicte ecclesie Strigoniensis, memoratas metas veras metas dicte possessionis ipsius Alarch, Nyr vocate, ex parte prelibate possessionis, dicti capituli Strigoniensis, Keztelch nuncupate esse, deposicione iuramenti, iuxta nostram iudiciariam deliberacionem comprobasse, ex tenore premissarum litterarum predicti capituli Budensis, reperiebatur; nec prenominatus Alarch, contra formam earumdem litterarum, seriem ipsius sacramentalis deposicionis exprimencium, quamplurimis requisicionibus nostris exortatus, alicuius contradiccionis velamine se obviaturum fatebatur: ideo, unacum baronibus et nobilibus regni, iudiciario pro tribunali nobiscum assidentibus, pretactas metas pro veris metis dictarum possessionum, sine preiudicio iuris alieni, in perpetuum decrevimus duraturas. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, ne presenti cause, tam debito fine terminate, oblivionis caligo possit in futurum novercari, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, pendentis sigilli nostri autentici munimine roboratas. Datum, in *Wyssegrad*, duodecimo die termini reportacionis seriei iuramenti prenotati, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo tercio. 1333. 22. Jul.

Sigillum sat bene conservatum e flavo serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 28. fasc. 1. nr. 4. — Aliud exemplar in tergo cum notula manus coaev.: Super distinccione metarum possessionis de Kezteluch et Nyr Alardy. — Sigill. e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. ibidem sub nr. 5.

345.

1333. (Esztergom.) 23. Aug. — Capitulum Strigoniense inquisitionem, ad mandatum Caroli I. regis, pro monasterio s. Benedicti, contra Petrum de Bors, in possessione monasterii, Kovácsi vocata, peractam esse, regi rescribit.

Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie, *capitulum* ecclesie *Strigoniensis,* oraciones in Domino debitas et devotas. Excellencie vestre declaramus per presentes, quod cum receptis litteris vestre celsitudinis generalibus inquisitoriis, pro religioso viro domino fratre *Seuerido, abbate* monasterii sancti Benedicti de iuxta *Goron* et suo conventu, per fratrem Michaelem procuratorem eorumdem nobis exhibitis, cum Peteu, filio Anda de *Thayna,* homine vestro, Johannem sacerdotem de choro nostro, iuxta vestrum preceptum hominem nostrum, ad inquisicionem subscriptam faciendum misissemus pro testimonio. Idem Peteu homo vester, cum predicto homine nostro, tandem ad nos

reversi nobis concorditer retulerunt: quod sicut a nobilibus et aliis comunibus hominibus comitatus Borsiensis, et specialiter vicinis et commetaneis ville dicti monasterii, *Koachy* vocate, palam et occulte scire et inquirere veridice potuissent, talem de premissa inquisicione investigassent veritatem: Quod Petrus comes, frater Bors de *Nemchen,* propria auctoritate, tempore Mathei de Trinchinio et ipsius potencie, per famulos et iobagiones suos de eadem, unam de principalibus metis prenotati monasterii sancti Benedicti, que predictas (expunct.: metas) possessiones, suam Nemchen et monasterii Koachy, a se invicem separabat, subfodiendo, ac perarando demoliri et destrui fecisset, et post mete ipsius destruccionem, contra prohibicionem eiusdem domini Seueridi abbatis monasterii sancti Benedicti et sui conventus, auctoritate regia legittime factam, magnam terre quantitatem, intra predictam metam existentem, potencialiter excisam et distractam occupasset, suo et suorum iobagionum usui eandem applicando, in preiudicium ipsius monasterii sancti Benedicti non modicum et iacturam. Cuius eciam mete destruccionem se vidisse retulerunt fide occulata. Datum, in vigilia festi beati Bartholomei apostoli, anno Domini M° ccc° xxx^mo tercio.

Extus: Domino regi, pro domino fratre Seurido abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Goron et suo conventu, contra comitem Petrum, fratrem Bors de *Nemchen,* super principalis mete destruccione et particula terre, intra eandem metam habite, occupacione, ad possessionem eiusdem monasterii, *Koachy* vocata, pertinente, inquisitoria. — Subtus: Strigon. — Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 2. fasc. 1. nr. 7.

346.

1333. (Zobor.) 1. Sept. — Inquisitoriae conventus de Zobor, super destructione metarum possessionis Kovácsi, ut supra.

Excellentissimo domino *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie, domino suo illustri, *conventus* monasterii beati Ipoliti martiris de *Zuburio,* oraciones in Domino continuas et devotas. Litteris vestre excellencie generalibus inquisitoriis, pro domino *Syffrido,* abbate monasterii sancti Benedicti de *iuxta Goron* et suo conventu, reverencia qua decuit receptis, cum Salomone de *Hynd,* homine vestre celsitudinis, fratrem Johannem sacerdotem de conventu nostro, iuxta vestrum mandatum hominem nostrum, ad faciendum inquisicionem infrascriptam, pro testimonio duximus transmittendum. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt: quod sicut a nobilibus et aliis comunibus hominibus comitatus Borsiensis, et specialiter vicinis et commetaneis ville dicti monasterii, *Kouachy* vocate, palam et occulte scire et inquirere veridice potuissent, talem de premissa inquisicione rescivissent veritatem: quod comes Petrus, frater Bors de *Nemchen,* propria auctoritate, tempore *Mathei de Trinchinio* et ipsius potencie, per famulos et iobagiones suos de eadem, unam de principalibus metis prenotati monasterii sancti Benedicti, que predictas possessiones suam Nemchen et monasterii Kouachy a se invicem separabat, subfodiendo ac perarando, demoliri et destrui fecisset, et post mete ipsius destruccionem, contra prohibicionem eiusdem domini Syffridi abbatis monasterii sancti Benedicti et sui conventus, auctoritate regia legitime factam, magnam terre quantitatem, intra predictam metam existentem, protencialiter excisam et distractam occupasset, suo et suorum iobagionum usui eandem applicando, in preiudicium ipsius monasterii sancti Benedicti non modicum

et iacturam. Cuius eciam mete destruccionem se vidisse retulerunt, fide oculata. Datum, in festo beati Egidii confessoris et abbatis, anno Domini Millesimo ccc^mo tricesimo tercio.

Extus: Excellentissimo domino suo Karolo, Dei gracia regi Hungarie pro domino Syffrido abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Goron et suo conventu, contra Petrum comitem fratrem Bors de *Nemchen*, super principalis mete destruccione et particula terre intra eandem metam habite occupacione, ad possessionem eiusdem monasterii *Kouachg* vocata pertinente, inquisitoria. — Subtus: Zubur. — Sigillum margini ext. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 2. fasc. 1. nr. 8.

347.

1333. Visegrád. 29. Oct. — Obligatoriae Danielis, abbatis s. Andreae de Visegrád, coram Jacobo nuncio apostolico, super possessiene Örs, Seffrido abbati datae.

Nos frater *Jacobus*, operarius monasterii Crasensis et *nuncius* sedis apostolice ad partes Vngarie destinatus, significamus quibus expedit universis: quod religiosus vir dominus *Daniel abbas* monasterii *sancti Andree*, in nostri presencia et fratris Bernhardi, dilecti fratris nostri constitutus, se voluntate spontanea obligavit: quod ipse, una cum domino *Syfrido abbate* de Sancto Benedicto, post festum omnium sanctorum proxime affuturum statim sequenti die, ibit ad villam dictam *Vers*, que eos communiter contingit, et ibidem de omnibus perceptis, ab eo tempore quo abbaciam sancti Andree intravit, a populis de ipsa villa Vers, ipsi abbati de Sancto Benedicto, persolveret mediam plenarie porcionem, de terragio videlicet, seu de muneribus, vel eciam de birsagiis, aut de feno, seu de aliis debitis quibuscunque; item promisit domos cum stabulo, quas et quod iuxta monasterium sancti Andree pro opere sui monasterii detexerat, absque omni mora cum bona tectura utiliter reparare; preterea eciam adiecit, quod si predictas soluciones, vel domorum tecturas protinus non perficeret, seu aliquo modo prorogaret, extunc ab ingressu ecclesie esset penitus interdictus. Datum, *in domo nostra in Wisegrad*, anno Domini M CCC XXXIII^o proxima sexta feria ante festum omnium sanctorum. 1333. 2. Nov.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. in scheda chart., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 1. nr. 28.

348.

1333. (Szepeshely.) 4. Nov. — Capitulum Scepusiense, filios comitis Conradi de Gargow (Görgő), possessionem suam haereditariam, dimidietatem nempe villae Matheócz, coenobio de Stohl, Ord. s. Benedicti, perpetuo donasse, perhibet.

Ed. Wagner: Analecta Scepus. P. I. p. 409. — Fejér: Cod. Dipl. VIII^5. p. 215.

349.

1333. (Pozsony.) 6. Dec. — Capitulum Posoniense, dominam Elisabetham, ancillam suam Ceciliam, manumisisse perhibet.

Universis Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, capitulum ecclesie *Posoniensis*, salutem in omnium Salvatore. Memoria hominum dilabitur, si

non fuerint acta in tempore stili patrocinio perhennata. Igitur ad universorum noticiam presencium serie volumus pervenire, quod nobilis domina, domina Elyzabeth, soror nobilium virorum Foko et Andich de *Ougya* magistrorum, personaliter coram nobis constituta, vive vocis ministerio, quandam ancillam suam Ceciliam nomine, sed cognomine *Wyolam,* eciam personaliter coram nobis astantem, quam sibi dixit a domina sua matre, tempore sue maritacionis fuisse donatam et devolutam, in suc salutis et memorate sue matris augmentum, manumittens perpetue tradidit libertati. Sic, quod quicunque successu temporis ipsam Ceciliam nunc manumissam, et perpetuo liberam, racione pristine servitutis impetere vellent, ex tunc ipsa domina Elyzabeth, et eius successores, ipsam Ceciliam, cum omnibus suis heredibus utriusque sexus, defendere et expedire et tueri tenebuntur, propriis suis laboribus et expensis. Insuper eciam talis, qui sic predictam Ceciliam molestare moliretur, is scilicet, cui ipsius domine Elyzabeth benedicio vel maledicio prodesse vel obesse, si phas (sic!) est et licitum, anathematis vinculo innodetur. (sic!) In cuius manumissionis et libertati tradicionis memoriam, has nostro sigillo pendenti consignatas, duximus concedendas. Datum, in festo beati Nicolai confessoris, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo tercio.

A. B. C.

Sigillum e rubro et flavo serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 66. fasc. 2. nr. 46.

350.

(1333.) — — **Abbates de Pilis et de Bakony, iuxta tenorem mandati apostolici, episcopos Agriensem et Nitriensem, in causa finium archiepiscopatus Strigoniensis regulandorum, per Protum prepositum de Csernovans, iudicem delegatum, subdelegatos, a promulgatione censurarum, sub poena earumdem censurarum, inhibent.**

Venerabilibus in Christo patribus et dominis, Nicolao Dei et apostolica gracia episcopo Agriensi et religioso viro fratri M.(esconi) et domino, per eandem episcopo *Nitriensy*, . . . de *Pylisyo* et *Bocconio* monasteriorum, divina providencia abbates religiosi, ordinis Cysterciensis, executores ad infrascripta a sede apostolica deputati, salutem et sinceram in Domino caritatem. Noverit vestra reverencia, litteram sanctissimi patris et domini, domini Innocencii, felicis recordacionis pape quarti, non viciatam, nec corruptam, sed vera eius bulla plumbea in filo canapis bullatam, per reverendum patrem dominum *Chanadinum*, Dei et apostolice sedis gracia supradicta, archiepiscopum *Strigoniensem*, presentatam nobis seu exhibitam extitisse, cuius tenor in publico instrumento, per magistrum Gyllermum, auctoritate apostolica notarium, recepto et confecto, incipienti in secunda sui linea, et finienti in eadem subscriptorum, et incipienti in penultima sui linea, nichil addito et finienti in eadem, publicam formam lacius et plenius est insertus; asserens idem dominus archiepiscopus coram nobis, per dominum Prhotum (sic!), prepositum domus Dei de *Chernovans,* ordinis Premonstratensis, dyocesis *Wratislaviensis*, iudicem a sede apostolica delegatum, et per vos suorum mandatorum, ymo verius apostolicorum, et forsitan per alios, contra tenorem prefate littere, se et suum capitulum, ac ecclesiam suam in causa fininium (sic!) regalandorum et episcopatuum limitum, qui ex argumenta debent comprobari,

verissimiliter formidans indebite molestari. Quare nos instanter requisivit, quatenus ad execucionem predicte littere, cum nunc locus existat, ut dicti mandati apostolici, nobis directi, ut tenemur, procedere dignaremur. Cuius tenor talis est:

Sequitur mandatum Innocentii PP. IV. a. 1251., ut nullus delegatus, — absque speciali mandato apost. sedis, — possit in eccl. Strigoniensem excommunicationis sententiam promulgari. Edit. ex hoc ipso trans. in T. I. p. 420. nr. 549. 1251. 2. Oct.

Nos igitur, apostolicum mandatum nobis in hac parte commissum, exequi volentes, ut tenemur iure subiectivo, vos auctoritate apostolica predicta, et coniunctim et divisim, primo, secundo et tercio, ac peremptorie, sub interdicti, suspensionis et excommunicacionis penis, ammonicione canonica premissa inducimus, vobis inponentes in virtute sancte obediencie, quatenus in predictum dominum archiepiscopum Strigoniensem, eiusque capitulum ac ecclesiam suam, contra formam dicti mandati apostolici, nullas interdicti, suspensionis vel excommunicacionis sentencias, tanquam mandatorum domini Proci, prepositi de *Chernowans* promulgetis, et promulgatas, tanquam mandatorum apostolicorum ignari, infra sex dierum spacium, postquam ad vestram noticiam pervenerit, tenore et auctoritate presencium, quorum dierum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos pro tercio et peremptorie terminis, monicione canonica premissa, ut est premissum, (expunct.: stu) assignamus, studeatis revocare et ed statum pristinum reducere. Quod si forte premissa, infra dictum tempus seu spacium facere non curaveritis, et mandata nostra, ymo verius apostolica, contempseritis adimplere, predictas sentencias non removendo seu revocando: vos, predicta canonica monicione in hys scriptis ex nunc, prout ex tunc premissa, excommunicacionis sentencia innodamus, contra vos et alios, qui predictis mandatis apostolicis obviarent, gravius processuri, tramite iuris observato, ut equitas iuris suadebit. Absolucionem huiusmodi obviacionis vestre et omnium illorum, qui predictas nostras sentencias incurrerint, nobis vel superiori nostro tantummodo reservantes. In quorum testimonium et certitudinem pleniorem nos, predicti abbates, sigilla nostra duximus presentibus apponenda. Actum et datum.

Datum deest, a tergo tamen adnotatur annus 1333. — Sigillum ovale e zona membr. pendens praelatum stantem exhibet, perigraphe detritum. Aliud sigillum avulsum. Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 44. fasc. 1. nr. 8 et in Arch. Primat. Eccl. Vet. nr. 13.

351.

1334. Ujhelyvára. 30. Jan. — Magister Johannes, filius Babonigh, tavarnicorum magister, pratum quoddam suum iuxta Bodrog situm, claustro S. Stephani in Ujhely O. B. August. donat.

Nos magister Johannes, filius Babonigh, olym banus tocius terre Sclauonie et tawarnicorum magister, serenissime regine Elysabeth Dei gracia Hungarie, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod cum nos ob reverenciam Omnipotentis et matris eius Virginis Marie, ac ad laudem et honorem beatissimi Augustini confessoris, ob remedium anime patris et matris nostre, pariter et pro salute nostra (sic!) anime, una cum nostrorum filiorum et pro illis animabus remedium expectancium, quoddam pratum nostrum ex ista parte fluvii Budrugh vocati sitam (sic!) et habitum, fratribus in Christo reverentibus ordinis beati Augustini, in claustro sanctissimi

regis Stephani in Wyhel existentibus, quemquidem pratum, ab aliis pratis, *per has* metas separa*tur*, videlicet in parte orientali ultra fluvium dicti Budrugh in rectitudine et accentu (sic!) est quedam villa, Bereck vocata, et ex ista parte fluvii, in parte meridionali iuxta magnam viam, que tendit versus villam Agoch, que fluvio proprius adjacens ex ista parte eiusdem vie prope est quedam arbor pyri, cuius vaditus et raccitudo (sic!) vadit versus occiden*tal*em ad magnam silvam, Lungh vocatam, et inde se movendo erga eandem silvam egreditur ad partem septemtrionalem et vertit se ad quandam arborem magnam pupulus, in Wlgarico Naarfa uo vocatam (sic!), que est in dicta silva, per spacium competentem, et inde tendit se iterum in partem orientalem versus eandem magnam viam, et ipsam transiendo cucurrit ad quendam arborem similiter pupulus vocatam, que est in portu sepedicti fluvii Budrugh vocati, et ibi di*f*initur, ac ad invicem mete per hanc formam determinatur pariter cum una p*y*sscina, Coachy vocata, que est in parte meridionali ville, Burs*y* vocate, quam quidem p*y*sscinam *eius*dem portus circumdat in modum suarum metarum et excludit, omni sua utilitate et sibi attinenciis spontanea nostra et propria voluntate dedimus, donavimus et contulimus, tenendam, possidendam pariter et habendam; quamquidem nostram donacionem alicuius temporis processu, per aliquem successorum nostrorum revocari et habere niter*etur* patris omnipotenis Dei mereatur habere malediccionem infinalem (sic!); et ut eciam huiusmodi in perpetuum et irrevocabiliter perseveret donacio, ne per quem piam revocetur, presentes nostras concessimus, pendenti sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in *Wyheluara,* dominica die proxima ante festum purificacionis Virginis Gloriose, anno ab incarnacionis Domini M° ccc° xxx^mo quarto.

Orig. membran., valde negligenter confect. et charact. script. cod. consimili exarat., in arch. Capituli Strigoniensis Priv. Capsa August. R.

352.

1334. (Esztergom.) 20. Mart. — Conventus Cruciferorum de Strigonio, Mikócsa, nobilem possessionem suam in Csév, Stephano castellano de Visegrád, donasse testatur.

Nos conventus *cruciferorum,* domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani de *Strigonio,* significamus tenore presencium, quibus expedit universis: quod *Mykoucha,* filius Eleek, nobilis de *Chew,* ad nostram personaliter accedendo presenciam, dixit et confessus, (emansit: est) oraculo vive vocis, quandam possessionem suam *Chew* vocatam, ipsum hereditario iure contingentem, excepta terra arabili ad unum aratrum sufficienti, et una vinea in dicta possessione (expunct.: poss) sita, in *comitatu Strigoniensi* (sic!) existenti, dedisse, donasse et contulisse, *y*mo dedit, donavit et contulit, nobili viro magistro *Stephano,* castellano de *Wyssegrad,* coram nobis, et per ipsum magistrum Stephanum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo possidendam, tenendam pariter habendam, nullo penitus contradictore apparente, nostri in presencia; tali condicione interposita, quod ipse Mykoucha, dictam terram arabilem ad unum aratrum sufficientem, usque suam vitam pacifice possidebit, mortuo autem ipso ad manus eiusdem comitis Stephani similiter perpetuo possidenda devolveretur; prefatam vero vineam suam dictus Mycoucha, in ultimo suo testamento, liberam habebit legandi cuicunque voluerit facultatem. In cuius rei

testimonium, presentes eidem magistro Stephano, ad peticionem et instanciam parcium predictarum, duximus concedendas; et dum presentes nobis reportate fuerint, in formam nostri privilegii redigi faciemus. Datum, in dominica Ramispalmarum, anno Domini M° CCC° XXX° quarto.

In tergo; Littera super *Chea*. — Et iterum alia manu: Mykowcha, filius Elek, dedit possessionem *Chew*, Stephano castellano Wyssegradiensi. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 26. fasc. 3. nr. 2.

353.

1334. Avignon. 26. Apr. — Johannes PP. XXII., Mesconem episcopum Nitriensem, ad Vesprimiensem sedem translatum, Chanadino archieppo commendat.

Johannes, episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri . . . . *archiepiscopo Strigoniensi*, salutem et apostolicam benedictionem. Ad cumulum tue cedit salutis et fame, si personas ecclesiasticas, presertim pontificali dignitate preditas, divine propitiationis intuitu oportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Sane pridem *ecclesia Wesprimiensis, per obitum* bone memorie *Henrici*, episcopi Wesprimiensis, pastoris solacio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, venerabilem fratrem nostrum *Meschonem Wesprimiensem, tunc Nitriensem* episcopum, in Wesprimiensem episcopum, per viam scrutinii concorditer postularunt; ipseque Mescho deinde, huiusmodi postulationi sibi legitime presentate, consentire nequiens, statum suum exposuit humiliter, in hac parte, apostolico beneplacito et mandato. Cumque postmodum prefati capitulum, per certos eorum procuratores ydoneos, propter hoc ad sedem apostolicam specialiter destinatos, a nobis suppliciter petivissent, ut postulationem ipsam, eius nobis presentato decreto, admittere de benignitate apostolica dignaremur. Nos postulationem eandem, quam diligenter examinari et plenam relationem exinde nobis fieri fecimus, ex certis rationabilibus causis non duximus admittendam. Subsequenter, namque paterna diligentia precavere volentes, ne dicta ecclesia ulterioris vacationis incommoda deploraret, et cupientes illius regimini utilem et fructuosam presidere personam, post deliberationem quam cum fratribus nostris super hoc habuimus diligentem, attentis magnis graciarum donis et virtutum dotibus, quibus illarum Dominus personam ipsius Meschonis episcopi, prout ex testimoniis fidedignis accepimus insignivit, et quod ecclesiam Nitriensem, ut asseritur, laudabiliter gubernavit, considerata quoque unicordia voluntatum dictorum capituli, que in postulatione predicta concurrisse noscuntur, demum in dictum Meschonem episcopum duximus aciem nostre mentis intendentes. (sic!) Igitur tam eidem ecclesie Wesprimiensi, quam gregi Dominico eiusdem salubriter, ac utiliter providere (emansit: cupientes), prefatum Meschonem episcopum, a vinculo quo ipsi ecclesie Nitriensi, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum predictorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad dictam ecclesiam Wesprimiensem apostolica auctoritate transtulimus, ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie Wesprimiensis sibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus, plenarie committendo, liberamque sibi tribuendo licentiam ad eandem Wesprimiensem ecclesiam transeundi. Firma in Domino

concepta fiducia, ex peractis suorum maturis fructibus studiorum, quod gratia sibi favente divina, prefata ecclesia Wesprimiensis, sub umbra sui nominis et per suum ministerium studiosum votiva, honoris et commodi suscipiet incrementa. Cum igitur, ut idem episcopus, in commissa sibi ecclesie Wesprimiensis predicte cura facilius proficere valeat, tuus favor esse noscitur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus eundem episcopum suffraganeum tuum et commissam sibi ecclesiam, habens pro nostra et eiusdem sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus suis et ipsius ecclesie sue; sic eum tui favoris presidio prosequaris, quod ipse per tue auxilium gratie, se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie sue regimine utilius exercere, tuque proinde divinam misericordiam ac sedis eiusdem benivolentiam, uberius valeas promereri. Datum *Auinione*, VI Kalendas Maii, pontificatus nostri anno decimo octavo.

Extus manu medii aevi: Bulla apostolica, transmissa reverendo patri domino archiepiscopo Strigoniensi, tamquam metropolitano ecclesie Wesprimiensis, et conservanda que aliqualiter probat subiectionem predicte Vesprimiensis ecclesie. — Bulla e cannabi pendet. — Orig. membr., in Arch. Primat. Ecclesiast. Vet. nr. 2111/2.

354.

1334. (Esztergom.) 10. Maii. — Capitulum Strigoniense, Jacobum et Paulum possessiones suas Zsél et Mikófalva, in comitatu Neogradiensi sitas, magistro Petro vendidisse testatur.

Theophylus prepositus, et capitulum Strigoniensis ecclesie, omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, presencium noticiam habituris, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam, harum serie litterarum volumus pervenire, quod discreto viro et honesto magistro Jacobo, filio comitis Mathey de *Bechke,* aule regie notario, et Paulo, filio Nycolai, fratre ipsius patrueli, pro se et pro predicto comite Mathe ac Nycolao fratre ipsorum ab una; comite Endree, filio Beke, seruiente et procuratore, prout dixit, magistri Petri, filii comitis *Biter,* vice et nomine eiusdem domini sui, parte ex altera; coram nobis personaliter constitutis, predicti magistri Jacobus et Paulus, oraculo vive vocis sunt confessi: quod quasdam terras, seu possessiones ipsorum hereditarias, *Seel* et *Mykouhaza* vocatas, in comitatu Neugradiensi, juxta fluvium *Kyurthus,* a parte orientali circa terram eiusdem magistri Petri, similiter Seel nuncupatam, existentes et adiacentes, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis universis earundem, et specialiter molendino, terris arabilibus et incultis (sic!) silvis, nemoribus, fenetis et pratis, sub metis et terminis, quibus ipsorum predecessores, et per consequens ipsi usque modo, eam tenuerunt et possederunt, vendidissent, dedissent, statuissent at assignassent prefato magistro Petro, et per ipsum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, pro quinquaginta marcis fini argenti, prout iidem magister Jacobus et Paulus asseruerunt plene habitis et receptis ab eodem, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendas, tenendas pariter et habendas. Insuper prefati magistri Jacobus et Paulus, tam pro se, quam pro suis, firmiter et sollempniter assumpserunt et se obligarunt, prefatum magistrum P[etrum et] suos heredes, in predictis terris seu possessionibus pacifice tenere et cum omni tranquilitate conservare, nec non ab om[nibus . . .] dictarum terrarum, seu posses-

sionum, modo premisso venditarum impetitoribus, vel impetere volentibus, liberare et expedire [propriis suis] laboribus et expensis. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras nostras [privile]giales, sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri domini Ladislai, lectoris ecclesie nostre [Strigoni]ensis, feria tercia proxima ante festum penthecostes, anno Domini M° ccc° xxx quarto.

Sigillum e rubro serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nation. Hung. Budapest, in Arch. Fam. b. Balassa. Fasc. A. L. N. 25.

355.

1334. Avignon. 11. Maii. — Johannes PP. XXII., fratrem Vitum, electum Nitriensem, favori archiepiscopi Strigon. commendat.

Johannes, episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri . . . . *archiepiscopo Strigoniensi*, salutem et apostolicam benedictionem. Ad cumulum tue cedit salutis et fame, si personas ecclesiasticas, presertim pontificali dignitate preditas, divine propitiatione intuitu, oportuni presidii et favoris gratia prosequaris. Nuper siquidem ecclesia Nitriensi vacante pro eo, quod nos venerabilem fratrem nostrum *Meskonem* Wesprimiensem, tunc Nitriensem episcopum, licet absentem, a vinculo quo ipsi Nitriensi ecclesie, cui tunc preerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine, absolventes, ipsum ad Wesprimiensem ecclesiam, tunc vacantem, duximus transferendum, preficiendo eum illi in episcopum et pastorem. Nos volentes eidem ecclesie *Nitriensi,* ne dispendia prolixe vacationis incurreret, paterna solicitudine precavere, cum nullus preter nos ea vice de provisione ipsius Nitriensis ecclesie se intromittere posset pro eo, quod nos diu ante huiusmodi vacationem ipsius ecclesie Nitriensis, omnes ecclesias cathedrales tunc vacantes et vacaturas in antea, per translationes per nos tunc factas et imposterum faciendas, de prelatis earum ubilibet constitutis ad alias ecclesias cathedrales tunc vacantes et in antea vacaturas, apud sedem apostolicam vacare intelleximus et voluimus, earumque provisiones dispositioni nostre duximus reservandas, decernentes extunc irritum et inane si secus super hys per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari, post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie Nitriensi personam utilem ac etiam fructuosam, cum eisdem nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad dilectum filium *Vitum de Castroferreo* electum Nitriensem, ordinis fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia, vite munditia, religionis zelo, honestate morum, spiritualium prudentia et temporalium providentia et aliis virtutum meritis fidedigna testimonia suffragantur, duximus aciem nostre mentis. Quibus omnibus debita meditatione discussis, de persona sua nobis et eisdem fratribus nostris, ob huiusmodi suorum exigentiam meritorum accepta, de dictorum fratrum consilio, eidem Nitriensi ecclesie, auctoritate apostolica, duximus providendum, ipsumque ipsi Nitriensi ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius sibi, tam in spiritualibus quam in temporalibus, plenarie committendo; firma spe fiduciaque tenentes, quod dirigente Domino actus suos, eadem Nitriensis ecclesia, per sue circumspectionis

industriam, prospere dirigetur et salubria, dante Domino, suscipiet incrementa. Cum igitur idem electus, ut in commissa sibi ipsius ecclesie Nitriensis cura facilius proficere valeat, tuus favor sibi esse noscatur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus eundem electum et commissam sibi ecclesiam tuam suffraganeam, habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis viribus suis, sic eum tui favoris presidio prosequaris, quod ipse per tue auxilium gratie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie Nitriensis regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et dicte sedis benevolentiam exinde valeas uberius promereri. Datum *Auinione*, V Idus Maii, pontificatus nostri anno decimo octavo.

In tergo manu medii aevi: Bulla ista apostolica probat ecclesiam Nitriensem fore subiectam et suffraganeam ecclesie Strigoniensis, ideo conservanda. — Bulla e cannabi pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 47. Fasc. 2. nr. 4.

356.

1334. (Pozsony.) 31. Maii. — Capitulum Posoniense, Liphardum de Récse, nemus quoddam in Csölle, Andreae de Csurle, vendidisse testatur.

Universis Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, capitulum *ecclesie Posoniensis*, salutem in salutis largitore. Ad universorum, tam presencium, quam futurorum noticiam, presencium serie volumus pervenire: quod *Lyphardus*, filius Petri dicti *Reche*, personaliter ad nostram accedens presenciam, vive vocis ministerio quoddam nemus suum, in superiori fine ville *Churle*, penes aquam, quod quidem uno fine vadit versus pontem ville *Hehth*, comiti *Andree*, filio Nicolai de *Churle*, et per eum suis heredibus heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter, pro viginti marcis denariorum Wyennensium, singulis decem pensis computatis, quibus quidem marcis idem Lyphardus eidem comiti Andree se fore dixit debitorem, dedit, vendidit et alienavit semper possidendum, tenendum pariter et habendum; obligavit idem Lyphardus nichilominus se, quod quicunque ex sua nacione premissi nemoris racione, ipsum comitem Andream, aut eius successores, successu temporis infestare niterentur, idem Lyphardus et eius successores vel heredes, ipsum comitem Andream, cum suis posteritatibus, tenebuntur super eo expedire et defendere, suis propriis laboribus et expensis. In cuius rei memoriam, presentes nostro sigillo consignatas duximus concedendas. Datum, in die beate Petronelle virginis, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo quarto.

A. B. C.

Sigillum e ceruleo et flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson., Publ. Capsa 14. fasc. 3. nr. 15.

357.

1334. Visegrád. 1. Jun. — Elisabetha regina, possessionem Gyarmath, filiis Jacobi, per capitulum Strigoniense, metis prius revisis, statui iubet.

Tenorem vide sub. nr. 360.

358.

1334. — 2. Jun. — Carolus I. rex, castra Strigo et Csáktornya, magistro Donch comiti Zoliensi, pro castro Árva donata, ad petitionem eiusdem, cum castro Kómárom, permutat.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, noticiam presencium habituris, salutem in omnium salutis largitore. Cum benemeritis favor debitus impenditur et sinus dileccionis panditur, fideliterque obsequendo digna merces redditur, Deus placare creditur et subditi ad fidelitatis opera exercenda facilius invitantur accedunturque, sub spe et desiderio retribucionis amplioris. Proinde ad universorum, tam presencium quam futurorum noticiam volumus pervenire: quod cum nos nobili viro magistro *Donch,* filio Dominici, comiti de *Zolio* fideli nostro, mediantibus litteris honorabilium virorum *capituli* scilicet ecclesie *Strigoniensis* privilegialibus, in permutacionem castri *Arwa* nuncupati, quod idem nobis et nostris heredibus, sive successoribus restituit et reliquit, cum toto districtu eiusdem et suis pertinenciis universis, ac singulis perpetuo possidendum, tenendum pariter et habendum, quedam castra nostra *Strigow* et *Chaakturnya* nominata, inter fluvios *Drawa* et *Mura* habita et situata, similiter cum suis districtibus et pertinenciis universis, ac tenutis ad easdem spectantibus, dedissemus et tradidissemus perpetuo, in filios filiorum eiusdem possidenda; que quidem castra idem, pleno iure sibi statuta, pluribus diebus titulo dicte permutacionis habuisset et tenuisset. Tandem idem magister Donch, ad nostram accedendo presenciam, exposuit nobis humiliter supplicando, quod castrum nostrum *Kamarun* nuncupatum, in comitatu de Kamarun, in insula Danubii habitum, propter hoc, ut ipse ad nos in curia nostra proprius fieri possit et debeat, ac sua nobis fidelia servicia magis continue erga nos existencia commodius valeat frequentare, sibi magis utile quam predicta castra Strigow et Chaakturnya vocata, ut premittitur in permutacionem castri Arwa nominati, per nos sibi data, fore inspexisset et pariter estimasset, petens ut predictum castrum nostrum Kamarun vocatum in permutacionem iam dictorum castrorum Strigow et Chaakturnya dare sibi, de benignitate regia digniaremur. Itaque nos peticionibus eiusdem favorabiliter inclinati, tam predicta consideracione, ea videlicet, ut idem magister Donch in curia nostra existat et resideat, ac nobis commodius valeat famulare, quam pro suis serviciis, quoniam debemus cuiuslibet f[ide]lium nostrorum servicia attendere et ipsis pro eisdem serviciis esse favorabiles et pariter graciosi, predictum castrum nostrum Kamarun vocatum, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, villis scilicet, tributis, piscinis sive piscaturis et aliis universis et singulis iuribus, rite et iuste ad ipsum castrum, salvo iure alieno, sub metis terminis et limitacionibus antiquis spectantibus et pertinentibus, eidem magistro Donch, qui ipsum castrum Kamarun sibi fore, ut predicitur, magis utile quam castra predicta allegabat, et a nobis ei dari instantissime, propter causas predictas postulabat dedimus, tradidimus et contulimus, iure perpetuo et irrevocabiliter, in filios filiorum eius et heredes possidendum, tenendum pariter et habendum; predicto tamen *comitatu Kamariensi* nobis et nostris heredibus, sive successoribus reservato. E converso quidem idem magister Donch in permutacionem dicti castri Kamarun, supradicta castra Strigow et Chaakturnya,

cum omnibus pertinenciis eorumdem, quibus erant sibi statuta, nobis et nostris heredibus, ac successoribus reddidit et restituit, pleno iure, nichil iuris nichilque proprietatis sibi et suis heredibus in ipsis castris Strigow et Chaakturnya, eorumque iuribus et pertinenciis universis, deinceps reservando. In cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam, presentes eidem concessimus litteras, dupplicis autentici sigilli nostri appensione communitas. Datum, per manus venerabilis viri magistri *Tathamerii,* Albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, quarto Nonas Junii, anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo quarto. Venerabilibus in Christo patribus et dominis Chanadino Strigoniensi, fratre Ladislao Colocensi, aule nostre cancellario, archiepiscopis; Nicolao Jauriensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Andrea Transsiluano et altero Andrea Waradiensi, Ladislao Zagrabiensi, Nicolao Agriensi, Meskone Nittriensi, fratre Rodolpho Waciensi, fratre Paulo Albensi de Nandor et Jacobo Chanadiensi ecclesiarum episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus; Wesprimiensi autem et Syrimiensi, ac Boznensi sedibus vacantibus. Magnificis barronibus Wyllermo Drwgeth palatino, comite Zepsiensi et de Wywar; Demetrio magistro thavarnicorum nostrorum; Thoma wayuoda Transsiluano et comite de Zonuk; comite Paulo, Simonis filio, iudice curie nostre; Mykch bano tocius Sclauonie; Johanne bano de Machou; Paulo magistro thavarnicorum domine regine, consortis nostre carissime; Dionisio daphiferorum nostrorum, Stephano agazonum nostrorum magistris, ac Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, regni nostri comitatus tenentibus et honores. 1334. 2. Jun.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — E. transsumpto Uladislai II. regis a. 1504. concesso. — Orig. in charta, in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 30. — Edid. Fejér: Cod. Dipl. VIII³. 722.

359.

1334. (Esztergom.) 4. Junii. — Capitulum Strigoniense, Carolo I. regi, seriem reambulationis metarum, statutionisque possessionis Gyarmath, rescribit.

Tenorem vide sub. nr. 360.

360.

1334. Visegrád. Post 4. Junii. — Carolus I. rex, statutionem possessionis Gyarmath, in comitatu Strigoniensi existentis, ad mandatum Elisabethae reginae, pro Thoma et Paulo factam, transscribit et confirmat.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod *Thomas* et *Paulus,* filii Jacobi, speciales aule nostre tawarnici, ad nostram accedentes presenciam quasdam litteras rescripcionis *capituli* ecclesie *Strigoniensis,* super reambulacione et distinccione metarum possessionis, seu terre *reginalis Gyarmat* vocate, in comitatu Strigoniensi prope Danubium existentis, nostre destinatas maiestati, nobis exhibendo presentarunt, petentes nos humili cum instancia, ut tenorem dictarum litterarum, presentibus nostris litteris patentibus, de verbo ad verbum transscribi faciendo, ad uberiorem cautelam et iuris eorum tuciorem conservacionem, consignacione nostri sigilli clementer confirmare dignaremur. Quarum tenor talis est:

Excellenti et magnifico principi, domino suo *Karolo,* Dei gracia inclito regi Hungarie, prepositus et capitulum ecclesie Strigoniensis, oraciones in Domino,

tam debitas quam debitas (sic!) Excellentis domine *Elizabet,* Dei (emansit: gracia) inclite regine Hungarie litteras nobis exhibitas, recepimus debito cum honore, in hec verba:

Elizabet, Dei gracia regina Hungarie, fidelibus suis capitulo ecclesie Strigoniensis, salutem et graciam. Dicunt nobis Thomas et Paulus, filii Jacobi, speciales aule nostre tawarnici, quod quedam terra nostra reginalis Gyarmath vocata, in comitatu Strigoniensi, prope Danobium existens, que ipsorum claris exigentibus meritis serviciorum per nostram excellenciam ipsis donata extitisset, reambulacionem et metarum distinccionem plurimum indigeret. Super quo fidelitati vestre precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente Gregorius, filius Jule, *Chuntus* dictus, aule nostre iuvenis, vel Jacobus de *Musla*, altero absente homo noster, ad faciem dicte terre et possessionis Gyarmath accedendo, convocatis universis vicinis et commetaneis, ac ibidem presencialiter existentibus, reambulet eandem per veteres metas et antiquas, novas metas iuxta veteres, ubi necesse fuerit erigendo, reambulatamque et ab aliorum possessionum (sic!) distinctam, relinquat ipsis Thome et Paulo perpetuo possidendam, si non fuerit per quempiam contradictum; contradictores vero, si qui fuerint, contra eosdem ad regiam citet presenciam ad terminum competentem, et post hec diem et locum ac terminum citacionis, cum nominibus citatorum, vel seriem tocius facti, cum cursibus metarum; eidem domino nostro regi fideliter rescribatis. Datum in *Wysegrad,* feria quarta proxima ante octavas Corporis Christi, anno eius- 1334. 1. Jun.
dem M° CCC° XXX^mo^ quarto.

Nos itaque preceptis suis obtemperare cupientes, ut tenemur, cum predicto Jacobo de Musla, homine suo, Dominicum sacerdotem chori nostri prebendarium, ad predicti mandati sui execucionem hominem nostrum, pro testimonio duximus destinandum. Qui demum ad nos redeuntes nobis concordi-
ter retulerunt: quod feria sexta proxime preterita, ad faciem prefate 1334. 3. Jun.
possessionis Gyarmath accedentes, fratri Jacobo magistro cruciferorum, domus hospitalis sancti regis Stephani de *Strigonio,* vicino et commetaneo eiusdem possessionis, personaliter ibi comparente, reambulassent eandem, veteres metas et antiquas renovantes, ubi necesse fuit novas erigendo, reambulatamque cum insula, que wlgo *Gyarmatscigete* vocatur et cum parvo Danobio exteriori, et media parte Danobii interioris, statuissent et reliquissent prefatis Thome et Paulo, filiis Jacobi, perpetuo possidendam, eodem fratre Jacobo magistro cruciferorum non contradicente, seu contradictore non existente. Mete vero eiusdem possessionis Gyarmath, a possessione eorumdem cruciferorum, *Ebed* vocata, distingentes, ut predictus Jacobus homo domine regine, cum eodem homine nostro, nobis retulerunt, tali ordine disponuntur: quod prima eius meta a parte meridionali incipit circa Danubium, apud duas terreas metas renovatas, quarum una a parte orientali distingit possessioni Gyarmath, alia vero a parte occidentali possessioni Ebed; deinde transit, recto tramite, versus aquilonem per duas terreas metas renovatas, de quibus transiens per longum spacium ascendit ad unam planiciem, que wlgo *Berch* vocatur, ubi sunt due terree mete renovate, inter fruges situate, quarum una a parte orientali distingit possessioni Gyarmat, alia vero a parte occidentali possessionem Ebed; deinde ascendendo transit versus montem *Segor* vocatum et pervenit iterum ad duas

terreas metas, de novo erectas, quarum una a parte orientali distingit possessionem Gyarmath, alia vero a parte occidentali possessionem Ebed; de quibus transit usque ad eundem montem Segor et ibi terminantur. Datum, sabbato proximo post octavas festi Corporis Christi, anno vero eiusdem prenotato. 1334. 4. Jun.

Nos igitur, iustis ac benignis peticionibus eorumdem Thome et Pauli, filiorum Jacobi, specialium aule nostre tavarnicorum, regio cum favore inclinati, attendentes quod iusta et modesta peticio auribus regie pietatis displicere non debet, *y*mo magis ad exaudicionis graciam admitti meretur, tenorem dictarum litterarum rescripcionis prefati capituli, de verbo ad verbum presentibus transumpmendo, eatenus quatenus ipse littere suffragantur veritati et vigorem firmitatis habere dinoscuntur, et quemadmodum ipsa separacio et reambulacio dicte possessionis Gyarmat rite et legitime facta extitit, *a*ctoritate presencium ipsis Thome et Paulo, ac per eos ipsorum heredibus, heredumque suorum posteritatibus, perpetuo valere confirmamus, salvo iure ecclesie *Albensis*. Datum, in *Wysegrad*, in octavis festi Corporis Christi, anno eiusdem M° CCC° XXX^mo^ quarto.

Sigillum tergo fuit appressum, sub quo legitur: palatini Wyllermi (nempe: relacio). — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Lad. 38. fasc. 1. nr. 7. — Datum erronee dicitur: in octavis festi Corporis Christi, — quae hoc anno 2. Junii inciderunt, statutio autem quam rex transscribit et confirmat 3-a Junii, relatio capituli 4-a Junii facta esse dicitur. — Litteras has transsumit capit. Strigon. a 1378. — Ibidem: nr. 13.

361.

1334. Visegrád. 9. Jun. — Carolus I. rex, Nicolaum et Georgium nobiles, possessionem ipsorum Szelő, decem marcis grossorum, Chanadino archiepiscopo oppignorasse testatur.

Nos *Karulus*, Dei gracia rex Hungarie, memorie commendamus, significantes quibus expedit, tenore presencium universis: quod Nicolaus, filius *Edeuch*, et Georgius, filius *Berkuz* nobiles, ad nostram presenciam personaliter accedentes, quandam possessionem ipsorum, in comitatu Neugradiensi, iuxta fluvium *Ipwl* existentem, *Zcylu* vocatam, possessionibus venerabilis in Christo patris domini *Chanadini*, Dei et apostolice sedis gracia archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui, similiter *Zylu* (sic!) *Morlunteluky* et *Verbenye* vocatis, terna commetaneitate circumdatam, pro decem marcis grossorum compoti Budensis, plene habitis ab ipso domino archiepiscopo et receptis, eidem domino archiepiscopo, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis quibuslibet universis, eo iure et ea plenitudinis quantitate, quibus sibi pertinere dinoscuntur, a data presencium infra revolu[cione]m ipsius diei annualem est confes*sus* pignori obligasse et obliga*vit* coram nobis; tali vinculo penarie condicionis interserto, quod si ipsi infra revolucionem ipsius diei annualem, pro premissa pecunie quantitate, redimere non curarent, vel non possent coram nobis, extunc [cu]m excresscencia pene dupli, ab eodem domino archiepiscopo redimere tenerentur, ut se ad premissa spontanea voluntate, adherentes personaliter coram nobis, obligarunt. Datum in *Vysegrad*, in quindenis festi Corporis Christi, anno eiusdem M° ccc° xxx^mo^ quarto.

Extus: Caroli regis super terra Zelew. — Sigillum maiest. tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 77. — Edidit Fejér: Cod. Dipl. VIII^3^. 727.

362.

1334. (Esztergom.) 2. Julii. — Capitulum Strigoniense, possessionem Gyarmath, inter Tatamerum prepositum Albensem et filios Jacobi, metis divisam esse perhibet.

Tenorem vide sub nr. 366.

363.

1334. (Esztergom.) 8. Jul. — Conventus Cruciferorum Strigoniens., Nicolaum Goór, se ad restituenda Chanadino archiepiscopo litteraria instrumenta, possessionem Hilény (Ribény) tangentia, deobligasse testatur.

Nos conventus *cruciferorum,* domus hospitalis sancti regis Stephani de *Strigonio,* memorie commendamus: quod *Nicolaus* dictus *Goor,* ad nostram propria in persona accedens presenciam, quoddam privilegiale instrumentum venerabilis in Christo patris domini *Thome,* divina miseracione quondam *archiepiscopi Strigoniensis,* bone memorie, super collacione cuiusdam possessionis *ecclesie Strigoniensis, Hylgen* vocate, sibi facta confectum, in octavis beati Michaelis archangeli proxime nunc venturis, venerabili in Christo patri domino *Chanadino,* Dei et apostolice sedis gracia *archiepiscopo* Strigoniensi, locique eiusdem comiti perpetuo, restituere assumpsit et resignare coram nobis; tali vinculo interiecto, quod si ipsa instrumenta in dictis octavis reddere non curaret, extunc eadem cassa, vana et irrita haberentur, ipseque Nicolaus dictus Goor, pro latore falsarum litterarum convinceretur eo facto, ut se sponte ad hec omnia obligavit. Datum, in quindenis festi Nativitatis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ quarto. 1334. 6. Oct.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., situ maculatum, in Arch. Primat. Secul. Lad. L. nr. 51.

364.

1334. Visegrád. 12. Jul. — Comes Paulus, iudex curiae regiae, nobiles de Győred, quod duellum acceptatum non subiverint, in sententia capitali et amissionis bonorum condemnat.

Nos comes *Paulus,* iudex curie excellentissimi et magnifici principis domini *Karoli,* Dei gracia illustris regis Hungarie, memorie commendantes significamus, tenore presencium, quibus expedit universis: quod cum *Pobur,* filius Myke, Jacobum et Petrum, filios Stephani, et Johannem, filium Laurencii, et Stephanum, filium Petri, de *Gyeured,* iudiciario processu, contra se ad regiam presenciam legittime in causam attraxisset et ipsa causa, quibusdam prorogacionum cautelis interv*e*ntibus, ad octavas Epiphan*y*e Domini proxime nunc preteritas, iuxta continenciam litterarum nostrarum memorialium, prorogative devenisset; ipsis octavis Epiphanye Domini advenientibus, pretactus Pobur, filius Myke, in figura nostri iudicii, contra eosdem Jacobum et Petrum, filios Stephani, Johannem, filium Laurencii et Stephanum, filium Petri proposucrat in hec verba: quod iidem Jacobus, Petrus, Johannes et Stephanus, feria tercia proxima post festum Penthecostes, cuius iam proxime preterisset revolucio annualis, quendam servientem suum percuti fecissent, unum equm (sic!) suum proprium et unum bovem cuiusdam iobagionis sui, potencialiter interfecissent. In quibus prenominatus Petrus, filius Stephani, 1334. 13. Jan. 1333. 25. Maii.

sua personaliter, et dictorum Jacobi, Johannis et Stephani in persona, cum procuratoriis litteris conventus *monasterii* sancti Benedicti de *iuxta Gron* exurgens, se et prefatos Jacobum, Johannem et Stephanum innocentes fore responderat e converso et immunes. Cumque nos eodem Pobur, filio Myke, premissam suam accionem mediantibus litteris inquisicionalibus *capituli* ecclesie *Nitriensis* et conventus *cruciferorum* sancti regis Stephani de *Strigonio* declarante, eidem Pobur, ob maioris iusticie evidenciam accionem suam premissam, testibus evidentibus, in octavis beati Georgii martiris tunc proxime venturis, in dicto capitulo Nitriensi, contra iam nominatos Petrum, Jacobum, Johannem et Stephanum, singulariter pro se, iuxta regni consuetudinem comprobandam, et seriem eiusdem ad octavum diem, in litteris dicti capituli, nostro iudicario examini reportandam, prout eciam equitatis ordo suadebat et regni ab antiquo approbata consuetudo exposscebat, adiudicassemus; termino itaque reportacionis seriei premissarum testimonialium produccionum occurrente, prenominato Pobur, filio Myke, premissa testimonia super omnibus premissis contra ipsos Petrum, Jacobum, Johannem et Stephanum evidenter et sollempniter, iuxta regni consuetudinem, secundum nostram iudiciariam deliberacionem producta fuisse, demonstracione litterarum iam dicti capituli Nitriensis, seriem ipsarum testimonialium produccionum continencium declarante, cum prefatum Jacobum, filium Stephani de Gyeured, qui sua personaliter et dictorum Petri, fratris sui Johannis, filii Laurencii et Stephani, filii Petri, in persona cum sufficientibus procuratoriis litteris dicti conventus monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron astabat et legittimi procuratoris officio fungebatur, eo quod universe cause testimoniis comprobate, duelli certamine, aut iuramenti deposicione, regni consuetudine exigente sorciuntur (emansit: finem): utrum predictam causam iuramentorum deposicione, aut duellorum dimicacione velit terminare, ternis et quam plurimis vicibus quaesivissemus, ipse Jacobus, filius Stephani, suam et dictorum Petri fratris sui, Johannis filii Laurencii et Stephani filii Petri causam prenotatam unius duelli certamine, eodem Pobur benivole assumpmente, sponte preelegerat terminare. Et cum nostra iudiciaria sentencia pretacto Pobur, filio Myke, in eo: ut prelibati Jacobus et Petrus, filii Stephani, Johannes, filius Laurencii, et Stephanus, filius Petri de Gyeured, feria tercia proxima post festum Penthecostes, cuius iam proxime preterysset revolucio annualis, quendam servientem suum percuti fecerint, unum equum suum proprium et unum bovem cuiusdam iobagionis sui potencialiter interfecerint, pugilem (emansit: in) congressum; prenominatis vero Jacobo et Petro, filiis Stephani, Johanni, filio Laurencii, et Stephano, filio Petri, super eo: ut ipsi in premissa totali acquisicione (sic!) dicti Pobur, filii Myke, innocentes sint penitus et immunes, pugilem in congressum, quos meliores et agiliores invenire possent, *super equis et in armis militaribus*, feria secunda proxima ante festum beate Margarete virginis et martiris, in area certaminis, in conspectu regie maiestatis pugnaturos, statuere decrevisset. Ipso die dimicacionis dicti duelli adveniente, prememorato filio Myke, suum pugilem super equum armis bellicis bene munitum, in area certaminis statuente et usque horam legittimam, cum suo pugile in loco certaminis expectante, pretacti Jacobus et Petrus, filii Stephani, Johannes, filius Laurencii, et Stephanus, filius Petri, ad certamen dicti duelli venire non curarunt,

1334. 1. Maii.

1334. 8. Maii.

1333. 25. Maii.

1334. 11. Jul.

sed se a facie iuris et iusticie in eorum culpabilitatis indicium penitus absentarunt. Verum, quia approbatissimum et consuetudinarium ius regni causas, produccione testimoniorum comprobatas, duplici articulo scilicet: duello vel iuramento consuevit diffinire, ipsique Jacobus, Petrus, Johannes et Stephanus, maleficiorum suorum celatores cupientes existere, ad ipsius duelli certamen venire non curarunt, vel pugilem eorum statuere, cum certamen duelli unum diffiniens causarum habeatur et ipsius causalis diffinientis articuli obmissione predictam causam, equitate suadente, fine debito decidere teneamur; nolentes huiusmodi maleficiis dictorum Jacobi, Petri, Johannis et Stephani diucius indulgere et ad ipsorum malemerita et rebelliones, ac processus corrigendos, iudiciarie auctoritatis gladio vindicativo insurgere volentes, ne de suis maleficiis dinoscantur gratulari, ceterisque valeat preberi in exemplum, una cum baronibus et nobilibus regni, iudiciario pro tribunali assidentibus: ipsos Jacobum et Petrum, filios Stephani, Johannem, filium Laurencii, et Stephanum, filium Petri de Gyeured, privatis omnibus suis bonis et proprietatibus possessionariis, ipsos ubilibet contingentibus, et in tercia parte manibus ipsius Pobur, filii Myk, eorum adversarii, in duabus vero partibus nostris manibus iudiciariis, iuris ordine applicatis suadente (sic!), in sentencia capitali, iudiciaria auctoritate, tenore presencium condempnamus. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, pendentis sigilli nostri autentici munimine roboratas. Datum in *Wyssegrad*, secundo die termini dimicacionis duelli prenotati, anno Domini millesimo CCC° XXX^mo^ quarto.

Sigillum e viridi serico pendet. — Orig. in Arch. Primat. Secul. Lad. T. nr. 500. — Edidit: Fejér Cod. Dipl. VIII³. 758.

365.

1334. — 20. Jul. — Carolus I. rex, possessionem Csév, magistro Stephano, castellano de Visegrád, privilegio suo confirmat.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, ac montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, presentem paginam inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Ne ea, que fiunt in tempore, simul cum temporis varietate elabantur, regia decrevit celsitudo, ut litterarum testimonio perpetue memorie commendentur. Proinde ad universorum noticiam, harum serie volumus pervenire: quod magister Stephanus, castellanus de *Wyssegrad*, dilectus et fidelis noster, ad celsitudinis nostre accedens presenciam, exhibuit nobis duo paria litterarum patencium, videlicet: unum par litterarum nostrarum, sigillo nostro anuleo consignatarum; aliud vero par litterarum conventus *cruciferorum*, domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani *de Strigonio*, super tradicione, sive donacione cuiusdam possessionis *Chew* vocate, per Mykoucha, filium Eleek, de eadem Chew, ipsi magistro Stephano facta confectarum, petens nostram humiliter supplicando mayestatem, ut ipsa duo paria litterarum, videlicet nostrarum et dicti conventus cruciferorum, ac cursum metarum eiusdem possessionis Chew, prout in quibusdam litteris nostris patentibus, per eundem magistrum Stephanum nobis exhibitis, vidimus contineri, facta legitima reambulacione eisdem litteris nostris insertarum, uberiorem ad caute-

lam, evidenciamque clariorem, privilegiari, sive in formam nostri privilegii redigi facere, ex benignitate regia dignaremur. Litterarum itaque nostro sigillo anuleo consignatarum pretactarum tenor talis est:

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendamus significantes, quibus expedit universis: quod quia Mykowcha de Cheu, magistrum Stephanum castellanum de Wyssegrad sibi in filium adoptivum, sua bona voluntate elegit, ad hoc ut ipsam possessionem suam, post mortem suam, sibi relinquere valeat, ideo nos consideratis fidelitatibus et fidelium serviciorum meritis eiusdem magistri Stephani, annuimus et promisimus eidem, ut quam primum ipso Mykowcha, sine herede defuncto, eadem possessio Chew, in comitatu *Strigoniensi* existens, ad manus nostras regias devolvetur, eandem ipsi magistro Stephano castellano de Wyssegrad, et non cuique alteri conferemus, iure perpetuo condonabimus possidendam, *ymo* iam prout nobis incumbit sibi annuimus eandem pleno iure. Datum, in *alto castro,* sabbato proximo ante festum Sancte Trinitatis, anno Domini Millesimo CCC° XX^mo^ nono. 1329. 17. Jun.

Litterarum vero predicti conventus cruciferorum de Strigonio predictarum tenor talis est: 1334.

Tenorem vide sub. nr. 352. ubi 1334. 20. Mart. ex ipso originali communicatur. 20. Mart.

Mete autem, sive cursus metarum prenotatarum, ipsius possessionis *Cheu,* prout in dictis litteris nostris patentibus, per prefatum magistrum nobis demonstratis continentur, hoc ordine distinguntur: Incipit primo ab oriente ex parte possessionis monasterii de *Pylys,* circa unam arborem ilicis, ubi est meta terrea; abhinc circa eandem possessionem monasterii de Pylys currit ad meridiem ad unam metam terream, in qua stat una arbor ilicis; deinde per eandem plagam vadit ad unam metam terream, prope vineam erectam, in qua eciam stat una arbor ilicis; deinde tendit directe ad unam metam terream, in qua est arbor ilicis posita. Abhinc transeundo vallem, *yt* ad metam terream, in latere montis positam, in qua est arbor piri et ibi separatur a possessione dicti monasterii de Pylys. Deinde reflectitur ad occidentem, contiguando *terre capituli Strigoniensis,* vadit ad unam metam terream, in qua est lapis, terra coopertus. Abhinc modico inclinando ad septemtrionem, circa antiquas vineas, vadit ad unam metam terream in *Byrch* positam. Abhinc regirando ad eandem occidentem, inter terras arabiles, directe vadit ad unam metam terream, in qua sunt lapides cooperti. Deinde vadit directe ad unam metam terream, in qua est arbor pomi silvestris. Deinde directe tendit supra ad montem, ad metam terream, in qua est arbor ilicis cruce signata, et ibi separatur a possessione dicti capituli Strigoniensis. Deinde per magnum spacium, modicum girando ad septemtrionem, vadit ad metam terream, in uno Byrch positam, que distingit tribus possessionibus, scilicet: eidem possessioni Cheu, et abbati de Pylys, ac cruciferorum de Strigonio. Deinde directe regirando ad septemtrionem, vadit ad metam terream, in qua sunt lapides terra cooperti, et ibi separatur a possessione abbatis de Pylys. Abhinc *yt* directe ad metam terream; deinde ascendit supra ad Byrch, ad metam terream; deinde ascendit supra superius illud Berch, ad cacumen montis, ad unam metam terream. Abhinc vadit ad unam metam terream, prope finem ipsius montis positam. Deinde reflectitur ad orientem, transeundo pratum, vadit ad metam terream. Abhinc directe per eandem plagam, vadit ad unam metam terream, prope antiquum fossatum erectam. Abhinc inclinando modicum, quasi ad

partem dextram, it ad unam metam terream. Deinde per unum Byrch, vicinando terre *Chabia*, reflectitur ad orientem et currit ad metam terream, in qua est arbor piri. Abhinc directe vadit ad metam terream. Deinde asscendit supra ad unum Byrch, ad metam terream. Deinde per illud Byrch ascendit supra apropincando ville Chabya, vadit ad unam metam terream, in qua est magnus lapis perforatus. Deinde per ipsum Byrch, inter arbores inclinando ad meridiem, vadit ad metam terream, in qua est dumus iuniperis. Abhinc directe it ad meridiem ad unam metam terream et ibi separatur a terra Chabia. Deinde vadit ad metam terream, ubi iungitur eidem possessioni monasterii de Pylys. Abhinc currit ad metam terream, in qua est arbor ilicis. Abhinc directe currit ad unam arborem piri; deinde vadit directe ad meridiem, ad unam metam terream; abhinc revertitur ad primam metam terream capitalem, unde prius incipiebat et sic terminantur.

Nos itaque, ex tenoribus prescriptarum litterarum, tam nostrarum, sigillo nostro anulleo consignatarum, quam dicti conventus cruciferorum, sancti regis de Strigonio informati, ex donacione et tradicione prefati Mykowcha, filii Elek, prenotatam possessionem Chew, ad eundem magistrum Stephanum castellanum de Wyssegrad, de iure debere pertinere cognosscentes, peticionibus eiusdem magistri Stephani iustis et condignis inclinati, cum condicionibus prescriptis, binas litteras patentes uberiorem ad cautelam, de verbo ad verbum presentibus inserendo, in formam nostri privilegii redigi fecimus et eandem possessionem Cheu, sub predictarum metarum ambicione, excepta dicta vinea, quam ipse Mykawcha pro se reservavit, ipsi magistro Stephano et suis posteris, perpetuo possidere et habere, auctoritate presencium confirmamus. In cuius confirmacionis memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri novi et autentici munimine roboratas. Datum, per manus discreti viri magistri *Tathamerii,* Albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini Millesimo trecentesimo trecesimo quarto, decimo tercio Kallendas Augusti, regni autem nostri anno similiter tricesimo quarto. Venerabilibus in Christo patribus Chanadino Strigoniensi, fratre Ladislao Colocensi, aule nostre cancellario, archiepiscopis; Nicolao Jauriensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Meskone Nitriensi, Andrea Transsiluano, Ladislao Zagrabiensi; Wesprimiensi, Boznensi et Syrimiensi sedibus vacantibus; Andrea Waradyensi, Rodolpho Vaciensi et fratre Paulo Albensi de Nandur episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Willhermo Drugeth palatino et iudice Comanorum; Demetrio magistro tawarnicorum nostrorum; Thoma Woyuoda Transsiluano et comite de Zonuk; comite Paulo iudice curie nostre; Mykch bano tocius Sclauonie; Johanne bano de Machow; Paulo magistro tawarnicorum domine regine, consortis nostre karissime; Stephano magistro agasonum nostrorum; Dionisio magistro dapiferorum nostrorum et magistro Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam plurimis regni nostri comitatus tenentibus et honores.

1334. 20. Jul.

In tergo manus medii aevi adnot.: Pro magistro Stephano castellano de Wyssegrad, super possessione Chew, per Mykoucha sibi data et collata. — Et alia manu: in filium adoptivum recipiendo, cum annulari sigillo et per litteras conventus de Strigonio, item littera regia, patens de metis solummodo. — Sigillum e rubro et albo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 26. fasc. 2. nr. 12.

366.

1334. Visegrád. 25. Jul. — Carolus I. rex, transscribit et confirmat, literas capituli Strigoniensis, reambulatorias possessionis Gyarmath.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, significamus tenore presencium, quibus expedit universis: quod *Thomas* et *Paulus,* filii Jacobi, speciales aule nostre tawarnici, ad nostre serenitatis accedentes presenciam, exhibuerunt nobis quasdam patentes litteras honorabilis *capituli* ecclesie *Strigoniensis,* tenoris infrascripti, petentes nos humiliter supplicando, ut ad uberiorem cautelam nostris litteris easdem transscribi et transumpmi faciendo, apposicione nostri sigilli consignari facere dignaremur. Quarum tenor talis est:

Nos *capitulum* ecclesie *Strigoniensis,* memorie commendantes significamus, tenore presencium quibus expedit universis: quod cum super metis terre, seu possessionis *Gyarmat* vocate, iuxta Danubium, in comitatu *Strigoniensi* habite, inter dominum *prepositum Albensem,* Tatamerium videlicet ex una parte, *Thomam* et *Paulum,* filios Jacobi, parte ab altera, fuisset altercacio et nos, iuxta mandatum regium litteratorium, una cum comite *Chenck de Zalasun,* homine eiusdem domini regis, nostrum testimonium, videlicet Dominicum presbiterum, prebendarium et sacerdotem chori nostri, ad ereccionem metarum dicte possessionis videndum transmisissemus; tandem predictus comes Cenck, cum eodem nostro homine ad nos reversus, concorditer nobis retulerunt: quod in octavis festi beati Johannis Baptiste, ad faciem predicte terre Gyarmath accessissent: in persona dicti domini Tatamerii prepositi, magister Mathyas, nomine procuratorio; predicti vero Thomas et Paulus personaliter comparentes, per modum concordie et composicionis, ut de medio eorum omnis altercacio excidatur, dictam possessionem prepositi, a possessionibus predictorum Thome et Pauli, per tales metas separassent: quod a parte Danubii, prope litus ipsius aque, et curiam dictorum filiorum Jacobi, erexissent duas metas a parte meridici, quarum una separat a parte orientis eidem domino preposito, et altera a parte occidentis separat dictis filiis Jacobi; et deinde directe tenderet versus finem cuiusdam lacus, ubi erexissent unam metam, et ipsum lacum transeundo, venissent ad quemdam locum erectivum, *wl*gariter *Mege* dictum, et in vertice cuiusdam montis in ipso loco erectivo, erexissent similiter duas metas; et abinde directe per eandem Mege transiret ad partem occidentalem, ubi parum eundo, posuissent unam metam; et deinde ultra transeundo, erexissent similiter duas metas terreas, ut antea sunt mete terree, et sic directe usque ad magnam viam, que ducit in *Wdword,* iuxta cursum earumdem metarum dicte possessiones se extenderent et transferrent, prout partes coram nobis comparendo, huiusmodi concordiam fore factam inter se, oretenus recitarunt. Datum, in crastino octavarum beati Johannis Baptiste predictarum, anno Domini M CCC trecesimo quarto.

1334. 1. Julii.

1334. 2. Julii.

Nos siquidem, iustis et condignis peticionibus, dictorum Thome et Pauli, filiorum Jacobi, aule nostre tawarnicorum, favore regio inclinati, tenorem dictarum litterarum de verbo ad verbum transscribi fecimus, apposicioneque nostri sigilli consignari fecimus ad cautelam. Datum, in *Wysegrad,* in festo Jacobi apostoli, anno Domini M° CCC° XXX^mo^ quarto.

1334. 25. Julii.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 38. fasc. 1. nr. 8.

367.

1334. Esztergom. 7. Aug. — Csanadinus, archiepiscopus Strigoniensis, Ladislaum episcopum Quinqueecclesiensem et Nicolaum abbatem S. Martini, a desumenda e bonis monialium insulae Budensis decima, dehortatur.

Chanadinus, Dei et apostolica gracia archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, venerabili in Christo patri, domino *L*adislao, divina miseracione episcopo Quinqueecclesiensi; item religioso et Deo amabili viro, fratri Nicolao, eadem gracia abbati sancti Martini de sacro monte Pannonnie, amicis suis reverendis, mutuam et sinceram in Domino caritatem. Vestre paternitatis amicicie presencium serie nota fiant: quod sanctissimi in Christo patres, sacro sancte Romane, ac universalis ecclesie sumpmi pontifices, vigore suorum instrumentorum bullatorum, sacre religioni inclusarum dominarum sanctimonialium *de insula Budensi*, sub cura fratrum predicatorum vivencium, ex speciali apostolice favorabilitatis gracia, inter alias libertates indulserunt, ut ad prestacionem decimarum, de quibuslibet possessionibus et bonis ipsorum, que haberent, vel optinere valerent in futurum, nullatenus tenerentur, nec eciam ad ipsarum soluciones aliquatenus compellerentur. Si qui autem hoc attemptare presumpserent, indignacionem omnipotentis Dei, beatorumque Petri et Pauli apostolorum eius incurrerent, eo facto. Unde, cum nos ex speciali apostolice sedis mandato conservatores ipsius ordinis existamus, et quelibet ipsius ordinis iura alienata et distracta ad ius et proprietatem eiusdem monasterii revocare teneremur; nunc et ipsum apostolicum mandatum et supplicabiles querele prefatarum sanctimonialium de insula Budensi, ut vos videlicet in preiudicium premisse libertatis earum, decimas possessionum et bonorum suorum exigi feceritis, ad exortacionis verba, vestre amicicie porrigenda, nos compellunt. Quamobrem vestre paternitatis amiciciam, de mandato sedis apostolice, amonemus et ortamur, quatenus quaslibet prefatarum dominarum possessiones racione solucionis decimarum, vobis solvendarum, nullatenus molestare aut perturbare et inquietare debeatis. Nam, si secus feceritis, per censuram ecclesiasticam, contra vos iuxta mandatum apostolicum procedemus, ut teneremur. Datum *Strigonii,* in dominica proxima ante festum beati Laurencii martiris, anno Domini Millesimo tricentesimo tricesimo quarto.

Orig. membr., in Arch. Reg. Hung. Regnicol. Acta Monial. Budens. fasc. 16. nr. 23. — Cop. Ferd. Knauz.

368.

1334. Esztergom. 23. Aug. — Conventus Cruciferorum Strigon. Georgium, filium Berkes, in negotio alienationis possessionis Szölgyén, procuratórem constituisse testatur.

Nos magister *Jacobus, magister* cruciferorum domus hospitalis sancti regis Stephani *de Strigonio,* totusque suus conventus, significamus tenore presencium universis: quod *Georgius,* filius *Berkez,* coram nobis personaliter constitutus, in causa permutacionis, vel in quovismodo alienacionis cum quovis homine, cuiusvis status vel condicionis, possessionis *Zeulen* vocate, *[N]icolaum,* filium quondam comitis *Edeuch,* proximum suum, constituit et statuit suum verum et legitimum procuratorem, dans eidem auctoritatem omnia faciendi in predicta possessionis causa, que verus et legitimus procurator facere consuevit; promittens

idem Georgius, se ratum et firmum habiturum, quicquid per ipsum Nicolaum, proximum suum, exhibitorem presencium, factum fuerit seu ordinatum in premissis. Datum, apud *Strigonium,* in vigilia beati Bartholomei apostoli, anno Domini M° CCC° XXXIIII^to^.

Sigillum tergo est appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strig. Publ. Capsa 69. fasc. 5. nr. 17.

369.

1334. Visegrád. 28. Aug. — Carolus I. rex, Paulo iudici curiae dat in mandatis, ut Nicolao dicti Mese, super possessione quondam Stephani filii Corrardi, contra archiepiscopum Strigon., iusticiae faciat complementum:

. . . . . idem Stephanus filius Corrardi, existens canonicus dicte ecclesie Albensis dictam possessionem, faciens testamentum in extremis suis, ecclesie Strigoniensi legasset. Cum igitur consvetudine regni nostri exposcente, homo heredum solacio destitutus, in extremis suis possessiones suas absque regali licencia, cuipiam legandi non habeat facultatem, — — tales possessiones in manus regias devolvi debeant . . . .

Edidit: ex Arch. in Marczaltő Cod. Dipl. Patr. T. III. p. 64.

370.

1334. (Esztergom.) 21. Sept. — Conventus Cruciferorum Strigonien. Paulum, filium Petri, terram Szent-Tamáskürt, a nobilibus de Köbölkút indebite emptam, recepta summa emptionali, archiepiscopo Strigon. restituisse testatur.

. . . . . magister *cruciferorum,* domus hospitalis sancti regis Stephani *de Strigonio,* et totus conventus loci eiusdem . . . . . [scri]ptum inspecturis salutem . . . . . legitimi actus hominum in memoriam posterorum testimonio . . . . . roborantur, ne oblivionis . . . . . [reci]dive questionis scrupulum relabantur. Proinde universorum . . . . . harum serie volumus inconcusse [. . . . . P]aulus, filius Petri, *informator quondam ducis Colom[anni* . . . .] archidiaconus . . . . . domini *Chanadini,* Dei et apostolica gracia *archiepiscopi Strigoniensis,* . . . . . eiusdem . . . . . nobis personaliter constituto, ad nostram personaliter accedens pr[esenciam] . . . . . quod licet ipse quandam possessionem [*Scentthamaskywr]thw* vocatam, habentem in se *ecclesiam lapideam* ad h[onorem (sancti Thome constructam in) comi]tatu Komarumiensi existentem, ... ibus Ladislao et Stephano, filiis *Ywlee,* cum omnibus suis utilitatibus [quadragi]nta marcarum pecunie quantitate precio comparasset. Recognoscens tamen eandem possessionem Scentthamaskwrthw ad . . . . . [venerabilem sanctam] Strigoniensem ecclesiam omni veritatis tramite, ex tenore ipsorum vigorosorum instrumentorum efficacissime pertinere, ac a tanto temporum curriculo ipsius ecclesie Strigoniensis eam esse et fuisse, cuius memoria non extaret; nolens huiusmodi ecclesiastico iuri indebite derogare, iam sepius dictam possessionem Scentthamaskywrthw noncupatam, prelibato domino archiepiscopo Strigoniensi, et per eum quibuslibet archiepiscopis sibi succedentibus, ipsa pecunie quantitate qua comparaverat, per eundem dominum archiepiscopum sibi

plenarie resoluta, reliquisset et reliquit coram nobis perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam, cum suis utilitatibus et pertinenciis quibuslibet universis, nullum ius, nullamque proprietatem in eadem sibi et suis heredibus a modo reservando, ymmo omni iuri et proprietati sue pure et simpliciter, quod ex ipso empcionis vigore ex ipsa possessione sortiri potuisset, renunciavit coram nobis, totum iuris dominium in ipsum dominum archiepiscopum, et suos quoslibet successores a modo in posterum, penitus et per omnia transfferendo. Ob maioris adhuc eciam cautele evidenciam ipsas nostras litteras privilegiales, quibus mediantibus eadem possessio, a prescriptis filiis Ywlee, empcionis titulo sibi fuerat devoluta, eidem domino archiepiscopo resignavit. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus nostras litteras privilegiales, partibus petentibus, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in festo beati Mathey apostoli et ewangeliste, anno Domini millesimo CCC^mo^ tricesimo quarto.

Extus manu medii aevi: Super possessione Zenthamaskyurth vocata. — Sigillum bene conservatum e rubro, viridi et flavo serico pendet. — Orig. membran., humore consumptum, in Arch. Primat. Secul. Lad. M. nr. 38.

371.

1334. (Buda.) 27. Sept. — Capitulum Budense reambulat possessionem Alpár, conventus s. Benedicti.

Tenorem vide sub nr. 397.

372.

1334. — 9. Oct. — Capitulum Budense, iobagiones magistri Pósa de Szeri, ab usu et perceptione utilitatum, possessionis monasterii s. Benedicti de iuxta Grón, prohibuisse perhibet.

Ed. Cod. Andegav T. III. p. 123.

373.

1334. (Esztergom.) 27. Oct. — Conventus Cruciferorum Strigon., Kovacs civem Strigon., partem terrae suae in villa S. Pauli, Chanadino archiepiscopo, quator marcis vendidisse testatur.

Conventus *crucíferorum,* domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani de *Strigonio,* omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem in salutis largitore. Ea, que humaniter aguntur, fragilitate humana ne oblivioni mandentur, solent litterarum patrocinio communiri. Proinde ad universorum, tam presencium quam futurorum noticiam, harum serie volumus pervenire: quod *Kouch,* filius Nicolai, filii Robini, quondam civis *Strigoniensis,* personaliter ad nostram accedendo presenciam dixit et confessus est, oraculo vive vocis, quandam suam particulam terre sessionalem, in *villa* nostra *Sancti Pauli,* iuxta Danubium, in vicinitate terre nostre a parte orientali, et parte meridionali terre *Beke,* filii Jacobi, filii *Chunkur* existentem, super qua nunc domos seu hedificia *Hench* veculator et *Johannes* cerdo habent et commorantur, venerabili in Christo patri, domino *Chanadino,* Dei et apostolica gracia *archiepiscopo Strigoniensi,* locique eiusdem comiti perpetuo, et per ipsum suis successoribus, pro quatuor marcis argenti mercimonialis, plene habitis et receptis, vendidisse, dedisse et

locasse, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam, de omnium proximorum fratrum, consanguineorum et vicinorum consilio, permissione et voluntate, nullo penitus contradictore apparente coram nobis. In super idem Kouch, tam per se quam per suos firmiter et sollempniter assumpsit, ipsum dominum archiepiscopum et suos successores ab omnibus, temporis in processu, pretextu iam dicte terre quoquo modo molestare seu inquietare volentibus, expedire et liberare suis propriis laboribus et expensis. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem, ad peticionem et instanciam parcium predictarum, presentes eidem domino archiepiscopo Strigoniensi concessimus litteras privilegiales, pendentis sigilli nostri munimine roboratas et alphabeto intercisas. Datum, in vigilia beatorum Symonis et Jude apostolorum, anno Domini M° CCC° XXX^mo IIII°.

A. B. C.

Extus manu saec. XV.: Super quadam particula terre sessionalis in villa Sancti Pauli. — Sigillum bene conservatum e viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Prim. Secul. Lad. Q. nr. 41. — Edidit Fejér: Cod. Dipl. VIII³. 755., qui erronee pro *veculator* scribit venilator. Cum Hench iste in alio docum., hungarico idiomate se *Korcsolgás* nominetur; vox haec veculator solearum ferratarum factorem denotaverit. Conf. nr. 491.

374.

1334. Buda 6. Dec. — Capitulum Budense, Vilhelmo Drugeth, palatino rescribit, possessionem Rikales et Artand eandem esse, et ab antiquo ad monasterium de juxta Gron pertinere.

Magnifico viro domino *Wyllermo Druget*, palatino et iudici Comanorum, capitulum *Budensis* ecclesie, affectum salutis in Domino. Vestra noverit magnitudo reverenda, nos recepisse litteras inquisicionales vestras generales, pro religioso viro domino *Syfrido abbate* monasterii sancti Benedicti de iuxta *Goron*, ac pro conventu eiusdem, honore quo decuit, ut tenemur; et iuxta continenciam ac tenorem earumdem, unacum Petro de *Balak*, homine vestro, nostrum hominem, videlicet Johannem presbiterum de choro ecclesie nostre, pro testimonio duxisse destinandum. Qui demum ad nos reversi nobis concorditer retulerunt: quod idem homo vestre magnitudinis, coram eodem nostro testimonio, feria tercia proxima ante festum beati Martini confessoris iam elapsum, 1334. 8. Nov. diligenti inquisicione facta, a quibus decuit et licuit scire potuisset, talem scivisset rei veritatem: quod quedam possessio olym *Rykalch* vocata, nunc vero *Arthand* nominata, in comitatu de *Byhar* existens, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis universis ad eandem spectantibus, ad predictum monasterium ecclesie sancti Benedicti de iuxta Goron et conventum eiusdem pertinuisset ab antiquo et pertineret, et nunc *Abaa*, Petrus et Paulus, filii Abaa de eodem comitatu de Byhar, in preiudicium et gravamen eiusdem domini abbatis et monasterii predicte ecclesie sancti Benedicti ac conventus eiusdem monasterii, occupando detinerent; sed quia populi in eadem possessione Arthand commorantes eidem (expunct.: domino abbati) monasterio sancti Benedicti de iuxta Goron, ac conventui eiusdem scrofas et mel dare tenebantur, ideo nunc prefatam villam seu possessionem Rykalch nomine Arthand nominassent. Datum, in festo beati Nycolai confessoris, anno Domini M° ccc^mo xxx^mo quarto.

Extus: Magnifico viro domino Wyllermo Drug[et], palatino et iudici Comanorum, pro domino Syfrido abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Goron, ac conventu eiusdem, contra Aba, Petrum et Paulum, filios Aba, de comitatu de Byhar inquisicionales. — Sigillum margini exter. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 1. nr. 30.

375.

1335. (Nyitra.) 9. Jan. — Prohibitionales capituli Nitriensis, pro monast. de iuxta Gron, contra populos in Lodomar.

Nos *capitulum* ecclesie *Nitriensis*, damus pro memoria: quod cum nos iuxta continenciam litterarum regalium prohibicionalium, cum Johanne, filio *Zonchuk*, homine regio, magistrum Petrum scolasticum dicte ecclesie nostre, pro domino *abbate* et conventu monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gron*, pro testimonio transmisissemus; idem homo domini regis et homo noster predictus, ad nos reservi, miisterio (sic!) vive vocis concorditer sunt confessi: quod populos de villa *Lodomar*, de usu et percepcione utilitatum possessionum *maioris* et *minoris Apaty* vocatarum, et populos ville *Zouog* vocate, de quadam particula terre ad possessionem eiusdem monasterii *Koachy* pertinente, quam quidem terram quondam magister Emericus castellanus de *Leua*, fractis metis potencialiter ocupasset, prohibuissent, ne a modo et deinceps dictarum possessionum dicti monasterii utilitatibus uterent. In cuius prohibicionis testimonium (expunct.: litterc) et dictorum hominis domini regis et nostri relacionem, litteras nostras eidem domino abbati et suo conventui duximus concedendas. Datum, die dominica proxima post festum E[piphani]arum Domini, anno eiusdem M° ccc^mo^ xxx^mo^ quinto.

Extus: Prohibicionalis quarumdam possessionum monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, *Koachy* et *Apaty* vocatarum, contra populos de villa *Lodomar* et de *Zouog*. — Sigilla margini exter. fuerunt appressa. Fragmen sigilli hominis regii, super casside angelum extensa manu coronam florum tenentem, monstrat. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 2.

376.

1335. Visegrád. 21. Jan. — Paulus, iudex curiae regiae, tertiam partem possessionis Széplak, in comitatu Abaújvár existentis, Petro, filio Johannis, quondam castellani de Jeszenő, adiudicat.

Ed. Cod. Dipl. Com. Zichy T. I. p. 443.

377.

1335. (Pozsony.) 24. Febr. — Michael praepositus Posoniensis, consentiente capitulo, confert canoniam vacantem magistro Thomae capellano suo.

Tenorem vide sub a. 1342. 10. Mart. nr. 600.

378.

1335. Visegrád. 13. Mart. — Chanadinus archiepiscopus Strigoniensis, in causis per Cselle, filium Nicolai, et eius socios, contra Petrum plebanum de Szőllős motis, fratrem Stephanum Ord. Praedic., capellanum et poenitentiarium suum, iudicem designat.

Ed. Cod. Andegav. T. III. p. 140.

379.

1335. — 26. Mart. — Caroli I. regis mandatum de cusione florenorum, grossorum et parvorum denariorum, in camera de Körmöcbánya.

Nos *Karolus*, Dei gracia rex Hungarie, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, memorie commendantes: quod nos, considerata fidelitate et sagaci industria magistri *Ipoliti castellani de Arwa*, cameram nostram monetarum *de Cremnech*, cum omnibus comitatibus, districtibus, villis, opidis et civitatibus, qui et que ab antiquo ad eandem cameram dinoscuntur pertinuisse, specialiter cum comitatibus Posoniensi, Nitriensi, de Zolio, Trinchyniensi, Borsyensi, Huntensi, Neugradiensi, item Kamariensi et de Pest ex alia parte, scilicet a parte Waciensis civitatis habita, eidem magistro Ipolito, pro sexingentis marcis, partim in grossis, partim vero in florenis, per ipsum fabricandis, in terminis infrascriptis nobis persolvendis: anno Domini M° ccc^mo xxx^mo quinto, a data presencium, videlicet a dominica proxima post festum Annunciacionis Beate Virginis, qua nunc officium Letare cantatur, infra eiusdem termini revolucionem, dedimus et locavimus, simul *cum decimis archyepiscopalibus* exercendam, procurandam et tenendam eo modo, quod idem comes camere nostre predicte, faciet fabricari *triformes denarios*, videlicet *florenos*, ad modum florenorum Florencie, de fino auro, sed aliquantulum ponderacionis, quorum quatuor current pro marca fini argenti; tres vero cum dimidio pro marca pagamenti. *Grossos*, ad modum grossorum nostrorum anno iam elapso per cives Budenses fabricatorum; et parvos *denarios* ad modum denariorum Budensium. Grossos faciet sedecime combustionis, incidendo de una marca septuaginta duos grossos, ex quibus sexaginta quatuor dabunt pro marca fini argenti, et quinquaginta sex pro marca communi, seu pagamenti. Parvos quidem denarios faciet tercie combustionis, incidendo de una marca quatuordecim pensas, in cambio vero ex eisdem pro una marca dabuntur decem pense. Quas quidem triformes monetas nostras, scilicet *florenos*, *grossos* et *parvos* anni presentis, tam per dictum comitem camere nostre, quam per alios camerarios per totum regnum nostrum, in una et eadem forma, pondere, combustione et valore decrevimus cudendas et pariter fabricandas, ita, ut ipsi denarii nostri triformes, per totum regnum nostrum uniformiter et absque aliquali variacione discurrere debent et cambiri. Qui quidem denarii nostri parvi, quemadmodum ad compotum marcarum Budensium augmentantur, ita per totum regnum nostrum possint augmentari, sed numerum tredecim pensarum marca ipsorum parvorum denariorum transcendere non possit, quod firmiter inhibemus. Volumus eciam, ut quandocunque funditur argentum, *homines domini archyepiscopi* et *magistri tawarnicorum* nostrorum, personaliter adesse debeant, et singulis septimanis tam grossos, quam minores denarios nostros et eciam florenos, modo decenti, iidem homines domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum, in combustione trium ponderum *probare* debeant, et sic cambio exponantur. Item, ubicunque in territorio dictorum comitatuum, sive montanorum, nova deinceps fodina auri vel argenti, aut cupri reperta fuerit, eandem sive eas, vel ipsius anni spacium, idem comes camere nostre, cum suis urburis teneant et conservent, exceptis urburis montanorum ad cameram de Cremnech pertinencium, quas eidem magistro Ipolito per se, pro alia sumpma speciali, per alias litteras nostras locavimus procurandas. Item

1335. 26. Mart.

statuimus et fieri volumus: in quibuslibet montanis *unam domum regalem,* et specialiter in *Cremnech,* in qua totum aurum et argentum, ibi repertum, ad *finandum* portetur et abinde ad nostram cameram et non alias deferatur, et pro nova moneta nostra cambiatur, modo prenotato. Item statuimus, quod de montanis aurum vel argentum, palam vel occulte, alias deferre quispiam non presumpmat, nec aliquis, in montanis aliquibus, antiquis denariis vel monetis, aurum vel argentum, in specie nisi grossos aut parvos denarios, vel eciam florenos comparandi, commutandi vel emendi, specialiter autem in Cremnecz, habeat facultatem. Et quia inter regnicolas nostros hactenus plurime insolencie propter huiusmodi novarum monetarum nostrarum cambium evenerunt, ne deinceps eveniant precaventes, bona deliberacione mediante statuimus, ut ad singulos comitatus, de nova moneta nostra parvorum denariorum, nec non ad civitates nostras regales et reginales, ac aliorum, comes camere nostre mittet vel portabit certam sumpmam pecunie, prout in litteris nostris ad singulos comitatus vel civitates dirigendis videbunt contineri; et significabunt adventum eorum iudicibus nobilium, qui statim congregacionem provincialem nobilium universitati promulgare teneantur, declarantes: ut ad acceptandam monetam nostram singuli, sub birsagio trium marcarum sine subterfugio ad ipsam congregacionem conveniant, in qua quidem congregacione comes camere nostre, vel sui officiales, coram hominibus domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum, *presente testimonio alicuius capituli vel conventus credibilis,* exhibebunt ipsis nobilibus dictam monetam nostram, modo infrascripto, absencia comitis parochyalis eorum vel vice comitis non obstante, ad cambiendum: hoc ordine videlicet, quod ipsam monetam nostram, iuxta ordinacionem communitatis nobilium provincie, cum aliis secum per eosdem nobiles deputatos, divident per singulas villas, — villis nostris regalibus et reginalibus non exclusis, — cuiuslibet comitatus, prout viderint expedire, ita videlicet, quod homines singularum portarum integrarum, domino terre plenum et integrum terragium persolvencium, ipsi comiti camere nostre singula tria pondera argenti vel aliarum quarumlibet antiquarum monetarum, ad racionem argenti, de singulis villis provincialibus, infra unum mensem integrum a die termini dicacionis, portates (sic!), alia singula tria pondera eorumdem novorum parvorum denariorum nostrorum, videlicet viginti quinque denarios parvos, ab ipso comite camere nostre, in loco deputato, cambire, et e converso recipere tenebuntur; hoc distincto, quod quicunque ipsam monetam nostram parvam, premisso ordine cambiendam, contra hanc ordinacionem nostram contempserint acceptare, et si hoc per testimonium capituli, vel conventus credibilis quod habebunt, et homines archyepiscopi, ac magistri tawarnicorum nostrorum relatum extiterit atque manifestum, comiti camere nostre predicte, de singulis portis, domino terre terragium integrum persolventibus, singulos medios fertones, ad racionem Budensem, solvere teneantur. Et si idem comes camere nostre, infra terminum populis vel villis assignatum, ipsam pecuniam singulorum trium ponderum non curare*nt* assignare vel non posse*nt*, elapso termino, lucrum camere nostre super ipsos non valeat extorquere, nec iidem populi ad ipsum cambium ulterius teneantur. Et, ut per dissimulaciones comitum provincialium, iudicum nobilium, sicut sepius in nostrum preiudicium hoc fecerunt, — quamquam de benignitate regia ipsorum huiusmodi facta illicita hactenus simpliciter videamur pertransisse, — ne tamen a modo in camerarum nostrarum processibus modo

priori paciamur dispendia, omnibus comitibus provincialibus, eorumque vices gerentibus et iudicibus nobilium firmo damus in mandato, quatenus dum per comitem camere nostre vel suos officiales, nec non homines domini archyepiscopi, ac magistri tawarnicorum nostrorum, fuerint requisiti, accedant cum eisdem, et pecuniam seu lucrum camere nostre, prout data fuerant ad cambiendum ipsa moneta nostra, super tales contumaces et penam superius contumacibus inflictam, si necesse fuerit, exigere teneantur; duabus partibus birsagii, inibi recepti, ipsi comiti camere et hominibus domini archyepiscopi, ac magistri tawarnicorum remanentibus, terciam partem, ipsi comites vel vice comites et iudices nobilium, birsagii eiusdem inter se dividentes. In *civitatibus* autem nostris regalibus videlicet et reginalibus, et in aliis quorumlibet, iuxta seriem nostre taxacionis, in aliis litteris nostris ad easdem dirigendis expressam, hoc ordine et moderaminis pena mediante per cives civitatis cuiuslibet statuentes volumus cambiendum, videlicet quod: cives civitatum, facta publica proclamacione, hominibus dicti domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum nostrorum, ac testimonio alicuius capituli, vel conventus credibilis presentibus, vigesimo secundo die, a die ipsius publice proclamacionis, ipsi comiti camere nostre vel suis officialibus sumpmam pecunie, super ipsos impositam, solvere tenebuntur eo modo, quod si usque eundem vigesimum secundum diem ipsam pecuniam eidem comiti camere nostre solvere non curarent, singulas decem marcas de ipsa sumpma pecunie, cum iudicio trium marcarum, elapso termino solvere teneantur; quorum iudiciorum ipse comes camere nostre duas partes percipiét, tercia parte eisdem hominibus domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum remanente. Item statuimus, ut comites provinchiales quorumlibet comitatuum, plus quam unam marcam, decem pensarum nove monete nostre, a comite camere nostre predicte petere vel recipiere, *racione fororum,* non persumpmant. Nobiles autem, vel cuiusvis alterius status homines, fora habentes, pretextu fororum ipsorum, ab eisdem comite camere vel suis officialibus, quicquam petere vel recipere non presumpmant. Ceterum, quia antiqua libertas camerarum nostrarum id requirit, statuimus: quod nullus omnino hominum, cuiuslibet dignitatis existat, officiales et servientes comitis camere nostre, suo *iudicio* astare compellere presumpmat, sed per eundem comitem camere nostre iudicentur; qui si dare iusticiam, ex parte ipsorum, neglexerint, tunc magister tawarnicorum nostrorum iudicabit eosdem. Item, si qui contra ipsum comitem camere nostre, racione iniuriarum, seu dampnorum et nocumentorum camerarum nostrarum, personis in officio camere nostre procedentibus illatarum, ad nostram, sive magistri tawarnicorum nostrorum, aut alicuius iudicis ordinarii presenciam citati fuerint, in primo termino, absque omni dilacione ulteriori, ipsa causa dante, iusticia finaliter debeat terminari et nullatenus ulterius debeat prorogari. Quicunque autem prefatum comitem camere nostre, ordine iudiciario, in causam attraxerit, sepedictus magister tawarnicorum nostrorum ex parte ipsius, querelantibus iusticiam faciet, auctoritate nostra mediante. *Ferramenta* autem formalia, sub inclusione sigillorum ipsorum hominum domini archiepiscopi et magistri tawarnicorum nostrorum, in locis consuetis conserventur et eisdem presentibus ipsi denarii nostri triformes cudantur et formentur. Hoc eciam duximus statuendum: ut de rebus et bonis quibuslibet ipsius camere nostre, per officiales eiusdem ubicunque deferendis, in terra et in aquis nullum tributum exigatur. Preterea, de qualibet marca, unum

pondus racione conservacionis ferramentorum, homini eiusdem domini archiepiscopi assignetur; quolibet vero die operis camere nostre, singulos dimidios fertones, similiter eidem magistro tawarnicorum nostrorum vel homini suo, preter sumpmam convencionis nostre regalis, persolvat. Item aule nostre vicecancellario, singuli comites camerarum nostrarum, redditus et proventus, ab antiquo consuetos, eidem plene dare et solvere teneantur, hoc adiecto, quod iniurias et dampna, que officialibus camerarum nostrarum per quospiam irrogata fuerint, prefatus magister tawarnicorum nostrorum prosequi et emendare teneatur. De *falsariis* autem et eorum fautoribus, antiquam consuetudinem regni nostri volumus observari. Hoc eciam addicimus, ut nullus hominum, cum comite camere nostre, aliquid pactum cum aliis monetis vel denariis antiquis, preterquam cum ipsis nostris novis, facere presumpmant, nam si qui contra hanc nostram ordinacionem procedentes reperti fuerint, et cum eodem comite camere nostre pactum huic nostre ordinacioni contrarium fecerint, si homines fuerint possessionati, possessionibus ipsorum privabimus, velu*d* contumaces; si vero idem comes camere nostre, contra hanc ordinacionem processerit, extunc eundem vindicta capitalis sentencie puniri faciemus. Solvet autem nobis idem comes camere nostre, dictam sumpmam pecunie, in tribus terminis infrascriptis, videlicet: ducentas marcas, in festo beati Jacobi apostoli; et iterum tantum in festo beati Martini confessoris; residuas vero ducentas marcas in dominica Circumdederunt, in terminis scilicet proxime affuturis, sese invicem subseq̇uentibus, simul cum decimis archyepiscopalibus, nobis solvere tenebitur; dupp*l*i penam incurret, si aliquiem (sic!) terminorum obmiserit in solvendo; decimas autem archyepiscopales in eisdem terminis solucionum eidem domino archyepiscopo solvere tenebitur. 1335. 25. Jul., 11. Nov. 1336. 17. Jan.

Sigillum majestat. tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. B. nr. 114.

380.

1335. Esztergom. **1. Apr.** — Chanadinus archiepiscopus Strigoniensis, custodi ecclesie Strigon., pro villa Szelő et terra Rendvég, capellam, seu quartam circa Tirnaviam, in cambium confert.

Nos *Chanadinus,* Dei et apostolice sedis gracia archiepiscopus Strigoniensis, eiusdemque loci comes perpetuus, universis et singulis, ad quos presentes pervenerint, salutem in salutis auctore. Rerum spiritualium, ac temporalium permutaciones inter ecclesiasticas et la*y*cas personas, utri*i*usque iuris regula suadente, rite, racionabiliter et legit*t*ime fieri non vetantur, duntaxat ipsarum rerum pensata qualitate, hinc inde partibus, facientibus permutacionem, utilitas maior et fructus uberior ex hoc valeat pervenire. Sane cum discretus vir et honestus, dominus *Johannes custos* ecclesie nostre, sive thesaurarius, per modum querulantis nobis sepius significare curaverit, aures nostras propulsando, quod officium custodie Strigoniensis ecclesie magnam requireret curam, pervigilem diligenciam pariter et expensam, et redditus, seu proventus eiusdem custodie, summam decem marcarum non excedant annuatim; asserens eciam prefatus Johannes, custos Strigoniensis, quandam villam, *Zelew* vocatam, et terram *Rendweh,* custodie annexas, in comitatu Ne*w*gradensi existentes, quas quidem posses-

siones propter distanciam, locique remocionem, ac nobilium circumsedencium impugnaciones, prout teneretur et deberet, tueri non posset et regere, ac iobagiones in predicta villa, Zelew vocata, a latronibus et predonibus minime defensare, usumque ipsarum pro suo beneplacito non valebat percipere, nec habere. Affirmans eciam memoratus Johannes, custos ecclesie nostre, predictas terras custodie annexas, terris archiepiscopalibus omnimode contiguas et adiunctas ac per omnia, sine metarum distinccione vicinatas; multasque alias causas legittimas et evidentes pretendendo, propter quas predicte possessiones sibi minus utiles videbantur. Eapropter devota precum instancia et humili flagitacione nobis obnixius supplicavit, quatinus pure propter Deum, serviciorumque suorum ob respectum, quibus ipse et fratres sui, a retroactis temporibus nobis complacere curaverunt, ut in concambium et permutacionem predictarum terrarum aliquas capellas, vel quartas, seu redditus tales dignaremur conferre, quibus mediantibus eius defectum, suorumque successorum inopiam sublevare et proventus custodie ampliori incremento dilatare (emansit: valeremus).

Nos igitur motivis racionibus inducti, matura deliberacione prehabita, defectuositatem proventuum custodie ecclesie nostre Strigoniensis perpendentes, cupientes amminiculo ampliori et valenciori sibi occurrere, precibusque Johannis, ecclesie nostre custodis, quamplurimum eciam inclinati, de consensu fratrum nostrorum, quandam quartam, sive capellam, cum suis filiabus, quarum nomina sunt hec: *Gerencher*, *Magyarad*, *Parna*, ubi est terra absque cultoribus, et colitur (sic!), sed datur decima in specie, item villa *Pagh*, item *Chyfer*, item *Fonchol*, item *Pagh* minor, item *Bachan* superior, item *Bachan* inferior, item octo nobiles de Capella, item *Ichran*, item *Chathe*, item *Villa nova*, item *Wedred*, item *Maythech*, item *Appay*, item *Gesth*, item villa *sancti Abrahe*, item villa *sancti Michaelis*, Petri Orrus, item *Fedemes*, item *Gyozeg*, item *Dudwagzeg*, item *Maheth* utraque, item *Daytha*, *Geregen*, item *Wedreed* sex, item *Chykles*, item *Magyarbel* utraque, item *Nemethbel*, *Sempch*, item *Bodogazonffalwa*, item *Sarfew*, item *Bohon* maior, item *Bohon* minor, item *Wysthak*, *Reche*, *Lottondorff*, item *Podmorch*, item *Gochonod*, item *Mached* utraque, item *Eleffanth*, item *Pyntheksur* ac *Kermesd*, item *Kewrthwelyes* utraque, *Path* nobilium deserta, item *Path* minor, item *Kwssald*, item *Reth*, item *Grwb*, item *Toksson*, item *Sandal*, item *Beel*, *per resignacionem domini Theophili, quondam prepositi Strigoniensis ecclesie, de iure et de facto vacantem*, in concambium et permutacionem sepedicte ville Zewlew et terra Rendwech, Johanni custodi dedimus et contulimus; salva tamen quarta quarte sacerdotum, in predictis villis pro tempore existencium, perpetuo et irrevocabiliter possidendas, tenendas pariter ac habendas. Memoratus vero dominus Johannes, Strigoniensis ecclesie thezaurarius, hac permutacione condigna contentus, consensum prebuit et assensum, ac prefatam villam Zelew et terram Rendwegh, cum omnibus suis utilitatibus, silvis, fenetis, terris arabilibus, assignatis in manibus nostris privilegiis et instrumentis felicis recordacionis Bele regis, quibus mediantibus tenebat et possidebat, nobis igitur, nostrisque successoribus, nomine concambii et permutacionis, cum omni iuris plenitudine, nullam proprietatem sive dominium, in predictis possessionibus, de cetero pro se, suisque successoribus retinendo, nobis, nostrisque successoribus, perpetuo contulit possidendas. Hanc igitur permutacionem approbamus, ratificamus et sanccione canonica confirmamus. Volentes igitur, et sub pena excommunicacionis firmiter

iniungentes decimatoribus quibuscunque, pro tempore constitutis, qui prefatas villas, in quibus custos Strigoniensis quartam habere dinoscitur, dicare et decimam exigere consveverunt, ipsum custodem Strigoniensem, in suis iuribus, in nullo penitus debent defraudare. Ut igitur hec robur perpetue firmitatis obtineant, sigilli nostri munimine duximus roboranda. Datum *Strigonii,* prima die mensis Aprilis, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo quinto.

E transumpto Stephani Báthori palatini a. 1520. In Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 51. fasc. 1. nr. 34. — Habetur et transsumpt. Petri de Perèn palatini in charta a 1516. confect. Ibidem Lad. 51. fasc. 3. nr. 3.

381.

1335. — 14. Maii. — Carolus I. rex, possessionem Szerdahely, per Chanadinum archiepiscopum pro possessionibus Gyorok et Lék comiti Petro cessam, ab eodem comite, ob notam infidelitatis adimit et eidem archiepiscopo 200 marcis vendit.

Karolus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, montis sancti Angeli dominus. Omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presencium noticiam habituris, salutem in Domino sempiternam. Cum ea, que iustis causis intervenientibus in iura ecclesiarum rediguntur, regio patrocinio debeant solidari, idque quod iuris sancte matris ecclesie dinoscitur extitisse, eo non defraudari, quin *y*mo debeat in ewum (sic!) gratulari, regia magnificencia decrevit firmitatis amminiculo stabilita roborari. Proinde, tam presencium, quam posterorum noticie harum serie volumus fieri manifestum: quod cum nos quasdam possessiones *Gyorok* et *Leek* vocatas, iuxta flumen Nitrie existentes, nostre collacioni omni equitatis tramite, ut hominum sine herede decedencium specialiter devolutas, comiti *Petro,* filio *Menul,* pro meritoriis suis serviciis, dudum ante perpetuo contulissemus, et demum, quia ipse possessiones *archiepiscopalibus possessionibus* circum quaque vallabantur et multiplicia discolositatum et guerrarum discrimina inter populos dicte *Strigoniensis ecclesie,* ac populos prefatarum villarum, iobagionum videlicet dicti comitis Petri, incessanter suboriebantur, nobisque frequentes querimonie hinc inde porrigebantur, volentes ipsarum dissensionum scandala utri*m*que de medio ipsorum populorum removere, eidem comiti Petro, cum venerabili in Christo patre domino *Chanadino,* eadem et apostolice sedis gracia *archyepiscopo* Strigoniensi, locique eiusdem comite perpetuo, nostri regalis consensus admissione mediante, concambium et permutacionem facere et disponere mandassemus; ipseque comes Petrus, prelibatas possessiones Gyorok et Leek, per nos perpetuo sibi collatas, eidem domino archyepiscopo et per eum suo archyepiscopatui, ex nostri regalis admissivi consensus mandato, in concambium possessionis prescripti domini archiepiscopi Strigoniensis *Zeredahel* vocate, in comitatu *Posoniensi* existentis, perpetuo et irrevocabiliter contulisset; et iam dictus dominus archyepiscopus, in concambium prelibatarum possessionum sibi datarum et traditarum, eandem possessionem Zeredahel, eidem comiti Petro similiter perpetuo possidere tradidisset. Nosque revocatis et reductis nostri regiminis gubernaculis, castris nostris *Wywar* et *Berench* nuncupatis, in terminis regni nostri adiacentibus, que per *Stephanum Bohemum,* nostrum et regni nostri emulum specialem, contra nostram maiestatem potencialiter detinebantur eo, quod dicta castra interioribus edificiis et pro-

pugnaculis fuerant destituta et vetustate consumpta; ipsorumque comsumpte vastitatis reintegracionis restaurandam procuracionem memorato comiti Petro commisissemus, quatuor provinciarum regni nostri collectas regio edicto describi facientes per eundem, ut ipsa castra, in terminis existencia, vetustate devastata, sue desolacionis dampna restaura*ra*ret, ipsumque regnum nostrum, terminum sue limitacionis, a gloriosissimis progenitoribus nostris, divine pietatis clemencia annuente, evidentissimis signorum indiciis stabilitum, cum perfecte pacis pulcritudine et honoris incremento gubernaret. Ipse comes Petrus, perverso ductus consilio, a tramite suete (sic!) fidelitatis se divertens, cupiditate arreptus pecunie, nec ex ipsa collecta quatuor provinciarum, ad noticiam omnium baronum nostrorum, nobiliumque regni nostri publice exacta, rupturam, seu vastitatem ipsorum castrorum nostrorum in aliqua parte restauravit, nec eciam de ipsa extorta pecunia aliquam pretendere valuit racionem, sicque fidelitatis limites transgrediendo, velu*t* predo pestilens, avarus et exactor, mercedem nostre regie dileccionis et gracie, publice infidelitatis et furti nota se decolorans, infectivo rubu*g*ine maculavit. Per quod quidem manifesti facinoris furti scelus, evidenter comissum, omnes ipsius proprietates et bona, ac sepius dicta possessio *Zeredahel*, tam pro predicta exacta collecta, quam eciam pro crimine furti, ad nostras regias manus fuisset devoluta et redacta. Nos ipsorum castrorum nostrorum rupturam et vastitatem, ex eiusdem comitis Petri proprietatibus et possessione, — ut ex evidenti indicio facinorosi criminis, nostram maiestatem offendentis, in nostras manus iure apropriatis, — reintegrare et restaurare intendentes, sepius nominatam possessionem Zeredahel, premissarum possessionum *Gyorok* et *Leek* vocatarum concambio, ab eadem Strigoniensi ecclesia alienatam, in perpetualemque proprietatem pretacti comitis Petri, filii Menul redactam, et demum premissorum excessuum suorum qualitate exigente, ad nostras manus proprie et per omnia devolutam, prememorato *domino archyepiscopo,* et per eum suo archyepiscopatui, eo iure et ea plenitudinis quantitate, sub ipsisque signis, metis et terminorum distinccionibus, sub quibus primum eidem ecclesie dinoscebatur pertinere et contulerat comiti Petro prenotato, pro ducentis marcis latorum Wyennensium, decem pensas pro qualibet marca computando, plene ad opus dictorum castrorum nostrorum persolutis per eundem, dedimus, tradidimus, vendidimus perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam et habendam, omne ius dominii proprietarii, quod ex ipso permutacionis titulo prefato comiti Petro, filio Menul, et suis heredibus, heredumque suorum successoribus in ipsa possessione Zeredahel perpetuo pertinebat, regia auctoritate ab eisdem auferendo, et in ipsum dominum Chanadinum archyepiscopum Strigoniensem, ac suos in posterum successores archiepiscopos, penitus et per omnia transferendo. Omnia ipsorum instrumenta et litteras, seu quelibet munimenta, super concambio seu permutacione eiusdem possessionis quoquo modo, sub qualicunque forma materie emanata et confecta, cassa, vana et irrita, ac omni vigorositate destituta, regia auctoritate, vigore presencium nunciamus. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri novi et autentici munimine roboratas. Datum, per manus venerabilis viri magistri *Tatamerii,* Albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, pridie Idus Maii, anno Domini Millesimo CCC tricesimo quinto, regni eciam nostri anno tricesimo quinto. Venerabilibus in Christo

1335. 14. Maii.

patribus, dominis prefato Chanadino Strigoniensi, fratre Ladislao Colocensi, aule nostre cancellario, ecclesiarum archyepiscopis; Nicolao Jauriensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Andrea Transsiluano, Ladislao Za[grabiensi, Andre]a Waradiensi, Rodolpho Waciensi, Nicolao Agriensi, Jacobo Chanadiensi, Meskone Wesprimiensi, aule domine regine cancellario, fratre Gregorio S[yrmiensi], Boznensi sede vacante, fratribus Vyto Nitriensi et Paulo Albensi de Nondor, ecclesiarum episcopis, ecclesias [Dei feliciter gubernantibus]. Magnificis viris Wyllermo Drugeth, palatino et iudice Cumanorum; Demetrio magistro tawarnicorum nostrorum; Thoma woyuoda Transsilua[no et comite de] Zonuk; Paulo iudice curie nostre; Mykch bano tocius Sclauonie; Nicolao, filio Osl, bano d[e Machou; Paulo magistro] tawarnicorum domine regine, consortis nostre karissime; Dyonisio dapiferorum et Stephano agasonum nostrorum magistris; ac Nicolao comite Posoniensi, [aliisque quam pluribus, comita]tus regni nostri tenentibus et honores.

Sigillum duplex, bene conservatum, e serico viridi dependens, regem in throno claustrato, cujus forula liliis Andegavensibus exornata sunt, sedentem, dextra sceptrum liliaceum, sinistra autem ad ventrem conversa, globum tenentem, exhibet; ex utroque latere throni scutum minus, cum quatuor Hungariae fasciis, visitur. Aversam partem Verbőczius sic describit (Pars. II. tit. 14. §. 18.): „Quod quidem tercium (sigillum nempe) sic agnoscitur, ut ex duabus partibus clypei, in area sigilli exsculpti, in quo videlicet clypeo duplicata crux continetur, sint due figurae draconis," ore nempe hiante in scutum converso et cauda in spiram convoluta. Supra crucem scutum minus cum quatuor fasciis et liliis eminet. — Aversam hanc sigilli partem minus correcte exhibet: Pray Syntag. de Sigil. Tab. I. fig. 6. — Perigraphe uno circulo inclusa, sic sonat: † Karolus: Dei: Gra: Hungarie. Dalmacie: Croacie: Rame: Suie: Galicie: Lodomorie: (in aversa parte:) † Comanie: Bulgarie: Que: Rex: Pncps: Salernitan: Et: Honoris: Ac: Montis: Sci: Angeli: Dns: — Orig. membr., in infer. parte paulisper exesum, in Arch. Primat. Sec. Lad. L. nr. 1. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII⁴. 51.

382.

1335. Avignon. 29. Maii. — Joannes PP. XXII., Chanadino archiepiscopo Strigoniensi iniungit, ut regem Carolum I., ad restituendum Nicolao episcopo et ecclesie Jauriensis bona ablata, inducat et hortetur.

Theiner: Monumenta Hist. Hung. T. I. p. 604.

383.

1335. Bars. 31. Maii. — Wilhelmus Drugeth palatinus, conventum de juxta Gron, ratione particulae terrae ad Kovácsi pertinentis, protestasse perhibet.

Nos, *Wyllermus Drugetth,* palatinus et iudex Comanorum, tenore presencium memorie commendantes significamus, quibus expedit universis: quod in quadam generali nostra congregacione, feria secunda proxima post festum Asscensionis Christi, universis nobilibus *comitatus Borsiensis,* apud eandem civitatem *Bors,* regni consuetudine requirente celebrata, vir religiosus frater *Sefridus, abbas* monasterii sancti Benedicti *de iuxta* fluvium *Goran,* suo et conventus sui nomine, de medio universorum nobilium consurgens, protestando retulit eo modo: quod Petrus comes, frater *Bors de Palast,* unam de principalibus metis ipsius monasterii, que a fundacione eiusdem illesa semper et intacta permansisset, sua propria auctoritate, per famulos et iobagiones suos

1335. 29. Maii.

de villa Nemchen subfodiendo ac perarando destrui et demoliri fecisset, et magnam partem terre intra eandem metam habite, ad villam monasterii sui *Koachy* vocata pertinente (sic!), potencialiter excidendo occupasset, et occupatam predicte ville seu Nemchen applicasset, in grande preiudicium prefati monasterii sui et iacturam, et quod usus fructus et quaslibet utilitates eiusdem particule terre, contra prohibicionem predictorum domini fratris Sefridi abbatis et sui conventus, auctoritate regia, mediante testimonio *capituli Strigoniensis* legittime factam, pluribus annis percepisset. Et nunc, post mortem ipsius comitis Petri, iidem iobagiones de villa Nemchen, prenominate particule terre, racione prioris occupacionis, per antedictum Petrum facte, usus fructus et utilitates quaslibet, auctoritate Pauli *Bany castellani de Ryusche* et Michaelis dicti *Rykathay* vicecastellani eiusdem, perciperent universas. Unde ipsos Paulum Banum, vicecastellanum suum Michaelem, nec non iobagiones supradicte ville Nemchen universos, palam et expresse a sepedicta particula terre, ad possessionem frequencius recitati monasterii Koachy vocata pertinente, prohibuit coram nobis, asserens et attestans, quod premissa, scilicet demolicionem et destruccionem mete, necnon violentam excisionem et abstraccionem memorate particule terre, se cum suo conventu vel suos successores, secundum continenciam instrumentorum monasterii sui prosecutores, dum se tempus obtulerit et facultas. In cuius protestacionis et prohibicionis testimonium, nostras litteras eisdem domino abbati et suo conventui, instanter postulanti, concessimus iusticia suadente. Datum, tercia die congregacionis nostre et loco prenotatis, anno Domini Millesimo ccc° xxx^mo quinto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 2. fasc. 1. nr. 13.

384.

1335. Bars. 1. Jun. — Vilhelmus Drugeth palatinus, tertiam partem tributi in comitatu Bars., monasterio s. Benedicti adjudicat.

Nos, *Wyllermus Drugetth,* palatinus et iudex Comanorum, tenore presencium memorie commendantes significamus, quibus expedit universis: quod in quadam nostra congregacione generali, feria secunda proxima post festum Asscensionis Domini, cum universis nobilibus *comitatus Borsiensis,* apud eandem civitatem *Bors,* consuetudine regni requierente celebrata, vir religiosus frater *Seffridus, abbas* monasterii sancti Benedicti *de* iuxta fluvium *Garan,* suo et eiusdem monasterii conventus nomine consurgens, nobis significare curavit, quod tercia pars tributi in eadem comitatu Bors, ab antiquo exigi consueti, ex donacione regum, ad predictum monasterium sancti Benedicti et abbaciam eiusdem pertineret. Et super hoc exhibuit quasdam litteras privilegiales excellentissimi principis domini nostri *Karoli,* Dei gracia illustris regis Hungarie, litteras privilegiales domini *Andree,* quondam incliti regis Hungarie, super universas possessiones et redditus ordinarios ipsius monasterii ab antiquo confectas, confirmatorias; in quibus inter cetera seriose conspeximus contineri, dictam terciam partem tributi de Bors ad id de iure pertinere. Exhibuit eciam, idem dominus abbas, quasdam alias litteras eiusdem domini nostri regis patentes, in quibus continebatur, quod predictam terciam partem tributi de Bors, per

1335. 29. Maii.

manum violentam alienatam et occupatam de eodem monasterio, idem dominus noster rex, de plenitudine sue regalis gracie, ob remedium et salutem anime sue, reddidisset et restituisset eandem terciam partem tributi, cum plenaria integritate, monasterio sancti Benedicti prenotato. Nos itaque visis et perlectis litteris predictis, cognosscentes predictam terciam partem tributi de Bors ad ipsum monasterium sancti Benedicti de iure pertinere et pertinuisse ab antiquo, candem terciam partem tributi, nullo penitus contradictore existente, statui fecimus ipsi monasterio abbati et conventui eiusdem, in perpetuum exigendam et habendam. In cuius rei memoriam presentes nostras litteras fecimus emanari. Datum, quarta die congregacionis nostre prenotate, loco antedicto, anno Domini M*y*llesimo ccc° tricesimo quinto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 4.

385.

1335. — 22. Junii. — Carolus I. rex, ob fidelia merita magistri Thomae, castellani de Csókakő et Gesztes, nros 288 et 311. transsumit et privilegialiter edit.

Ed. Cod. Andegav. T. III. p. 174.

386.

1335. Avignon. 21. Junii. — Benedictus PP. XII., mandat Varadiensi et Chanadiensi episcopis, ut cum Colomanno, nato Caroli regis Hungariae, super defectu natalium et aetatis dispensent.

„Colomannus natus — Caroli regis — de ipso Rege coniugato et soluta genitus — honestate vite ac probitate morum abstergit — quod in eo ortus ademerat odiosus — — — — iidem Rex et Colomannus nobis humiliter supplicarunt, ut ipsi Colomanno, qui nunc in decimo nono eiusdem etatis anno vel circa constitutus existit, providere super hoc de opportune dispensationis remedio dignaremur. Nos itaque prefatum Colomannum, premissorum suorum meritorum intuitu et consideratione dicti Regis apostolice plenitudine gratie favorabiliter confovere volentes, — — — fraternitati vestre — — mandamus, quatenus — consideratis circumstantiis universis — — — — si dictus Colomannus alias sit idoneus — et aliud canonicum non obsistat — cum eodem —, ut dicto defectu — nequequam obstantibus, ad omnes ordines promoveri et ecclesiastica beneficia cum cura vel sine cura, etiam si personatus existant — — obtinere, nec non ad dignitatem Episcopalem, cum ad etatem ad id aptam pervenerit, eligi et assumi possit licite, auctoritate apostolica dispensetis — — Datum *Avenione* VIII. Kal. Julii. Anno Primo."

Ed. Theiner: Mon. Hung. Hist. T. I. p. 604.

387.

1335. (Esztergom.) 1. Julii. — Conventus Crucif. Strigon. dominam Sebe, cum marito et filio suo, unam sessionem in Sz. Pálfalva, Chanadino archiepiscopo quatuor marcis argenti vendidisse testatur.

Conventus *crucíferorum,* domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani de *Strigonio,* universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in

eo, qui est omnium vera salus. Scriptum est organo dominice vocis expresso verbo: quod audimus loquimur et quod vidimus testamur, et quod plurimorum testimonio firmatur, sua debet stabilitate perpetuo perdurare. Proinde ad universorum, tam presencium quam futurorum noticiam, harum serie volumus pervenire: quod domina *Sebe,* relicta Nicolai, filii *Ite, de villa Sancti Pauli,* nunc uxor *Stephani,* filii Marcelli, una cum eodem Stephano, ac *Kouch* filio suo, ad nostram personaliter accedentes presenciam, dixerunt et confessi sunt ministerio vive vocis, sessionem ipsorum cum omnibus *h*edificiis et utilitatibus, in villa Sancti Pauli, inter domos *Nicolai sacerdotis ecclesie Sancti Pauli,* a parte septemtrionali, et domos ac curiam *Jacobi,* dicti *de Daag,* et Andree de eadem Daag existentem, ex permissione omnium cognatorum et proximorum suorum, quatuor marcis argenti mercimonialis, venerabili in Christo patri, domino *Chanadino,* Dei et apostolica gracia *archiepiscopo Strigoniensi,* locique eiusdem comiti perpetuo, et per ipsum suis successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam, vendidisse et locasse, *y*mo vendiderunt et locaverunt, coram nobis, nullo contradictore apparente. Insuper, predicta domina Sebe, Stephanus maritus suus, ac Kouch filius eius, firmiter et sollempniter assumpserunt, tam per se quam per suos, ipsum dominum Ch.(anadinum) archiepiscopum et suos successores, ab omnibus inpetitoribus et quoquo modo, racione dicte sessionis et *h*edificiorum predictorum molestare volentibus, expedire et liberare laboribus ipsorum propriis et expensis. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, ad peticionem et instanciam parcium predictarum, presentes eidem domino archiepiscopo concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas et alfabeto intercisas. Datum, in octavis Nativitatis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ quinto.

A. B. C.

Extus manu saec. XV.: Super possessione Zentpaul prope Strigonium. — Sigillum, bene conservatum, e viridi et flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 39. — Edid. Fejér: l. c. VIII⁴. 130.

388.

1335. Visegrád. 4. Aug. — Thomas vajvoda Transylvanus, peragendae inter Petrum et Joannem de Romhány, ac filios Dionisii, possessionum Romhány, Szátok, Debercsény, Ecsed et Leszenye divisionis seriem, per capitulum Vaciense sibi rescribi petit.

Tenorem vide sub nr. 395.

389.

1335. Visegrád. 10. Aug. — Thomas vajvoda Transylvanus, comitem Thomam de Romhány, portionem magistri Petri de eadem, a sua se metis distincturum promisisse, testatur.

Seriem vide sub nr. 395.

390.

1335. — 13. Aug. — Benedicti PP. XII. bulla de sepultura interfectorum, data.

Tenorem vide sub nr. 399.

391.

1335. — 22. Aug. — Michael, praepositus Posoniensis, Petro presbytero, canonicatum in eccl. sua Poson. confert.

Tenorem vide sub a. 1342. 10. Mart. nr. 600.

392.

1335. (Nyitra.) 21. Sept. — Frater Vitus, episcopus Nitriensis, coram suo capitulo, se possessiones suas Moki, Istvántelek et Perbete, pro decimis plurimarum villarum comitatus Nitriensis, archiepiscopo Strigoniensi, commutasse perhibet.

Capitulum ecclesie *Nitriensis,* omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod venerabilis in Christo pater dominus *frater Vitus,* Dei et apostolica gracia *episcopus Nitriensis,* prelatus noster, in nostri presencia personaliter comparendo, oraculo vive vocis est confessus, in hunc modum: quod, quia venerabilis in Christo pater, dominus *Chanadinus,* eadem gracia *archiepiscopus Strigoniensis,* eiusdemque loci comes perpetuus, decimas quarumdam villarum dicti domini episcopi prelati nostri: *Ludan, Vrmen, Cytar* et utrarumque *Bodak* vocatarum, in comitatu *Nitriensi* habitarum, exceptis decimis porcionum nobilium, quas haberent vel habuerint in eisdem, et quartis magistratualibus magistro quartarum persolvendis, salvis remanentibus, per excellentissimum principem dominum *Karolum* inclitum regem Hungarie, in concambium sibi datarum, quarum decime immediate ad ipsum dominum archiepiscopum et archiepiscopatum Strigoniensem pertinebant, ipsi domino nostro episcopo Nitriensi et episcopatui in perpetuum, in concambium terrarum possessionum ipsius domini episcopi infra nominatarum dedisse, donasse et tradidisse, de consensu et voluntate fratrum suorum, videlicet capituli ecclesie sue predicte; e converso idem dominus frater Vitus, episcopus Nitriensis, prelatus noster, quasdam terras seu possessiones ipsius episcopatus et episcopi Nitriensis videlicet: unam *Moky* vocatam, que existit iuxta villam ipsius domini archiepiscopi *Vduord* nuncupatam a parte septemtrionali; item aliam terram episcopatus Nitriensis *Iwankateleky* vocatam, iuxta villam eiusdem domini archiepiscopi *Tordaskeddi* vocatam adiacentem; terciam vero terram *Perbete* dictam, ville eiusdem domini archiepiscopi Perbete vocate vicinam et contiguam, que quidem terre ipsis villis archiepiscopalibus multum utiles et necessarie existerent, cum omnibus ipsarum utilitatibus et pertinenciis universis, sub metis et terminis quibus dicte possessiones, seu terre, per predictum dominum episcopum et episcopatum hactenus habite fuerunt et possesse, dedit, donavit et contulit, de nostro consensu et beneplacito, ipsi domino archiepiscopo Strigoniensi et archiepiscopatui, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendas, tenendas et habendas. Preterea idem dominus episcopus prelatus noster, quartis villarum predictarum archiepiscopalium de *Vduord* et de *Perbete,* quas ex donacione archiepiscoporum Strigoniensium, mediante vigoroso instrumento habet, renunciavit ita, quod ipsas quartas idem dominus archiepiscopus Strigoniensis, deinde donandi cui voluerit, liberam habeat facultatem. In cuius rei testimonium et perpetue stabilitatis augmentum, presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri magistri *Stephani, lectoris*

ecclesie nostre, in festo beati Mathei apostoli et ewangeliste, anno Domini M° ccc° xxx^mo quinto.

Extus manu medii aevi: Super terris Moky, Iwankatheleke et Perbethe, ab episcopo Nitriensi permutatis. — Sigillum e rubro et violaceo serico pendet. — Orig. membr., in Arch Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 3658.

393.

1335. (Esztergom.) 27. Sept. — Capitulum Strigon., Chanadinum archiepiscopum, Vito episcopo Nitriensi, pro terris Moki, Ivánteleke et Perbete, decimas villarum nonnullarum, in comit. Nitriensi existentium, cessisse testatur.

Tenor privilegii, mutatis mutandis, penitus equale cum illo capituli Nitriensis, superius exhibito.

Datum, per manus discreti viri magistri *Ladislai*, lectoris ecclesie nostre predicte, in festo beatorum Cosme et Damiani martirum, anno Domini M° ccc° trecentesimo (sic!) xxx^mo quinto.

Extus manu saec. XV.: Super quadam particula terre, Moky vocata, iuxta Oduard et alta (sic!) particula terre Iwankatheleky vocata, iuxta Tardaskeddy et Perbethe, prope Perbethe archiepiscopali. — Sigillum e serico violaceo pendebat. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 38. — Edidit: Fejér: Cod. Dipl. VIII^4. 114.

394.

1335. Avignon. 13. Nov. — Benedictus PP. XII., Chanadino archiepiscopo Strigoniensi mandat, ut synagogam de novo per iudaeos, in oppido Posoniensi, iuxta capellam quadam constructam, sine mora destruendam curet.

Ed. Theiner: Monum Hung. Hist. T. I. p. 608.

395.

1335. (Vác.) 20. Nov. — Capitulum Vaciense, super peracta inter filios Dionisii et cognatione eorum possessionum Romhány, Debercsen, Leszenc, Szátok et Ecser divisione, Thomae vajvodae Transsylvano rescribit.

Nos, *capitulum* ecclesie *Wacyensis,* tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod nos litteras magnifici viri domini *Thome,* wayuode Transiluanensis et comitis de Zolnuk et Neugrad comitatuum, honorabiliter accepimus, ut tenemur, communi iusticia suadente, quarum tenore nos diligenter petebat, ut priorum litterarum suarum tenorem, de verbo ad verbum, super composicione et ordinacione inter magistrum Petrum, filium *Elysey,* et Johannem, filium Johannis, filii Elysey, ex una parte; item inter *Chwda,* Blasium, Paulum et Stephanum, filios Dyonisii, item Nicolaum, filium Johannis, item Georgium, filium Petri et Thomam, filium Markus ex altera; super facto possessionum *Rohman, Deberchen, Lezene, Zatok* et *Echet* vocatarum, in eodem *comitatu Neugradiensi* existencium emanatarum, conscribendo, simul cum cursibus metarum, quemadmodum predicte possessiones certis limitibus et distinccionibus fore distincte dignoscuntur et sicut homo domini regis, coram homine et testimonio nostro *y*doneo, eidem Petro, cum predicto Johanne, filio Johannis, statuit in presencia commetaneorum et vicinorum, absque contradiccione, sibi sub nostro

sigillo autentico transmittere dignaremur, ut iuxta tenorem nostri prescripti (sic!) eidem Petro, super premissa, valeret dare suas litteras. Quarum quidem tenor talis est:

Discretis viris, amicis suis reverendis, capitulo ecclesie *Vaciensis,* Thomas wayuoda Transiluanus et comes de Zolnuk, ac Neugrad, sincere reverencie et amicicie exuberans incrementum. Vestra noverit amicicia, quod licet nos inter magistros Petrum, filium Elyse*y* et Johannem, filium Johannis, fillii Elyse*y* fratris sui de Rohman ab una; et comites Chuda, Stephanum, Blasium, et Paulum, filios Dyonisii, item Nicolaum, filium Johannis, et Georgium, filium Petri, ac Thomam, filium Markus de eadem, parte ab altera, coram nobis personaliter astantes, super facto divisionis quarumdam ipsorum possessionum *Rohman* videlicet, *Zathuk, Deberchen, Eched* et *Lezene* vocatarum, in comitatu Neugradiensi existencium, in octavis festi beati Jacobi apostoli presentibus, iudicium facere debuissemus; tandem partes ex nostra permissione, mediante proborum virorum composicione, in talem pacis et concordie (cmansit: unionem), se dixerunt devenisse, reddentes de omnibus iudiciis et de aliis alter alterum expeditum eomodo: ut iidem comites Chwda, Stephanus, Blasius et Paulus, filii Dyonisii, item Nicolaus, filius Johannis, Georgius filius Petri, ac Thomas filius Mark*ws*, dimidietates duarum possessionum *Lezene* et *Zathwk* prenominatarum, que hucusque ad ipsos de iure pertinuissent; item prefatus Thomas, filius Markws, — in possessione Rohman predicta, unam particulam prati, unumque nemus a quodam molendino suo, super *fluvio Lolkws* vocato existente, sedecim cubitos cum mensura regali super fluvio predicto infra mensurando et ab ipso loco transseundo ad partem orientalem, circa unum agellum ordeacei et in fine ipsius agelli palisper (sic!) girando cadit in unam semitam, deinde transsiens intrat in eundem fluvium Lolkws, et in eodem fluvio transsit infra ad eandem partem orientalem, usque ad metas ciusdem Petri de Rohman, et ibi cadit in viam magnam, ubi idem Thomas debet novam metam erigere, — ipsis Petro et Johanni dare tenebitur. E converso autem prefati Petrus et Johannes, ipsi Thome pro iamdicto nemore, in terra arabili et pratum, pro prato tatumdem (sic!) dare tenebuntur, quam prefati Chwda et alii sibi dabunt, sicut inferius patebit; deinde transsit per eandem viam ad partem meridionalem, perveniret ad quandam sessionem Rohman vocatam, ad quam sessionem partes comitem Marcellum *de Zechyn* adducere tenentur, qui si mediante sua fide dixerit, quantum idem Thomas, in presencia hominis domini regis et nostri testimonii, primitus de ipsa possessione Rohman, ipsis Petro et Johanni dabat in terris fimatis, bis tantum comites Chuda, Stephanus, Blasius et Paulus, filii Dyonisii, et Georgius filius Petri, de terris arabilibus iuxta viam Zathwk, in possessione Rohman pretacta et insuper sessionem unius curie, quantum unus ipsorum habere dignoscitur, circa ecclesiam in eadem Rohman constructam, inter sessiones Georgii et Gregorii, filii *Seruusdei,* racione divisionis. Quas quidem divisiones inter partes, quatuor probi viri, per ipsos adducti, Deum pre oculis habendo, in presencia Thadei, vel Stephani, filii Petr*us* aut Marcelli de Zechyn, aliis absentibus, hominis domini regis et nostri testimonii, in octavis beati Michaelis archangeli nunc proxime affuturis, inter partes ordinabunt; quam quidem ordinacionem partes assumpmere tenebuntur, absque contradiccione et prohibicione quorumlibet, prout generacioni eorumdem,

1335. 1. Aug.

1335. 6. Oct.

in perpetuum dare novis metis erigendo tenebuntur. Quare vestram amiciciam presentibus petimus diligenter, quatinus vestrum detis hominem, pro testimonio fide dignum, in cuius presencia Thadeus, vel Stephanus, aut Marcellus de Zechyn predictus, aliis absentibus homo domini regis, premissa racione accedat ad facies predictarum possessionum, et secundum quod divisio inter partes iamdictas ordinata fuerit, vestri gracia nobis amicabiliter ad quindenas festi beati Michaelis archangeli predicti nunc venturas, rescribatis. Datum in *Wyssegrad*, quarto die termini prenotati, anno Domini Millesimo cccmo xxxmo quinto. 1335. 4. Aug.

Demum eciam alias litteras eiusdem magnifici viri, domini *Thome* wayuode Transilluanensis et comitis de Zolnuk, ac Neugrad re[cepimus. Quarum] tenor talis est:

Nos *Thomas wayuoda* Transilluanus et comes de Zolnuk, damus pro memoria: quod magistris Petro, filio Elysey et Johanne, filio Johannis, filii Elysey fratris sui de Rohman ab una, et comite Thoma filio Markws de eadem, parte ab altera; coram nobis personaliter constitutis, propositum extitit, per eundem Thomam, ministerio vive vocis et relatum eomodo: ut dum homo domini regis et testimonium capituli Vacyensis, in octavis beati Michaelis archangeli nunc venturis, per partes ad facies possessionum Rohman, et aliarum, racione divisionis adducti fuerint; metas possessionis Rohman predicte, prout comes Elyseus, pater ipsius magistri Petri possedisset, iuxta fidem eiusdem magistri Petri a possessionaria porcione sua, porcionem magistri Petri iamdicti, novis metis committeret, eundem separare et sine contradiccione distinguere. Datum in *Wysegrad*, in festo beati Laurencii martiris, anno Domini Mmo cccmo xxxmo quinto. 1335. 10. Aug.

Cuius peticionibus, communi iusticia suadente, nos diligenter annuentes, cum predicto Thadeo de *Zechyn*, homine domini regis, nostrum hominem ydoneum magistrum Vincencium socium et concanonicum nostrum, ad premissa exequenda, pro testimonio duximus transmittendum. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt, quod in octavis beati Michaelis archangeli nunc proxime preteritis, ad facies predictarum possessionum, primo et principaliter ad faciem possessionis *Lezene* vocatam accessissent, cuius possessionis partem mediam, directa linea protrahendo a parte orientali, comites Chwda, Stephanus, Blasius et Paulus, filii Dyonisii, personaliter, item Thomas filius Markws, item Thomas Chwda, cum sufficientibus litteris procuratoriis pro Georgio filio Petri, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis, terris arabilibus videlicet, fenetis, silvis et aliis utilitatibus, quibus ab antiquo tempore homines, seu coloni, super eandem possessionem fecissent residenciam, sub veris metis et antiquis reambulando, preter Nicolaum, filium Johannis, qui illuc secundum seriem litterarum predictarum magnifici viri domini Thome woyuode et comitis de Zolnuk, ac Neugrad, cum aliis venire tenebatur et non venit, neque misit aliquem pro se responsalem, commetaneis et vicinis, legittime secundum regni consuetudinem convocatis et presentibus, specialiter in presencia magistri Johannis, filii Martini, qui medietatem eiusdem possessionis Lezene suam esse hereditariam est confessus; item eciam directe partem mediam alterius possessionis *Zathwk* vocate, a parte occidentali, cuius media pars a parte orientali eciam eiusdem Johannis filii Martini de Rohman 1335. 6. Oct.

existit, similiter per veras metas et antiquas reambulando, sine aliqua contradiccione obstante, eidem magistro Petro filio Elisey et Johanni filio Johannis, filii Elysey, fratri suo, et per eos suis heredibus, heredumque suorum successoribus statuissent, perpetue tenendam, habendam et irrevocabiliter possidendam; ubi predictus Johannes, filius Martini, dixisset viva voce, quod si predictus Petrus filius Elysey et Johannis (sic!) filius Johannis filii Elisey, non essent de eorum generacione et de consanguinitate, tunc ipsos super possessionariis porcionibus supradictis prohiberet, sed quia sunt de eadem cognacione eorumdem, non contradicunt et eos intromittunt, tamquam homines de eorum vera cognacione existentes. Deinde ad faciem possessionis Rohman vocatam accessissent, et ibi primo et principaliter dicti nobiles, videlicet comites Chwda, Stephanus, Blasius et Paulus, filii Dyonisii, item Thomas filius Markws, item Chwda cum procuratoriis litteris sufficientibus, pro Georgio filio Petri, preter Nicolaum filium Johannis, communi voluntate et consensu dedissent, statuissent unum fundum curie, seu sessionem inter sessiones curiarum Georgii, filii Petri, et sessionem Gregorii filii Seruusdei, a parte meridionali ecclesie constructe in eadem possessione Rohman [. . . . . .] Cuius quidem sessionis longitudo se extenderet ad sexaginta ulnas cum mensura regali, et latitudo eiusdem ad viginti quatuor ulnas similiter cum mensura regali mensurando; quam presentibus dictis nobilibus, homo domini regis et testimonium nostrum mensurarunt, et sub eadem sessione a parte occidentali viam latitudinem septem ulnarum similiter mensura, que incipit ab eadem sessione sua supradicta et vadit ad ecclesiam, dedissent et statuissent. Item eciam Thomas filius Markws, quantum dedisset dicto Petro et Johanni, secundum seriem litterarum domini wayuode de terris fimatis, comites Chwda, Stephanus, Blasius et Paulus, filii Dyonisii, bis tantum de terris arabilibus, iuxta viam Zathuk, in possessione Rohman predicta, sepedictis Petro et Johanni dedissent perpetuo similiter possidendam; quam partem possessionariam, a dictis Chuda, Stephano, Blasio et Paulo habitam, sepedictus Petrus dedisset pro concambio dicto Thome filio Markws, pro prato et nemore secundum seriem litterarum domini wayuode. Demum prout (sic!) secundum continenciam litterarum domini wayuode, idem magister Petrus distincciones, ac metas possessionis Rohman vocate, coram homine regis et nostro testimonio, prout comes Elyseus, pater ipsius magistri Petri possedisset, iuxta fidem suam, porcionem suam possessionariam a porcionibus aliorum separare et novis metis distinguere, tali modo accessisset et devenisset. Cuius quidem mete sic distinguntur: prima meta incipit a parte septemtrionali super quendam montem, ubi sunt tres mete terree antique, que separant a possessione *Bank* vocata, et a possessione predicti Thome filii Markws, ac eiusdem Petri; deinde descendens ad partem meridionalem veniret ad quandam arborem quercy, ibi erecta est una terrea meta de novo; deinde descendens per quandam viam wlgariter *Beerch* vocatam, directa linea perveniet ad quandam viam, per quam itur ad predictam villam Bank et transseundo eandem viam descendit ad quoddam pratum et eundem (sic!) transseundo pratum, pervenit ad quandam arborem querci, et ibi est una meta terrea noviter erecta; deinde palisper girando per lineam directam, cadit in fluvium *Lolkws;* deinde per eandem aquam vadit ad partem orientalem, exit de illa aqua ad partem aquilonem, perveniet ad quandam arborem querci, et ibi est una meta noviter

erecta; deinde de predicto fluvio Lolkws vadit ad partem aquilonarem, pervenit ad quandam viam, que vadit ad molendinum predicti Thome filii Markws, et ex parte aquilonarii illius vie sunt due mete noviter erecte; deinde palisper girando versus partem orientalem et transsit viam, qua itur ad possessionem Bank, ad partem meridionalem et ibi cadit in quandam semitam in quodam prato, et ibi est una meta terrea noviter erecta: deinde girando vadit per eandem semitam, intrat in eundem fluvium Lolkus, et ibi sunt due mete terree, que separant possessiones Petri et Thome ab invicem; et in eodem fluvio Lolkus transsit infra ad eandem partem orientalem, pervenit ad magnam viam per quam itur de Rohman ad Zathuk et ibi est dumus wlgariter *ihorfa* vocatus, et ibi est una meta terrea noviter erecta; deinde vadit per eandem viam ad partem meridionalem, pervenit ad viam, que vadit de villa predicti magistri Petri in Rohman, et inter duas vias est una meta terrea noviter erecta; deinde transsiens ad eandem partem meridionalem, pervenit ad unam fossatam, quod wlgo dicitur *Vyzuche,* et ibi est una meta terrea (expunct: et ibi est una ter) noviter erecta; deinde vadit supra in eadem fossata ad spacium competens et ibi exit ad partem occidentalem et ibi est una meta terrea noviter erecta; deinde vadit ad eandem partem occidentalem et pervenit ad unam viam, et ibi est una meta terrea [no]viter erecta; deinde vadit ad cacumen cuiusdam monticuli et ibi est una meta terrea noviter erecta; deinde descendit, vadit ad quoddam pratum et ibi iuxta illud pratum est una meta noviter erecta; deinde circumeundo vertit se circa idem pratum ad partem meridionalem, pervenit ad unam metam noviter erectam; deinde vadit ad quandam arborem piri et ibi est meta noviter erecta; deinde vadit circa quodam nemore (sic!), vadit ad quoddam potak et vadit per eandem potak, et ibi illa potok duplicatur et ibi erexerint unam metam terream; deinde per partem eiusdem potok, quod vadit ad partem meridionalem usque ad caput fontis, et inde descendit usque ad metas possessionis *Pechyen* vocate, et ibi terminantur eo modo, quod signatarum porcionum possessionariarum pars occidentalis est magistri Petri et Johannis supradictorum, pars orientalis est Thome filii Markws supradicti; item eciam quarta pars ecclesie, cum quarta parte cymiterii, tamquam uni de generacione illa, libere predicto Petri et Johanni cessissent in perpetuum possidenda. Datum, secunda feria proxima post festum beate Elizabeth regine, anno Domini prenotato. Et si presentes nobis reportate fuerint nostro privilegio confirmabimus.

E transsumpto eiusdem capituli Vaciensis a. 1388. In Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 22. fasc. 3. nr. 26. — Sigillum e serico viridi pendet.

396.

1335. Esztergom. 27. Nov. — Csanadinus archiepiscopus Strigon. decimationem de Nyirmálalja capitulo Strigon., post depositum iuramentum, contra episcopum Vesprimiensem, adjudicat.

Chanadinus, Dei et apostolica gracia, *archiepiscopus Strigoniensis,* eiusdemque loci comes perpetuus, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris, salutem cum paterna benediccione. Recta

statera iudicii non quid dubium voluntatis, sed quid certa racio iuris appendat librantis moderamen debet advertere, supponens clavibus humeros et legi subiciens potestatem, dum libitum refrenat solicito et pares litigantibus laxat abenas, censendo simili censura dissimiles et parificando dispares equa libra. Sane, cum inter venerabilem in Christo patrem, dominum *Meskonem,* Dei gracia *episcopum Wesprimiensem,* nomine suo et nomine sui episcopatus ab una; et honorabile *capitulum ecclesie* nostre *Strigoniensis*, fratres nostros ab altera; super quibusdam terminis et limitibus particule cuiusdam decimacionis vini, *Nyrmalalia* nuncupate vlgariter, utrum eadem decimacio sit de territorio *Kyw Boyun,* cuius decimacio ad ipsum capitulum absque omni questione dinosscitur attinere, pertineat nec-ne, coram nobis questio exorta fuisset et aliquantulum ventillata, tandem partibus coram nobis comparentibus, idem M.(esko) episcopus Vesprimiensis, volens litem abreviare et artare, nomine suo et sui episcopatus propria comparens in persona, et dominus *Nicolaus archidiaconus Huntensis*, nomine capituli Strigoniensis, cum legitimo et sufficienti procuratorio astans, iuramentum ipsi capitulo propria voluntate super re litigiosa intulit; licet procuratore ipsius capituli in predictum dominum episcopum ipsum iuramentum, per eum delatum referente, ipso episcopo non acceptante, idem dominus Nicolaus archidiaconus nomine suo et nomine capituli iuramentum, per dominum episcopum delatum, acceptavit coram nobis; cumque nos sub certa forma, in nostris inserta litteris, ipsi capitulo Strigoniensi, per eorum sindicum et procuratorem terminum, videlicet quartam feriam post octavas beati Martini confessoris, ad deponendum iuramentum, coram homine nostro assignassemus. Idem dominus Nicolaus procurator et sindicus capituli Strigoniensis, ipso termino deposicionis iuramenti adveniente, coram homine nostro domino *Gyliano*, familiari capellano nostro, per nos partibus ad hoc assignato et ipsum iuramentum coram ipso deponendum destinato, ad faciem ipsius terre in qua sunt vinee site, de quibus predicte decime dantur et exiguntur accedendo, iuxta formam per nos litteratorie traditam, prout eodem domino Gyliano postmodum refferente didicimus, in animam propriam et in animas omnium de capitulo Strigoniensi deposuit iuramentum, ut debebat. Et quia omnis controversie finis est iuramentum, nos ipsam particulam decimacionis vini, de qua lis et contencia (sic!) orta fuerat, que *Nyrmalalia* vocatur, que existeret in metis possessionis *KyvBoyun* vocate, et coram nobis iuramento terminata, ipsi capitulo Strigoniensi sentencionaliter adiudicavimus; ipsi domino episcopo Vesprimiensi et suis successoribus episcopis, super decimis dicte partis *Nyrrmalalia,* a modo in futurum, perpetuum silencium imponentes; ita ut nullo unquam tempore litem de eadem valeant suscitare. In cuius rei sentenciate firmitatem, ne processu temporis de eodem questio ulterius oriatur, presentes ipsi capitulo sigilli nostri munimine duximus concedendas. Datum, *Strigonii,* sexto die deposicionis ipsius iuramenti, anno Domini M° CCC° XXX^mo^ quinto.

1335. 22. Nov.

Extus manu medii aevi: Privilegium super decimis Nyrmalkwalia. — Sigillum, sat bene conservatum, e zona membr. pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 29. fasc. 1. nr. 9.

397.

1335. Visegrád. 13. Decemb. — Carolus I. rex, transscribit literas reambulatorias capituli Budensis, super poss. conventus s. Benedicti, Alpar vocata.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod vir religiosus frater *Sefridus, abbas* monasterii sancti Benedicti de *iuxta Garam*, ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras rescripcionales *capituli* ecclesie *Budensis,* infrascripti tenoris, petens nostram excellenciam, ut ipsas litteras nostris litteris patentibus transscribi facere dignaremur. Quarum tenor talis est:

Excellentissimo domino eorum *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie illustri, capitulum Budensis ecclesie, oraciones in Domino debitas et devotas. Vestra noverit regia celsitudo reverenda, quod cum litteris vestris statucionalibus et generalibus, pro religioso viro domino *Sebreth* (sic!) abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Gorom, et iuxta continenciam ac tenorem earundem, unacum *Johanne*, filio *Zumchuk*, homine vestro, nostrum hominem videlicet *Johannem presbiterum* de choro ecclesie nostre, pro testimonio duxissemus destinandum. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt; quod idem homo vestre excellencie, coram eodem nostro testimonio, feria tercia proxima ante festum beati Michaelis archangeli iam elapsum, super faciem possessionis *Alpar* vocate superiori, accendo, et convocatis vicinis ac commetaneis eiusdem et presentibus, eandem per veteres metas et antiquas reambulassent, reambulatamque eidem domino Sebreth, abbati monasterii sancti Benedicti et ecclesie sue, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis universis ad eandem spectantibus, nullo penitus contradictore existente statuisset, iuxta veteres metas et antiquas eiusdem possessionis, quibus ab antiquo dinoscebatur possedisse. Datum, in octavis festi beati Michaelis archangeli predicti, anno Domini M^mo^ ccc^o^ xxx^mo^ quarto.

1334. 27. Sept.

1334. 6. Oct.

Nos itaque, peticionibus eiusdem fratris Sefridi abbatis (emansit: benigne inclinati), prescriptas litteras dicti capituli Budensis, nostris litteris patentibus transscribi fecimus ad cautelam. Datum, in *Vysegrad,* in festo beate Lucie virginis, anno Domini M^mo^ ccc^o^ xxx^mo^ quinto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 1. nr. 3. — Privilegium hoc convent. de Ságh transscribit a. 1498. *Ibidem* sub nr. 15.

398.

1335. Visegrád. 13. Dec. Carolus I. rex, transscribit literas palatini Wilhelmi Drugeth, super tributo in Bars conventui s. Benedicti adjudicato.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, significamus tenore presencium, quibus expedit universis: quod religiosus vir frater *Sefridus, abbas* monasterii sancti Benedicti de *iuxta Garam*, ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras patentes magnifici viri *Wyllermi Drugeth,* palatini et iudicis Comanorum, infrascripti tenoris, petens nos ut ipsas litteras nostris litteris patentibus transscribi facere dignaremur. Quarum tenor talis est:

1335. 1. Jun.

Tenorem vide sub. nr. 384. ex ipso origin. edit.

Nos itaque peticionibus ipsius fratris Sefridi abbatis, (emansit: benigne inclinati,) prescriptas litteras dicti palatini, nostris litteris patentibus transscribi fecimus ad cautelam. Datum, in *Wysegrad,* in festo beate Lucie virginis, anno Domini M^mo^ ccc^o^ xxx^mo^ quinto.

Extus manu medii aevi: Ista littera est super tributo de *Bors.* — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 1.

399.

1335. (circa Oct.) — Chanadinus, archiepiscopus Strigon. et Petrus episcopus Sirmiensis, bullam Benedicti PP. XII., reprobantem usum in Hungaria vigentem, quod interfectis denegatur sepultura ecclesiastica, nisi archidiacono una marca solveretur, transsumunt.

[N]os *Chanadinus,* Dei et apostolice sedis gracia *archiepiscopus Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, et *Petrus,* miseracione divina *episcopus Syrmiensis,* comes capelle et secretarius cancellarius domini regis, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, memorie commendantes: quod serenissimus princeps dominus *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie illustris, dominus noster, litteras sanctissimi in Christo patris domini *Benedicti* duodecimi, sacrosancte Romane, ac universalis ecclesie sumpmi pontificis, domini nostri, *super revocacione solucionis marcarum homicidialium,* hactenus in regno Hungarie, per archid(iaconos) et alios eorum officiales, et eciam alios viros ecclesiasticos, ab interfectorum funeribus abusive receptarum, nobis, videlicet domino *Chanadino* archiepiscopo Strigoniensi, per eundem dominum patrem sanctissimum papam Benedictum transmissas, presentavit sub hac forma:

[B]*enedictus,* episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri . . . . *archiepiscopo* Strigoniensi, salutem et apostolicam benediccionem. Cum contingit interdum aliquam consuetudinem reperiri, que recto racionis obviet moralitatis, venustati repugnet, et sacris presertim canonibus contradicat, illa, veluti corruptela, est principis auctoritate sonora extirpanda radicitus, penitus abolenda et omnino a *w*lgaris erroris observancia precidenda, talisque circa id debet cautele provisio adhiberi, scripturis autenticis et perpetuis codicibus committenda, que certe detinetur imposteros et nullis memoriter propagetur, ne recidive contagium per oblivionis lubricum demergatur, fiatque propterea eius detestabilis, iamque dampnate observancia rediviva. Nuper siquidem, ex insinuacione carissimi in Christo filii nostri *Karoli,* regis Hungarie illustris, ad apostolatus nostri pervenit auditum, *quod in regno* suo *Hungarie, quedam abusio detestabilis inolevit,* videlicet quod *cum contingit aliquem quocunque modo interfici hominem, ipse interfectus, eciam si testatus decedat, ad ecclesiasticam nullatenus admittitur sepulturam, nisi pro eo ultra omnia funeralia,* et alia in talibus alicubi consueta, communiter *una marca argenti,* seu marca usualis monete, illius terre . . . . . *archidiacono,* vel vicesgerenti eius, in cuius archidiaconatu idem interfectus sepeliri debet, *pro ecclesiastica sepultura plenarie persolvatur;* quod si bona interfecti vel interfectoris ad hoc non suppetant, et propterea restet dicte marce solucio facienda, per archidiaconum vel ipsius vicesgerentem prefatos, omnes de parochia ecclesie, ubi talis interfectus sepeliri debet, supponuntur ecclesiastico interdicto, donec de huiusmodi marce dicto archidiacono, vel suo vicesgerenti predicto extiterit satisfactum. Quare nobis idem

rex humiliter supplicavit, ut de tollenda prorsus abusione prefata, et iniusta exaccione dicte marce, pro huiusmodi sepultura, effectualiter prohibenda providere, de circumscripta sedis apostolice clemencie (sic!), dignaremur. Nos igitur, iustum et racionabile merito reputantes, pro sanccionibus eciam canonicis observandis fore per apostolici favoris presidium in hac parte solide, ac perpetue provisionis remedium apponendum, piis et honestis super hoc ipsius regis votis efficaciter annuendo, fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus si premissa inveneris ita esse, cum pretacta consuetudo evidenter appareat exorbitare a iuris tramite, nec non ab honestatis debito discrepare, prefatam consuetudinem, tanquam iniquam et labem Simonicam continentem, dummodo aliud canonicum non obsistat, auctoritate apostolica patenter detesteris et tollas, eamque facias omnino cessare, ac eadem auctoritate generaliter prohibeas, ne aliqui presumpmant imposterum illam aliqualiter observare, nec ex causa dicte sepulture ulterius marcam exigere, vel recipere memoratam. Contradictores per censuram ecclesiasticam, sublato appellacionis obstaculo, compesscendo; non obstantibus abusu longevo consuetudinis antedicte, seu perscripcione (sic!), qui possent forsan in contrarium cavillose ab aliquibus allegari, sive aliquibus aliis per que tradita tibi super hoc potestatis execucio minus racionabiliter posset quomodolibet impediri; aut si aliquibus communiter vel divisim, ab eadem sit sede indultum, quod excommunicari vel interdici non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencione. Datum apud *Pontem Surgie, Auinionensis* dyocesis, Idibus Augusti, pontificatus nostri anno primo. 1335. 13. Aug.

Extus manu medii aevi: Super homagio interfectorum hominum. — Epilogus deest. E zonis membr. duo sigilla ovalia pendent. Primum est Chanadini, alterum praelatum stantem, mitra et pedo ornatum et dextra benedicentem exhibet, cum perigraphi: † S. Petri. DEI. Gr. . . . . SIRMIEN. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 44. fasc. 2. nr. 5.

400.

1336. Visegrád. 6. Jan. — Carolus I. rex, et Joannes rex Boemorum, strata publica mercatorum, e Hungaria in Bohemiam et viceversa transeuntium, tributaque — exigenda ordinant.

— — Vos autem dominum archiepiscopum Strigoniensem requirentes, vobis simul et una cum aliis quibuslibet prelatis ecclesiarum — — predictorum tributorum aliquem servantibus et habentibus, similiter firmiter iniungimus per presentes, quatenus — — — predictas vias liberas et absque omni impedimento securas et pacificas, pro prelibatis mercatoribus conservare debeatis, nec ipsos mercatores aliqualiter molestate et perturbare, aut in locis tributorum predictis ultra pretactum modum exaccionis tributi aggravare et angariari permittentes faciatis.

Edid. Wenzel: Magyar Dipl. Eml. T. I. p. 343—345.

401.

1336. Visegrád. 1. Mart. — Carolus I. rex, recensens seriem violentis manualis iniectionis Feliciani de Zaah, in familiam regiam, possessiones omnes a generatione de Zaah ademptas, iuxta tenorem literarum statutorialium Capituli Strigoniensis, Joanni filio Alexandri, tamquam sui et suorum liberatori, et per eum fratribus eius, in perpetuum donat.

Edid. ex exempl. privilegiali forma confect. et in Arch. Fam. Com. Károlyi Budapest asserv. Géresi: Cod. Dipl. Comit. Károlyi. T. I. p. 100. et sqq. — Par harum forma simpl. eman. habetur in Arch. Primat. Secul. Lad. 55.

402.

1336. (Esztergom.) 7.(?) Mart. — Conventus Cruciferorum Strigon., viduam Szép, possessionem suam Echel, archiepiscopo Strigoniensi donasse testatur.

Nos frater *Jacobus*, domus hospitalis magister *cruciferorum*, (sic!) ecclesie sancti regis Stephani de *Strigonio*, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod, feria sexta proxima post diem medii quadragesime, quedam nobilis domina *Sceep* nominata, relicta Jacobi, filii Renoldi, ad nostram accedens personaliter presenciam, reminisscens quomodo ipsa tesaurum inmarcesscibilem sue anime valeret comparare, et quia ipsa domina heredum solacio fore fuisset destituta, volens sibi pro herede et coadiutore beatissimum Adalbertum martirem comparare, ut in suis extremis ipse beatus Adalbertus anime sue tutor existat et recompensator, pro eo, quandam possessionem suam desertam, *Echel* vocatam, circa *fluvium Lokws* existentem, que domine matri sue pro dote et rebus parhefernalibus (sic!) et sibi pro quarta puellari fuerat devoluta, cum omnibus suis utilitatibus et universis pertinenciis, ipsi ecclesie beati Adalberti martiris et per eam domino *Chanadino* eius *archiepiscopo* Strigoniensi, et per ipsum aliis in posterum suis successoribus, prefata domina sponte et ultronee voluntate, prenominatam possessionem suam Echel dictam legavit, donavit perpetuo et irrevocabiliter, presencium vigore, possidendam, tenendam et habendam; ita tamen, quod si predictus dominus Chanad(inus) archiepiscopus, in possessione sua *Wodkerth* nominata, usque vitam prefate domine, unam sessionem curie sibi donabit et usque vitam suam ipsa domina quaslibet utilitates et facultates prenominate possessionis, sine preiudicio aliquali percipiet et habebit; defuncta autem ipsa domina, sepedicta possessio, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis ipsi ecclesie beati Adalberti martiris devolvetur, ut omnia premissa et singula premissorum professa extitit, ministerio vive vocis, coram nobis. In cuius rei memoriam presentes concessimus nostras litteras privilegiales, nostri sigilli apposicione munimine roboratas. Datum, in *crastino*, medii quadragesime, anno domini M^mo^ ccc^o^ xxx^mo^ sexto. 1336. 8. Mart.

Extus manu medii aevi: Super terris Echel iuxta fluvium Lukus. — Datum erronee appositum est; apud nos enim sub „media quadragesima“ semper feria IV. ante Dominicam Laetare intelligebatur, cujus crastinum nonnisi in feriam V-am cadere potest. Cum autem domina Szép, ut initio hujus diplomatis asseritur, coram conventu feria VI. post mediam quadragesimae comparuerit, stante hoc dato, diploma hoc die fassionem hanc precendente exarari debuisset . . . . — Sigillum e zona membr. pendet. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 40. — Edidit Fejér: Cod. Dipl. VIII.[4] 206.

403.

1336. (Pozsony.) 15. Mart. — Magistratus civitatis Posoniensis Yezzel iudeum, liti contra Farkasinum de Olgya, quoad domum Posoniensem, renunciasse testatur.

Nos comes *Jacobus* iudex et iurati, ceterique cives in *Posonio*, significamus, quibus expedit, tenore presencium, universis, quod *Ruedlinus* dictus *Baldner*, civis in Posoniensi (sic!) *iudexque iudeonum ibidem* et *Yezzel* iudeus de eadem civitate, ad nostram personaliter accedentes presenciam, vive vocis ministerio proposuerunt in hunc modum: quod quamquam inter partes, videlicet inter ipsos

ex una parte, nobilemque virum, magistrum scilicet *Fokonem*, seu Farkasium, filium Petri de *Ovgya*, qui eciam presens astitit coram nobis, ex altera, super facto unius fundi curie, cum edificiis eius, seu una domo in eadem civitate Posoniensi, ex opposito domus quondam Leopoldi *scriptoris*, in acie, ubi vicus per portam parvam civitatis ducit ad Danubium, existente, mota fuisset materia questionis et diucius iudiciario processu ventilata in presencia domini nostri regis extitisset; ad ultimum tamen: quod nullum ius, neque aliquam iusticiam ad ipsam domum, seu curiam se habere conspexissent, nec ordine iudiciario habere potuissent, sed ipsum magistrum Fekonem vigore efficacium litterarum, seu instrumentorum evidentem iusticiam et ius efficax habere persensissent, ideo ipsam domum seu curiam, quemadmodum prius et antea ipsius magistri Fokonis de . . . extitit et fuit, sic exnunc, cuiuslibet litis, modo premisso pro dicta domo ventilate, materia iam penitus sedata silencio perpetuo seu sopita, eidem magistro Fokoni et per eum suis heredibus, ac successoribus universis, resignarent et restituerent, *ymo* coram nobis restituerunt, seu resignaverunt ipsi magistro Fokoni, pleno sui iure, prout idem magister Foko voluerit, perpetuo possidendam, tenendam pacifice et habendam. Nichilominus ipse iudeus Yezzel universas litteras suas et valitudines (sic!), quibus mediantibus ad ipsam domum se ius habere . . . asserebat, penitus et omnino vigoribus vacuavit. In cuius restitucionis et resignacionis, ac quietacionis memoriam presentes, vallo nostri sigilli consignantes, duximus concedendas. Datum feria sexta proxima post dominicam Letare, anno Domini myllesimo ccc° xxx^mo sexto.

Sigillum tres turres exhibens e rubro serico pendet. — Orig. in arch. Cap. Poson. publ. Capsa 14. fasc. 15. nr. 5.

404.

1336. (Esztergom.) 17. Mart. — Capitulum Strigoniense, iussu Caroli regis, ad reambulandam pro parte fratris *Viti* episcopi Nitriensis terram *Ewrmen* (Ürmény), in comitatu Nitriensi sitam, cum Michaele nobile de *Streche*, homine regio, exmittit magistrum Mathiam concanonicum. Datum in dominica Iudica me, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto.

Sigillum e viridi et flavo serico pendebat. — Orig. literis incisis distinctum, in arch. Episc. Nitr. J. D. I. D. M. fasc. 1. nr. 1.

405.

1336. Visegrád. 22. Mart. — Carolus I. rex, possessionem Kendi, per archiepiscopum Strigoniensem, a magistro Dezső de Emőke sex marcis argenti emptam esse, perhibet et comprobat.

Ed. Fejér: I. c. VIII⁴. p. 161.

406.

1336. Visegrád. 23. Mart. — Vilhelmus Drugeth palatinus, decimas districtus Torna, archiepiscopatui Strigon. restituit.

Nos *Wyllermus Drugett* palatinus, comes de Scepes et de Wywar, ac iudex Cumanorum, significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem: quod nos universas decimas cuiusvis specie*y*, in districtu de Torna existentes,

archiepiscopatui Strigoniensi, a *sue tempore fundacione* (sic!) debendas, quas, per quorumdam *sinistram* informacionem, aliquibus temporibus retroactis, ad castrum *Zaard* minus iuste exactas, usque modo detinuerunt, nos de mandato domini nostri regis Hungarie specialiter imponente, et maxime suadente iusticia et demum pre oculis habendo, cum sint ipse decime pro animarum redempcione ordinate ecclesiis et ecclesiarum prelatis, archiepiscopis et episcopis, ac aliis clericis *k*aractere insignitis in usum et victum, ac pro reparandis ornamentis ecclesie et pro fabrica ecclesiarum, in signum universalis dominii omnipotenti Deo condonate, restituimus, resignavimus et perpetuo remisimus archiepiscopo et archiepiscopatui Strigoniensi, possidendas et ex*h*igendas in toto et qualibet sui parte, prout eciam ab antiquo dinoscebatur possideri, sicuti in litteris privilegialibus *Bele* regis plenius vidimus contineri. Quapropter universis nobilibus et ignobilibus, ac cuiusvis condicionis hominibus, in districtu de Torna commorantibus, iniungimus per presentes, nichilominus et firmiter mandantes, quatenus universas decimas vestras et vestrorum iobagionum, ac iobagionum nostrorum, pertinencium ad castrum *Zard* (sic!) archiepiscopo et ipsius decimatori, quem ad hoc deputaverit, a modo in posterum dicari et ex*h*igi permittatis et faciatis solito more. Cessantes iam a solucione decimarum castro regio *Zard* vocato, in toto facienda. Datum, in *Wyssegrad,* in sabbatho Ramispalmarum, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ sexto. Et cum presentes nobis reportate fuerint, super hoc nostrum privilegium conferemus.

Sigillum annulare tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Episcopat. Rosnav.

407.

1336. Visegrád. 25. Mart. — Carolus I. rex, mandat conventui Crucifer. de Strigonio, ut inquisitionem peraget contra Benedictum Nigrum, castellanum de Saskő.

Tenorem vide sub nr. 409.

408.

1336. Visegrád. 25. Mart. — Carolus I. rex, elocat cameram Transsylvanam, magistro Endre, cusionisque ordinem regulatur.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, significamus tenore presencium, quibus expedit universis: quod nos considerata fidelitate et sagaci industria magistri *Endre Maioris,* per quam nostre maiestatis graciam optinere curavit, *comitatum camere nostre Transsiluanensem,* cum omnibus comitatibus, districtibus, villis, o*p*idis et civitatibus, qui et que ad eandem cameram ab antiquo dinoscuntur pertinuisse, cum comitatibus *Albensi,* de *Hunad,* de *Torda,* de *Kykulleu* maiori et minori, de *Zonuk* interiori, de *Dobaka* et de *Kolus,* eidem magistro Endre, pro mille marcis, partim in grossis, partim vero in florenis per ipsum fabricandis, in terminis infrascriptis nobis persolvendis: anno Domini M^mo^ ccc° xxx^mo^ sexto, a data presencium, videlicet a festo Annunciacionis beate Virginis, infra eiusdem termini revolucionem, dedimus et locavimus, simul cum decimis archyepiscopalibus exercendam, procurandam et tenendam eo modo, quod idem comes camere nostre predicte, cudet et faciet fabricari *triformes* denarios videlicet: *florenos* bonos et puros, ad modum

1336. 25. Mart.

florenorum Florencie de fino auro, sed aliquantulum eis preponderaciores, quorum quatuor current pro marca fini argenti, tres vero cum dimidio pro marca pagamenti; *grossos* autem, ad modum grossorum nostrorum, anno iam elapso, per cives Budenses fabricatorum, et *parvos denarios,* ad modum infrascriptum fabricabit. Grossos faciet, sed tercie combustionis incudendo de una marca septuaginta duos grossos, ex quibus sexaginta quatuor dabuntur pro marca fini argenti, et quinquaginta sex pro marca communi seu pagamenti; *parvos* quidem *denarios* faciet, tercie combustionis incidendo de una marca quatuordecim pensas, in cambio vero ex ipsis, pro una marca communi dabuntur decem pense, et pro quolibet grosso septem parvi denarii. Quas quidem triformes monetas nostras, scilicet florenos, grossos et parvos denarios anni presentis, tam per dictum comitem camere, quam alios camerarios per totum regnum nostrum in una et eadem forma, pondere, combustione et valore decrevimus cudendas, et pariter fabricandas; ita, ut ipsi denarii nostri triformes, per totum regnum nostrum uniformiter et absque aliquali variacione discurrant et cambiantur. Volumus eciam, quod quandocumque funditur argentum, homines *domini archyepiscopi* et *magistri tawarnicorum* nostrorum, personaliter adesse debeant: et singulis septimanis tam grossos, quam minores denarios nostros, et eciam florenos modo decenti, iidem homines domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum nostrorum, in combustione trium ponderum probare debeant; et sic cambio exponantur voluntarie cambiendi. Item, cusores et fabricatores denariorum, quorumlibet comitatuum, sub potestate comitis camere nostre residebunt, ipsorum mandatis se obtemperantes, nec extra iurisdiccionem comitis camere residentes valeant falsas monetas fabricare, et ne per hoc nostri camerarii inculpentur. Item ubicunque, in territorio dictorum comitatuum, sive montanorum, nova deinceps fodina auri vel argenti aut cupri, seu cuiuslibet generis matallorum reperta fuerint et inventa, eandem sive eas, per ipsius anni spacium, idem comes camere nostre, cum suis urburis teneat et conservet. Et quia insolencias, que propter cambium monetarum nostrarum singulis annis eveniebant volumus evitare, bona deliberacione mediante statuimus: quod dica per totum regnum debeat fieri hoc modo: ut de qualibet porta, que exitum dat ad plateam ubi homines morantur, per quam unus currus cum feno, vel frugibus intrare poterit, dicto comiti camere nostre, a die dicacionis, in presencia hominum domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum nostrorum, nec non alicuius capituli vel conventus credibilis testimonii presencia, quintodecimo die solvi debeant singuli tres grossi, illis exceptis, qui super hoc privilegiali libertate predecessorum nostrorum et nostra fulciuntur; exceptis eciam servis et condicionariis nostris scilicet regalibus et reginalibus, nec non ecclesiarum condicionariis et nobilibus iobagionibus, et regni nostri nobilibus; similiter exceptis, qui ab antiqua consuetudine regni nostri, a solucione lucri camere nostre exempti fore dinoscuntur; hoc tamen declarato, quod comes camere nostre, vel sui officiales, coram hominibus domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum nostrorum, presente testimonio alicuius capituli vel conventus credibilis, [ips]am dicacionem facere debeant, et certo termino ipsis quos dicaverunt, assignato eorumdem hominum domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum in presencia et testimonio prenotato presente, lucrum camere ab eisdem exigere teneatur. Ne autem a modo, in camerarum nostrarum processibus, modo priori sicut

fieri consueverant paciamur dispendia, comnibus (sic!) comitibus provincialibus, eorumque vices gerentibus et iudicibus nobilium firmiter damus in mandatis, quatenus dum per comitem c[amere] nostre et suos officiales, nec non homines domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum nostrorum, sine quibus nullo modo volumus homines ipsorum dari, requisiti fuerint, personaliter accedant cum eisdem vel homines ipsorum dent, et lucrum camere nostre, super quoslibet contumaces, cum pena trium marcarum debeant extorqueri; duabus partibus birsagiorum ibi receptorum ipsi comiti camere nostre et hominibus domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum nostrorum remanentibus, terciam partem vice comes vel comes et iudices nobilium, iudiciorum eorumdem, inter se dividant pro se reservantes. Preterea statuimus, ut comites provinciales quorumlibet comitatuum, plus quam unam marcam decem pensarum nove monete, a comite camere nostre predicte petere [ve]l recipere, racione fororum, non presumpmat; nobiles autem vel cuiusvis status homines, fora habentes, pretextu fororum [su]orum nichil penitus recipere presumpmant. Ceterum, quia antiq[ua libert]as camerarum nostrarum id requirit, statuimus: quod nullus omnino hominum, cuiuslibet dignitatis existat, officiales et servientes comitum camere nostre suo iudicio astare compellere presumpmat, sed per eundem [comite]m camere nostre i[ud]icentur; qui si dare iusticiam, ex parte ipsorum neglexerit, tunc magister tawarnicorum iudicabit eosdem; item si qui contra [ipsum] comitem camere nostre [racione iniuri]arum seu dam[pnorum] et nocumentorum, camere nostre personis in officio camere precedentibus illatarum, ad nostram, sive magistri tawarnicorum nostrorum, aut alicuius iudicis ordinarii presenciam citati fuerint, primo termino, absque [. . . . .] ulteriori, ipsa causa, dante iusticia, finaliter debeat terminari et nullatenus ulterius debeat prorogari. Quicunque autem prefatum comitem camere nostre, ordine iudiciario [in causam attraxerit, sepedictus magister] tawarnicorum nostrorum, ex parte ipsius, querulantibus iusticiam faciet, auctoritate nostra mediante. Ferramenta autem formalia, sub inclusione sigillorum ipsorum hominum domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum nostrorum, in locis consuetis conserventur et eisdem presentibus ipsi denarii nostri triformes cudantur et formentur. Hoc eciam duximus statuendum: ut [de rebus et bonis quibuslibet ipsius camere nostre per officiales] eiusdem ubicunque deferendis, in terra et in aquis, nullum tributum exigatur. Preterea de qualibet marca unum pondus racione conservacionis ferramentorum, homini eiusdem domini archyepiscopi, assignetur; quolibet vero die operis camere nostre, singulos dimidios fertones similiter eidem magistro tawarnicorum nostrorum vel homini suo, preter sumpmam [convencionis nostre regalis, persolvat. Item aule nostre vicecancel]lario singuli comites camerarum nostrarum, redditus et proventus, ab antiquo consuetos, eidem plene dare et solvere teneatur; hoc adiecto, quod iniurias et d[am]pna, que officialibus camere nostre, per quospiam irrogata fuerint, prefatus magister tawarnicorum nostrorum prosequi et emendare teneatur. De falsariis [autem et eorum fautoribus, antiquam consuetudinem regni] nostri, volumus conservari. Ut autem comes camere nostre pecuniam nostram, nobis facilius persolvere valeat, solucionem earumdem pecuniarum, nobis deb[endarum hoc modo mo]derantes [. . . . . : . . . . . decrevi]mus faciendam: quod mensibus Maii et Aprilis in anno presenti deductis, quos ipsi comiti camere nostre, pro aquirendis pecuniis et monetis cuden-

dis [relaxavimus graciose, incipiendo a capite tercii] mensis statim subsequentis, quilibet camerariorum nostrorum totam sumpmam pecunie, qua nobis tenetur, usque ad diem [Strennarum, complete nobis solvere teneatur; ita quod singulis men]sibus, singuli camerarii, singulariter solucionem facere debeant, iuxta numerum et quantitatem pecunie totam sumpmam ad singulos menses dividendo; [dupli penam incurrerent si terminorum] quemlibet transmittunt insolutum: et in ipso die Strennarum omnium camerarum solucio finaliter debeat terminari. Iidem comites [. . . . . .] narum *nobis regi* et *regine,* presentibus *domino archyepiscopo Strigoniensi* et *magistro tawarnicorum nostrorum,* ac aliis baronibus regni nostri, persol[. . . . . .] palam significare debeant, voce publica asserentes, utrum comitatum camerarum nostrarum anni sequentis acceptare et conducere [. . . . . .] Ka[te]dre sancti Petri novas monetas parare . . . . . .] debeant sufficientes, et in ipso festo nobis regi et regine teneantur presentare [. . . . . p]ublico pariter iuxta modum consuetum. Ipsa autem dies Strennarum deinceps, in perpetuum pro locacionibus camerarum nostrarum habebitur deputata, cum [. . . . . usq]ue ad tempus premisse conduccionis conductas [. . . . . .] Qui vero camerariorum in ipso die Strennarum, conduccionem camerarum anno secundo habendam [. . . . . ximus] nobis manifeste significare neglexerint, totum ius, quod in ipsis comitatibus camerarum a die Strennarum usque ad diem S.[trennarum] primo conduc[. . . . . .] et ad regis [. . . . . .] proprietatem debitum vero, quo teneantur persolvere [. . . . . .] aut hospites, per totum regnum nostrum existentes, nostri videlicet regales et reginales aut ecclesiarum vel nobilium collecta ipsa trium grossorum persolventes [. . . .] ad cambium nullatenus teneantur. Civitates vero et libere ville nostre, videlicet r[egales et] reginales, et ad [. . . . . .]ari debent et [. . . . . .]tur et taxabantur. Preterea quodlibet forum, per totum regnum nostrum, cuiuscunque existat statera [. . . . . is] grossis et parvis denariis aptas habere debet, circa unum de eadem vi[delicet] fide dignum, qui pro suis laboribus de qualibet marca d[. . . . . .] habeat coram [. . . . .]ndis decipiantur et quelibet moneta florenus scilicet grossus et parvus denarius [. . . . . x] condignum suum valorem a quibuslibet ponderando, per conservacionem statere recipiatur, ne per falsas monetas mercatores, vel communes homi[nes . . . . . .] item singula [. . . . . .] archyepiscopalia pondera, que sibi de iure deb[ent . . . . . , . .] eiusdem sine fraude persolvantur. Datum in *Wyssegrad,* in festo Annunciacionis Beate [Virginis anno] supradicto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., situ valde exesum, in Arch. Prim. Secul. Lad. B. nr. 125. — Edid. Szekfű: Oklevelek I. Károly pénzverési reformjához. Tört. Tár. Ujf. XII. 1911. 1—36. l.

409.

1336. (Esztegrom.) 3. Apr. — Conventus Cruciferorum de Strigonio, seriem inquisitionis, in facto potentiali, contra Benedictum Nigrum castellanum de Saskő peractae, Carolo I. regi rescribit.

Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie illustri, *conventus cruciferorum,* domus hospitalis sancti regis Stephani *de Strigonio,* oracio-

num suffragia devotarum. Litteras vestre s[erenit]atis recepimus debito omni cum honore, in hec verba:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis conventui cruciferorum sancti regis Stephani de Strigonio, salutem et graciam. Dicunt nobis religiosus vir frater *Seffridus, abbas* monasterii *sancti Benedicti* de *iuxta Gron,* et conventus eiusdem conquerendo: quod *Benedictus Niger,* vicecastellanus de *Saaskw,* feria quinta proxima post dominicam Invocavit proxime preteritam, quandam mulierem viduam (expunct.: filiam) Nicolai de *Apaty,* iobagionis ipsorum, prope eandem villam, cum famulis suis violenter captivasset et captam in preiudicium tocius sue parentele ad predictum castrum adduxisset; et eo non contentus, in capite eam wlnerasset, et quamdiu voluisset, circa se in dicto castro reservasset; item in festo beati Benedicti confessoris proximo iam preterito, Nicolaus, Deseu et Johannes, filii *Zompchuk,* Paulus litteratus, Albertus et Johannes, filii Johannis, cum eorum complicibus, manibus armatis, super possessionem ipsorum potencialiter venientes, *Petend* vocatam, unum famulum ipsorum, nomine *Donch,* ante predictum monasterium sancti Benedicti letalibus wlneribus wlnerassent. Super quo fidelitati vestre precipientes mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente *Dyonisius,* filius Georgii de *Hynd,* vel Syke de eadem, altero absente homo noster, ab omnibus quibus decuerit sciat et inquirat de premissis omnimodam veritatem; et post hec secundum quod vobis veritas constiterit, per eosdem nobis fideliter rescribatis. Datum in *Wisagrad,* feria secunda proxima post dominicam Ramispalmarum, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ sexto.

1336. 22. Febr.

1336. 21. Mart.

1336. 25. Mart.

Nos vero mandatis vestre celsitudinis obtemperare cupientes, ut tenemur, cum predicto *Sykee* homine vestre mayestatis, *Johannem clericum* chori nostri, ad predicte inquisicionis exsecucionem hominem nostrum, pro testimonio duximus transmittendum. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt: quod in vigilia Pasce proxime preterita, a nobilibus et ignobilibus, in comitatu *Borsiensi* constitutis, a quibus resciri decuit et potuit, de quibus quam plures oculata fide conspexisse retulerunt, hanc de premissa inquisicione scivissent veritatem: quod predictus Benedictus Niger, vicecastellanus magistri *Wessceus* de *Saaskw,* cum suis famulis, predictam mulierem viduam, filiam iobagionis eorumdem domini [a]bbatis et sui conventus, eo modo captivasset et wlnerasset die prenotato et captam in castro prenotato tenuisset ut superius [. . . . . .] vestrarum litterarum seriatim est exp[ress]atum. Datum, feria quarta proxima p[ost] festum Passce, anno Domini M° ccc^mo^ xxx^mo^ sexto.

1336. 30. Mart.

Extus: Excellentissimo domino suo K.(arolo), Dei gracia illustri regi Hungarie, pro domino abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron et suo conventu, contra Benedictum Nigrum, vicecastellanum de *Saskw,* super iniuriis intra positis facta, inquisitorie. — Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart. situ exesum, in arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 4. nr. 18.

410.

1336. (Esztergom) post. 14. Apr. — Capitulum Strigoniense, comitem Alexandrum et filios eius, ac filios Benedicti et Dominici, nobiles de Csetnek et Pelsőcz liti renunciasse, necnon possessiones Somkút, Rususna, Vámos et Alsó Panit, cambiasse testatur.

Universis Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presens scriptum inspecturis, *Colomanus prepositus,* et *capitulum* ecclesie *Strigoniensis,* salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam [tc]nor[c] presencium volumus pervenire: quod cum iuxta continenciam litterarum privilegialium magnifici viri comitis *Pauli,* iudicis curie domini nostri regis *Karoli,* seriem concambii quarumdam possessionum *Somkut, Rususna,* item Vamus et *Olsoupanyth* vocatarum, et ad easdem spectancium, in comitatibus Borsudyensi et Gumuriensi existencium, demonstrancium et significancium, quas nobis *Johannes,* filius Petri de *Rvday,* serviens et procurator comitis *Alexandri,* filii Chelen, ac *Johannis, Nicolai archydiaconi* et *Jacobi,* filiorum eiusdem Alexandri, in specie procuravit demonstrare; Nicolaus, Ladislaus, Johannes et Petrus, filii *Benedicti,* filii Detricy *Calui;* Stephanus, Georgius, Dominicus et Nicolaus, filii Dominici dicti *Bubek,* ac Jacobus, filius eiusdem Nicolai magistri, *nobiles de Chytnuk* et de *Pleseuch,* vel propriis eorum in personis, aut per procuratores eorumdem legitimos, cum sufficientibus litteris procuratoriis ad hoc deputatis, in quindenis Passce Domini, coram nobis comparere et totalem composicionem, ordinacionem, ipsarumque possessionum permutacionem ratum (?) profiteri, et litteras privilegiales, in facto premisse totalis composicionis eisdem Alexandro et filiis suis, eorumque heredibus emanari facere, sub obligacionibus et condicionibus infra declarandis debuissent; tandem ipsis quindenis Passce Domini occurrentibus, preallegatis Ladislao, filio Benedicti, Stephano et Dominico, filiis Dominici, ac Jacobo, filio ipsius Nicolai magistris, personaliter et pro ipsis magistro Nicolao, eodem magistro Ladislao, cum litteris procuratoriis magistri *Petri prepositi Bachyensis,* comitis capelle eiusdem domini regis; item Johanne et Petro, filiis dicti Benedicti, Mychaele Paruo de *Cholton,* cum litteris procuratoriis honorabilis *capituli Budensis* ecclesie; item pro dicto Georgio magistro, Stephano fratre suo, cum litteris procuratoriis *capituli Agriensis* ecclesie; pro annotato Nicolao, filio ipsius Dominici, comite Andrea, filio Johannis filii *Barakon,* similiter cum litteris procuratoriis predicti capituli Agriensis ex una; — parte vero ex altera Johanne, filio Petri de *Rvda,* ac altero Johanne, filio Petri, servientibus et procuratoribus prescriptorum comitis Alexandri et filiorum suorum, cum litteris procuratoriis domine nostre *Elysabet,* Dei gracia *regine* Hungarie, pro eisdem dominis suis, coram nobis constitutis, ministerio vive vocis propositum extitit per eosdem concorditer, coram nobis, et relatum: quod licet ex causis diversis, que inter eosdem filios Benedicti et Dominici, ac comitem Alexandrum et filios eiusdem contigissent hucusque, et specialiter super facto dictarum possessionum *Somkuth* et *Rususna,* lis et contencio mota fuisset et exorta, et racione quarum usque ad hec tempora, coram eodem comite Paulo, iudice curie regie, in lite processissent: tamen, ut omnis rancoris disscensionis, ire, invidie et odii fomes de medio ipsorum radicibus evulsis sopiretur, et eterno pacis favore, ac sincere et preclare dilectionis oblectamine, utpote pacis alumpni, corda reconciliantes turbata, valerent se mutua vicissitudine amplexari, propter bonum pacis et concordie unionem, interveniente ordinacione et amicabili composicione proborum virorum nobilium, specialiterque per ordinacionem venerabilium in Christo patrum, domini *Chanadini,* Dei et apostolica gracia *archyepiscopi Strigoniensis,* locique eiusdem comitis perpetui; fratris *Pauli episcopi* de *Alba Nandur;* honorabilium virorum *Petris Bachiensis,* comitis capelle et secre-

1336. 14. Apr.

tarii cancellarii domini regis; *Gregorii Chasmensis, Briccii Jauriensis* ecclesiarum *prepositorum; Nicolai* ecclesie beati Nicolai *de Alba Regali, Thome* magistri *hospitalis et rectoris* ecclesie *sancti Bartholomei de Quinqueecclesiis;* magnificorum virorum *Thome woyuode* Transiluani, comitis de Zonuk et Neugradyensis; *Demetrii* magistri thawarnicorum domini regis, comitis Trinchyniensis et Byhoriensis; *Pauli* magistri thawarnicorum domine regine; *Nicolai* bani de Machou, comitis Syrmiensis, Budrugiensis et de Wolkow et de Baranya; *Dominici,* filii *Osl,* comitis *Wesprimiensis; Johannis,* filii Briccii, comitis *Zathmaryensis; Cykow* castellani de *Feyrkw; Nicolai* de *Puruen; Laurencii* dicti *Touth* castellani de *Scempthey,* ac aliorum quam plurimorum regni nobilium, *regie serenitatis nutu,* taliter inter se concordassent et concordarunt, coram nobis: Quod, quia predicte possessiones Somkuth et Rususna, intra metas cuiusdam privilegii gloriosi principis *Bele,* quondam incliti regis Hungarie, recolende memorie, *aurea bulla consignati,* quod iidem filii Benedicti, filii Detricy, et filii Dominici, penes se habere dinoscuntur adiacerent; et inter easdem, ac possessiones corumdem filiorum Dominici et filiorum Benedicti nullius alterius aliquod possessionarium ius existeret et ex eo, ne ampliora maleficia, ut ex nunc acta sunt, licet non modica existant, inter ipsos et eorum posteros possent generari; et eciam eedem possessiones ipsis filiis Benedicti et filiis Dominici satis utiles esse dinosscerentur, ideo huiusmodi malis supervenire queuntibus, sedacionem perpetuam, bonisque artibus perseveranciam durabilem, animo desiderabili invenire cupientes; pretactus Alexander et filii sui prenotati, easdem possessiones Somkuth et Rususna, sub metis infra declarandis, in privilegio *Bele* regis, contentis, ac erga eosdem Alexandrum et filios suos, ut dixerunt, habito mero iure, nomine possessionum *Feliciani,* filii *Zaah,* notori infidelis eiusdem domini regis, titulo legitime donacionis regie ad ipsos pertinentes, prememoratis filiis Dominici, dicti *Bubek* et filiis Benedicti, filii Detricy Calui, ac heredibus eorum, heredumque suorum successoribus, in concambium et permutacionem dictarum possessionum *Wamus* et ad easdem spectancium, in comitatu de Borsod existencium; ac possessiones, (emansit: Olsoupanyth) in comitatu Gumuryensi, in vicinitate et commetaneitate possessionis ipsorum filiorum Alexandri *Felseu panyth* nominate existentis, dedissent, tradidissent, ac idem Johannes, filius Petri, et alter Johannes, procuratores eorumdem (expunct.: filiorum) Alexandri et filiorum suorum, vigore dictarum litterarum procuratoriarum, ad presens negocium solummodo emanatarum, in persona prelibatorum dominorum suorum dederunt, coram nobis, perpetuo possidendas, tenendas pariter et habendas, nil iuris, nilque proprietatis, vel dominii sibi, et heredibus eorum reservantes de eisdem; et insuper totum ius, in quo predicti Stephanus, filius Dominici, Nicolaus et Johannes, filii Benedicti, usque condempnacionem capitum et amissionem possessionum suarum, contra eosdem filios Alexandri rite et legitime, coram dicto comite *Paulo, iudice* curie regie, convicti extitissent, eisdem prorsus et in toto, sine porcione ipsius iudicis relaxassent, et iidem procuratores relaxarunt, coram nobis. Hoc eciam non pretermisso, quod in centum marcis, in quibus Andreas, filius Johannis, filii Barakon et Nicolaus, filius Benedicti de *Zeek,* procuratores et servientes eorumdem filiorum Benedicti et filiorum Dominici, contra ipsos filios Alexandri, coram eodem comite Paulo iudice curie regie, agravati extitissent, prememoratos filios Benedicti et filios Dominici, ac preallegatos procuratores, salvis similiter porcionibus

iudicis remanentibus, de eisdem expeditos reliquissent et dicti procuratores reddiderunt penitus, coram nobis; tali obligacione mediante, ut sepedictos filios Dominici et filios Benedicti, eorum heredes, heredumque suorum successores, ab omnibus racione predictarum possessionum Somkuth et Rosusna, temporis in processu ordine iudiciario inpetere nittentibus, iidem Alexander et filii sui, eorumque heredes, heredumque successores, expedire tenerentur laboribus ipsorum propriis et expensis. E converso autem, prefati filii Benedicti et filii Dominici, ac Jacobus filius Nicolai, filii eiusdem Benedicti, in concambium dictarum possessionum *Somkuth* et *Rususna* vocatarum, ac premissarum omnium gravaminum relaxacionem, premissam possessionem eorum *Wamus* totalem, in dicto comitatu *Borsadyensi* existentem, cum suis attinenciis, *Pauolfolua* scilicet et *Pathteluke,* aliisque omnibus utilitatibus suis et pertinenciis universis, sub antiquis metis et terminis, ac aliam possessionem *Olsoupanyth* similiter totalem, in vicinitate et commetancitate possessionis ipsorum filiorum Alexandri, *Felseupanyth* nominate, in comitatu *de Gumur* existentem, similiter cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, sub antiquis metis et terminis, quibus olym per eorum predecessores seu progenitores, et per consequens per dictos filios Dominici et Benedicti hactenus habite essent et possesse, pretactis Alexandro filio Chelen, Johanni, Nicolao et Jacobo filiis eiusdem Alex[andri, ac eorum h]eredibus, heredumque suorum successoribus dedissent, tradidissent, coram nobis, preallegati filii Dominici et filii Benedicti, ac Mychael Paruus, Andreas filius Johannis, Ladislaus et Stephanus magistri, cum dictis sufficientibus litteris procuratoriis, pro eisdem Nicolao, Georgio, filiis Dominici, item magistro Nicolao, filio Benedicti, et Petro ac Johanne, filiis eiusdem Benedicti, [dederunt et trad]erunt, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendas, tenendas pariter et habendas, nil iuris, nilque proprietatis vel dominii sibi, vel eorum heredibus reservantes et relinquentes de eisdem; tali obligacione mediante, ut ipsi filii Dominici et filii Benedicti, ac Jacobus filius Nicolai, eorumque heredes, ipsos Alexandrum et filios suos, heredesque eorum, in pleno dominio earumdem possessionum *Wamus* et *Olsoupanyth,* ac spectancium ad easdem, contra omnes generaciones, vicinos et commetaneos, ac quoslibet alios conservare et tenere, ac ab omnibus, racione earumdem possessionum ipsos Alexandrum et filios suos, eorumque heredes, temporis in processu, ordine iudiciario molestare attemptantibus, semper et ubique laboribus propriis et expensis expedire tenerentur; qui si expedire non curarent vel non possent, extunc eodem die et termino, quo dicte possessiones Wamus et Olsoupanyth ordine iudicario, ab eisdem Alexandro et filiis suis, heredibusque eorum removerentur et alienarentur, premissas possessiones Somkuth et Rususna, sub inclusione premissarum metarum, presentibus insertarum, absque ulteriori littigio et sine strepitu alicuius iudicis, presente homine ipsius iudicis, per cuius adiudicacionem dicte possessiones Wamus et Olsoupanyth alienate' fuerint, et testimonio *capituli* ecclesie *Agriensis,* mox ipsis Alexandro, filio Chelen, et filiis suis, eorumque heredibus, nomine possessionum pretacti Feliciani, premisse regie legitime donacionis titulo perpetuo et irrevocabiliter possidendas, nullo iure dominii de eisdem pro se reservato resignare et statuere tenerentur; quas si modo premisso sine ulteriori dilacione et absque strepitu iudicis resignare et statuere recusarent, et super hoc in litem devenirent, extunc ipsius possessionarie resignacionis et statucionis trecentas

marcas grossorum, compoti Budensis, omni estimacione exclusa, absque iudicis porcione, ante litis ingressum, et insuper possessionem eorum *Lekene* vocatam, cum omnibus suis attinenciis super antiquis metis et terminis, necnon easdem possessiones Somkuth et Rususna vocatas, sub premissis metis presentibus insertis, presente homine ipsius iudicis, ad cuius presenciam in litem deveneranť et testimonio ipsius capituli Agriensis, sine dilacione aliquali et absque ulteriori alicuius litis ventilacione, ipsis Alexandro et filiis suis, eorumque heredibus statuere tenerentur, premisse regalis donacionis titulo perpetuo possidendas, tenendas et habendas. Hoc specialiter declarato, quod donec ipsi filii Dominici et filii Benedicti, ac Jacobus filius Nicolai, eorumque heredes, ipsos Alexandrum et filios suos, eorumque heredes, in dominio dictarum possessionum Wamus et Olsoupanyth, ac spectancium ad easdem conservare poterunt et conservabunt, premissa privilegia dominorum *Bele*, *Stephani* et *Ladislai*, quondam *regum*, per ipsos filios Alexandri habita, solum in facto dictarum possessionum Somkuth et Rususna vocatarum, contra ipsos filios Dominici et filios Benedicti, ac Jacobum filium Nicolai, eorumque heredes, vana, cassa, frivola essent, viribusque caritura; in facto autem aliarum possessionum, in eisdem continencium (sic!) vigorem habeant iuxta seriem eorumdem; sed dum premisse possessiones Wamus et Olsoupanyth, per formam iudiciariam per quempiam ab eisdem Alexandro et filiis suis, heredibusque eorumdem fuerint reoptente et alienate, memorata privilegia dominorum Bele, Stephani et Ladislai regum, in facto ipsarum possessionum Somkuth et Rususna iterum plenum vigorem haberent et optinerent, et premissum privilegium domini *Bele regis*, sub aurea bulla confectum, solummodo in facto earumdem possessionum Somkuth et Rususna vocatarum, sub premissis metis existencium, contra ipsos Alexandrum et filios suos, eorumque heredes vanum, cassum, frivolum haberetur, viribusque carituruṁ; in facto autem aliarum possessionum in se continencium vigorem haberet, contra quospiam et iuxta donacionem ipsius domini Bele regis, perpetue firmitatis robor optineret, tali obligacione mediante, ut ipsi filii Dominici et filii Benedicti, aut Jacobus filius Nicolai, vel eorum heredes, heredumque suorum successores, premissam composicionem in toto vel in parte, temporis in processu, retractare attemptarent, non alii, nisi qui ipsam composicionem alternare nitterentur, calumpniancium pena punirentur et vindicta. Ad que omnia et singula premissorum, iidem Stephanus et Dominicus, filii Dominici, Ladislaus et Jacobus magistri personaliter pro se et eorum heredes, heredumque suorum successores, prefati autem magistri Ladislaus et Stephanus, Andreas filius Johannis et Mychael Paruus, ut legitimi procuratores memoratos Nicolaum, Johannem et Petrum, filios Benedicti, item Georgium et Stephanum filios Dominici, eorumque heredes, heredumque suorum successores, vigore prescriptarum litterarum procuratoriarum, coram nobis spontanea obligarunt voluntate.

Prefate autem mete, in dicto privilegio domini *Bele regis*, per eosdem filios Alexandri, in presencia dicti comitis Pauli iudicis curię regie, ut dixerunt, exhibito, ac eciam in privilegio eiusdem iudicis curie regie, quod nos vidimus fide oculata, exinde confecto, quibus prescripte possessiones Somkuth et Rosusna circumdantur et ab aliis possessionibus separantur contente, hoc ordine protenduntur: quod prima meta est Somkuth, per quam separatur a terra *Zahy*; deinde vadit ad quendam locum ubi sunt tres mete veteres de terra et lapidi-

bus facte et quarta nova, per quas separatur a terra *Ezeren* et a terra *Pleseuch,* in parte meridionali; deinde vadit ad partem orientalem, per *berch* cuiusdam *montis,* que vocatur *Kukenfeketh,* et per eundem berch vadit ad quandam arborem parvam, nomine (expunct.: nomine) *Tulfa* et ibi est meta; et inde vadit ad metam de terra factam in qua est arbor nomine tulfa et inde vadit ad magnam arborem, que est *tulfa,* in qua est signum crucis factum; et inde vadit ad magnam arborem eiusdem nominis, in qua est similiter signum crucis; inde vadit ad magnam arborem tulfa nomine, que est in meta terrea; et inde vadit ad aliam arborem *tulg,* in qua est signum crucis; inde vadit ad quendam locum, ubi sunt due mete veteres de terra facte, et tercia nova, similiter terrea; inde vadit ad magnam arborem, que *Bykfa* dicitur, habentem signum crucis; inde vadit per eundem berch ad verticem eiusdem *silve Kukenfeketh* prenotate, iuxta viam *Berenche,* que via est ad partem terre Rususna, et ibi est meta terrea, in qua est arbor magna tulfa nomine; inde descendit ad vallem *Zelusberuk;* inde vadit ad arborem tulfa, super qua est signum crucis; inde vadit ad aliam arborem eiusdem nominis, in qua est signum crucis; deinde vadit ad arborem eiusdem nominis crucem habentem; deinde vadit ad duas arbores, prope ad invicem stantes, signatas signo crucis; deinde vadit ad arborem tulfa, similiter signatam; deinde vadit ad arborem eiusdem nominis, signum crucis habentem et inde descendendo ad ripam *Zelusberuk,* que *Kara* dicitur, et ibi est terrea meta, in qua est arbor magna, que dicitur *Gyrthanfa;* deinde descendit ad quandam aquam, nomine *Zynita,* iuxta quam est arbor gyrthanfa; inde vadit supra aquam tantum, quantum trahi (sic!) potest cum sagitta et plus, et ibi exit de aqua et inde (sic! pro: inter) dictam aquam et alium *fluvium,* nomine *Rususna,* est una meta terrea, in qua est *Ikrusegurfa,* et ibi iuxta villam, super aliam arborem *Egurfa* est signum crucis; inter *aquam Zynica* et inter fluvium Rususna vadit ad aquilonem, per quandam *silvam Nyreslygeth;* deinde vadit ad arborem tulfa, signum habentem; et inde vadit per medium eiusdem Nyreslygeth ad metam terream, et in eodem Nyresligeth vadit ad arborem *Nyrfa* nomine signatam; deinde vadit inter easdem aquas ad unum berch, iuxta viam *Chythnuk,* et ibi est meta terrea, in qua est arbor parva tulfa, in dextera parte illius vie; et inde vadit per eundem berch ad arborem signatam, et inde eundo prope *villam Thapolcha* est meta terrea, in qua est magna arbor tulfa, et inde descendendo ad villam predictam, est magna arbor, tulfa, nomine, signum crucis habens; et adhuc propius vadit ad villam Tapolcha, et in dextera parte unius vie est meta terrea, in qua est arbor tulfa parva et inde incipit ire per eundem berch et vadit ad montem, qui est supra villam Tapolcha, et ibi est meta terrea; et inde vadit ad unam arborem *tulg* signatam; et inde vadit ad *montem Guerbouch,* cuius montis pars sinistra est terra Rususna, et est ibi meta terrea; et inde vadit ad quandam arborem tulg signatam; inde vadit per berch eiusdem montis ad *tulgfa,* in qua est signum crucis; et inde ad aliam arborem tulg signatam; inde ad terciam arborem tulg; et inde ad quartam arborem similiter signum crucis habentem, ad quam prope est meta antiqua de terra et alia nova similiter terrea, et ille mete sunt in inferiori parte Chythnuk et iuxta illas signum crucis in magna arbore tulfa; deinde protenditur ad arborem tulfa, in qua est signum crucis; et inde ad aliam arborem signatam; deinde vadit ad duas arbores, prope ad invicem stantes, que dicuntur tulg, signum crucis habentes; deinde vadit ad duas metas terreas et

prope illas, in quadam arbore tulfa, est signum crucis et sinistra pars illius berch pertinet ad terram Rususna; et inde vadit ad duas arbores, que dicuntur tulfa, in quibus est signum crucis; et inde ad unam magnam arborem tulfa signatam; et inde vadit supra Chythnuk et ibi est terrea meta, in qua est arbor parva nomine *Tulfa harumycru* (sic!) et inde vadit ad arborem tulg signatam, et inde vadit ad aliam arborem similem, inde ad terciam arborem eisdem nominis, signatam cruce; et deinde vadit supra *villam* Chythnuk, et ibi est una meta terrea, in qua est arbor parva tulgfa, prope quam in duabus arboribus tulgfa est signum crucis; et inde ad aliam arborem similiter signatam et inde ad aliam arborem tulg, similiter signatam, deinde ad terciam arborem similem et signatam, deinde vadit ad quartam arborem eiusdem nominis signatam, deinde vadit ad quintam arborem similem similiter signatam; deinde vadit ad quandam lutosam aquam, que dicitur caput *Guztetunpataka,* et ibi est meta terrea, in qua est arbor magna nomine *Hasfa,* (sic!) et in eadem est signum crucis; inde vadit ad duas cruces quarum una est in hasfa et alter in tulfa; et inde vadit ad unam arborem tulg, signum habentem; et inde vadit recte ad introitum unius silve, que dicitur *Feneuerdeu,* et in tribus arboribus sunt tres cruces, et prope illas arbores est meta terrea et de lapidibus facta, in qua est arbor magna tulgfa signata; inde per eandem Fenewerdeu vadit ad vallem per metas veteres et novas et arbores, signum crucis habentes, et de valle per unum berch vadit ad *montem Ruda,* per metas veteres et novas et arbores, signo crucis signatas, cuius montis sinistra pars pertinet ad terram Rususna predictam; et inde vadit ad unum *lygeth,* cuius pars pertinet ad Rususna; deinde vadit ad occidentem per magnam viam ad *villam* Petri, filii Elye, *Toplica* nomine, per metas veteres ad unam arborem *Bykfa* nomine, signum crucis habentem; deinde per metas super quandam montem *Veturnuk,* per quasdam metas (sic!) separatur terra Rususna, a quadam terra, que vocatar *Polgla;* et deinde procedendo revertitur ad predictum locum *Somkuth* ad primam metam, et ibi terminatur. In cuius rei testimonium, perpetuamque firmitatem, presentes contulimus sigilli nostri munimine roboratas, presentibus tamen domino *Colomano preposito,* magistro *Ladislao lectore, Johanne custode, Marco cantore,* Nicolao *Huntensi,* Petro *Kamaryensi,* Johanne *Gumuriensi* et Nicolao *Neugradyensi* archydiaconis, et aliis multis, anno Dominice Incarnacionis millesimo trecentesimo tricesimo sexto.

A. B. C.

Sigillum e rubro ac viridi serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. T. nr. 16.

411.

1336. — 19. Jun. — Nicolaus episcopus Agriensis, medietatem decimarum districtuum de Tarczafő et Palocsán, a Chanadino archiepiscopo sibi remissarum, rectoribus ecclesiarum eorumdem districtuum, cedit.

Nos *Nicolaus,* Dei et apostolica gracia *episcopus Agriensis,* significamus quibus expedit, tenore presencium universis: quod, quia reverendus in Christo pater, dominus *Chanadinus,* predicta gracia sancte Strigoniensis ecclesie *archyepiscopus,* eiusdemque loci comes perpetuus, metropolitanus noster, visis et salubriter consideratis iuribus ecclesie nostre Agriensis, et ductus consciencia, distri-

ctus de *Tarchafeu* et de *Polochan,* nostre dyocesis, ac universas ecclesias et earum rectores et nobiles districtuum eorumdem, qui quandoque ecclesie sue *Strigoniensi* et quandoque *Scepessyensi,* per iniustam induccionem a longinquis temporibus se subicere conabantur, eidem ecclesie nostre, mediantibus suis et capituli sui Strigoniensis litteris, nolens mittere falcem suam in messem alienam, Deum et eius iusticiam pre oculis contemplando, dereliquit et remisit, sentenciasque iudicum, ut dicebatur delegatorum, per quos iidem rectores seu sacerdotes ecclesiarum se defendere intendebant et nos de facto, non de iure, infamare nitebantur, frivolas esse et non recto tramite processisse reputavit, prout erant reputande. Nobiles quoque prenotati et rectores ecclesiarum, per ipsius domini archyepiscopi induccionem et informacionem se recognosscentes ad obedienciam ecclesie nostre et nostram, qui hactenus se contumaciter opponebant, devenerunt, et ipsi ecclesie nostre et nobis debite devocionis reverenciam et subieccionem omnimodam, ut debebant, exhibere et conservare perpetuo assumpserunt. Omnes quoque litteras et processus dictorum iudicum, sub quacunque forma verborum et aliorum quorumcunque in preiudicium ecclesie nostre obtentos et obtentas, restituerunt; et si quas forsitan reservassent, anullarunt, cassarunt et viribus ubique carituras reddiderunt; renunciantes omni iuri, liti et accioni. Idcirco nos, ad peticionem, ordinacionem, induccionem et consilium eiusdem domini archyepiscopi, pro omnimoda discordia removenda et perpetua pace salvanda, de consensu fratrum nostrorum, *capituli* scilicet ecclesie nostre *Agriensis* sepefate, medietatem omnium decimarum, in ipsis districtibus provenire debencium, ecclesiis districtuum eorumdem et earum ecclesiarum rectoribus, qui sunt et fuerint pro tempore successivo, reliquimus et perpetuo contulimus percipiendam, possidendam et habendam; aliam dimidietatem decimarum earumdem ipsi ecclesie nostre et nobis, nostrisque successoribus, reservantes. Ipsos quoque rectores ecclesiarum, non obstantibus eorum contumaciis prenotatis, in gremium paterne dileccionis colligentes, in eorum ecclesiis conservabimus, iuxta modum prenotatum. Que omnia predicta universaliter et singillatim, nostro et dicte ecclesie nostre nomine, fide nostra mediante, perpetuo promittimus observare et predictos nobiles, ac eorum posteritates in predictis ordinacionibus inmutabiliter nos et nostri successores confovere. In quorum testimonium presentes, nostro ac dicti capituli nostri maiori sigillis pendentibus fecimus communiri. Datum, feria quarta, proxima ante festum beati Johannis baptiste, anno Domini M° ccc^mo^ xxx^mo^ sexto.

Sigilla e viridi serico pendebant. — Orig. membr., in Arch. Capit. Scepus. Publ. Scrin. 9. fasc. 3. nr. 16.

412.

1336. (Pozsony) 14. Aug. — Capitulum Posoniense, ad petitionem Stephani lectoris et Nicolai custodis ecclesie Nitriensis, ad audiendam dispositionem dominae Margarethae, filiae quondam comitis Barlei, de genere Dywek, relictae quondam comitis Mogh, de Elephant, exmittit:

„magistrum *Petrum* concanonicum, et dominum *Johannem* presbiterum, ecclesie *sancti Michaelis rectorem*, vicearchidiaconum prope *Dudwag.*" . . . . . Dominis *Michaele* preposito, Petro custode et Nicolao canonico et notario eccle-

sie nostre existentibus. Datum, feria quarta in vigilia festi assumpsionis beate Virginis, anno Domini M° ccc^mo xxx^mo sexto.

Orig. membr., in Arch. Capit. Nitriens. fasc. 2. nr. 8

413.

1336. (Buda.) 24. Oct. — Capitulum Budense, Nicolaum Veche de Putnok et socios, contra concambium, super possessionibus Oláhtelek, Kövesd et Ujlak a fratribus suis uterinis cum possessionibus archiepiscopatus Strigon. Püspöki et Velkenye vocatis tentatum, protestatum fuisse perhibet.

Ed Fejér: Cod. Dipl. VIII.[6] p. 135.

414.

1336. — 3. Nov. — Capitulum Bachiense se prohibitiones, ratione possessionis Ságh, iuxta Ticiam iacentis, pro monasterio s. Benedicti de iuxta Grón, peregisse Carolo I. regi refert.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[4] p. 201.

415.

1336. — — Capitulum Varadiense, possessiones Püspöki, Veleknye et Dezmastelek, per Chanadinum archieppum Strig. nepotibus suis, in recompensationem 400 marcarum ab ipsis concessarum, cum possessionibus Ujlak, Kövesd, Oláhtelek, absque contradictione cambiatas esse, perhibet.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[3] p. 194. et sq.

416.

1337. (Garamszentbenedek.) 24. Jan. — Conventus s. Benedicti de iuxta Grón, Petrum et Izsó, fundum suum molendini, Paulo civi de Bars vendidisse testatur.

A. B. C.

Nos, *conventus* monasterii *sancti Benedicti* de iuxta *Gron,* omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presentem paginam inspecturis, salutem in largitore salutis. De gestis hominum inopinabilis calumpnia solet suboriri, si non voce testium vel serie litterarum scriptarum in robur perpetuum muniantur. Proinde ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire: quod Petrus, filius *Endere de Bors* et *Isow,* filius *Macha de Cosmal* pro se, Michaele de *Baraccha, Chon,* filio *Chama* de *Pest,* et Gregorio de *Orossi,* coram nobis personaliter constituti, retulerunt oraculo vive vocis: quod quendam fundum molendini *Kiese,* villici de *Bors,* olim defuncti, super fluvium *Gron* in *Bors,* prope molendinum monasterii nostri in parte inferiori adiacentem, ad ipsos iure hereditario pertinentem, *Paulo,* filio Michaelis, filii Pertoldi in *Bors* et suis heredibus, pro quatuordecim pensis Wiennensium denariorum vendidissent, et ipsam pecuniam ab eodem plenarie percepissent, dictumque fundum molendini, cum omnibus utilitatibus suis, coram villico et civibus in *Bors,* ipsi Paulo et suis heredibus statuissent pleno iure, ut in presencia nostri unus eciam ex civibus, Monchun nomine, ex parte eorundem civium est protestatus; quem quidem fundum molendini, simili modo, predicto Paulo, filio Michaelis, suis heredibus,

heredumque successoribus statuerunt, coram nobis, possidendum, tenendum et habendum perpetue et irrevocabiliter, sine contradiccionis obstaculo pacifice et quiete. Assumpserunt antedicti Petrus et Isow eciam coram nobis, sepedictum Paulum et suos heredes, racione ipsius fundi molendini, a predictis Michaele de Baraccha, Chon filio Chama, et Gregorio et ab omnibus aliis, si necessitas requireret, propriis laboribus expedire. In cuius rei testimonium et memorie firmitatem, presentibus nostrum sigillum duximus apponendum. Datum, nono Kalendas Februarii, anno incarnacionis Domini Millesimo trecentesimo tricesimo septimo.

Fragmen sigilli ex albo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 69. fasc. 15. nr. 10.

417.

1337. Visegrád. 5. Febr. — Chanadinus archiepiscopus Strigon., et alii episcopi, transsumunt privilegiales, episcopatui Nitriensi, super perpetua comitatus Nitriensis possessione elargitas.

Chanadinus, Dei et apostolica gracia archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, Ladizlaus Quinqueecclesiensis, Andreas Transsiluanus, Ladizlaus Zagrabiensis, Nicolaus Agriensis, Mesko Vesprimiensis, Rodolfus Vaciensis, Jacobus Chanadiensis, Petrus Syrimiensis ecclesiarum episcopi — — —

Sequitur priv. Caroli I. regis de a. 1302. 10. Sept. ex hoc ipso tramsumpto T. II. p. 314. nr. 551 et 552. illiusque trans. de 1313. 8. Aug. ibidem p. 685. editum. 1302. 10. Sept. 1313. 8. Aug.

Datum et actum in *Vyssegrad,* in festo beate Agate virginis et martiris, anno Domini Millessimo trecentesimo tricesimo septimo.

Sigilla novem e corrigiis pendebant. — Orig. membr., in Arch. Episcop. Nitriens. J. D. I. fasc. 1. nr. 2. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[4] p. 245.

Ab extus haec adnotantur: Anno 1567 die ultima mensis Decembris, hoc privilegium Ecclesiae Nitriensis, a longinquis partibus est remissum ad Eccl. Nitr., per unum probum virum.

418.

1337. — 24. Febr. — Paulus, iudex curiae regiae, capitulo Albensi injungit, ut possessionem filiorum Bény, in Vezekény reambulet novas metas erigendo, illamque aestimando, ac seriem facti rescribat.

Amicis suis honorandis, capitulo ecclesie Albensis comes Paulus, judex curie domini regis, debite amicicie et honoris incrementum. Vestre discrecionis amicicie presencium tenore declaramus, quod quia possessionaria porcio Jacobi et Nicolai, filiorum St(ephani), filii *Been* de *Wezeken,* in eadem possessione Wezeken, in comitatu Borsiensi existenti, ipsos contingens, in quadam sumpma pecunie venerabilem in Christo patrem, dominum *Chanadynum,* Dei et apostolice sedis gracia archyepiscopum Strigoniensem, locique eiusdem comitem perpetuum; et in alia sumpma pecunie Stephanum et Nicolaum, filios Pauli de *minori Sorlou* redimenda contingebat, cum iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum, formam et modum judicii nostri continencium, quia redempcio ipsius possessionarie porcionis Wezeken, prenominatum Nicolaum, filium St(ephani), filii Been, pre ceteris attingebat, seque coram nobis in examinacione judiciario

redempturum asserebat, judiciarie nostre deliberacionis decisionem cum barronibus et nobilibus factam, vestre discrecioni scribentes, amiciciam vestram, ad ipsam possessionariam reambulacionem et estimacionem vestrum testimonium transmitti ar[illegible]cabiliter postulassemus, litterarum nostrarum tenorem eo modo mediante, ut ipso vestro testimonio presente, in octavis festi Purificacionis Virginis Gloriose, Lad(islaus) de *Machala,* ex parte ipsius domini archyepiscopi, et Demetrius de *Malas,* in parte ipsorum filiorum Pauli de minori Sorlou, pro hominibus domini regis adducti, ad faciem memorate possessionarie porcionis dictorum filiorum St(ephani), filii Been in Wezeken habite accederent, convocacionibusque commetaneorum et vicinorum suorum circumquaque existencium factis, per veteres suas metas et antiquas distinciones reambularent, facta autem reambulacione, regali mensura mensurando, cum ecclesia lapidea in eadem constructa, ac aliis suis usibus, utilitatibus, fructibus et pertinenciis universis, absque quorumlibeth (sic!) contradiccionis obstaculo, Deo habito pre oculis estimarent, seriemque ipsi reambulacionis et estimacionis, in vestre amicicie litteris, ad octavas octavarum festi Purificacionis Virginis Gloriose predictarum nobis reportarent, ut ipsarum possessionarium reambulacionis et estimacionis litterarum visis tenoribus, judicium facere valeremus, juris moderacione exigente. Tamen predicto termino reportacionis seriei premissorum adveniente, Dyonisio serviente prefati domini archyepiscopi Strigoniensis, cum procuratoriis litteris eiusdem pro eodem, ab una; item prefatis filiis Pauli personaliter parte ab altera, ad nostram (expunct.: personaliter) presenciam accedentibus, nobis litteras vestras demonstrarunt, in quibus reperiebatur expresse contineri: quod cum pretactus Demetrius de Malas, homo regie celsitudinis, sub vestro testimonio, videlicet Laurencio presbitero, in predictis octavis festi Purificacionis Virginis Gloriose, pro parte predictorum filiorum Pauli deputatus accessisset, et premissa iuxta tenorem predictarum litterarum nostrarum, convocatis commetaneis et vicinis universis, per dictos filios Pauli adductus peragere voluisset, supervenientibus Lad(islao) nobile de Machala, similiter homine regio, et discreto viro magistro Gregorio lectore ipsius ecclesie Albensis, prescripto domino archyepiscopo pro vestro testimonio dato, idem St(ephanus) visis ipsius estimacionem, eorum satis tempestiva, non expectans in omnibus supradictis, vicinis et commetaneis, ac homine regie maiestatis, vestroque testimonio eidem dato recessisset, memoratorumque Jacobi et Nicolai filiorum St(ephani), filii Been, possessionaria porcio non cum regali mensura, pro ut nostre judiciarie deliberacionis examen decreverat, mensurando sed quia festinanter perambulando, absentibus ipsis homine regio et testimonio vestro, prelibato domino archyepiscopo datis et assignatis, antequam iidem advenissent pro triginta marcis per proximos, affines et compatres suos, ob sui favorem, extitisset estimata. Cum tamen eandem possessionaria porcio, consideratis suis utilitatibus, multo ad ampliorem estimacionem se extendere valuisset; verum quia ambarum parcium homines, regii vestro testimonio mediante, convocacionibus commetaneorum et vicinorum suorum factis, predicta possessionaria porcio regali mensura mensurando, cum ecclesia et aliis suis utilitatibus circumspectis (sic!), condigno suo vallore reambulari debeat et pariter facta reambulacione mensurando per premissi judiciarii moderaminis formam estimari, ipseque St(ephanus), filius Pauli, accessis homine regio et vestro testimonio, pro parte dicti domini archyepiscopi

1337. 9. Febr.

ad premissa peragenda deputatis et ad eandem reambulandam, ac estimandam hora debita et tempestiva supervenientibus, non cum regali mensura mensurando, nec hominem regium, testimoniumque vestrum partis alterius modo judiciario, ut debebat tempestive, ut premittitur, premisso negocio intentos prestolando, premissa fere exsequtus reperiebatur, pro eosdem filios Pauli in judicio trium marcarum in termino reportacionis seriei premissorum persolvendo remansisse decernentes, vestre discrecionis amiciciam presentibus requirimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio *y*doneum, quo presente Lad(islaus) de Machala, vel St(ephanus) dictus *Thege,* pro parte dicti domini archyepiscopi Strigoniensis; item Iwanka, aut Demetrius de *Maly,* pro parte dictorum St(ephani) et Nicolai filiorum Pauli de Sorlou minori, aliis absentibus homines domini regis, in die medii xlme nunc ventura, videlicet quarta feria, convocatis vicinis et commetaneis dicte possessionis Wezeken universis, et presentibus ad faciem possessionarie porcionis dictorum filiorum St(ephani) filii Been, in eadem possessione Wezeken habite, iterata vice accedant et ipsam per veteres, ac antiquas metas reambulent, reambulandoque regali mensura mensurando, cum ecclesia sua lapidea ac aliis suis usibus, utilitatibus, fructibus et pertinenciis suis universis, quibuscumque nominibus dicantur, absque quorumlibet contradiccionis obstaculo, Deo habito pre oculis, estiment iuxta approbatissimam regni consuetudinem condigno suo precio et valore et post hec seriem dicte estimacionis, cum cursibus metarum, prenotatam possessionariam porcionem distinguentibus, domino regi ad octavas eiusdem medii xlme nunc venturas, in vestris litteris fideliter rescribatis, ut tunc visis literis vestris ipsam possessionarie porcionis estimacionem contingentibus, inter partes ipsam tamen prosequentes, judicium et iusticiam facere valeamus, juris ordine congruente. Datum, in *Wyssegrad,* octavo die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ septimo. 1337. 26. Febr.

Extus: Amicis suis honorandis, capitulo ecclesie Albensis, pro St(ephano) et Nicolao filiis Pauli de minori Sorlou, contra dominum archyepiscopum Strigoniensem, super reambulacione et estimacione possessionaria, in die medii xlme, videlicet quarta feria facienda et in octavas eiusdem medii xlme ad judicem. — Sigillum plicature fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest. (Mat. Vet.)

419.

1337. (Esztergom.) 3. Mart. — Magistratus civitatis Strigoniensis, Jacobum aurifabrum, Stephano castellano Visegradiensi, domos suas vendidisse perhibet.

Edid. Cod. Andegav. T. III. p. 324.

420.

1337. Avignon. 28. Mart. — Benedictus PP. XII., mandat Chanadino archiepiscopo Strigon., ut in causa abbatis de Báta, se per archiepiscopum Colocensem et episcopum Quinqueecclesiensem spoliatum esse querulantis, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, faciat iustitia complementum.

Ed. Koller: Hist. Eppatus Quinqueecclesiensis T. II. p. 567 et sq., imo et Fejér: Cod. Dipl. VIII.[4] p. 243 et sq.

421.

1337. Esztergom. 23. Apr. — Chanadinus archiepiscopus, ecclesiam sancti Georgii Mart. Strigonii restaurat, canonicosque in eadem auget et dotat.

Chanadinus, Dei et apostolica gracia, *archiepiscopus Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presens scriptum inspecturis, salutem in salutis largitore. Equitas suadet canonica, quod pastorali officio necessario incumbat, ut suarum ecclesiarum status studiose, mente solerti velit procurare, et si detrimentum pati videatur, benigno suffragio conetur reformare, reformatumque pio proteccionis affectu inconcussum desideret conservare. Hinc est, quod nos considerantes *statum ecclesie sancti Georgii martiris de Strigonio,* que olym de nominatis regni Hungarie colegiatarum ecclesiarum numero una esse videbatur, ad tantam depressionis et desolacionis inopiam devenisse, ut *nec coperte tegumento esset ornata,* nec in ea missarum sollempnia, semel in anno, cum honore potuissent celebrari. Et canonicorum conventus, qui ex sue fundacionis exordio in ea vigebat, adeo esset propter exilitatem proventuum abolitus, ut nullus ipsorum canonicorum, preter solum ipsius prepositum, in ipsa ecclesia poterat commorari. Caritatis igitur zelo ducti, grandissimis necessitatibus huius ecclesie paternaliter, benigno suffragio volentes succurrere, secundum canonicas sancciones clericorum numerum pocius augeri desiderantes, quam minui; ac ipsam ecclesiam et in coperta et statu canonicorum cupientes reformare, ut Omnipotentis Dei et Virginis intacte, sanctorumque omnium laudes in iam dicta ecclesia, pro omnium remissione peccatorum, organo divine vocis devotissime propulsentur, ipsam ecclesiam ob remedium anime nostre sollempniter cooperi (sic!) facientes, et de fratrum nostrorum beneplacito ac consensu, certum numerum canonicorum in ipsa ecclesia memorata ordinantes statuimus: ut octo canonici in ea continue commorando, celestis regis filio debeant famulari, ubi olym quatuor tantum fuisse dicebantur; ita tamen quod nullus ibi canonicus creari possit, nisi primo fuerit dyaconus, vel sacerdos; qui fuerit dyaconus infra annum ad sacerdocium promoveri teneatur, et si hoc facere non curaverit a suo iure cadat eo facto; in aliis vero ordinibus existentes nullo modo ad canoniam possint promoveri; et iste numerus, per nos ordinatus, nequeat minui vel augeri. Sed, quia ipsi canonici, propter exilitatem proventuum in ipsa ecclesia perfrui non poterant, quia non alios proventus nisi singulas duas marcas de quatuor cutellis (sic!) decimacionis archiepiscopalis, percipere videbantur; cum secundum statuta patrum dignum sit, ut qui altari serviunt vivere valeant ab altari, nos cum fratribus nostris mature et salubriter deliberantes, consensu interveniente canonicorum, ac *prepositi* eiusdem ecclesie sancti Georgii, qui tunc preerat, *Ladizlaus* nuncupatus, habito diligenti tractatu et sollempni, paupertateque considerata ecclesie memorate, contractus permutacionis celebrare volentes, in concambium memorati proventus, quartas decimarum nostrarum archiepiscopalium de *cutello Gumuriensi,* que decimacio tam in vera decima, quam in quartis ad nos plene et integre pertinebat, que eciam decime pariter cum quartis summam sexaginta marcarum cursu communi vix, vel nunquam excedebant, sed nostris temporibus, divina favente clemencia, eiusque largiente munificencia, fere usque *ad summam quadringentarum marcarum* excreverunt, in augmentum et suavitatis cibum in domo Domini esuriencium, et

nostre salutis in signum, ac future remuneracionis premium, ipsis canonicis ecclesie sancti Georgii martiris integraliter et in toto, excepto dumtaxat districtu de *Torna*, et porcionibus parochialium sacerdotum, dedimus, donavimus et contulimus irrevocabiliter et in perpetuum possidendas, tenendas et habendas. Et ut ipsi canonici ipsas quartas plenissime percipere possint, statuimus: ut singulis annis unum ex ipsis virum *y*doneum, cum decimatoribus archiepiscopi ad dicandas et exigendas predictas quartas, in propriis ipsorum expensis, debeant et possint destinare. Istam tamen donacionem et permutacionem hoc modo intelligi volumus, quod *prepositus* ipsius ecclesie, in istis reditibus quartarum ipsorum canonicorum, nichil pro se, aut suis usibus valeat vendicare; nec e converso ipsi canonici, de proventibus quibuslibet ipsius prepositure aut prepositi acquisitis et habitis ante datam presencium, pro ipsorum usibus quicquam valeant obtinere, sed semper ipsius prepositi reditus pro sua mensa et suis usibus salvi remaneant et intacti a canonicis suis et reditibus eorundem. De h*y*s vero, que in posterum adveniunt ipsi ecclesie, a quocunque quolibet t*y*tulo, sic duximus disponendum: ut tercia parte preposito detracta, due partes salve integreque et intacte ipsis canonicis remaneant, inter se equaliter dividende; exceptis rebus mobilibus et minutis, que ex testamento sive donacione, causa mortis, quisquam fidelium pro remedio anime sue, sive remissione peccatorum donaverit, sive legaverit ecclesie eidem, que mobilia vel minuta sic specificata, pro vita et sustentacione, seu ad usum presbiteri parrochialis et curati eiusdem ecclesie volumus conservare; cui eciam decimam *ville Pethyen*, ad maiorem sue vite sustentacionem, duximus concedendam. Cuius quidem presbiteri officium esse volumus: quod ipse sacramenta ecclesie suis parochianis ministrare teneatur; canonici vero et prepositus simul, per ebdomadas continuata vicissitudine, ecclesiam officiare teneantur in celebracione missarum, aliorumque divinorum officiorum. Eleccionem autem et institucionem, ac destitucionem eiusdem presbiteri, racione iuris patronatus, quod in eadem ecclesia habemus, nostre dignitati volumus reservare; per hoc tamen a iurisdiccione archydiaconali ipsius prepositi subtrahere non intendimus. Et ne processu temporis inter ipsum prepositum et suos canonicos, de proventibus prepositalibus dubietas, vel contencio oriatur, ut eciam ipse prepositus a quolibet vigorosius sua iura valeat defensare, omnes proventus prepositales a fundacione ipsius ecclesie sancti Georgii martiris usque ad tempus datarum presencium acquisitos et possessos, nos confirmantes, in h*y*s scriptis volumus declarare: primo decima ville *Moroth*, in in comitatu Borsiensi, integraliter cum quarta, preter porcionem sacerdotis ibi commorantis, a fundacione ipsius ecclesie ad ipsum prepositum dinoscitur pertinere; item decima ville *Nandur*, in comitatu Neugradiensi, similiter cum quarta, preter porcionem sacerdotis ad ipsum noscitur pertinere; item decima ville *Perbete*, nobilium tantum, sed non archiepiscopi, in comitatu Kamariensi existentis; item de tota decima vini capitulo Strigoniensi provenienti, preter decimas, que ipsis de eorum villis proveniunt, ante prepositum sancti Adalberti et lectorem tollit et detrahit decimam, prout in litteris donacionis celebris memorie domini *Job*, quondam *archiepiscopi*, plenius continetur; item quia cathedralis archidyaconatus ecclesie sancti Adalberti huic prepositure est annexus, ob hoc iudicium ecclesiasticum civitatis Strigoniensis more archidiaconi, secundum formam privilegii felicis recordacionis domini *Lodomerii archiepiscopi*, ad

ipsum dinoscitur pertinere, item duo plebani, videlicet de *Villa Latina,* wlgariter *Olazi* vocata, item de *Scepsy,* quilibet eorum in solidum, singulis annis ipsi preposito tenentur dare et solvere singulas duas marcas, fini argenti ad pondus Budense, racione censuum ecclesiarum suarum; item quarta decime ville *Kokoth,* excepta porcione sacerdotis; item quarte ecclesiarum de utroque *Elefant*, de *Choarch,* de *Sceredahel,* de *Scelechen,* de *Chifech,* de *Bossyan* et de *Sceplok,* cum suis filiabus, quarum ecclesiarum decimas percipit capitulum Nitriense, ad ipsam preposituram novimus pertinuisse, pariter et pertinere; item circa villam archiepiscopalem *Geeg* habet terram ad unum aratrum sufficientem et modicum de prato, que omnia et singula a fundacione ipsius ecclesie ad usus prepositales pertinuisse et pertinere dinoscuntur. De vineis autem eiusdem ecclesie sic disposuimus ordinandum: ut tercia parte preposito reservata, due partes canonicis eiusdem relinquantur. Nos igitur universa, per hec scripta declarata, ut ipse prepositus securius suos possit proventus possidere, vigore presencium confirmamus, approbamus, ratificamus et inconcussibili firmitate censemus permanere. Volumus autem et statuimus, quod omnis canonicus, sepedicte ecclesie, a die sue creacionis in canonicum infra annum, circa eandem ecclesiam domum construere, vel emere constructam teneatur, in qua domo commorando ipsam ecclesiam laudabilius valeat deservire. Attamen hoc eo modo ordinamus, quod si aliquem canonicorum prefatorum vita mutata presenti, ad patriam in Christo quiescencium contingat trafmigrari (sic!) sui *e*ulogio testamenti domum suam, modo premisso emptam vel constructam, cui maluerit donandi seu legandi, liberam habeant facultatem; ita tamen, quod canonicus, qui per suum prepositum fuerit receptus, ad quem solum canonicorum creacio eiusdem collegii pertinet et pertinere debet, post illius decesum ab huiusmodi legatario, sive donatario, secundum condignam extimacionem, ipsam domum pro se possit et debeat comparare. Territorium autem in circuitu eiusdem ecclesie, ubi domus et ortus tantummodo canonicorum eorumdem sunt, vel debent situari, cum alias esset archiepiscopale, eidem ecclesie in perpetuum et irrevocabiliter duximus concedendum. Statuimus eciam, quod si aliquem canonicorum sepius dictorum, aliud beneficium hic vel alio, curatum vel sine cura, consequi contingat, illico post adepcionem huius secundi beneficii, prepositus qui pro tempore fuerit, ipsius canoniam alteri viro *y*doneo possit et debeat conferre, ne numerus per nos ordinatus diminucionem paciatur, et ipsa ecclesia suo remaneat canonico viduata. Item statuimus, ut si aliquis canonicus, non obtenta licencia sui prepositi, obdurato animo se ab ipsa ecclesia sancti Georgii martiris per sex menses absentaverit, nulla premissa monicione, ipse prepositus cuius prelature dignitatem et auctoritatem nisus est contempsisse, ipsius canoniam alii conferendi liberam habeat auctoritate presencium facultatem; quia si contumacibus contumacia non obesset, humilitas humilibus prodesse minime videretur. Volumus eciam, quod si quis canonicorum sepedicte ecclesie, maligno spiritu suadente, tale crimen commiserit, propter quod deposicionis penam mereatur, deponere ipsum, sive beneficio suo privare, idem prepositus non per se, sed de consilio et consensu archiepiscopi id possit peragere. Licet autem, par in parem, secundum iuridicam auctoritatem potestatem non habeat imperandi, verumtamen omnes archiepiscopos, nostros successores, in charitate Christi obsecrantes monemus et petentes hortamur, ut hanc nostram disposicionem et salutiferam ordinacionem,

non solum corroboracionibus confirment, sed et quantum celitus permissum fuerit, diligenti cura augeant et augmentent, quia in convivio eterni regis ille dignus est manducare, qui egenos Christi sua donacione facit epulari. Ut igitur hec nostra ordinacio pariter et disposicio sit in perpetuum valitura, presentes concessimus nostri et fratrum nostrorum sigillis munimine roboratas. Datum, *Strigonii,* in vigilia beati Georgii martiris, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo septimo.

Sigillum archiepiscopi, iam exesum, e viridi serico pendet; capituli autem ex hoc ipso serico pendebat. Originale membranac. lacerum et humore maculatum, in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 52. fasc. 1. nr. 1. — Transsumptum a capit. Strigon. a 1350 et iterum a. 1361 exaratum vide *ibidem* sub nro 2. — Illud vero Ludovici II. regis de a 1521. ibid. nr. 3.

422.

1337. (Ságh.) 25. Apr. — Conventus de Ságh, praepositum de Bozók, ob actum potentiae Petri de Litava, protestatum esse perhibet.

Nos Stephanus prepositus, et conventus fratrum, ordinis premonstratensium, monasterii beate virginis Marie *de Saag,* damus pro memoria, quod religiosus vir dominus Michael prepositus *de Bozouk,* in nostri presencia astando, nobis dixit per modum protestacionis, in hunc modum; quod magister Petrus *de Litoua,* feria quarta proxima post festum passce hoc anno, ad claustrum de Bozouk propria sua potencia veniendo, portam curie ipsius claustri confrangendo, in ipsam curiam intrando et ibidem, una cum ad ipsum pertinentibus manendo, ad propriam et ad placitum sue voluntatis; et in eo non contentus, deinde exiendo ad villam, sub claustro existentem eundo, et in ipsa villa per integrum diem, ipsa feria quarta, in ipsa villa permanendo, et super villanum ipsius villae, que ad ipsum claustrum pertineret, expendendo. Petens nos *y*dem Michael prepositus, ut in testimonium protestacionis, litteras nostras protestacionales eidem dare dignaremur. Datum, feria sexta proxima post festum antedictum Domini, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ septimo. 1337. 23. Apr.

Extus: pro Domino Michaele, preposito de Bozouk, contra magistrum Petrum de Litoua, protestacionalis. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nation. Budapest. Arch. fam. Ghyczy.

423.

1337. Avignon. 6. Maii. — Benedictus PP. XII., cum Colomanno praeposito Strigoniensi dispensat, ut non obstantibus defectibus natalium et aetatis, in episcopum Jauriensem licite promeveri et assumi possit.

Ed. Theiner: Monum. Hist. Hung. T. I. p. 613.

424.

1337. Avignon. 6. Maii. — Benedictus PP. XII., Chanadino archiepiscopo Strigoniensi, Galhardum de Carceribus, praepositum Titeliensem et Petrum Gervassi canonicum, nuncios suos, ac negotia eis commissa, commendat.

Ed. Theiner l. c. p. 616.

425.

1337. (Győr.) 6. Maii. — Capitulum Jaurinense, particulam terrae Papnépe, inter Petrum de Szentgyörgy et capit. Posoniense, iuxta compositionem arbitrorum, divisam esse testatur.

Universis Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, *capitulum* ecclesie *Jawriensis,* salutem in salutis largitore. Lubrici temporis prolixitas seriei geste rei pro tempore oblivionem incitet et inducit, ideo ad labentem memoriam hominum renovandam scripture patrocinio perhennatur. Ad universorum itaque noticiam harum serie volumus pervenire: quod cum magister *Petrus,* (expunct.: fratres) frater magistri *Sebus,* filius Abraam dicti *Abichk de Sancto Georgio,* iuxta tenorem litterarum tam regalium, quam comitis Pauli iudicis curie regie conposicionalium, in octavis festi Pasche nunc preteritis, contra honorabiles viros, dominos *prepositum et capitulum* ecclesie *Posoniensis,* pro particula quadam terre, inter villam *Popnepe, et aciem ecclesie beati Johannis* iacente, et ab una meta lapidea, aliisque ibidem metis terreis, in prato inter *Chekles* et *Posonium,* sub quadam piro, prope aquam *Palyazo,* ante possessionem *Jwani* fluentem iacentibus, trans eandem aquam versus meridiem et usque metas ville *Eburhardi* protensa, coram homine domini nostri regis et nostro ad hoc per parcium arbitoos (sic!) testimonio deputato, eo quo sua esset ipsa terre particula, iurare debuisset; advenientibus eisdem octavis, prout nobis nobilis vir magister Andreas, filius Abrae Rufi, homo domini (emansit: regis) nostri, et discretus vir magister *Petrus* canonicus et *custos* ecclesie nostre, noster homo, concorditer recitarunt, magistro Nicolao castellano Posoniensi, comite Andrea de *Churle,* Andich fratre magistri Fokonis de *Owga,* et Pethus filius Zoerardi de *Werekene,* Dominico de *Vzur,* tunc iudice nobilium provincie nobilibus; item Nicolao, filio Jacobi, Petro filio Morcholfi et Stephano dicto *Strauz,* civibus in *Posonio,* ac fratre *Dyetrico rectore* curie, seu *domus monasterii Sancte Crucis in Posonio,* pro pacis comodo disponentibus et amice componentibus, iidem honorabiles viri scilicet dominus Thomas, vicarius magistri Michaelis prepositi, et ipsum capitulum ecclesie Posoniensis, prefato magistro Petro, ipsum suum iuramentum relaxassent ita, quod particulam terre memoratam iuxta cursum metarum, aliis eiusdem possessionis Popnepe metis, magis infra per seriem scriptis in presentibus conscriptarum, inter ipsum magistrum Petrum et honorabiles viros prepositum et capitulum antedictos, prefatam possessionem Popnepe tranquilla et perpetua pace possidendam preposito et capitulo Posoniensi relinquendo, divisissent sic, quod series metarum ipsius possessionis Popnepe hec est: quod in littore fluvii Palazo, ubi scilicet terre seu prato comitis Pethus, filii Zoerardi, hec terra vicinatur, circa quandam viam sunt due antique mete, separantes hanc terram Popnepe a terra ipsius comitis Pethus; illinc tendit versus occidentem ad quandam arborem populi non remote, sub qua sunt tres mete antique, quarum una hanc, secunda vero terram eiusdem comitis Pethus, sed tercia terram *Prachan,* prefati *monasterii sancte Crucis* separant et seiungunt; inde ultra parum eundo, versus tamen aquilonem, est una antiqua meta separans terram eiusdem monasterii et ipsam terram Popnepe; ultra similiter parum eundo, est iterum una antiqua meta et parum ultra est iterum una et ultra parum iterum una et adhuc ultra in fine lac*i Plekense* vocati; inter vias ducentes de Posonio in *Tyrnam,* est iterum una meta antiqua, que omnes separant

1337. 27. Apr.

hanc terram Popnepe a terra prefati monasterii; et tunc idem lacus secundum sui girum et regirum separat ab invicem easdem duas terras, usque ad quandam antiquam metam, ex alia parte eiusdem laci (sic!) in litore versus partem septemtrionalem, sub quadam piro positam, que similiter separat ut priores; inde procedendo versus aquilonem prope alium lacum *Kych* vocatum, est iterum una antiqua meta, separans ut priores; deinde ultra lacum eundo similiter est iterum una meta, dividens ut prius; sed girando versus orientem sunt tres mete veteres capitales et alie plures, quarum una eandem terram Popnepe, secunda vero Prachan antedicti monasterii, sed tercia terram *Dornik* civium in Posonio dividunt et distingunt; item eundo ultra in radice cuiusdam *Kercus* (sic!), est una meta distinguens terram Dornik ab hac terra Popnepe; ultra parum similiter versus orientem est iterum una et iterum ultra parum est iterum una; tandem pervenitur ad fossatum quoddam, in cuius fine est iterum una meta antiqua, que omnes distingunt easdem terras Dornik et Popnepe; sed ulterius iam versus meridiem per iacenciam (sic!) eiusdem fossati, sub quadam piro prope viam de Popnepe in Chekles ducentem, est iterum una meta antiqua, distinguens ut priores; tandem pervenitur ad unam metam lapideam et duas terreas antiquas iterum sub una piro, quarum una eandem terram Popnepe, secunda vero Dornyk, sed tercia terram *Jwani* vocatam, magistri Petri, fratris Sebus, separant et seiungunt; inde versus meridiem, directe contra aciem ecclesie beati Johannis, pervenitur iterum ad fluvium Palyazo, ante villam Popnepe fluentem et transit ipsam aquam magis ad manum dexteram et in litore eiusdem, sub arbore piri, sunt due nove mete, posite nunc per amicabilem composicionem prenominatorum hominum discretorum, separantes hanc terram Popnepe ab illa Jwani; deinde similiter versus meridiem inter fossatum quoddam et viam de Popnepe in villam Jwany ducentem, sunt iterum due nove mete; parum ulterius sunt iterum due nove mete; iterum parum ultra ad meridiem sunt iterum due et iterum parum sunt iterum due et adhuc ulterius ad meridiem sunt iterum due et adhuc ultra prope brahium *Danobii* adhuc sunt due, que semper separant hanc terram Popnepe ab illa terra Juani; et tunc transit ipsum brahium Danobi ad meridiem in *insula Walgunrunse* vocatam, in qua sunt due mete nove, separantes ut priores; tandem exit ipsam insulam ad meridiem in aliam insulam, *Chullouh* vocatam, et in litore brahii Danobii ibidem fluentis, sunt iterum due nove mete, separantes ut priores; tandem pervenitur ad quatuor metas antiquas capitales ex nunc renovatas, quarum una terram hanc Popnepe, alia terram Jwani, tercia terram Eburhardi et quarta terram *Faristar* dividunt et distingunt; inde versus occidentem exitur ad primales metas, sumptis tamen omnibus insulis intra aquam Chollouh inclusive ad possessionem prefatam Popnepe prefatorum dominorum de Posonio; et sic cursus metarum eiusdem possessionis Popnepe terminatur. In cuius rei memoriam presentes, appensione nostri sigilli maioris et autentici consignatas, duximus concedendas. Datum, in die beati Johannis ante portam Latinam, anno Domini M° ccc° trecesimo septimo; magistris Briccio preposito, Mathia lectore, Georgio cantore et Petro custode, ecclesie nostre existentibus.

A. B. C.

Sigillum e rubro et viridi serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson. Priv. Capsa D. fasc. 6. nr. 47. — Edid. Fejér: Cod. Dipl. VIII⁴, 258. et VIII⁶. 141.

426.

1337. Verebély. 22. Maii. — Thomas palatinus archiepiscopalis, Michaelem de Ghicca, ab accusatione jobagionis Beder, iudicialiter expeditum esse testatur.

Nos Thomas, *palatinus* venerabilis in Christo patris *domini Chanadini,* Dei et apostolice sedis gracia archiepiscopi Strigoniensis, eiusdemque loci comitis perpetui, damus pro memoria, quod *in nostrii generali congregacione*, per nostrum hominem per fora puplice (sic!) proclamata, Michael de *Ghicca* ab una parte, Beder vero jobagio comitis *Thonc* ab altera, feria quarta proxima ante festivitatem beati Vrbani pape, coram nobis in *Vereblino,* in nostri generali judicii, fuerint personaliter constituti, qui *Beder* consurgens respondit, contra Michaelem: quod Michael de Ghicca, quod feria sexta, videlicet in vigilia beati Andree apostoli, noctis sub silencio super . . . . . 1337. 21. Maii.
. . . . . ipsiusque domus hostium aperiendo, tria pecora vi deduxisset, et mediam marcam ambulando in vestigiis ipsorum pecudum dampnum percepisset. Michael vero, contra Beder respondit tali modo, quod feria sexta in vigilia beati Andree apostoli, super domum Beder non ivisset, nec ipsam tempore nocturno subsedisset, nec tria pecora ipsius de ipsa domo recepisset, nec dimidiam marcam damni eidem fecisset. Nos vero, secundum jura regni et nostri judicii, supradictam Michaelem contra antedictum Beder in omnibus dicimus expeditum. Datum, in *Vereblino,* feria quinta proxima ante festivitatem beati Vrbani pape, anno Domini M° ccc° xxx° vii°. 1336. 29. Nov.

Extus: pro Michaele de Ghicca, contra Beder jobagione Thonc, pro tribus pecudis et dimidia marca dampni littera expedicionalis. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart. in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest. Fam. Kubinyi (kövári).

427.

1337. (Zobor.) 29. Maii. — Conventus de Zobor, ad preces Jacobi praepositi monasterii s. Benedicti de iuxta Grón, transcribit litteras conventus Cruciferorum de Strigonio, anno 1268 emanatas, Martinum abbatem de Grón, ecclesiae suae terram de Kakath (Párkány), Simeoni, jobagioni castri Strigon. donasse, testantes.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[4] p. 272. — Cf. Oper. huj. T. I. p. 561 nr. 723.

428.

1337. (Eger.) 15. Junii. — Capitulum Agriense, metales possessionum monasterii B. Virg. de Széplak elargitur.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[4] p. 254 et VIII.[5] p. 239.

429.

1337. Visegrád. 1. Julii. — Paulus, iudex curiae regiae, possessionem Palota, in comitatu Hontensi existentem, contra magistrum Petrum de Kékkő, praeposituae de Ságh adiudicat.

Ed. Fejér l. c. VIII.[4] p. 284. et sqq.

430.

1337. Visegrád. 25. Julii. — Carolus I. rex, Willermum Drugeth palatinum, villam suam Ófalu vocatam, iuxta fluvium Dunajecz, in comitatu Scepusiensi existentem, fratribus ordinis Carthusiensis de valle s. Antonii in Lechnicz, perpetuo contulisse testatur.

Ed. Wagner: Analecta Scepus. P. III. p. 177. et Fejér: Cod. Dipl. VIII.[4] p. 223.

431.

1337. (Nyitra.) 3. Aug. — Capitulum Nitriense Chanadinum archiepiscopum, villam *Zodo* pro villa Kis-Muzsla, permutasse perhibet.

Universis Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presentem paginam inspecturis, *capitulum* ecclesie *Nitriensis,* salutem in omnium Salvatore. Ordinaciones parcium testimonio litterarum solent solidari; inconcussum quippe permanet id, quod fuerit patrocinio litterarum communitum. Eapropter ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod venerabilis in Christo pater, dominus *Chanadinus,* Dei et apostolica gracia *archiepiscopus Strigoniensis,* eiusdemque loci comes perpetuus, ab una parte; item *Briccius,* filius Jacobi, filii *Bachan de Musla,* et nobilis domina mater sua relicta eiusdem Jacobi, ac Johannis filii [. . . . . .] et domina Petronalla, Agata, Elisabet, et Clara, filiabus predicti Jacobi ex altera; [nostram] personaliter accedentes presenciam, proposuerunt oraculo vive vocis, quod ipse partes in possessionibus eorum infrascriptis [. . . . . ta]lem inter se fecissent et bona voluntate ipsorum ordinassent: quod idem venerabi[lis . . . . . .] dominus Chanadinus, archiepiscopus Strigoniensis, quandam possessionem suam archiepiscopalem, *Zodo* vocatam, iuxta fluvium *Goron* [in comita]tu Barsyensi, inter [possessiones] *Mykola* et *Bogdan* vocatas existentem, cum *ecclesia in honore Omnium Sanctorum* in eadem constructa, terris arabilibus, fenetis, nemoribus et aliis quibuslibet suis utilitatibus et pertinenciis universis, sub antiquis suis metis, et terminorum distinccionibus, ad eandem villam pertinentibus, prenominatis Briccio, domine relicte prefati Jacobi, et Joanni generi suo, ac quatuor filiabus Jacobi supradicti, dedisset titulo concambii et permutacionis, ac donasset perpetuo possidendam, tenendam et habendam. In cuius quidem possessionis concambium, seu permutacionem, prescripti Briccius, filius dicti Jacobi, ac Johannes gener suus pro se, et quatuor filiabus eiusdem Jacobi, ac domina relicta ipsius Jacobi, quandam possessionem eorum *Musla* vocatam, in comitatu *Strigoniensi,* inter villam Musla archiepiscopalem et *Ebed* capituli Strigoniensis adiacentem, *cum ecclesia* in eadem possessione ipsorum Musla, ad laudem *beati Stephani prothomartiris edificata,* terris arabilibus, fenetis et aqua Danobii ad eandem pertinenti, ac aliis quibuslibet utilitatibus suis et pertinenciis universis, sub antiquis suis metis et terminorum distinccionibus, dedissent, donassent et contulissent eidem domino archiepiscopo, et per eum archiepiscopatui Strigoniensi, perpetuo possidendam, tenendam et habendam, omne ius dominii et proprietatem dictarum possessionum permutatarum in se alternatim transferendo; assumpmentesque se mutua vicissitudine, racione possessionum sibi invicem iure permutacionis traditarum, in parte vel in toto, ab omnibus inpetere acceptantibus, propriis expedire laboribus et expensis. Totam dotem et res parefarnales, eandem dominam relictam Jacobi in ipsa possessione Musla permutata contingentem, ac quartas puellares predictis

quatuor filiabus Jacobi sepedicti de eadem possessione Musla provenire debentes, in ipsam possessionem Zodo transtulerunt penitus et per omnia, ab ipsa possessione Musla removendo; ita ut nullo unquam tempore ipsa domina relicta Jacobi, racione sue dotis et rerum parefarnalium, ac prescripte filie Jacobi, pretextu quarte puellaris, sepedictam possessionem Musla permutatam, in iudicio vel extra iudicium, aliqualiter possent vel valerent molestare. In cuius permutacionis testimonium et perpetuam firmitatem, ne per partem alteram processu temporis predicta ordinacio possit revocari, ad peticionem parcium, presens nostrum privilegium, cum sigillo nostro pendenti, per medium alfabeti intercisum, duximus eisdem concedendum. Datum, tercio die octavarum beati Jacobi apostoli, anno Domini M° ccc° xxx^mo septimo.

A. B. C.

Extus manu medii aevi: Super *Parua Musla* in concambium ville *Zodo* permutata. — Et iterum alia manu et charactere: Littere capituli Nitriensis, archiepiscopus villam suam *Zodo* vocatam, pro *Paruo Musla* permutaverat. — Sigillum ex albo serico pendet. — Orig. membr., e parte iam exesum, in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 24.

432.

1337. Visegrád. 12. Aug. — Petro, filio Bitter, ad petitionem Doncs, comitis de Zólyom, per iudicem curiae regiae iudiciaria relaxantur.

Nos comes Paulus, iudex curie domini regis, memorie commendamus, quod nos iudicia pacis, in quibus magister Petrus, filius *Byter,* racione concordie cum preposito de Saagh, in facto possessionis, *Palahta* vocate habitate, nos placare tenebatur, ad peticionem magistri Donch, comitis de *Zolyo*, eidem magistro Petro filio Byter duximus relaxanda, reddentes ipsum magistrum Petrum, racione dictorum iudiciorum pacis, penitus et in toto expeditum. Datum, in *Wyssegrad,* feria tercia proxima ante festum Assumpcionis beate Virginis. Anno Domini Millesimo ccc xxx septimo.

Sigillum marg. ext. fuit appressum. — Orig. membr., in Archivo Mus. Nat. Hung. Budapest. Arch. fam. b. Balassa. Fasc. A. L. N. 26.

433.

1337. (Zobor.) 19. Aug. Conventus de Zobor, populos in villa S. Georgii commorantes, ab cultura possessionis conv. s. Benedicti Semlyér vocatae, prohibuisse Carolo I. regi rescribit.

Excellentissimo domino *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie, domino suo illustri, *conventus* ecclesie beati Ipoliti martiris *de Zubur,* oraciones in Domino continuas et devotas. Litteris vestre excellencie generalibus prohibitoriis, pro domino *Syefrido* (sic!) abbate et conventu monasterii *sancti Benedicti* de iuxta fluvium *Goron*, summa cum reverencia receptis, cum *Philippo,* filio Nicolai, filii *Brezo de Warad,* homine vestre serenitatis, fratrem Laurencium, unum ex nobis, ad prohibicionem infrascriptam faciendum, pro testimonio nostrum hominem destinavimus. Qui negocio bene intenti, et ad nos reversi, concorditer retulerunt: quod populos, seu hospites universos et singulos, in *villa ad Sanctum Georgium* commorantes, a cultura terre monasterii sancti Benedicti, *Semler* vocate, et a fructuum utilitatibus eiusdem et pertinenciis universis, observata regni consue-

tudine, prohibuissent. Datum, feria tercia proxima ante festum sancti regis Stephani, anno Domini M^mo CCC^mo XXX^mo septimo.

Extus: Excellentissimo domino suo *Karolo*, Dei gracia regi Hungarie, pro domino *Seyffrido* abbate, et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium Goron, contra populos seu hospites de Sancto Georgio prohibicionales. — Item alia manu poster.: A cultura terre Semlyer. — Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. in schedula membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 6. nr. 10.

434.

1337. (Somogyvár.) 20. Aug. — Testimoniales abbatis de Simigio, super nativitate et nobilitate Nicolai, filii Joannis, canoniam in capit. Posoniense praetendendis, ad Chanadinum archieppum Strigon. datae.

Tenorem vide a. 1342. 10. Mart. sub nr. 600.

435.

1337. (Somogyvár.) 23. Aug. — Testimoniales in eadem causa, ut supra, Michaelis de Krocho, Barnabae de Gamas, Pauli de Symigio et Nicolao de Vyga sacerdotum.

Tenorem vide, ut supra sub nr. 600.

436.

1337 1. Sept. — Testimoniales Meskonis, episcopi Vesprimiensis, procreationem legitimam Nicolai, filii Joannis, nobilis de Gulia, attestantes.

Seriem vide, ut supra sub nr. 600.

437.

1338. Visegrád. 19. Jan. — Citatoriae, pro conventu s. Benedicti, contra Schelem, ad presenciam Thomae vajvodae judicis.

Nos *Petrus,* miseracione divina *episcopus* ecclesie *Syrmiensis,* comes capelle et secretarius cancellarius domini regis, damus pro memoria, quod cum nos ad peticionem religiosi viri domini fratris *Syffridi abbatis* sancti Benedicti de iuxta *Goron,* procuratoris conventus eiusdem, unacum homine magnifici viri domini *Thome*, woiuode Transiluani, *Petro* litterato, ad exequendum infrascripta, Andream nostrum hominem, pro testimonio misissemus, iidem ad nos reversi nobis concorditer retulerunt; quod predictus homo dicti iudicis, presente ipso nostro homine, feria secunda proxima ante festum sanctorum Fabiani et Sebastiani martirum, *Schelem* personaliter in *Wysegrad* repertum, contra prenominatos dominum abbatem et suum conventum, ad regiam presenciam citavisset eundem, diem citacionis eisdem comparendi pro termino assignando. Datum, in *Wysegrad,* feria secunda supradicta, anno Domini M° ccc^mo xxx^mo octavo. 1338. 19. Jan.

Extus: Pro domino fratre Syffrido abbate, et suo conventu de iuxta Goron, contra Schelem, ad feriam secundam ante festum sanctorum Fabiani et Sebastiani martirum, ad presenciam domini Thome woiuode Transiluani citatorie. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 17. fasc. 1. nr. 2.

438.

1338. Visegrád. 22. Jan. — Judiciales Thomae vajvodae Transsylv., pro monast. s. Benedicti, contra Schelem non comparente, extradatae.

Nos *Thomas* woyuoda Transsiluanus et comes de Zonuk, damus pro memoria: quod in causa quam *Syfridus,* abbas sancti Benedicti de iuxta Goron et conventus eiusdem, iuxta continenciam litterarum domini Petri episcopi Syrimiensis et comitis capelle regie citatoriarum, contra magistrum Schelem movere habeant (expunct.: coram) feria secunda proxima, scilicet ante festum beatorum Fabiani et Sebastiani coram nobis, ipso termino adveniente idem magister Schele non venit, neque misit; ipso Syfrido abbate pro se personaliter et pro conventu predicto, diebus legitimis coram nobis expectante; ideo eundem magistrum Schele in iudicio decrevimus remansisse. Data (expunct.: qua) in *Wyssegrad,* quarto die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xxx° octavo. 1338. 19. Jan.

Extus: Pro Syfrido abbate sancti Benedicti de iuxta fluvio (sic!) Goron et conventu eiusdem contra magistrum Schele iudicialis. — Sigillum margini exter. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 4. nr. 21.

439.

1338. Visegrád. 5. Febr. — Michael, praepositus eccl. Posoniensis, Nicolaum, filium Joannis, scholarem chori Posoniensis, in canonicum eiusdem ecclesiae, suscipit.

Seriem vide a. 1342. 10. Mart. sub nr. 600.

440.

1338. Visegrád. 14. Febr. — Paulus, iudex curiae regiae, capitulum Vaciense petit, ut in possessione Alpar inquiret, utrum eam magister Pousa occupatam detinet, nec-ne?

Tenorem vide subtus nr. 441.

441.

1338. (Vác.) 22. Febr. — Capitulum Vaciense, seriem inquisitionis in Alpár peractae, Carolo I. regi rescribit.

Excellentissimo principi domino *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, *capitulum* ecclesie *Wacyensis,* oracionum suffragia devotarum. Litteras magnifici viri, comitis *Pauli* iudicis curie vestre, recepimus in hec verba:

Amicis suis capitulo ecclesie Wacyensis, comes Paulus iudex curie domini regis, debite amicicie et honoris continuum incrementum. Religiosuss vir frater *Sefridus,* abbas monasterii sancti Benedicti de iuxta *Goron,* suo et conventus sui nomine dicit nobis: quod possessio *Alpar* vocata, sibi et dicto suo monasterio omni equitatis tramite attinens, per magistrum *Pousa* de *Zeer* occupata detinetur, in suum preiudicium et monasterii sui prenotati. Super quo vestram amiciciam petimus per presentes diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, coram quo Nicolaus, filius Laurencii, vel St(ephanus) filius Bense de *Ynika,* aut Georgius de *Tysy,* aliis absentibus homo domini nostri regis, ad faciem predicte possessionis Alpar accedendo, a quibus decuerit et licuerit diligenter inquirendo de eo: utrum eadem possessio Alpar, per prefatum

magistrum Pousa de Zeer, nunc occupata detineatur nec-ne, sciat et inquirat omnimodam veritatem; et demum, prout vobis veritas de premissis constiterit, domino regi fideliter rescribatis. Datum, in *Wyssegrad,* in festo beati Valentini martiris, anno domini M° ccc^mo^ xxx^mo^ octavo. 1338. 14. Febr.

Nos igitur suis peticionibus diligenter annuentes (expunct.: p), cum predicto St(ephano) filio Bense de Ynika, homine vestro, nostrum hominem fidedignum magistrum Vincencium, socium et concanonicum nostrum, ad premissa exsequenda, pro testimonio duximus destinandum. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt: quod ad faciem predicte possessionis Alpar vocata (sic!) accedendo, ab omnibus quibus decuit et licuit diligenter inquirendo, talem de premissis scivissent veritatem: quod possessio Alpar vocata, per magistrum Pousa de Zeer, in preiudicium abbatis sancti Benedicti et sui conventus prememorati, occupata detineretur et detinetur. Datum, in dominica Esto mihi, anno Domini prenotato.

Extus: Excellentissimo principi, domino K.(arolo), Dei gracia illustri regi Hungarie, pro domino abbate sancti Benedicti de iuxta Goron, contra magistrum Pousa de Zeer inquisitoria — Sigillum margini exter. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 6.

442.

1338. Visegrád. 20. Mart. — Petrus, episcopus Sirmiensis, comes capellae regiae, ac secretarius cancellarius, concordiam inter Sefridum abbatem, monasterii s. Benedicti de iuxta Gron et magistrum Schele de Kartal, ratione terrae Ságh initam, comprobat.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII^4^. p. 339. et VIII^7^. p. 316.

443.

1338. Esztergom. 25. Mart. — Chanadinus, archiepiscopus Strigon., capitulo Scepusiensi, excluso tamen Joanne lectore, reconciliatur.

In nomine Domini Amen. Nos *Chanadinus,* Dei et apostolica gracia archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, una cum capitulo nostro per presentes publice profitemur, honorabiles viros et discretos dominos, magistrum Johannem prepositum et capitulum suum, beati Martini Scepus, nostre dyocesis, nobis satisfaccionem debitam impendisse pro eo, quod Johenes (sic!) lector eiusdem ecclesie, procurator eorum, consensum expressum et conscienciam contra nos, sine culpa nostra, false et causa inracionabili, vice ac nomine ipsorum, *ad Romanam curiam appellavit.* Unde nos, audita eorum excusacione legitima, recepimus ipsos, dicto Johanne lectore, qui huiusmodi provocacionis auctor extitit, prorsus excluso, in nostros fratres et filios dilectos, omnem rancorem, iniuriam et indignacionem, quem et quam et quas propter hoc habuimus ad ipsos, ex pura corde misericorditer penitus remittendo. Et nichilominus promittimus bona fide, prepositum et capitulum predictos, tamquam filios obediencie, in omnibus iuribus et libertatibus eorum, habitis et optentis hactenus et consuetis, manutenere, quantum possumus, sine preiudicio iuris alieni et fovere; — dummodo nobis, tamquam suo dyocesano, in licitis obediant et honestis. In cuius rei testimonium presentes eisdem, nostri et capituli sigillorum (emansit: munimine) fecimus roborari. Datum et actum, *Strigonii,* in festo Annun-

ciacionis Virginis Gloriose, anno Domini M° ccc^mo xxx^mo octavo. Presentibus honorabilibus viris et discretis, domino *Galyardo* preposito Tytulensi, nuncio sedis apostolice; Johanne Gwmuryensi et altero Johanne Zolyensi archydyaconis et magistro *Thoma,* canonico ecclesie nostre *maioris,* ac religioso viro fratre *Jacobo confessore* nostro; *Frwyno* canonico Scepesiensi, Gallo et Georgio famulis dicti domini prepositi Scepesiensi, necnon Johanne de *Bwsca,* notario publico, et aliis pluribus fide dignis. Hoc tamen declarantes, quod ipsam appellacionem, quam ipse Johannes lector contra nos fecit, ipsius prosecucionem iureiurando, tam in curia, quam extra curiam, inanem simpliciter et frivolam nobis renunciarunt. 1338. 25. Mart.

Sigillum archiepiscopi et capituli Strigon. minus e zonis membr. pendent. Orig. in Arch. Cap. Scepus. Priv. Scrin. 11. fasc. 2. n. 21.

444.

1338. Visegrád. 29. Mart. — Carolus I. rex, Chanadinum archiepiscopum, super persolutione 200 marcarum, pretii nempe possessionis Szerdahely, expeditum reddit.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, tenore presencium significamus quibus expedit universis: quod accedendo ad presenciam nostre maiestatis *Stephanus,* magister agasonum nostrorum, castellanus *de Vyuar,* confessus fuit illas ducentas marcas latorum Viennensium, marcam quamlibet cum decem pensis computando, quas nobis venerabilis in Christo pater dominus *Chanadinus,* Dei et apostolice sedis gracia *archyepiscopus Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, pro precio possessionis, *Zeredahel* nominate, in comitatu Posoniensi existentis, solvere tenebatur, ab eodem domino archyepiscopo, presencialiter coram nobis astante, nomine nostro pro edificacione dicti castri nostri Wyuar quas ad hoc recipere commiseramus plene, recepisse. Super quibus ducentibus marcis, eundem dominum archyepiscopum, reddidit perempnaliter expeditum. Datum, in *Wyssegrad,* in dominica Judica, anno Domini M° ccc^mo xxx^mo octavo.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membran. in Arch. Primat. Secul. Lad. L. n. 52.

445.

1338. Visegrád. 29. Mart. — Carolus I. rex, cameras Szomolnok et Körmöcbánya, una cum decimis archiepiscopalibus, nempe piseto, elocat pro 1525 marcis et novam monetarum reformationem statuit.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie conmendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis; quod nos recognoscentes per varietates antiquarum monetarum nostrarum nostros regnicolas plurimum fore perturbatos, salubriori ducti consilio, prelatorum et baronum regni nostri voto unanimi, pro reformacione regni nostri intendentes providere, advertente que per presentes monetas nostras, anni videlicet preteriti renovandas et perpetuo duraturas, ut pote (sic!) aliis similibus monetis nostris moderaciones, regni nostri statum, in monetarum discursionibus in melius posse emendari, et hoc per magistrum *Frithkonem,* in districtibus, comitatibus et civitatibus, ad cameras nostras de *Smulnuch* et de *Cremnuch* pertinentibus posse meliorari et reformari,

eiusdem industriosis fidelitatibus cognitis, comitatum dictarum camerarum nostrarum scilicet de Smulnuch et de Cremnuch monetarum anni preteriti renovandarum, cum omnibus comitatibus, districtibus, villis, opidis et civitatibus, qui et que ab antiquo ad easdem cameras nostras dinoscuntur pertinuisse, scilicet cum comitatibus: *Scepusiensi, Wywariensi,* de *Sarus,* de *Zemlyn,* de *Hwng,* de *Gumur,* de *Borsud* et de *Heweswyar* vocatis, ad cameram nostram Smulnuch pertinentibus, pro noningentis (sic!) et viginti quinque marcis; item cum comitatibus scilicet *Posoniensi, Nitriensi, Trinchyniensi,* de *Zolyo, Borsiensi, Huntensi* et *Neugradiensi, Camariensi* et *Pestiensi,* ex alia parte Danobii videlicet a parte Posoniensi et Wachiensi constitûtis, eidem magistro Frithkoni, ad prefatam cameram nostram Cremnuch pertinentibus, pro sexingentis marcis, partim in florenis, modo priori per Lorandum, vel per alium comitem camere nostre Budensis cudendis, partim vero in maioribus monetis nostris, per eundem magistrum Frithkonem, in solitis locis ipsarum camerarum nostrarum de Smulnuch et de Cremnuch fabricandis, in terminis infrascriptis nobis persolvendis, anno Domini M° CCC^mo XXX^mo octavo, a data presencium infra anni revolucionem dedimus et locavimus, simul cum decimis archiepiscopalibus, exer- 1338.
cendum, procurandum et tenendum eo modo: quod idem comes dictarum camerarum, prout aliarum camerarum nostrarum comites fabricabunt, cudent et facient biformes denarios perpetuo duraturos, cum aliis denariis per alios comites camerarum fabricandis uniformiter, per totum regnum nostrum discurrentes, scilicet maiores et minores; ita quod in maiori denario tantum erit de argento, quantum, in lato Vienense bene ponderato; et octo pense ex eisdem marcam ponderabunt et current pro marca fini argenti in montanis; mynores eciam faciat pro medietate ipsius maioris monete valentes, qui *obuli* vocantur, et in ipso minori denario tantum erit de argento, quantum in medio Vienense bene ponderato, ex quibus sedecim pense current pro marca fini argenti et ponderabunt marcam. Iidem autem denarii nostri cambiantur et discurrant hoc modo: quod ipse comes camerarum nostrarum, vel sui officiales, in singulis foris civitatum et liberarum villarum nostrarum, regalium videlicet et reginalium, ac aliarum quarumcunque, presentibus hominibus domini archiepiscopi Strigoniensis et magistri tawarnicorum nostrorum, receptis secum in civitatibus iudice et duobus aut uno iurato, in foris autem ecclesiarum et nobilium quorumcunque, officiali domini terre, in testimonium assumptis, publice in loco fori eosdem denarios nostros, super tabula sua cambio exponere debeat, et pro tribus ponderibus antiquarum monetarum tercie conbustionis in statera ponderando, dabit ex eisdem denariis duo pondera, levando similiter in statera. Grossi autem iuste conbustionis et argentum finum, equaliter in statera ponderando, cum ipsis denariis cambiantur, videlicet pro marca argenti ponderis Budensis, una marca denariorum nostrorum dabit (sic!) cum eodem pondere. Item unam marcam auri, ponderis Budensis, duodecim caratorum, cambient cum sex marcis nostrorum denariorum, cum eodem pondere Budensi, levando in statera. Et nullus possit cambire aurum, vel argentum, cum pecunia numerata, sed debeat cambire in camera regali in statera levando; si qui autem secus fecerint, per ipsum comitem camerarum nostrarum, in eorum personis, prout infideles nostri, puniantur et condempnentur; ita tamen, quod in civitatibus et montanis, huiusmodi nostros infideles, iudex et iurati

ac tota communitas captos, ipsis comiti camerarum nostrarum puniendos, cum omnibus bonis dare teneantur. Si autem ipsi iudex, iurati ac tota communitas civitatis id non facerent, eadem pena infidelitatis puniantur, si hoc ipse comes camerarum nostrarum, per homines domini archiepiscopi et magistri tawarnicorum poterit declarare. Item statuimus, ut in quibuslibet montanis et civitatibus debeat fieri domus regalis, ad quam omnes homines aurum et argentum ad vendendum, conburrendum et cambiendum deferre teneantur; et si qui palam vel occulte alias comburrere vel cambire presumpserint, et in hoc reperti fuerint, per eundem comitem camerarum omnia bona sua auferantur et insuper, ut infideles puniantur. Volumus eciam, ut nullus alias, preterquam in domo regia, aurum quotquot caratorum fiat probare presumpmat, sed camerarius debeat examinare in domo regia et ponere caratos super aurum et signum domini regis; contra hoc autem presumpmentes, per eundem comitem camerarum nostrarum predicta pena iussimus puniendos. Item volumus, quod si homines in montanis et civitatibus, et specialiter in *Smulnuch*, in *Cossa*, in *Cremnuch*, *Baath*, *Baka*, *Sebnich* et *Lonya*, ac in aliis quibuscunque civitatibus et montanis, ad easdem cameras nostras Smulnuch et Cremnuch pertinentibus, totum aurum et argentum ad cameram regiam non portarent, commisimus ipsi comiti camerarum nostrarum, ut quoslibet victualia ad montana transferentes prohibeat et potestatem habeat inhibendi; si autem contra prohibicionem eius aliqui victualia deferrent ad montana, universa bona eorum perdant et in personis puniantur; et in hoc magnificum virum *Villermum Drugeth* palatinum, eidem comiti camerarum nostrarum dedimus protectorem et adiutorem ita, ut ipse gentem suam semper ad requisicionem ipsius comitis camerarum, cum eodem vel officialibus suis contra predictos rebelles transmittat; qui facere debeant, quicquid ipsis idem comes camerarum nostrarum legitime iusserit faciendum. Ceterum volumus, ut nullus mercator, vel quilibet alter, ultra duas marcas denariorum ad montana secum deferre presumpmat pro expensis; si autem ipse comes camerarum nostrarum, vel eius officiales, apud tales ultra duas marcas reperierint in denariis, aufferant bona sua universa et puniat eum in persona. Item ordinavimus, quod quilibet hospes in montanis existens, eodem die quo mercatorem, vel alium aliquem in domum suam pecuniam habentem recipiet, comiti camerarum, aut eius officialibus significare debet dicendo: quod talis homo portavit pecuniam ad domum meam; et si ipse hospes et civis non fecerit, et sequenti die pecuniam ipsam apud eundem hospitem, vel apud alium, idem comes camerarum, vel eius officialis invenerit, tunc ille domesticus hospes omnia bona sua perdat, et in persona puniatur ut infidelis. Et, ut camerariorum nostrorum iusticia appareat in denariis fabricandis, statuimus: ut *quilibet eorum in ipsorum monetis signum habeat, per quod moneta per ipsum fabricata cognoscatur*. Et quod unus camerarius cum moneta sua, ad comitatum alterius camerarii ad cambiendum auram vel argentum transmittere non presumpmat, et si ille camerarius, in cuius comitatu famulum alterius camerarii cum pecunia ultra sumpmam duarum marcarum invenerit, ipsa pecunia ab eodem auferatur et ipse camerarius omnium bonorum suorum amissione puniatur. Ut autem ipsi denarii nostri perpetuo duraturi, ubique in regno nostro, absque repulsione et contradiccione, eo melius quo forcius discurrere valeant, statuentes ordinavimus: ut universarum ecclesiarum prelati et rectores, tam maiores quam mino-

res, eorum decimas, ac debita et quosvis reditus, a quibuscunque eorum debitoribus et iobagionibus, cum ipsis nostris monetis maioribus et non obulis exigere et recipere teneantur; dum modo ipsi denarii nostri in tanta copia cudantur, ut omnes debitores sua debita cum ipsis denariis nostris persolvendi habeant facultatem. Eodem modo eciam regni nostri barones et nobiles, ac alii cuiusvis status homines, ipsorum proventus universos, scilicet tributa, terragia et quasvis alias collectas, ab eorum tributariis et officialibus, atque iobagionibus, cum ipsis nostris monetis exigant et recipiant; et quilibet mercatores in predictis et in quibuslibet aliis civitatibus nostris, ad dictas cameras nostras pertinentibus, cum ipsis denariis forum facere debeant et teneantur. Nos autem promittentes assumpsimus, universas nostras collectas, regales et reginales, per totum regnum nostrum et specialiter tributa nostra et tricesimas nostras, exigere facere et recipere cum eisdem. Item statuimus, quod nullus sive civis, sive forensis, cum auro vel argento aut cum antiquis monetis, publice vel occulte, forum facere presumpmant. Ut autem metu pene ipse monete nostre in eisdem nostris civitatibus et eciam alias ubicunque per regnicolas nostras acceptaciores fiant et reputaciores, statuimus: ut ipsarum monetarum forenses non acceptatores, amissionis pena omnium mercimonialium bonorum eorum, que ad dictas nostras civitates mercandi causa transferunt, solum ad testimonia hominum eorumdem domini archiepiscopi et magistri tawarnicorum nostrorum, quibus in hoc commisimus fidem adhiberi, puniri debeant et condempnari. Civitatenses vero, ipsam monetam nostram contempnentes, in personis eorum graviter per eundem comitem camerarum nostrarum, tamquam mandati nostri contemptores puniantur et universa eorum bona, mobilia et inmobilia perdant; quorum duas partes ad manus ipsius camerarii nostri, terciam autem partem ad manus ipsorum hominum domini archiepiscopi et magistri tawarnicorum deputavimus provenire. Ceterum volumus: ut ipse comes camerarum nostrarum monetarios, seu cussores denariorum, ubicunque in civitatibus, aut in villis invenire poterit, et eosdem captivare voluerint, tunc iudex, iurati et universitas civitatis vel ville, in qua reperti fuerint, ad requisicionem ipsius comitis camerarum vel eius officialium, ipsos monetarios captivare et ad manus ipsius comitis camerarum teneantur assignare; si autem secus fecerint, eadem pena, qua monetarii contumaces sunt plectendi, puniantur. Item ipse comes camerarum nostrarum, in prenominatis civitatibus nostris, ubi monete nostre fabricantur, debet habere duo scrinia; in quorum uno ferramenta formalia, sub sigillis hominum eorumdem archiepiscopi et magistri tawarnicorum, conserventur; in altero vero, virgule pro monetis fuse, absque monetis novis, sub sigillis tribus et clavibus tribus eorumdem trium hominum, debent conservari et semper in presencia hominum ipsorum archiepiscopi et magistri tawarnicorum apperiantur; nec possint aliquo ipsorum absencia apperiri, vel opera monetarum exerceri; ita, quod si idem comes camerarum nostrarum, ipsis duobus testibus absentibus, vel aliquo ipsorum absente, fractis clavibus et sigillis, monetas faceret fabricari, per ipsum magistrum tawarnicorum nostrorum, tamquam falsarius puniatur, dum modo hoc idem homines domini archiepiscopi et magistri tawarnicorum nostrorum fateantur. Specialiter, dum funditur argentum, omnes personaliter interesse debeant, et singulis septimanis tam ipsos maiores denarios nostros, quam minores, ipsi homines domini archiepiscopi ac magistri tawarnicorum, in conbustione quatraginta Vienensium

et totidem denariorum debeant examinare; et sic idem novi denari cambio exponantur. Item, cusores denariorum et fabricatores in eisdem civitatibus nostris commorantes, ne ipse comes camerarum nostrarum pro falsis monetis inculpetur, sub potestate et iurisdiccione eiusdem remanebunt. Ceterum antiqua libertate camerarum nostrarum requirente, statuimus: ut omnes servientes et officiales et monetarios, ipse comes camerarum et non alter debeat iudicare; et si ipse ex parte ipsorum iusticiam dare neglexerit, tawarnicorum nostrorum magister iusticiam facere teneatur quibuscunque querelantibus de eisdem. Item, si qui contra ipsum comitem camerarum nostrarum, racione iniuriarum seu dampnorum, aut nocumentorum personis camerarum nostrarum, in officio camerarum procedentibus illatarum, ad nostram vel magistri tawarnicorum nostrorum, aut alicuius iudicys ordinarii presenciam citati fuerint, in primo termino, absque ulteriori dilacione, dante iusticia, ipsa causa finaliter debeat terminari. Quicunque autem, comitem camerarum nostrarum predictum, ordine iudiciario in causam attraxerint, prelibatus magister tawarnicorum nostrorum, ex parte eiusdem, iusticiam iusticiam (sic bis!) faciet, nostra auctoritate mediante. Hoc eciam ordinavimus, ut de quibuslibet bonis et rebus ipsarum camerarum nostrarum, ubicunque in terra et aquis per eorumdem officiales deferendis nullum tributum exigatur. Preterea, de qualibet marca, unum pondus ad racionem denariorum, racione conservacionis ferramentorum, homini eiusdem domini archiepiscopi, omni die operis assignetur; item quolibet die operis, singulos dimidios fertones, homini ipsius magistri tawarnicorum nostrorum, preter sumpmam convencionis nostre regalis, persolvant. Si vero ipse comes camerarum nostrarum, quolibet die operis, de singulis marcis cusis singula pondera denariorum, dictos dimidios fertones, modo premisso persolvere recusaverit, vel dilacionem facere vellet, homines ipsius domini archiepiscopi et magistri tawarnicorum nostrorum, ferramenta formalia includendi, plenam habebunt facultatem. Item aule nostre vicecancellario, idem comes camerarum, proventus ab antiquo consuetos plene dare et solvere teneatur; hoc eciam adiecto, quod iniurias et dampna officialibus camerarum nostrarum, per quoscunque irrogata, prefatus magister tawarnicorum nostrorum prosequatur et emendet. De falsariis autem et eorum fautoribus, antiquam regni consuetudinem volumus observari. Preterea statuimus, regni nostri bono statui providentes: ut nullus omnino hominum aurum et argentum, in specie extra terminos regni nostri portare debeat, sed monetas regni nostri anno presenti formatas. Specialiter volumus, quod nullus cum grossis forum facere presumpmat, et si forum faciens repertus fuerit cum grossis, amittet omnia bona sua et puniatur in persona. Ut autem omnes statuciones et ordinaciones camerarum nostrarum premisse, firmiter per quoslibet homines observentur, et idem novi denari (sic!) perpetuo discurrant et cambiantur, ubique ac sine repulsione acceptentur, volumus: ut si nobiles fora habentes, ipsam monetam nostram in eorum foris currere non fecerint, et hoc homines archiepiscopi et magistri tawarnicorum dixerint, pro qualibet vice usque ad septem vices, idem nobiles singulas quinquaginta marcas, ipsi comiti camerarum nostrarum solvere teneantur; septima autem vice, si modo simili offenderit, ipso foro et eadem possessione sua privetur. Item tributa habentes, si ipsi ipsos denarios nostros non receperint, pena premissa puniantur. Item ecclesiarum rectores universi, seculares et regulares,

fora habentes ipsos denarios nostros renovatos, in eorum foris currere non facientes, pro qualibet vice, usque ad septem vices, singulas quinquaginta marcas eidem comiti camerarum nostrarum persolvant; septima autem vice in hoc offendentes, totum dampnum inibi camere nostre illatum, absque spe relaxacionis, ipsi comiti camerarum nostrarum refundere teneantur. Si ecclesiarum rectores, eorum decimas et reditus cum eisdem monetis nostris ab ipsorum debitoribus, non exigerent, et hoc ex relacione eorumdem hominum archiepiscopi et magistri tawarnicorum appareret, tantam sumpmam pecunie, sicut in ipsa villa ubi exaccio decimarum et aliorum redituum fieri debeat se extendisset, pro ipsorum huiusmodi contumacia, memorato camerario nostro persolvant. Item, si civitatenses ipsam monetam nostram, in medio ipsorum currere et cambire non fecerint, vel non admiserint, iudex et iurati omnes possessiones suas et omnia bona eorum amittant, et tanquam regalium mandatorum contemptores, capitali pena puniantur, dum modo hoc per predictos duos homines innotescat. Item, si homines regios, honores nostros et dignitates habentes, in eorum foris, tributis et tenutis, eandem monetam nostram renovatam currere vel recipi non fecerint, ipsis regiis nostris honoribus priventur, et de propriis eorum bonis quinquaginta marcas ipsi comiti camerarum nostrarum persolvere teneantur. Volumus tamen, ut ipse comes camerarum nostrarum, iuxta testimonia eorumdem hominum domini archiepiscopi et magistri tawarnicorum nostrorum, eciam testimonia comitis parochialis et iudicum nobilium secum habeat, et sic per ista quatuor testimonia unus quisque rebellis, pro sua contumacia puniatur, dum modo hoc, per litteras alicuius capituli vel conventus credibilis, ad assercionem eorumdem quatuor testium pateat evidenter. Ut autem comites camerarum nostrarum, pecuniam nostram nobis facilius persolvant, solucionem nobis per eos faciendam hoc modo moderantes decrevimus: quod mensibus Maii et Apprilis, anno in presenti, deductis, quos eisdem pro monetarum fabricacionibus relaxavimus graciose, incipiendo a capite tercii mensis statim subsequentis, ipse comes camerarum nostrarum totam sumpmam pecunie, qua nobis tenetur usque ad diem Strennarum, complete nobis solvere teneatur ita, quod singulis mensibus singulam solucionem facere debeat, iuxta numerum et quantitatem pecunie totam sumpmam ad singulos menses dividendo; duppli penam incurret, si terminorum quemlibet predictorum pretermiserit insolutum. Volumus insuper, ut dum ipsi denarii nostri renovati in foris quibuslibet cambio exponentur, si aliquis fuerit repertus forum faciens cum grossis, vel quibuslibet antiquis monetis, tunc iudex, iurati et tota communitas civitatis vel ville, ipsum talem, cum omnibus bonis suis in dicto foro apud ipsum inventis captivando, ad manus ipsius comitis camerarum nostrarum, vel eius officialium, teneantur assignare; si autem ipsi iudex, iurati et communitas civitatis in hoc negligentes, vel tardi extiterint, pena supradicta puniantur. Item volumus statuentes: ut ipse comes camerarum nostrarum, in uno comitatu comiti parochiali, unam marcam novorum denariorum nostrorum cum pondere levando et nichil plus, solvere teneatur; nec aliquis ultra in aliquo ipsum presumpmat molestare. Volumus eciam, quod tam magister *Demetrius* suos dimidios fertones, quam dominus *archiepiscopus* sua pondera, quibuspiam vendere non possent et locare; quod si fecerint hys iuribus eorum priventur. Preterea idem dominus archiepiscopus et magister tawarnicorum tales homines in prosequendis negociis camerarum transmittant, qui possessiones habeant, et

si demerita eorum requirerent, perdere habeant. Item comites camerarum nostrarum, qui anno sequenti cameras nostras conducere voluerint, in die Strennarum venturo, per homines ipsorum vel personaliter nobis notificare debeant. Solucio autem nobis, per eundem comitem camerarum nostrarum, fienda debet esse hoc modo: quod medietatem sumpme pecunie convencionis solvet in florenis, videlicet quartum dimidium florenum pro marca pagamenti; aliam autem medietatem solvet in maioribus novis denariis, quamlibet marcam cum pondere levando, ad pondus Budense pro marca pagamenti. Decimas autem archiepiscopales, in eisdem terminis, quicus nobis solvet, persolvere debebit, sub pena prenotata. Volumus eciam, ut pro ponderibus archiepiscopalibus, in fino argento persolvere debentibus, denarios novos cum pondere levando, ad valorem fini argenti, secundum ordinacionem regni persolvere teneatur. Datum, in *Wyssegrad,* die dominico proximo post festum Annunciacionis Beate Virginis, anno Domini supradicto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. B. nr. 115. — Edid. Tört. Tár. Uj. XII. 1911. p. 1—36.

446.

1338. Visegrád. 31. Mart. — Carolus I. rex, per capitulum Jaurinense, Franciscum de Madarász, a detentione possessionis Bánvök, prohiberi demandat.

Tenorem vide sub nr. 449.

447.

1338. Magasvár (Visegrád). 13. Apr. — Carolus I. rex, universis prelatis in regno constitutis, specialiter archiepiscopo Strigoniensi mandat, ut Galhardum prepositum ecclesiae Tituliensis, nuncium apostolicum, cui rex, Stephanum lectorem ex ordine Praedicatorum, capellanum suum, adjunxit in adjutorium, honorifice excipiant et super collecta sexennali rationem ponant.

E cod. Vatic. Rat. Collect. in Monum. Vatic. Ser. I. T. I. p. 410—411.

448.

1338. (Pozsony.) 16. Apr. — Capitulum Posoniense, Joannem de Diószeg, Clarae sorori suae, medietatem possessionis Kőrtvélyes, donasse testatur.

A. B. C.

Universis Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, *capitulum* ecclesie *Posoniensis,* salutem in salutis amatore. Ad universorum, tam presencium quam futurorum noticiam, harum serie volumus pervenire: quod Johannes, filius Johannis dicti de *Gyozeg,* una cum domina matre sua, personaliter nostri presenciam adiens, mediam partem possessionis sue, *Kurthvelus* vocate, mediam inquam partem in terris arabilibus, et non in feneto, cum dimidietate tamen sessionis sue loci ibidem in Kurthvel*ius*, *Clare* sorori sue et Mychaeli marito eiusdem, ac pueris ex ea procreandis, iure perpetuo et irrevocabiliter ad possidendum, semper et habendum dedit, pariter et donavit; sic tamen, quod si ipsam Claram sororem suam, absque heredum solacio decedere contingeret, extunc ipsa porcio possessionaria, cum parte ipsius sessionis, eidem Johanni

vel eius successoribus libere revolvetur possidenda perpetuo et habenda; nec hoc pretermittimus, q[uod] huius sue possessionis Kurthvelius vocate, dicte sorori sue, ac Michaeli marito eiusdem et eorum pueris mediam contulit porcionem, quam nunc manutenere et pacifice habere dinoscitur ac quiete possidere. In cuius donacionis memoriam presentes, nostro sigillo consignatas, duximus concedendas. Datum, feria quinta proxima ante Dominicam Quasi modo geniti *officium quo cantatur*, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo octavo.

Sigillum e flavo et roseo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 10. nr. 21.

449.

1338. (Győr.) 17. April. — Capitulum Jaurinense, Franciscum de Madarász, a detentione possessionis Bánvök, prohibitum esse, Carolo I. regi rescribit.

Excellentissimo domino ipsorum, domino *Karolo*, Dei gracia illustri regi Hungarie, *capitulum Jauriensis* ecclesie, oracionum suffragia devotarum. Litteras excellencie vestre, reverencia omnimoda qua tenemur, recepimus hunc tenorem continentes:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo ecclesie Jauriensis, salutem et graciam. Dicunt nobis *Petrus*, filius Jacobi et Cosmas, filius Michaelis, quod Franciscus fructus et utilitates cuiusdam possessionis ipsorum, *Banvelky* vocate, perciperet et uteretur, in preiudicium ipsorum et gravamen. Super quo fidelitati vestre firmiter precipimus per presentes, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente Blasius, filius Cosme, vel Stephanus, filius Olyuerii, altero absente homo noster, ad faciem dicte possessionis accedendo, presentibus vicinis et commetaneis suis, prohibeat eundem Franciscum, et alios quoscunque ab usu fructuum et utilitatum dicte possessionis violenti; qui si prohiberi voluerint bene quidem, alioquin facti seriem nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Wyssegrad*, feria tercia proxima post dominicam Judica, anno Domini M° ccc° tricesimo octavo. 1338. 31. Mart.

Nos igitur vestre excellencie mandatis in omnibus parere cupientes, ut tenemur, cum predicto Stephano, filio Oliueri homine vestro, discretum virum magistrum Nicolaum socium et concanonicum nostrum, pro testimonio fidedignum, ad premissa exequenda duximus destinandum. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt: quod feria quinta proxima post festum Pasce Domini, ad faciem predicte possessionis Banuelky accedendo, vicinis et commetaneis eiusdem convocatis et presentibus, Franciscum, filium Benedicti de *Madaraz*, et alios vicinos et commetaneos dicte possessionis Banuelky, a percepcione fructuum et utilitatum eiusdem possessionis Banuelky prohibuissent; qui se velle prohiberi asseruissent. Datum, feria sexta proxima ante octavas Pasce Domini, anno eiusdem superius nominato. 1338. 18. Apr.

Extus: Excellentissimo domino ipsorum, domino Karolo, Dei gracia illustri regi Hungarie, pro Petro filio Jacobi et Cosma, filio Michaelis de Banuelky, contra Franciscum filium Benedicti et alios prohibicionalis. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 8. fasc. 1. nr. 2.

450.

1338. Gömör. 4. Maii. — Laurentius vicearchid. Gömöriensis, Benedictum sacerdotem de Göcsej, Michaelem de Csoltó expeditum reddidisse, perhibet.

Nos Laurencius, sacerdos de Yvanosy, vicearchydiaconus Gumuriensis, damus pro memoria, quod in causa, quam Benedictus sacerdos de *Guche,* contra Michaelem, filium Detricy, nobilem de *Choltov,* secundum seriem clarissimam litterarum domini nostri, domini *Chanadini,* Dei et apostolice sedis gracia archiepiscopi Strigoniensis, ordine iudiciario diucius coram nobis habebat ventillatam, in articulis cause eiusdem motis ac movendis, nec non iudicio duarum marcarum, Benedictus memoratus, Michaelem antedictum, coram nobis reddidit expeditum, modisque omnibus absolutum, tali obligacione interposita, quod si qua parcium deinceps super causa iamdicta litem inferre niteretur, ante ingressionem litis, parti adverse iudicio decem marcarum solvere teneretur. Datum, in villa *Gumur,* feria secunda proxima post festum invencionis sancte crucis, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ viii°.

Extus: pro Michaele de Choltov, contra Benedictum sacerdotem de Guche, composicionalis. — Sigillum ovale tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest. Mat. Vet. Collect. Nagy Iván.

451.

1338. (Esztergom.) 26. Maii, — Capitulum Strigoniense, ad preces comitis Nicolai de Szász, transscribit literas privilegiales hospitibus de Besztercze apud Zólyom-Lipcse, concessas.

Nos capitulum ecclesie Strigoniensis, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod comes Nycolaus dictus *Zaz,* nobilis de *Zolio,* cum filio suo Antonio, suo et aliorum filiorum suorum, videlicet Demetrii, Dettrici, Laurencii, Gaal, Johannis, Nycolai et Dauid nominibus, ad nostram personaliter accedens presenciam, exhibuit nobis byna (sic!) privilegia domini Stephani, quondam regis Hungarie, tenoribus infrascriptis emanata, humiliter et devote supplicando, quod quia eadem privilegia propter causas legitimas et formidabiles, quo vellent, ad causas secum ferre non auderent in specie, ipsa transscribi et litteris nostris inseri faceremus ad cautelam. Tenor primi talis est:

Sequitur privil. Stephani V. regis a. 1271. confirmans privil. patris sui a. 1265. 14. Oct. hospitibus „de nova villa Bystrice prope Lypcham" concessum, ex hoc ipso trans. edit. T. I. p. 588. nr. 759. 1271. 12. Sept.

Item tenor secundi talis est:

Sequitur privil. Stephani V. regis a 1272., illud Belae IV. a. 1263. 14. Oct. super quadam silva hospitibus de Bisztricze concessum, confirmans, edit. ex hoc ipso transsumpto T. I. p. 604. nr. 778. 1272. 1. Aug.

Nos igitur iustis ac legitimis precibus — prefati comitis Nycolai supplicacionibus annuentes . . . . . etc. Datum, feria tercia proxima post festum beati Urbani pape, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo octavo.

Sigillum cum zona periit. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Publ. Capsa 34. fasc. 6. nr. 1.

452.

1338. Visegrád. 28. Maii. — Paulus, judex curiae regiae, possessionem Ér-Tarcsa, ad Chanadinum archiepiscopum et Gregorium de Nagymihály pertinentem, cum prima reambulacio ejusdem ob nonnullorum commetaneorum absentiam finiri non potuisset, noviter reambulari mandans, eam Chanadino et Gregorio praedictis statui jubet.

Cf. Géresi: Cod. Dipl. Comit. Károlyi. T. I. p. 120 et sqq.

453.

1338. Visegrád. 19. Jun. — Carolus I. rex, capitulum Strigoniense et nobiles de Túr, super particula litigiosa Gradisahegye, prope Gyerk, amicabilem pacis compositionem inivisse perhibet.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod discreti viri Johannes archydiaconus Gemeriensis et Demetrius decanus, canonici ecclesie Strigoniensis, pro toto capitulo eiusdem ecclesie, cum sufficienti procuratorio eiusdem capituli ab una; item Petew, filius Bense, Paulus, filius Andree et Jacobus, filius Sebe, nobiles *de Twr,* parte ab altera, ad nostram personaliter accedentes presenciam, super causa quam super quadam particula terre, *Gradisahege* nominata, in comitatu Huntensi existenti, dictum capitulum Strigoniense contra pretactos nobiles de Twr movisse dicebatur, proborum virorum ordinacione bona mediante, ad talem perpetue pacis unionem se deventos fore recitarunt, coram nobis eo modo: quod licet eedem partes, super dicta particula terre altercative inter se usque modo causam protraxissent litigantes, tamen ut tota materia questionis, actenus inter eos disceptata, de medio parcium radicitus evellatur et amplius partes hinc et inde sub perpetue pacis pulcritudine conquiescant, eandem particulam terre, Gradisahege nominatam, dixerunt inter se per medium equaliter fore divisam isto modo, quod medietas eiusdem particule terre, a parte possessionis dicti capituli *Gynky* nominata, cessisset in ius et proprietatem capituli eiusdem; alia vero medietas integra in sortem memoratorum nobilium de Twr evenisset; iudicem autem in toto iidem nobiles placare tenebuntur, licet ipsum capitulum, in tercia parte iudiciorum, eundem iudicem assumpserit placaturum in hac parte, ad que se iidem nobiles spontanea coram nobis obligarunt voluntate. Datum, in *Wyssegrad,* in crastino octavarum festi Corporis Christi, anno eiusdem M° ccc^mo^ xxx^mo^ octavo.

Extus sub sigillo: Assecuracio magistrorum *Tewtes* et *Vezeus* de personis. — Et iterum: Solvit. — In tergo manu medii aevi: Super quadam terra pertinente ad Gerky. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 19. fasc. 1. nr. 14.

454.

1338. (Garamszentbenedek.) 26. Junii. — Citatoriae conventus de juxta Gron, pro Paulo de Valkócz, contra Benedictum de Wischen emanatae.

Excellentissimo domino *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie, illustri domino suo, *conventus* monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gron,* oraciones in Domino debitas et devotas. Litteris comitis Pauli iudicis curie vestre citatoris (sic!) pro *Paulo,* filio Johannis de *Wolkolch,* reverenter receptis et secundum tenorem earundem, cum Andrea, fratre Jula, homine vestre excellencie, *Salomonem capel-*

lanum nostrum ad citacionem infrascriptam faciendum pro testimonio destinavimus. Qui in negocio bene in tenti (sic!) et ad nos reversi concorditer retulerunt: quod feria quinta proxima post nativitatem sancti Johannis Baptiste proxime preteritam, Benedictum, filium Symonis, in *Wischen* possessione sua, contra predictum Paulum filium Johannis, ad feriam quintam proximam ante festum beati Benedicti confessoris, nunc venturum, ad vestram excellenciam citavissent. Datum, feria sexta in die Johannis et Pauli martirum beatorum, anno Domini M° ccc^mo xxx^mo octavo. 1338. 25. Jun. 1338. 16. Jul.

Extus: Excellentissimo domino suo Karolo, Dei gracia regi Hwngarie illustri, pro Paulo filio Johannis de Wolkoch, contra Benedictum, filium Symonis de Wischen ad feriam quintam proximam ante festum beati Benedicti confessoris citatoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon, Publ. Capsa 39. fasc. 12. nr. 3.

455.

1338. Visegrád. 29. Jun. — Chanadinus archiepiscopus Strigon., ad preces Sefridi abbatis de iuxta Grón, per sedem apostolicam deputati visitatoris, necnon abbatum de Visegrad et de Széplak, transcribi fecit bullam Benedicti PP. XII. a. 1336. pro Ord. S. Benedicti concessam

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII.⁴ p. 337.

456.

1338. 30. Jun. — Ex libro expensarum necessario factarum Petri Gervasii canonici Vivariensis, nuncii apostolici, data Strigonium attinentes:

Primo anno Domini MCCCXXXVIII, die ultima Junii dedi uni famulo iudicis Pozoniensis, *qui me conduxerat per III. dies usque ad Strigonium,* I. florenum auri et XXXVI Viennenses, valent VI. grossos. — Et nichilominus solvi expensas diebus, quibus mecum fuit.

Et iterum:

Item anno, quo supra, scripsi domino Jacobo de Lengres, qui erat Quinqueecclesiis, et mandavi sibi, *ut veniret Strigonium,* auditurus mandatum domini pape, unacum domino Jacobo Berengario operario monasterii Crassensis socio suo, quia littere ambobus simul dirigebantur, et dedi nuncio XX grossos.

E codice Vaticano: Rat. Coll. Edit. Monum. Vatic. Ser. I. T. I. p. 432.

457.

1338. (Nagyvárad.) 10. Julii. — Conventus Varadiensis possessionem Tarcsa, inter Chanadinum archiepiscopum Strigon. et Gregorium de Nagymihály, aequaliter divisam esse testatur.

[O]mnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris, *Petrus prepositus,* et conventus monasterii *sancti Stephani* prothomartiris *de Promontorio Waradyensi,* salutem in Domino sempiternam. Ne ea, que geruntur in tempore, simul labantur cum tempore, provida hominum sagacitas adinvenit, ut rerum gestarum series scripti patrocinio fulciatur. Proinde, ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire: quod cum iuxta formam litterarum patencium incliti regis *Karoli,* super divisione possessionis

Tharcha vocate facienda confectarum, cum Ladizlao, filio Fabiani de *Kusmevd,* homine eiusdem domini regis, religiosum virum fratrem *Petrum, custodem* predicte ecclesie nostre, ad dividendam dictam possessionem pro testimonio destinassemus, demum idem homo noster, cum predicto Ladizlao homine regio, ad nos reversy, nobis retulerunt: quod, in quindenis festi Nativitatis beati Johannis Baptiste, videlicet in termino in dictis litteris regalibus inserto et assignato, ad faciem memorate possessionis Tharcha, in comitatu Byhoryensi existentis, presentibus discreto viro, domino *Johanne archydiacono Gumuryensi,* pro venerabili in Christo patre domino *Chanadino,* Dei et apostolica sedis gracia *archyepiscopo Strigonyensi,* locique eiusdem comite perpetuo, cum sufficienti procuratorio eiusdem; nec non Gregorio, filio Laurencii de *Nogmihal,* Johanne, Ladizlao, Leukus, Georgio, Gregorio et Stephano, filiis eiusdem Gregorii, convocatisque eciam vicinis eiusdem possessionis accedendo, totalem ipsius possessionis terram usualem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, terris videlicet arabilibus, campestribus, fenilibus, silvis et nemoribus, exceptis solum locys sessionalibus, que inter partes antea divisa extiterunt, in duas partes equales, per metas infra declarandas, divisissent et ab invicem separassent. Cuius quidem possessionis Tharcha medietas, a parte terre *Apaty,* cum suis utilitatibus quibuslibet, terris, scilicet arabilibus, campestribus, pratis et specialiter cum mediatate silve ipsius possessionis, a parte orientali seu fluvii *Eer* adiacente, memorato domino archyepiscopo et suis posteris cessisset, perpetuo et pacifice possidenda; reliqua vero medietas dicte possessionis, a parte occidentali, seu terre *Ragald,* similiter cum omnibus suis utilitatibus, necnon cum reliqua dimidietate memorate silve, a parte ville ipsius Tharcha adiacente, memoratis Gregorio, filio Laurencii et filiis suis antedictis, ac eorum successoribus devoluta fuisset, pacifice et quiete possidenda. Cursus autem metarum, quibus dicte dimidietates seu porciones parcium, ab invicem separantur, est talis: Primo incipit a parte septemtrionali a tribus metis terreis, de quibus tendit versus meridiem seu terram Ragald vocatam, venit ad aliam metam terream; deinde versus eandem partem eundo eundo, (sic bis!) transit quasdam metas terreas et pervenit ad unam magnam metam terream in vertice cuiusdam montis, supra villam Tharcha existentis, iuxta locum cuiusdam vinee in forestam (sic!) redacte existentem; deinde descendendo iuxta ipsam villam Tharcha, venit ad unum montem prope ipsam villam Tharcha existentem, in subpede (sic!) cuius est una meta terrea, de qua cadit in viam, que de ipsa villa Tharcha iuxta fluvium Eer ducit versus dictam silvam et transeundo quasdam metas, iuxta ipsam viam positas, transit quendam parvum fluvium iuxta ipsam silvam, venit ad unam arborem salicis, meta terrea circumfusa, ubi idem parvus fluvius cadit in fluvium Eer vocatum et in eodem loco wlgariter *Fuk* vocato; ab eadem meta arborea transit ipsum fluvium Eer ad unam metam terream, de qua vergit versus silvam terre *Odon* et transeundo quasdam metas, venit ad duas metas terreas prope locum *Saarwarfuk* vocatum existentes, quarum una dictam terram Tharcha a terra *Odon,* reliqua vero predictas dimidietates possessionis Tharcha separant et distingunt. Item cursus metarum predicte silve est talis: prima incipit in fine ipsius silve a parte orientali, seu a parte terre Apaty, ab una meta terrea et in medio eiusdem silve versus meridiem eundo, transit quatuor metas et venit ad quintam metam, de qua parum reflectitur versus occidentem et

1338. 8. Jul.

venit ad duas metas, quarum una est sub arbore ilicis et secunda sub uno trunco similiter ilicis, de quibus parum eundo, venit ad unam metam arboream ilicis, sub qua est similiter meta terrea in rippa ipsius fluvii Eer existentem et ibi terminantur. Cuius quidem silve ut premittitur dimidietas a parte orientali seu fluvii Eer dicto domino archyepiscopo, reliqua vero medietas a parte septemtrionali, seu terre Tharcha adiacentes, supradictis Gregorio et filiis suis cessissent possidenda. In cuius rei testimonium, perpetuamque firmitatem, presentes contulimus, sigilli nostri appensione munimine roboratas. Datum, sexta feria proxima ante festum beate Margarete virginis, anno Domini M^mo ccc^mo xxx^mo octavo.

Sigillum e zona membr. pendebat. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 9. fasc. T. nr. 1.

458.

1338. (Zobor.) 13. Julii. — Conventus de iuxta Gron, particulam terrae suae Sári, Nicolao de Sári, ad spatium decem annorum elocat, pro sex pensis denerariorum, annuatim solvendorum.

Nos *conventus* ecclesie *Zoboriensis,* tenore presencium significamus, quibus expedit universis: quod vir religiosus frater *Seueridus,* abbas monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gran,* et frater *Nicolaus cantor* conventus eiusdem monasterii, nomine proprio et vice, ac nomine dicte ecclesie ac conventus parte ab una, item nobilis vir Nicolaus, filius comitis *Ywanka de Sary,* parte ex altera, ad nostram accedentes personaliter presenciam, idem dominus abbas et Nicolaus cantor, quandam particulam terre ipsorum, cum pratis et silvis ad unum aratrum regalis mensure sufficientem, intra metas dicte possessionis Sary ipsius Nicolai contentam, similiter Sary vocatam, cum omnibus suis utilitatibus dicto Nicolao, filio comitis Ywanka, per spacium decem annorum datarum presencium, locaverunt et *y*miserunt (sic!) ad utendum, tenendum et fructus eiusdem percipiendum, sine tamen gravi, ac notabili lesione silve, sub tali pacto: quod dictus Nicolaus, racione percepcionis utilitatum terre, prati et silve eorumdem, in singulis festivitatibus beati Michaelis archangeli in autumpno 29. Sept. successivis, domino abbati et conventui eiusdem tenebitur dare et solvere, in dicto monasterio sancti Benedicti, singulas sex pensas denariorum, latorum Wyenensium, sine crastinacione; et super huiusmodi solucione litteras expeditorias eiusdem conventus obtinere; quam quidem solucionem crastinaret in pena dupli conviceretur ipso facto. Et si ipsam principalem pecuniam, cum pena dupli predicta, usque quindenas festi predicti beati Michaelis, domino abbati et conventui predictis, coram nobis vel homine nostro ad hoc specialiter transmittendo, contumaciter solvere non curaret, extunc in regali birsagio, contra dictos dominum abbatem et conventum, coram quovis iudice convinceretur eo facto. Idem quoque Nicolaus, similiter coram nobis assumpsit spontanee, quod vellet ipsam particulam terre abbatis et conventus predictorum, certis et iustis metis distinguere a suis et aliorum cometaneorum terris, et distinctam post predictos decem annos ipsis et suo monasterio reassignare; quod si facere neglienter (sic!) obmitteret, in decem marcarum absque porcione cuiuslibet iudicis obligavit se similiter remansisse ante litis ingressum, sine remis- 13. Oct.

sione deponendis. Datum, in festo beate Margarete virginis, anno Domini M° ccc° xxx° viii°.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv, Lad. 11. fasc. 1. nr. 1.

459.

1338. Esztergom. 22. Jul. — Chanadinus archiepiscopus Strigoniensis, iure metropol. confirmat literas Meskonis, episcopi Vesprimiensis, ad preces Nicolai archiepiscopi Agriensis, super parochia in Dörögd et capella in Alsó-Dörögd, concessas.

Ed Theiner: Mon. Hist. Hung. T. I. p. 750.

460.

1338. (Zobor.) 22. Aug. — Conventus de Zobor, Carolo I. regi rescribit, quod Michael, filius de Bors, non obstante prohibitione, molendinum in fluvio Gron, in destructionem molendini monasterii s. Benedicti de iuxta Gron aedificare inceptum, in aedificando complere festinaret.

Ed. Cod. Andegav. T. III. p. 480.

461.

1338. Visegrád. 24. Aug. — Comes Paulus, judex curiae regiae, litem quoad metas possessionum Tornyos, Csandal, Völk et Sáp, inter capitulum Poson. ac comitem Pomsam, amicabiliter compositam esse, perhibet.

Nos comes *Paulus,* iudex curie domini regis, memorie commendantes tenore presencium, quibus expedit significamus universis: quod cum honorabiles viri dominus *Michael prepositus* et capitulum ecclesie *Posoniensis,* comitem *Pomsam* et Johannem filium eiusdem, nobiles de *Saap,* iuxta continenciam litterarum *capituli* ecclesie *Jauriensis* citatoriarum, legittima citacione prehabita, racione cuiusdam contradictorie inhibicionis super quibusdam metis et metarum cursibus possessionum dicte ecclesie Posoniensis *Turnus, Chandal* et *Wylk* vocatarum, et possessionis, dictorum Pomsa ac Johannis filii eiusdem, *Saap* vocate, per eosdem facte, ad octavas festi Penthecostes anno Domini M° ccc^mo^ xxx^mo^ septimo preteritas, in regiam presenciam in causam attraxissent, et ipsa causa diucius coram nobis ventilata, demum ad presentem vicesimum secundum diem festi beati Jacobi apostoli devenisset. Tandem ipso termino occurrente, magistro *Thoma canonico* eiusdem ecclesie *Posoniensis* et domino *Martino preposito* ecclesie *Dymisiensis,* pro eisdem domino Michaele preposito et capitulo Posoniensi, cum procuratoriis litteris eorumdem sufficientibus ab una; item predicto Johanne filio Pomsa pro se personaliter, et pro iam dicto Pomsa patre suo, cum procuratoriis litteris *capituli Jauriensis* parte ab altera, coram nobis constitutis, propositum extitit per eosdem communiter et relatum viva voce: quod ipsi ex nostra iudiciaria permissione, *annuente pacis actore,* componentibusque probis viris, litibus omnibus, racione premissorum usque nunc inter ipsos exortis et oriri debentibus, sopitis et sedatis, predictas possessiones eorum perpetuo concordiali habitu, metarum cursibus et distinccionibus infra declarandis et perpetuo duraturis, ab invicem separassent, separarunt et distinxerunt, coram nobis: quod ubi finitur terra *Zunchz,* que esset

1337. 15. Jun. 1338. 15. Aug.

contigua terre dicte ecclesie Posoniensis, *Chandal* vocate, ibi sunt tres mete, quarum una a parte occidentis distingit ipsam terram Pomsa, alia vero terram Zunchz, sed tercia terram Chandal ad ecclesiam Posoniensem pertinentem; inde procedendo versus plagam occidentalem, pervenitur ad unam metam, eandem terram ecclesie Posoniensis, ab ipsa terra *Saap* separantem; dehinc procedendo similiter est iterum una meta antiqua, sicut prius, que distingit ut prior; ulterius parum procedendo similiter est iterum una nova meta; dehinc procedendo ulterius, similiter versus occidentem, pervenitur ad quandam salicem, sub qua sunt due mete nove, separantes terram Saap et terram ecclesie Posoniensis Chandal; dehinc girando versus meridiem, super aquam *Kengeler* vocatam, prope quam aquam sunt due mete; illinc transit ipsam aquam Kengeler, in insulam *Kerekzygeth* vocatam, in cuius quidem insule littore, scilicet a parte aque magne, sunt due mete nove, separantes terram ad ipsam possessionem ecclesie Posoniensis Chandal pertinentem, a terris ad ipsam possessionem Saap pertinentibus. Ibique cursus metarum prefate terre ecclesie Posoniensis terminantur; ita tamen, quod latitudo dicte insule Kerekzygeth nunc, ab uno littore suo usque ad duas metas ultimas in secundo littore erectas, continet quinquaginta brachia, regali mensura mensurata, quas quidem duas metas, si successu temporis aut aliqualem partem ipsius insule eiusdem Posoniensis ecclesie meta includi debitam, aque fluctibus destrui contingeret, eo non obstante pro terra, per aquam destructa vel destruenda, aquam ipsam eadem ecclesia Posoniensis possidebit mensura cum predicta. Ita, quod omnes et quelibet premisse mete, a prima meta incipiens, per premissum ordinem usque ad finalem metam pergendo, ad partem sinistram dicte ecclesie Posoniensis, ad partem vero dexteram et ad meridiem, dictis Pomsa et filio suo distingerent et separarent. Mete autem, quibus possessio ipsius ecclesie Posoniensis *Wylk,* ab eadem possessione *Saap* semovetur, hoc ordine distinguntur: quod sunt sub duabus arboribus populi tres mete antique et una nova, quarum una terram Saap superiorem, alia vero ipsam Saap terram Pomsa et Johannis, tercia terram ecclesie Posoniensis Wylk, quarta autem meta terram *Dama,* filii Michaelis de Wylk separant et seiungunt; inde procedendo versus orientem est una nova meta; ulterius parum similiter eundo est iterum una; item similiter eundo ultra parum sunt due mete, que omnes separant terram Wylk dicte ecclesie Posoniensis, ab eadem terra Saap Pomsa et Johannis predictorum; inde versus meridiem super ipsum magnum fluvium venit, *Chollou* vocatum, in cuius littore sunt due nove mete, separantes ut prius; et ibi transit ipsum fluvium ad alias metas eiusdem terre Wylk ecclesie Posoniensis, et sic inter ipsas possessiones Saap et Wylk cursus metarum terminantur. Nos siquidem premissas metas iam nominatarum possessionum, per easdem partes modo pretacto nobis expressas, et per easdem ad nostram ternariam requisicionem iudiciariam perpetuo observare et in nullo retractare velle assumptas, presentibus litteris nostris patentibus, sigillo nostro autentico roboratis, ad peticionem parcium perpetuo durari commisimus, iudicaria autoritate mediante. Datum, in *Vissegrad,* decimo die vicesimi secundi diei beati Jacobi apostoli prenotati, anno Domini M° ccc^mo^ xxx^mo^ octavo.

Sigillum, in scuto aquilam alis extensis petrae insidentem exhibens, tergo est appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa D. fasc. 9. nr. 77.

462.

1338. — 2. Sept. — Magistratus comitatus Hontensis, Sebe et filios Andreae de Turu, ab usu et perceptione possessionum ecclesiae de Ságh, prohibuisse perhibet.

Ed. Cod. Andegav. T. III. p. 487.

463.

1338. (Zobor.) 11. Sept. Conventus de Zobor, Carolo I. regi relationem dat de inquisitione in Kistapolcsány, contra nobiles de eadem peracta, ratione factorum potentionalium, per eosdem nobiles, contra jobagiones in possessione Knesics, monasterii s. Benedicti de juxta Grón, patratorum.

Ed. Cod. Andegav. T. III. p. 494 et sq.

464.

1338. Visegrád. 12. Sept. — Carolus I. rex, conventui de Ságh mandat, ut Thomam vajvodam Transilvanum, ab usu possessionis Andreae de Keszi, prohibeat.

Tenorem vide sub nr. 469.

465.

1338. — — Episcopi Hungariae, gravi regis Caroli I. iugo pressi, fuse quaerelas suas describentes, libertatis suae tuendae gratia, ad Benedictum PP. XII. recurrunt.

Ed. e Tabul. Vaticano Fraknói: Oklevéltár a m. kir. kegyúrijog tört. p. 1—4. — In extract. Raynald: Annales Ecclesiast. a. 1338. nr. XXII—XXIII. — Fejér Cod. Dipl. VIII.[4] p. 321—324.

466.

1338. Avignon. 20. Sept. — Benedictus PP. XII., Carolum I. regem rogat, eidem scripta episcoporum Hungariae submittens, ut a damnosis gravaminibus, ecclesiis et ecclesiasticis personis illatis, pro futuro abstineat.

Ed. Fraknói l. c., Raynald sub nr. XXIV. Fejér: VIII.[4] p. 334 et sq.

467.

1338. (Esztergom.) 21. Sept. — Capitulum Strigoniense, Petrum prepositum S. Thomae Strigon., Joanni praeposito Scepusiensi et canonico Strigoniensi, curiam suam viginti marcis vendidisse testatur.

Nos *capitulum* ecclesie *Strigoniensis,* memorie commendantes, significamus, quibus expedit universis, presencium per tenorem; quod honorabilis vir et discretus dominus *Petrus, prepositus* ecclesie sancti Thome martiris *de promontorio Strigoniensi,* vicariusque venerabilis in Christo patris, domini *Chanadini,* Dei et apostolica gracia *archiepiscopi* Strigoniensis, eiusdemque loci comitis perpetui, in spiritualibus generalis, domini et prelati nostri reverendi, propria in persona in nostri presencia asseruit nobis et in hunc modum est confessus: quod curiam suam, sub castro Strigoniensi a parte orientali sitam, cum celario et aliis edifficiis, in ipsa existentibus universis, vendidisset honorabili viro, domino *Johanni, preposito Scepusiensi,* nostro concanonico, cuius vice et nomine Gallus, suus famulus, coram nobis comparuit specialis, pro viginti marcis, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam pariter et habendam. Quas quidem

viginti marcas idem dominus Petrus prepositus, per prefatum Gallum, vice persone eiusdem domini sui *partim in florenis, partim in argento,* sibi fore persolutas nobis asseruit et affirmavit. Preterea predictus dominus Petrus prepositus, dedit et concessit prefato domino Johanni preposito, tam in vita, quam in morte, predictam curiam cum celario et aliis edifficiis, in ipsa existentibus et construendis, vendendi, donandi, legandi et disponendi liberam facultatem. In cuius rei testimonium presentes duximus concedendas, nostri pendentis sigilli munimine roboratas. Datum, in festo beati Mathie apostoli et ewangeliste, anno Domini Myllesimo ccc xxx octavo.

Sigillum minus e zona membr. pendet. — Orig. in Arch. Capit. Scepus. Priv. Scrin. 2. fasc. 7. nr. 28.

468.

1338. (Esztergom.) 27. Sept. — Capitulum Strigon., Carolo I. regi, seriem inquisitionis pro monasterio s. Benedicti, in particula terrae Kovácsi peractae, rescribit.

Excellentissimo domino suo K.(arolo), *D*ei gracia illustri regi Hungarie, *capitulum* ecclesie *Strigoniensis,* oraciones in Domino debitas et devotas. Excellencie vestre declaramus per presentes, quod receptis litteris vestre celsitudinis, per religiosum virum fratrem *Mychaelem,* ordinis sancti Benedicti, de Sancto Benedicto *de iuxta Goron,* nobis exhibitis, generales citaciones, inquisiciones et alios processus, qui secundum regni consuetudinem fieri consueverunt, continentibus, cum Petheu, filio Anda de *Thayna,* homine vestro, Michaelem sacerdotem de choro nostro, iuxta vestrum mandatum hominem nostrum, ad inquisicionem subscriptam faciendam misissemus pro testimonio. Idem Petheu homo vester (expunct.: m) cum predicto homine nostro, tandem ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt eo modo: quod, feria sexta proxima ante festum beati Michaelis archangeli, in comitatu Borsyensi, a nobilibus et ignobilibus et specialiter vicinis et commetaneis ville predicti monasterii, *Kouachy* vocate, a quibus resciri debuit et potuit diligenter requirendo, talem de infrascripta inquisicione scivissent veritatem: quod universi hospites de villa *Nemchen,* olym iussu Petri, fratris Bors, domini ipsorum, unam de principalibus metis prefati monasterii sancti Benedicti, subfodiendo ac perarando destruxissent et magnam terre quantitatem, intra eandem metam habitam, ad supradictam villam *Kouachy* pertinentem, per eundem Petrum excisam et abstractam, et ipsi ville *Nemchen* anexam, tempore ipsius Petri domini ipsorum usi extitissent, et post obitum (expunct.: ipsius) eiusdem magis magis sulkando, silvasque precidendo sibi de antedicta terra monasterii attraxissent et attractam indebite et contra legittimam prohybicionem, prenotati domini Syffridi abbatis et sui conventus, occupassent et occupatam detinerent, fructus et utilitates eiusdem universas percipiendo, in preiudicium memorati domini Syffridi abbatis et et (sic!) sui conventus, ipsorumque monasterii non modicum et gravamen. Datum, die dominica proxima ante festum beati Michaelis archangeli supradictum, anno Domini M^mo^ CCC^mo^ XXX^mo^ octavo.

1338. 25. Sept.

Extus: Domino regi pro domino Syffrido abbate monasterii sancti Benedicti et suo conventu, contra populos de Nemchem, super quadam parte terre inquisicio. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 2. fasc. 1. nr. 14.

469.

1338. (Ipolyság.) 2. Oct. — Conventus de Ságh, Thomam voyvodam et jobagiones suos, ab usu indebito possessionis Kalade, prohibitos esse rescribit.

Excelentissimo domino suo domino *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, Stephanus prepositus et conventus, fratrum ordinis Premonstratensium, monasterii Beate Virginis Marie *de Saag,* oracionum suffragia devotarum. Litteras vestre excelencie honore quo decuit recepimus, in hec verba:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis conventui de Saag, salutem et graciam. Dicitur nobis in persona Adree, filii Kese conquerendo, quod magnificus vir *Thomas* voyuoda Transsiluanus et comes de Zonuk, universos usus et utilitates cuiusdam possessionis eiusdem Andree, *Kalde* (sic!) vocate, in comitatu Hunthensi habite, contra voluntatem suam et permissionem, per iobagiones suos de Patak et alios ad se pertinentes, uti facerent incessanter; in cuius flumine, *Ipol* vocato, molendinum ex novo edificare fecisset et construi in grande preiudicium eiusdem Andree et gravamen. Super quo fidelitati vestre precipientes mandamus, quatenus cum Johanne de *Lack,* vel Laurencio de *Chytar,* altero absente homine nostro, vestrum *y*doneum testimonium transmittatis, qui ad faciem dicte possessionis *Kalade* accedendo, vicinis et commetaneis eiusdem legitime convocatis et presentibus, proh*y*beat eundem Thomam woyuodam et universos ad eundem pertinentes, ab ulteriori indebita et violenta usu fructuum dicte possessionis percepcione, et ne eciam ipsum molendinum, sic indebite in dictam possessionem constructum, ultra molari faciant, verbo nostre regie maiestatis; tandemque seriem dicte proh*y*bicionis nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Wyssegrad,* sabbato proximo ante festum Exaltacionis Sancte Crucis, anno Domini M^mo^ ccc^mo^ xxx^mo^ octavo. 1338. 12. Sept.

Nos igitur, preceptis et mandatis vestris in omnibus obedire volentes, ut tenemur, cum Laurencio de Chytar, homine vestro nostrum misimus hominem fide dignum pro testimonio, ad premissam execucionem faciendam. Qui demum ad nos reversi, *y*dem homo vestre excelencie, in presencia hominis nostri, nobis affirmavit: quod, feria tercia proxima post quindenas festi Exaltacionis Sancte Crucis, predictus homo vester, in presencia nostri testimonii, predictum Thomam woyuodam et universos iobagiones ipsius in possessione Patak, et in aliis possessionibus eiusdem, in vicinatu (sic!) possessionis eiusdem Andree, filii Kese, Kalade vocate, commorantes et existentes, et a construccione et edificacione molendini ex novo in fluvio Ipul, ad ipsum Andream pertinentem, nec non ab usu et percepcione omnium utilitatem possessionis ipsius Andree prenotati, proh*y*buisset et interdixisset sepedictus homo vestre excelencie, coram nostro testimonio, per nos illuc destinato. Datum, feria sexta proxima post quindenas festi Exaltacionis Sancte Crucis prenotati, anno Domini M^mo^ ccc^mo^ xxx^mo^ octavo ut supra. 1338. 29. Sept.

Extus: Excelentissimo domino suo, domino K.[arolo] Dei gracia illustri regi Hungarie, pro Andrea filio Kese de Kalade, contra magnificum virum Thomam woyuodam Transsiluanum et universos iobagiones eiusdem de Patak et de aliis possessionibus suis, super predicta possessione Kalade proh*y*bicionalis. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. F. nr. 8.

470.

1338. (Veszprém.) 2. Oct. — Andreas de Keszi, Thomam vaivodam, ab indebita perceptione possessionis suae Kalade, coram capitulo Vesprimiense, protestando prohibet.

Nos *capitulum* ecclesie *Wesprimiensis,* dámus pro memoria: quod *Andreas,* filius Kese, ad nostram personaliter accedens presencium, extitit protestatus: quod magnificus vir Thomas woyuoda Transiluanus et comes de Zonuk, universos usus et utilitates cuiusdam possessionis sue *Kalade* vocate, in comitatu Huntensi existentis, per iobagiones suos de *Patak,* et alios ad se pertinentes, contra voluntatem suam, non ex sua permissione, sed in suum preiudicium et gravamen, uti faceret et in flumine eiusdem *possessionis Ipol* vocato, molendinum ex novo fecisset edificari, in suum grande preiudicium atque gravamen. Unde idem Andreas, predictum dominum woyuodam et ad ipsum pertinentes, ab usu et occupacione indebita, ac violenta percepcione utilitatis dicte possessionis sue, et a dicti molendini edificacione, protestando prohibuit coram nobis. Datum, feria sexta proxima post festum beati Michaelis archangeli, anno Domini M^{mo} ccc^{mo} xxx^{mo} octavo.

Extus: Protestacionalis et prohibitoria pro Andrea filio Kese, contra dominum Thomam woyuodam. — Sigillum margini fuit appressum. — Origin. chart., in Arch. Primat. Secul. Lad. F. fasc. 1. nr. 9.

471.

1338. (Nyitra.) 2. Oct. — Capitulum Nitriense, super destructione metarum possessionis Kovácsi, facta inquisitione, rescribit.

Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie illustri, domino suo, *capitulum* ecclesie *Nitriensis,* oraciones in Domino assiduas et devotas. Litteris vestre excellencie generalibus, pro domino *Syffrido abbate,* monasterii sancti Benedicti de *iuxta Goron* et suo conventu nobis directas, citaciones, inquisiciones et alios processus, iuxta regni consuetudinem continentibus reverenter receptis, cum Mychaele de *Hynd,* homine vestro, *Georgium sacerdotem* chori nostri prebendarium, iuxta vestrum mandatum hominem nostrum ad inquisicionem subscriptam faciendum misissemus pro testimonio. Idem Michael homo vester, cum predicto homine nostro, tandem ad nos reversi nobis concorditer retulerunt eo modo: quod, feria sexta proxima ante festum beati Michaelis archangeli, in comitatu Borsyensi, a nobilibus et ignobilibus et ignobilibus (sic bis!), et specialiter vicinis et commetaneis ville predicti monasterii, *Kouachy* vocate, a quibus resciri debuit et potuit diligenter requirendo, talem de infrascripta inquisicione scivissent veritatem: quod universi hospites de villa *Nemchen,* olym iussu Petri, fratris Bors, domini ipsorum, unam de principalibus metis prefati monasterii sancti Benedicti subfodiendo ac perarando destruxissent et magnam terre quantitatem, intra eandem habitam, ad supradictam villam Koachy pertinentem, per eundem Petrum excisam et abstractam et ipsi ville Nemchen anexam, tempore ipsius Petri domini ipsorum usi extitissent; et post obitum eiusdem, magis ac magis sulkando, silvasque precidendo, sibi de antedicta terra monasterii attraxissent et attractam indebite et contra legittimam prohibicionem, prenotati domini Syffridi abbatis

1338. 25. Sept.

et sui conventus, occupassent et occupatam detinerent, fructus et utilitates eiusdem universas percipiendo, in preiudicium memorati domini Syffridi abbatis et sui conventus, ipsorumque monasterii non modicum et gravamen. Datum, sexta feria proxima post predictum festum beati Michaelis archangeli, anno Domini M^mo ccc^mo xxx^mo octavo.

Extus: Excellentissimo domino suo *Karolo*, Dei gracia regi Hungarie, pro domino *Syffrido* abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta *Goron* et suo conventu, contra populos de *Nemchen*, super quadam parte terre per ipsos occupate inquisicio. — Sigillum margini erat appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 2. fasc. 1. nr. 10.

472.

1338. (Zobor.) 3. Oct. — Conventus de Zobor Carolo I. regi, seriem inquisitionis in Kovácsi, contra jobagiones de Nemcsény peractae, rescribit.

Excellentissimo domino *Karolo*, Dei gracia regi Hungarie, domino suo illustri, *conventus* monasterii beati Ipoliti martiris de [*Zub*]*ur*, oraciones in Domino continuas et devotas. Litteris vestre excellencie generalibus, pro domino *Syffrido abbate* monasterii sancti Benedicti de *iuxta Goron* et suo conventu nobis directis, citaciones, inquisiciones et alios processus, iuxta regni consuetudinem continentibus, reverenter receptis, cum Salomone de *Hynd*, homine vestro, fratrem *Laurencium sacerdotem*, unum ex nobis, iuxta vestrum mandatum hominem nostrum, ad inquisicionem subscriptam faciendam misissemus pro testimonio. Idem Salomon homo vester, cum predicto homine nostro, tandem ad nos reversi nobis concorditer retulerunt eo modo: quod feria sexta proxima ante festum beati Michaelis archangeli, in comitatu Borsiensi, a nobilibus et ignobilibus, et specialiter vicinis et commetaneis ville predicti monasterii, *Kouachy* vocate, a quibus resciri debuit et potuit diligenter requirendo, talem de infrascripta inquisicione scivissent veritatem: quod universi hospites de villa *Nemchen*, olym iussu Petri, fratris Bors, domini ipsorum, unam de principalibus metis prefati monasterii sancti Benedicti subfodiendo ac perarando destruxissent, et magnam terre quantitatem, intra eandem metam habitam, ad supradictam villam Kouachy pertinentem, per eundem Petrum excisam et (expunct.: ex) abstractam et ipsi ville Nemchen annexam, tempore ipsius Petri domini ipsorum usi extitissent, et post obitum eiusdem magis ac magis sulkando (expunct.: quod) silvasque precidendo, sibi de antedicta terra monasterii attraxissent et attractam indebite et contra legittimam prohibicionem, prenotati domini Syffridi abbatis et sui conventus, occupassent et occupatam detinerent fructus et utilitates eiusdem (expunct.: per) universas percipiendo, in preiudicium memorati domini Syffridi abbatis et sui conventus, ipsorumque monasterii non modicum et gravamen. Datum, sabbato proximo post dictum festum beati Michaelis archangeli, anno Domini M^mo ccc^mo xxx^mo octavo.

1338. 25. Sept.

Extus: Excellentissimo domino suo *Karolo*, Dei gracia regi Hungarie, pro domino *Syffrido* abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Goron et suo conventu, contra universos populos et hospites de villa Nemchen, super quadam parte terre ad monasterium sancti Benedicti predictum pertinente et per ipsos occupate inquisicionalis. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 2. fasc. 1. nr. 12.

473.

1338. Visegrád. 6. Oct. — Carolus I. rex, capitulum Posoniense et magistrum Sebus de Bazin, causas tam possessionarias, quam alias se se invicem motas, amicabili proborum virorum compositione interveniente, coram homine capituli Jauriensis, componendas promississe testatur.

Ed. Cod. Andegav. T. III. p. 512.

474.

1338. (Győr.) 10. Oct. — Andreas de Keszi, coram capitulo Jaurinensi, Thomam vayvodam ab retentione possessionis suae, Kalade vocatae, protestando prohibet.

Nos *capitulum Jauriensis* ecclesie, damus pro memoria: quod Andreas, filius Kese, de possessione *Kalade,* comitatus Huntensis, coram nobis personaliter constitutus, per modum protestacionis nobis significare curavit: quod magnificus vir Thomas woyuoda Transsyluanus et comes de Zounuk, predictam possessionem suam, Kalade nominatam, in grande preiudicium ipsius non modicum et gravamen, potencialiter pro se occupasset et detineret occupatam, et omnes usus et utilitates predicte possessionis Kalade, per iobagiones suos de *Patak* et alios ad se pertinentes uti faceret incensanter; et in flumine *Ypul* nominato, in dicta possessione *Kalade,* molendinum ex novo edificari et construi in maius preiudicium, contra legitimas prohibiciones suas, procurasset; cuius quidem possessionis sue occupacioni et edificacioni molendini sepedicti contradixit prohibendo et prohibuit contradicendo coram nobis, asserens dictam possessionem Kalade hereditarii iuris titulo ad se immediate pertinere; super qua quidem protestacione seu prohibicione, litteras nostras testimoniales a nobis sibi dari postulavit, quas eidem duximus concedendas iusticia requirente. Datum, sabbato proximo post festum beati Dyonisi martiris, anno Domini Millesimo ccc° tricesimo octavo.

Extus: Pro Andrea filio Kese, contra Thomam woyuodam Transsiluanum, super facto possessionis Kalade protestatoria, seu prohibicionalis. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. F. fasc. 1. nr. 10.

475.

1338. Hidvég. 28. Oct. — Magistratus comitatus Hontensis, hospites et jobagiones capituli Strigon. de Szebellèb et Nemcsény, ius habere latrones per se iudicare posse, fatentur.

Nos magister *Nicholaus,* comes *Huntensis,* Stephanus filius *Lipto,* Johannes filius Michaelis, Johachinus et Gregorius, iudices quatuor nobilium eiusdem comitatus, tenore presencium, quibus expedit universis significamus, memorie commendantes: quod cum furum, latrorum et quorumlibet malefactorum, in predicto comitatu Huntensi, sicut et in aliis comitatibus iudicatus, suspensiones et quelibet alie puniciones, sedi iudiciarie ipsius comitatus pertinere dignoscantur, discretos viros *capitulum* ecclesie *Strigoniensis,* necnon hospites de *Schebleb* et de *Nemti,* iobagiones eorumdem, eisdem ad statuendum committendo, prout iuris est, et regni requirit consuetudo, pro eo videlicet, quod idem hospites de Schebleb et de Nemti, Thomam, filium *Thet,* latronem legistratum detinuerant, et secundum formam iuris ipsorum suspenderant, quod quidem factum dicte

sedi Huntensi preiudicare videbatur, citari fecissemus et contra eosdem iuris ordine procedere voluissemus; tandem idem discreti viri, capitulum ecclesie Strigoniensis, quoddam privilegium regis *Ladislai,* felicis recordacionis, nobis exhibuerunt, quo viso et perlecto, eosdem dominos de dicto capitulo Strigoniensi, necnon eorum iobagiones supradictos, super re premissa, eoque propter efficaciam dicti privilegii pro huiusmodi facto ius procedendi contra ipsos non habeamus, liberos reddidimus et expeditos, dicte accioni nostre penitus renunciando. Datum, in *Hydueg,* feria quarta in festo videlicet apostolorum Symonis et Jude, anno Domini M ccc xxxvm.

Extus: Libertas capituli Strigoniensis, quod iobagiones eorum, in comitatu Hontensi, latrones possunt per se iudicare. — Sigilla tergo fuerunt appressa. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 47. fasc. 1. nr. 11.

476.

1338. (Nyitra.) 30. Oct. — Capitulum Nitriense Margaretham viduam, Petro de Csehi, partem possessionis pro dote retentam, decem marcis cesisse testatur.

Nos *capitulum* ecclesie *Nitriensis,* significamus quibus expedit universis, presencium per tenorem; quod nobilis domina *Margareta,* relicta Lodomerii de *Chehy,* filia Andree quondam de *Harabur* ab una parte; item *Petrus,* filius Johannis de eadem Chehy, una cum comite Nicolao, filio Mathie de *Elephant* proximo suo ex altera, coram nobis personaliter constituti; propositum extitit per ipsam dominam in hunc modum: quod probis viris componentibus, cum eodem Petro, filio Johannis, super dote sua et rebus parafarnalibus sibi debitis, ex parte possessionarie porcionis eiusdem Lodomerii maritis sui in eadem Chehy, iure hereditario et successionis dicto Johanni devolute, concordasset plenarie, et in nostri presencia concordavit, deveniendo ad plene pacis unionem, tali videlicet modo: quod dictus Petrus, domine prefate glori sue, decem marcas denariorum V*y*ennensium, quamlibet marcam cum decem pensis computando, ab eodem comite Nicolao, filio Mathie, proximo suo mutuo receptas, in instanti pro iam dicta dote sua et rebus parafarnalibus suis supradictis dedit, assignavit et persolvit coram nobis recipienti et benivolo acceptanti; eundemque Petrum et suos heredes eadem domina, super dote et rebus parafarnalibus predictis, reddendo perpetuo expeditos; dictus vero Petrus partem possessionariam, de porcione prefati Lodomerii, predicte domine glori sue, per probos viros pro eadem dote sua, aliis nostris litteris mediantibus usque satisfaccionem ad utendum et eius utilitates percipiendum olim ordinatam et dispositam, prefato comiti Nicolao pro supradictis decem marcis, ab eodem receptis, pignori obligavit similiter coram nobis, tam diu, donec facultas suppetat redimendi, absque gravamine aliquali ab eodem; medio vero tempore idem comes Nicolaus eandem porcionem possessionis, sibi modo premisso inpignoratam, possidebit et eius utilitates percipere habebit, que in numerum et sortem dicte principalis pecunie, decem marcarum, minime computari tenebuntur. Datum, feria sexta proxima ante festum Omnium Sanctorum, anno Domino M° ccc^mo^ xxx^mo^ octavo.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 22. fasc. 1. nr. 3.

477.

1338. Visegrád. 15. Nov. — Paulus, judex curiae regiae, conventum Cruciferorum de Strigonio rogat, ut possessionem archieppalem Örs, a possessione Man metis distinguet.

[Amicis suis] *conventui cruciferorum,* ecclesie sancti regis Stephani *de Strigonio,* comes *Paulus,* iudex curie domini regis, debite amicice et honoris incrementum. Vestre amicicie presencium serie declaramus: quod magister *Thomas archydiaconus de Zonuk,* pro venerabili in Christo patre, domino *Chanadino,* archyepiscopo Strigoniensi, locique eiusdem comite perpetuo, cum procuratoriis litteris *capituli Strigoniensis,* iuxta continenciam priarum litterarum, nostrarum, in octavis festivitatis Omnium Sanctorum, ad nostram accedendo presenciam, contra Petrum, filium Ladyslai, et Ladizlaum, filium Johannis *de Man,* in figura nostri iudicii proposuit eo modo: quod cum idem dominus archyepiscopus, per hominem domini regis, sub testimonio vestro, quandam possessionem archyepiscopalem, *Wrs* vocatam, in comitatu *Strigoniensi* existentem, in festo beatorum Phylippi et Jacobi apostolorum nunc preterito, per suas veras et antiquas metas reambulari et novas metas iuxta veteres erigi facere voluisset, predicti Petrus, filius Ladyslai, et Ladislaus, filius Johannis, in ereccione ipsarum metarum contradictores extitissent, et ibidem idem Thomas archydiaconus procurator ipsius domini archyepiscopi, quasdam litteras privilegiales serenissimi principis domini *Bele,* olym incliti regis Hungarie laudande recordacionis, anno Domini M° ducentesimo quadragesimo nono et vestras anno tunc inmediate sequenti confectas demonstravit, quarum series nos informabat eo modo, quod ipse dominus *Bela* rex, in predicta possessione seu villa sua, Wrs vocata, in comitatu Strigoniensi existenti, decem et septem condicionarios, quorum nomina in eisdem continentur et quorum omnium terra, tam petrosa, quam silvosa, ac eciam arabilis, ad viginti aratra computari possit, venerabili in Christo patri, domino *Stephano, tunc archyepiscopo Strigoniensi,* in concambium terre archyepiscopalis in possessione *Sceun* vocata, in comitatu *Kamaruniensi* existentis, perpetuo contulisset; et demum per hominem suum sub testimonio vestro, eandem possessionem Wrs, vicinis et commetaneis suis universis convocatis, sub metis in predictis litteris vestris privilegialibus seriatim contentis, eidem domino archyepiscopo Strigoniensi, nemine contradictore existente, statui fecissent possidendam. Quorum omnium premissorum auditis et perlectis, prefatus Ladislaus, filius Johannis de Man, pro se personaliter et pro eodem Petro, filio Ladyslai, cum procuratoriis litteris domini *Wyllermi Drugeth* palatini, consurgendo respondit e converso: quod in vicinitate dicte possessionis domini archyepiscopi, Wrs vocata, possessio dictorum Petri, filii Ladyslai, et Ladyslai, filii Johannis, hereditaria, *Man,* vocata, adiaceret, et idem dominus archyepiscopus, per premissam reambulacionem, de dicta possessione eorum hereditaria, Man vocata, occupare voluisset et ob hoc fecissent prohibicionem prenotatam. Unde, quia series dicti privilegii vestri, metas dicte archyepiscopalis possessionis, Wrs vocate, in se continebat, ideo amiciciam vestram presentibus petimus diligenter, quatenus mittatis hominem vestrum, pro testimonio fide dignum, quo presente Ladislaus *de Mochola,* vel *Rophoyn,* unus de quatuor iudicibus nobilium

1338. 8. Nov.

1338. 1. Maii.

1249. 19. Mart.

1250. 22. Maii.

comitatus Strigoniensis, altero absente homo domini regis, in die medii quadragesime nunc ventura, scilicet feria quarta, ad faciem dicte possessionis archyepiscopalis, Wrs vocate, vicinis et commetaneis suis convocatis, et partibus vel earum legitimis procuratoribus presentibus, accedet, et ipso privilegio vestro, per ipsum dominum archyepiscopum vel suum procuratorem, in facie eiusdem exhibito, eandem possessionem archyepiscopalem, Wrs vocatam, per metas in ipso vestro privilegio contentas, si inveniri poterunt, reambulet, et iuxta ipsas metas novas erigat et eandem a predicta possessione dictorum Petri, filii Ladyslay et Ladyslai, filii Johannis, Man vocata, distingat ab invicem et separet. Si autem ipse mete, in dicto vestro privilegio contente, in toto vel in parte reperiri non possent, et in aliqua particula per hoc partes discordarent, eandem particulam contenciosam, signis pro metis positis consiguando et regali mensura mensurando estimet, regni consuetudine exigente, et post hec seriem omnium premissorum, cum cursibus metarum, vel estimacione particule terre contenciose, cum posicionibus signorum pro metis positorum, domino regi ad octavum diem ipsius diei medii quadragesime, in vestris litteris rescribatis, ut visa serie premissorum, huic cause finem debitum inponere valeamus, inter partes memoratas. Datum, in *Wyssegrad*, octavo die termini prenotati, anno Domini M° ccc^mo xxx^mo octavo.

1339. 3. Mart.

1339. 10. Mart.

Extus: Amicis suis conventui cruciferorum ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio, pro domino archyepiscopo Strigoniensi, contra Petrum filium Ladyslai et Lad(islaum) filium Johannis, super possessionaria reambulacione in die medii quadragesime, (expunct.: feria) scilicet feria quarta facienda et octavo die ad iudicem. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 69.

478.

1338. Visegrád. 15. Nov. — Comes Paulus, judex curiae regiae, conventum Cruciferorum de Strigonio provocat, ut possessionem archiepiscopalem Örs a possessione Boszteh metis distinguat.

Amicis suis, *conventui cruciferorum*, ecclesie sancti regis Stephani, *de Strigonio*, comes *Paulus iudex* curie domini regis, debite amicicie et honoris incrementum. Vestre amicicie presencium serie declaramus: quod magister *Thomas, archydiaconus de Zonuk*, pro venerabili in Christo patre, domino Chanadino, archyepiscopo Strigoniensi, locique eiusdem comite perpetuo, cum procuratoriis litteris *capituli Strigoniensis*, iuxta continenciam priarum litterarum nostrarum, in [octavis fest]ivitatis Omnium Sanctorum, ad nostram accedendo presenciam, contra Johannem, Paulum et Gregorium, filios Salomonis *de Bozteh*, Lampertum et Ladislaum, filios Dyonisii de eadem, ac *Desk*, filium eiusdem Lamperti, in figura nostri iudicii proposuit eo modo, quod cum idem dominus archyepiscopus, per hominem domini regis sub testimonio vestro, quandam possessionem archyepiscopalem, *Wrs* vocatam, in comitatu Strigoniensi existentem, in festo beatorum Phylippi et Jacobi apostolorum nunc preterito, per suas veras et antiquas metas reambulari et novas metas iuxta veteres erigi facere voluisset, predicti filii Salomonis et filii Dyonisii, ac Desk, filius Lamperti, in ereccione ipsarum metarum contradictores extitissent; et ibidem, idem Thomas archydiaconus, procurator ipsius domini archyepiscopi, quasdam litteras privilegiales serenissimi principis domini

1338. 8. Nov.

1338. 1. Maii.

Bele, olym incliti regis Hungarie, laudande recordacionis, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, et vestras anno tunc immediate sequenti confectas demonstravit, quarum series nos informabat eo modo, quod ipse dominus *Bela* rex in predicta possessione seu villa sua Wrs vocata, in comitatu Strigoniensi existenti, decem et septem condicionarios, quorum nomina in eisdem [contin]entur et quorum omnium terra, tam petrosa, quam silvosa, ac eciam arabilis, ad viginti aratra conputari possit, venerabili in Christo [pat]ri domino *Stephano,* tunc archyepiscopo Strigoniensi, in concambium terre archyepiscopalis in possessione *Sceun* vocata, in comitatu *Kamaruniensi* existentis, perpetuo contulisset, et demum per hominem suum, sub testimonio vestro, eandem possessionem Wrs, vicinis et commetaneis suis universis convocatis, sub metis in predictis litteris vestris privilegialibus seriatim contentis, eidem domino archyepiscopo Strigoniensi, nemine contradictore existente, statui fecisset possidendam. Quorum omnium premissorum auditis et perlectis, Johannes filius Lamperti, pro eisdem filiis Salomonis, et filiis Dyonisii, ac Desk filio Lamperti, cum procuratoriis litteris vestris, consurgendo respondit e converso: quod in vicinitate dicte possessionis domini archyepiscopi, Wrs vocate, possessio dictorum filiorum Salomonis, et filiorum Dyonisii, ac Desk filii Lamperti hereditaria, *Bozteh* vocata, adiaceret, et idem dominus archyepiscopus, per premissam reambulacionem, de dicta possessione eorum hereditaria, Boztek vocata, occupare voluisset et ob hoc fecisset prohibicionem prenotatam. Unde, quia series dicti privilegii vestri metas dicte archyepiscopalis possessionis, Wrs vocate, in se continebat, ideo amiciciam vestram presentibus petimus diligenter, quatenus mittatis hominem vestrum pro testimonio fide dignum, quo presente Ladislaus de *Mochola,* vel *Rophoyn,* unus de quatuor iudicibus nobilium comitatus Strigoniensis, altero absente homo domini regis, in die medii quadragesime nunc venturo, scilicet feria quarta, ad faciem dicte possessionis archyepiscopalis, Wrs vocate, vicinis et commetaneis suis convocatis et partibus, vel earum legitimis procuratoribus presentibus accedat, et ipso privilegio vestro per ipsum dominum archyepiscopum, vel suum procuratorem in facie eiusdem exhibito, eandem possessionem archyepiscopalem, Wrs vocatam, per metas in ipso vestro privilegio contentas, si inveniri poterunt, reambulet; et iuxta ipsas metas novas erigat et eandem a predicta possessione dictorum filiorum Salomonis, et filiorum Dyonisii, ac Desk filii Lamperti, Bozteh vocata, distinguat ab invicem et separet. Si autem ipse mete in dicto vestro privilegio contente, in toto vel in parte reperiri non possent, et in aliqua particula per hoc partes discordarent, eandem particulam contenciosam, signis pro metis positis consigando, et regali mensura mensurando estimet, regni consuetudine exigente. Et post hec seriem omnium premissorum, cum cursibus metarum, vel estimacione particule contenciose, cum posicionibus signorum pro metis positorum, domino regi ad octavum diem ipsius diei medii quadragesime rescribatis, ut visa serie premissorum huic cause finem debitum imponere valeamus, inter partes memoratas. Datum, in *Wyssegrad,* octavo die termini prenotati, anno Domini M° ccc^mo^ xxx° octavo.

1249. 19. Mart. 1250. 22. Maii. 1339. 3. Mart. 1339. 10. Mart.

Extus: Amicis suis conventui cruciferorum ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio, pro domino archyepiscopo Strigoniensi, contra filios Salomonis et filios Dyonisii ac Desk,

super possessionaria reambulacione, in die medii quadragesime, scilicet feria quarta facienda et octavo die ad iudicem. — Sigillum exteriori margini fuit applicatum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 70.

479.

1338. (Győr.) 23. Nov. — Capitulum Jaurinense, amicabilem compositionem, inter capitulum Posoniensem et magistrum Sebus de Bazin attentatam, eodem magistro Sebus nolente arbitrium hominis domini vojvode ratione metarum possessionis Nagycsûrle assumere, irritatam esse, Carolo I. regi rescribit.

Ed. Cod. Andegav. T. III. p. 511.

480.

1338. Visegrád. 29. Nov. — Comes Paulus, judex curiae, contra Colomannum episcopum Jaurinensem et capitulum eius, ob ablatos e clausura regis husones, per capitulum Posoniense inquiri jubet.

Amicis suis, *capitulo* ecclesie *Posoniensis,* comes Paulus, iudex curie domini regis, amiciciam paratam debito cum honore. Noveritis, quod licet dominus noster rex iniurias suas, per quoslibet suos regnicolas et homines intra metas regni existentes, cuiuscunque status et preeminencie existant, sibi illatas, ulcisscendi et sua dampna restaurandi manibus vindicantis habeat facultatem; tamen quia pietatis ductus zelo, ablacionem potencialem sexaginta duorum usonum suorum, in clausura sua wlgariter *Zege* vocata, super possessione Or nominata, constructa, per venerabilem in Christo patrem, dominum Colomannum episcopum, Briccium prepositum et capitulum ecclesie Jauriensis, sicut dicitur, quinta feria proxima ante festum Omnium Sanctorum, anno in presenti factam et habitam, ordine iudiciario nititur prosequi et intendit. Ideo vestram amiciciam presentibus petimus diligenter, quatenus mittatis hominem vestrum, pro testimonio fide dignum, quo presente Omodey, filius Johanni, filii Lothardi, vel Nicolaus dictus Mese, altero absente homo noster, ad faciem dicte possessionis Or vocate, ubi ipsa clausura existit, et alias possessiones sibi vicinantes accedat et ab omnibus, a quibus decens fuerit, palam et occulte diligenter investigando, Deum et eius iusticiam habendo pre oculis, amicicia, favore et falsitate procul positis, diligenti inquisicione prehabita, sciant, videant et inquirant de eo: si idem dominus episcopus, Briccius prepositus et capitulum ecclesie Jauriensis predicto die, aut aliis diebus, anno in presenti, sexaginta duos usones, aut pauciores vel plures, ipsius domini regis, potencialiter abstulerint, vel-ne, omnimodam veritatem. Et post hec seriem premisse inquisicionis nobis in vestris litteris rescribatis. Datum, in *Wyssegrad,* die dominico proximo ante festum beati Andree apostoli, anno Domini M° ccc° xxx^mo octavo.

1338. 29. Oct.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 8. fasc. 1. nr. 3.

481.

1338—1342. — Rationes Galhardi de Carceribus, praepositi eccl. Tituliensis et Petri Gervasii canonici Vivariensis, nunciorum sedis apostolicae ad regna Hungariae et Poloniae desti-

natorum, de pecuniis ratione decimarum sexannalium et beneficiorum vacantium in regno Hungariae collectis.

E cod. Vaticano: Rat. Collect. — Edid. in Monum. Vaticana Ser. I. T. I. Quoad dioec. Strig. p. 411., 427. 429. et 432.

482.

1339. Buda. 8. Jan. — Wilhelmus Drugeth palatinus, possessionem Simánd, haereditario iure ad generationem Chanád pertinentem, ab hominibus de Simand ademptam, Chanadino archiepiscopo Strig. et Dyonisio, filio Pauli, de genere Chanad, adiudicat.

Ed. Cod. Dipl. Com. Zichy T. I. p. 550. et sqq.

483.

1339. Visegrád. 15. Jan. — Comes Paulus, judex curiae regiae, magistrum Denk de Nekcse, cum Dominico, super omnibus iniuriis, mutuo illatis, concordasse testatur.

Nos comes *Paulus,* iudex curie domini regis, memorie commendamus presencium per tenorem: quod magistro *Denk,* filio Nicolai de *Nekche* actore personaliter ab una; Johanne, filio Georgii, et *Phylpus,* pro Dominico filio Nicolai, dicti *Bokou,* cum sufficientibus procuratoriis litteris capituli de *Pasaga,* parte ab altera; coram nobis constitutis, propositum extitit per eosdem et relatem viva voce: quod ipse partes, videlicet magister Denk et Dominicus, habita primo nostra iudiciaria permissione, ac nobilium et proborum virorum composicione interveniente, ut omnis controversionis, ire et discordie fomes de medio ipsorum eradicetur, et eterne pacis unio inter ipsos augmentaretur, super omnibus iniuriis, dampnis, nocumentis, possessionum destruccionibus, lesionibus, wlneracionibus, homicidiis et aliis quibuslibet factis potencialibus, ac iniuriosis faccionibus, tam adhuc inter magistros Demetrium, quondam magistrum thawarnicorum regalium et Alexandrum, fratrem eiusdem, ac prefatum Nicolaum dictum Bakow, et Dominicum filium eiusdem, quod inter eosdem magistrum Denk et Dominicum, filium Nicolai, sive patres ipsorum, usque nunc temporis illatis et exortis, pro quibus materia questionis inter eos mota extitisset, et *in quindenis residencie exercitus regii, ad diem strennarum nunc proclamate,* movebatur et quoquo modo moveri potuisset, taliter concordassent et concordarunt, coram nobis: quod idem Dominicus, filius Nicolai, predicto magistro Denk triginta marcas denariorum, compoti Budensis, omni estimacione exclusa, in duobus terminis, scilicet quindecim marcas ipsarum triginta marcarum in octavis beati Georgii martiris nunc venturis, et alias quindecim marcas in octavis Penthecostes similiter proxime affuturis, solveret coram nobis; penam dupli incurreret, si ipsos terminos insolutos preteriret. Tali obligacione interiecta, quod si qua parcium partem alteram racione cuiusvis facti, per predictos priores ipsorum, aut per se ipsos usque nunc quovis modo illati, et, ut premisimus, sopiti iam et sedati, in causam traheret et contra partem alteram materiam litis suscitaret, extunc talis pars, huiusmodi facere attemptans, in centum marcis, absque iudiciaria porcione, parti pacem observanti, ante litis ingressum persolvendis, convinceretur eo facto; prout idem magister Denk se personaliter, et predicti Johannes ac Phylpus, ipsum Dominicum filium Nicolai, vigore dictarum procuratoriarum litterarum, sponte obligarunt coram nobis. Datum in

1339. 1. Maii.

1339. 23. Maii.

Vissegrad, in quindenis residencie exercitus regii pretaxatis. Anno Domini M° ccc° xxx^mo^ nono.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 1. fasc. 2. nr. 3.

484.

1339. Visegrád. 16. Jan. — Thomas vajvoda Transsilvanus, terminum causae Andreae de Szunyog, contra abbatem S. Benedicti motae, prorogat.

Nos *Thomas woyuoda* Transsiluanus et comes de Zonuk, damus pro memoria: quod causam quam *Andreas,* dictus *Zunug,* filius Petri, qui personaliter astitit, contra fratrem *Sywridum abbatem* monasterii sancti Benedicti de iuxta *Goron,* pro quo assumptor termini comparuit et terminum assumpsit, iuxta continenciam litterarum cytatoriarum *capituli* ecclesie *Waciensis,* in octavis Epiphanie Domini movere habebat coram nobis, propter prioritatem termini, ad octavas beati Georgi martiris nunc venturas, duximus prorogandas, si partes medio tempore non poterunt concordare. Datum, in *Wyssegrad,* quarto die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xxx° nono. 1339. 13. Jan. 1339. 1. Maii.

Extus: Pro fratre Sybrico, (sic!) abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Goron, contra Andream dictum Zunug, filium Petri, ad octavas beati Georgii martiris prorogatoria. — Sigillum exteriori margini, virido cereo fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 5. nr. 14.

485.

1339. Avignon. 18. Jan. — Nicolao de Vissaria, providetur de praepositura Strigoniensi, quam Colomannus episcopus, tempore suae promotionis tenebat.

Ed. Theiner: Mon. Hist. Hung. T. I. p. 630.

486.

1339. Avignon. 29. Jan. — Benedictus PP XII., Paulo dicto Mayor, militi Strigoniensi indulget, ut sepulchrum Dominicum et alia oratoria terrae sanctae, visitare possit.

Ed. Theiner l. c. p. 630.

487.

1339. (Esztergom.) 7. Febr. — Capitulum Strigon. Andream de Csitár, Thomam vajvodam et jobagiones eius de Patak, ab usu possessionis suae Kalada, protestando prohibuisse perhibet.

Nos *capitulum* ecclesie *Strigoniensis,* damus pro memoria quod *Andreas,* filius *Kese* de *Chitar,* nobilis de comitatu *Huntensi,* ad nostram personaliter accedens presenciam, proposuit nobis, et in hunc modum extitit protestatus: quod magnificus vir, *Thomas woyuoda* Transsiluanus et comes de *Zonugk,* universos usus et utilitates cuiusdam possessionis sue, *Kalade* vocate, in comitatu Huntensi habite, contra voluntatem suam et permissionem, per iobagiones suos de *Patak,* et alios ad se pertinentes, uti faceret incessanter; item in fluumine suo *Ipul* vocato, molendinum ex novo edificari fecisset et construi, in grande suum preiudicium et gravamen. Quapropter idem Andreas, coram nobis prohibuit prefatum magnificum virum Thomam woyuodam, et quoslibet alios, ab

ocupacione prefate possessionis Kalade et predicti molendini constructi, et iobagiones eiusdem de Patak et alios ad ipsum pertinentes, ab utilitatum et usuum percepcione possessionis Kalade supradicte. Datum, in dominica Esto michi, anno Domini M° ccc^mo xxx^mo nono.

Extus: Pro Andrea filio Kese de Chitar, contra Thomam woyuodam Transsiluanum, super ocupacione possessionis Kalade et construccione molendini protestatoria et prohibicio facta. — Sigillum margini fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. F. nr. 12.

488.

1339. Avignon. 27. Febr. — Benedictus PP. XII., archiepiscopo Strigoniensi et episcopo Agriensi, ut regis allegationes de detentis ecclesiae Colocensis bonis audiant et sedi apostolicae transmittant, jubet.

Ed. Theiner l. c. T. I. p. 630.

489.

1339. (Esztergom.) 8. Mart. — Conventus Cruciferorum Strigoniens., villam archiepiscopalem Örs, a possessionibus Mán et Bozteh, metis sequestrat.

Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie illustri, *conventus cruciferorum,* domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani *de Strigonio,* oracionum suffragia devotarum. Litteras magnifici viri comitis Pauli, iudicis curie, vestre recepimus in hec verba:

Sequitur tenor literarum Pauli iudicis curiae regis, de anno 1338. 15. Nov., sub. nris 477. et 478. ex ipsis originalibus commun. 1338. 15. Nov.

Nos igitur peticionibus ipsius comitis Pauli annuentes, cum predicto *Raphaele* homine vestro, nostrum misimus hominem pro testimonio fidedignum, videlicet *Nicolaum clericum* chori nostri. Qui negocio bene intenti et ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt: quod, in sepedicta feria quarta iuxta formam litterarum ipsius comitis Pauli, ad faciem memorate possessionis *Wrs* archyepiscopalis, presentibus vicinis et commetaneis suis accessissent et ibidem, exhibito nostro privilegio, iuxta eius continenciam, hoc modo sine omni contradiccione, metas ipsius possessionis reambulassent: quod prima meta inciperet a parte meridionali in quodam plano monticulo, ubi reperissent quatuor metas antiquas, ex quibus duas renovassent; deinde veniendo ad partem occidentalem ad unam viam, iuxta quam reperissent similiter quatuor metas, ex quibus duas renovassent; abhinc flexisset se ad partem dextram ad unam metam, quam renovassent; abhinc per continuas metas renovatas venissent ad partem septemtrionalem, usque ad silvam et in principio silve renovassent duas metas inventas iuxta viam; deinde per unam viam antiquam, in vicinitate possessionis Ladislai, filii Johannis, et Petri, filii Ladyslai, *Maan* dicte, curreret ad eandem partem per metas antiquas simplices et duplicatas, ex quibus plures essent renovate, tenendo metas cum filii Gyleti; et deinde per continuas metas curreret usque ad metas possessionis *Boztheh,* filiorum Salamonis et Dyonisii, ac Desk supradictorum, ubi reperissent iuxta viam predictam duas metas; abhinc reflexissent se ad partem dextram et per metas antiquas, simplices et duplicatas 1339. 3. Mart.

usque ad quandam viam venissent, ubi invenissent duas metas iuxta viam; et exinde progrediendo directe ad eandem partem in vicinitate (expunct: predicte) terre predictorum filiorum Salamonis et aliorum supradictorum nobilium, per continuas metas renovatas veniret ad aliam viam, ubi essent due mete erecte, quarum una separaret possessioni Boztheh et alia separaret ville Vrs; deinde flectendo se per eandem viam, curreret per metas simplices et duplicatas ad partem septemtrionalem et veniret ad unum locum, ubi separaret predictam villam Wrs et dictos filios Salamonis ac Dyonisii, nec non Desk a possessione *ecclesie Wesprimiensis Germen* vocate, ubi erexissent duas metas; et sic mete dicte possessionis Wrs separarentur a possessione Boztheh supradicta. Datum, feria secunda proxima post dominicam Letare, anno Domini M° ccc° xxx^mo nono.

Extus: Excellentissimo domino suo *Karolo*, Dei gracia regi Hungarie illustri, pro domino *Chanadino* archyepiscopo Strigoniensi, super ereccione metarum possessionis Wrs et reambulacione eiusdem, in die medii quadragesime facta. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 71.

490.

1339. Visegrád. 21. Mart. — Comes Paulus, judex curiae regiae, possessionem Őrs, iuxta peractam metarum reambulationem, archiepiscopo Strigoniensi adjudicat.

[N]os comes *Paulus,* iudex curie excellentissimi et magnifici principis, domini *Karoli,* Dei gracia illustris regis Hungarie, memorie commendantes significamus tenore presencium, quibus expedit universis: quod cum inter venerabilem in Christo patrem, dominum *Chanadinum,* Dei et apostolica sedis gracia *archyepiscopum Strigoniensem*, eiusdemque loci comitem perpetuum actorem ab una; ac nobiles viros Johannem, Paulum et Gregorium, filios Salomonis; Lampertum et Ladislaum, filios Dyonisii; Desk, filium eiusdem Lamperti de Bozteh; item Ladizlaum, filium Johannis et Petrum, filium Ladyslai de Man, in causam attractos parte ab altera, racione metarum, possessionem archyepiscopalem, *Wrs* vocatam, in comitatu Strigoniensi existentem, a possessionibus dictorum nobilium *Bozteh* et *Man* vocatis sequestrancium, litigionarie questionis materia coram nobis ventilata, et ad octavas festivitatis Omnium Sanctorum, nunc preteritas, iuxta continenciam litterarum nostrarum memorialium ad peremptoriam responsionem faciendam dilatata extitisset. Tandem ipsis octavis festivitatis Omnium Sanctorum occurrentibus, magister *Thomas archydiaconus de Zonuk,* pro eodem domino archyepiscopo, cum procuratoriis litteris *capituli Strigoniensis,* ad nostram accedendo presenciam, contra eosdem Johannem, Paulum et Gregorium, filios Salomonis; Lampertum et Ladislaum, filios Dyonisii; ac Desk, filium eiusdem Lamperti de Bozteh; item Ladizlaum, filium Johannis et Petrum, filium Ladizlai de Man, in figura nostri iudicii proposuerat eo modo: quod cum idem dominus archyepiscopus, per hominem domini regis, sub testimonio conventus cruciferorum, domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio, quandam possessionem archyepiscopalem, Wrs vocatam, in comitatu Strigoniensi existentem, in festo beatorum Phylippi et Jacobi apostolorum, tunc proxime preterito, per suas veras metas et antiquas reambulari et novas metas iuxta antiquas eregi facere voluisset, predicti filii Salomonis, et filii Dyonisii, Desk filius Lamperti, Ladislaus filius

1338. 8. Nov.

1338. 1. Maii.

Johannis, et Petrus filius Ladyslai, in ereccione ipsarum metarum contradictores extitissent; et ibidem idem Thomas archydiaconus, procurator ipsius domini archyepiscopi, quasdam litteras privilegiales serenissimi principis domini *Bele,* olym incliti regis Hungarie, laudande recordacionis, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo nono, et predicti conventus cruciferorum domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio anno tunc inmediate sequenti confectas demonstrarat, quarum series nos informarat eo modo, quod ipse dominus *Bela* rex, in predicta possessione seu villa sua Wrs vocata, in comitatu Strigoniensi existenti, decem et septem condicionarios, quorum nomina in eisdem continentur et quorum omnium terra, tam petrosa, quam silvosa, ac eciam arabilis, ad viginti aratra computari posset, venerabili in Christo patri domino *Stephano tunc archyepiscopo* Strigoniensi, in concambium terre archyepiscopalis in possessione *Seun* vocata, in comitatu *Kamaruniensi* existentis, perpetuo contulisset; et demum per hominem suum, sub testimonio iam dicti conventus cruciferorum, domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio, eandem possessionem Wrs, vicinis et conmetaneis suis universis convocatis, sub metis in predictis litteris dicti conventus privilegialibus contentis, eidem domino archyepiscopo Strigoniensi, nemine contradictore existente, statui fecisset possidendam. Quibus omnibus premissis auditis et perlectis, Johannes filius Lamperti, pro eisdem filiis Salomonis et filiis Dyonisii, ac Desk filio Lamperti, cum procuratoriis litteris prenominati conventus cruciferorum ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio; item Ladislaus, filius Johannis pro se personaliter, et pro Petro, filio Ladyslai, cum procuratoriis litteris domini *Wyllermi Drugett* palatini, consurgendo responderant e converso: quod in vicinitate dicte possessionis domini archyepiscopi, Wrs vocate, possessio dictorum filiorum Salomonis et filiorum Dyonisii, ac Desk fllii Lamperti, Bozteh vocata, ac possessio dictorum Ladyslai, filii Johannis et Petri, filii Ladyslai, Man vocata, hereditarie adiacerent; idemque dominus archyepiscopus per premissam reambulacionem, de dictis possessionibus eorum hereditariis Bozteh et Man vocatis occupare voluisset, et ob hoc iidem nobiles fecissent prohibicionem prenotatam. Unde, quia series dicti privilegii conventus cruciferorum, ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio, metas dicte archyepiscopalis possessionis, Wrs vocate, in se continebat, ideo predicto conventui cruciferorum, ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio, scripsimus eorum amiciciam postulantes, ut ipsi hominem eorum pro testimonio fide dignum transmitterent, quo presente Ladislaus *de Mochola,* vel Rophayn, unus quatuor iudicum nobilium *comitatus Strigoniensis,* altero absente homo domini regis, in die medii quadragesime, scilicet feria quarta, ad faciem dicte possessionis archyepiscopalis, Wrs vocate, vicinis et commetaneis suis convocatis et partibus vel earum legittimis procuratoribus presentibus, accederet et ipso privilegio prelibati conventus cruciferorum, per ipsum dominum archyepiscopum vel suum procuratorem, in facie eiusdem exhibito, eandem possessionem archyepiscopalem, Wrs vocatam, per metas in ipso privilegio dicti conventus contentas, si inveniri possent, reambularet et iuxta ipsas metas novas erigeret et eandem a predicta possessione dictorum filiorum Salomonis, et filiorum Dyonisii, ac Desk, filii Lamperti, Bozteh vocata; ac a possessione Ladyslai, filii Johannis et Petri, filii Ladyslai, Man nominata, distingeret

1249. 1250.

1339. 3. Mart.

ab invicem et separaret. Si autem ipse mete in dicto privilegio prelibati conventus contente, in toto vel in parte reperiri non possent, et in aliqua particula per hoc partes discordarent, eandem particulam litigiosam, signis pro metis positis consignando, et regali mensura mensurando estimaret, regni consuetudine exigente; et post hec seriem omnium premissorum, cum cursibus metarum, vel estimacione particule litigiose, cum posicionibus signorum cum metis positorum, idem conventus, ad octavum diem ipsius diei medii quadragesime, fideliter rescriberet regie maiestati; ut visa serie premissorum, huic cause finem debitum inponere valeremus, inter partes memoratas. 1339. 10. Mart.

Tandem termino reportacionis seriei premissorum occurrente, magister *Johannes, subnotarius* ipsius domini *archyepiscopi,* pro eodem domino archyepiscopo, cum procuratoriis litteris eiusdem ab una; et Johannes, filius Lamperti, pro prenominatis filiis Salomonis et filiis Dyonisii, ac Desk filio Lamperti, cum procuratoriis litteris dicti conventus cruciferorum ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio, parte ab altera, ad nostram accedentes presenciam, nobis (emansit: litteras) prenominati conventus cruciferorum, ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio, demonstrarunt, in quibus reperimus contineri: quod predictus *Raphael,* homo domini regis, et *Nicolaus clericus* homo predicti conventus, in predicta feria quarta, ad faciem memorate possessionis Wrs archyepiscopalis, presentibus vicinis et commetaneis suis accessissent, et ibidem exhibito ipso privilegio iam dicti conventus cruciferorum, iuxta eius continenciam hoc modo, sine omni contradiccione, metas ipsius possessionis reambulassent: quod prima meta inciperet a parte meridionali in quodam plano monticulo, ubi reperissent quatuor metas antiquas, ex quibus duas renovassent; deinde veniendo ad partem occidentalem ad unam viam, iuxta quam reperissent similiter quatuor metas, ex quibus duas renovassent; abhinc flexisset se ad partem dextram ad unam metam, quam renovassent; abhinc per continuas metas renovatas venissent ad partem septemtrionalem usque ad silvam et in principio silve renovassent duas metas, inventas iuxta viam; deinde per unam viam antiquam, in vicinitate possessionis Ladyslai, filii Johannis et Petri filii Ladyslai, Man dicte, curreret ad eandem partem per metas antiquas simplices et duplicatas, ex quibus plures essent renovate, tenendo metas cum filiis *Gylethy;* et deinde per continuas metas curreret usque ad metas possessionis *Bozteh,* filiorum Salomonis et Dyonisii, ac Desk supradictorum, ubi reperissent iuxta viam predictam duas metas; abhinc reflexisset se ad partem dextram et per metas antiquas simplices et duplicatas, usque ad quandam viam venissent, ubi invenissent duas metas iuxta viam; et exinde progrediendo directe ad eandem partem, in vicinitate terre predictorum filiorum Salomonis et aliorum supradictorum nobilium, per continuas metas renovatas veniret ad aliam viam, ubi essent due mete erecte, quarum una separaret possessioni Bozteh et alia separaret ville Wrs; deinde flectendo se per eandem viam, curreret per metas simplices et duplicatas ad partem septemtrionalem, et veniret ad unum locum, ubi separaret predictam villam Wrs et dictos filios Salomonis ac Dyonisii, nec non Desk, a possessione *ecclesie Wesprimiensis, Gyermen* vocate, ubi erexissent duas metas; et sic mete dicte possessionis Wrs separarentur a possessione Bozteh supradicta. Verum, quia series dictarum litterarum conventus cruciferorum, ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio, predictam possessionem archyepiscopalem Wrs vocatam, iuxta continenciam 1339. 3. Mart.

privilegii eiusdem conventus, per hominem domini regis et testimonium dicti conventus cruciferorum, per prelibatas metas antiquas et renovatas, a prenominatis possessionibus Bozteh et Maan vocatis, presentibus vicinis et commetaneis suis universis, nemine contradictore existente distinctam fore declarabat, et eciam parcium procuratores prenotati, per nos requisiti, ipsas metas inter easdem possessiones, ut premittitur, erectas, veras esse asserebant; ideo eandem possessionem archyepiscopalem, Wrs vocatam, prout eam predicte mete a prelibatis possessionibus Bozteh et Maan vocatis separant et distingunt, eidem domino archyepiscopo et suis successoribus, ac ecclesie sue eo iure, quo sibi et suo archyepiscopatui ex vigore preallegatorum suorum instrumentorum dinoscitur pertinere, adiudicavimus, sine preiudicio iuris alieni, perpetuo possidendam. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes litteras nostras concessimus privilegiales, pendentis sigilli nostri autentici munimine roboratas. Datum, in *Wyssegrad,* duodecimo die termini reportacionis seriei prenotate, anno Domini millesimo trecentesimo xxx^mo^ nono.

Sigillum, sat bene conservatum, e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 72.

491.

1339. (Esztergom.) 6. Apr. — Conventus Cruciferorum Strigon., Beke civem Strigon. curiam suam in Esztergom-Szent-Pálfalva, Chanadino archieppo quatuor marcis vendidisse testatur.

Nos *conventus,* ecclesie sancti regis Stephani *de Strigonio,* significamus tenore presencium, quibus expedit universis: quod ad nostram personaliter accedendo presenciam *Beke,* filius Jacobi, filii *Chunkwr,* civis Strigoniensis, oraculo vive vocis professus extitit coram nobis, ut fundum suum sessionalem seu curiam, in villa *Sancti Pauli circa Danubium* in medio curiarum, a parte aquilonis seu superioris, Dominici Parui servientis, venerabilis in Christo patris domini *Chanadini,* Dei et apostolica gracia *archiepiscopi Strigoniensis,* locique eiusdem comitis perpetui, a parte vero orientis *Hench,* dicti *Korcholyas,* connumerandam inter alios iobagiones prefati domini archiepiscopi in eadem villa Sancti Pauli habitam, eidem domino Chanadino, archiepiscopo Strigoniensi, pro quatuor marcis latorum Vyennensium, plene ab eo habitis et receptis, cum omnibus suis edificiis et quibuslibet utilitatibus universis, nullo contradictore existente, dixit vendidisse et vendidit coram nobis, nullum ius dominii et proprietarii in ipso loco sessionaly amodo in posterum sibi et suis posteris reservando. Nichilominus prelibatus Beke firmiter se obligando assumpsit, prefatum dominum archiepiscopum Strigoniensem et suos successores, a suis fratribus consanguineis et proximis, ac quibuslibet aliis, racione ipsius fundi sessionalis molestare et inqietare (sic!) volentibus, expedire suis propriis laboribus et expensis; ut ad hec et quevis singula premissorum, firmiter se sponte obligavit coram nobis. In cuius rei testimonium, prefato domino archiepiscopo concessimus litteras nostras, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum, feria tercia proxima post octavas Passce Domini, anno eiusdem M° ccc° xxx^mo^ nono.

Sigillum bene conservatum e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 42. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII^4^. 397. — Cf. nr. 373. sup.

492.

1339. Avignon. 18. Apr. — Novem episcopi cardinales, indulgentias quadraginta dierum concedunt omnibus, ecclesiam capituli Posoniensis, S. Salvatori dicatam, visitantibus.

Tenorem vide sub nr. 529.

493.

1339. — 2. Maii. — Simon, archidiaconus de Liptó, comitem Stephanum, filium Kunch, ecclesiae beatae Elisabeth in Lubeta, per eundem comitem aedificatae, ad salubre iussum Chanadini, archiepiscopi Strigon., possessionem suam quamdam haereditariam, conferri, perhibet.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII^{5}. p. 409.

494.

1339. Visegrád. 13. Maii. — Thomas vajvoda Transilvanus, committit magistratui civitatis Bors, ut monasterio s. Benedicti de iuxta Gron, iustitiam et satisfactionem reddant.

Ed. Cod. Andegav. T. III. p. 552.

495.

1339. (Pozsony.) 24. Maii. — Fassio dominae Jeuth, Michaeli filio Pető, marito suo, super medietate possessionis et molendini in Körtvélyes, coram capitulo Posoniensi, facta.

A. B. C.

[U]niversis Christi fidelibus presentem paginam inspecturis, *capitulum* ecclesie *Posoniensis,* oraciones in filio virginis gloriose. Acta in tempore, ad labentem memoriam hominum renovandam, scripture patrocinio perempnantur. Igitur ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, presencium serie volumus pervenire: quod nobilis domina *Jeuth,* filia Jacobi de *Kurtuelius,* relicta Nicolai dicti Magni et Jacobus filius eiusdem Nicolai Magni ex eadem muliere, personaliter nostri in presenciam adeuntes, viva voce dimidietatem possessionarie porcionis, que quondam et prius memoratum Nicolaum Magnum in Kurtuelius tangere noscebatur, nunc vero per mortem eiusdem eis est iure hereditario devoluta, Michaeli, filio Petheu, nunc eiusdem domine Jeuth marito, qui eciam presens astitit, dedissent et donassent pro eo videlicet, quod amorem paternalem et favorem, ac dileccionem et promocionem in omnibus suis factis, ab ipso Michaele expectarent, sicut a vero eiusdem pueri Jacobi patre carnali, pariter et alumpno; ymo dederunt et donaverunt perpetue et irrevocabiliter possidendam, pariter et habendam in filios filiorum suorum et heredes, cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis eiusdem dimidietatis dicte possessionis, scilicet medietate molendini sui, item sessionis sue, ac fructuum et quarumlibet aliarum utilitatum suarum, quocunque nomine vocate. Insuper idem Jacobus, filius eiusdem Nicolai Magni de eadem Kurtuelius, aliam medietatem dicte possessionarie porcionis sue de eadem Kurtuelius, videlicet molendini sui atque sessionis sue, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, eidem Michaeli filio Petheu, pro vigintiquinque marcis latorum denariorum Viennensium, quamlibet marcam cum decem pensis computando, quas tempore nupciarum, seu tradicionum sororum suarum ab ipso Michaele recepisset, pignori obligasset et obligavit coram nobis; tali vinculo inserto, quod quandocunque

ipse Jacobus, filius Nicolai Magni, ipsam dimidietatem dicte possessionarie porcionis, ab eodem Michaele filio Petheu, redimere vellet, liberam redimendi haberet facultatem. In cuius rei testimonium presentes litteras nostras, cum alphabeto intercisas, nostro sigillo consignatas, duximus concedendas. Datum, feria secunda proxima post festum Sancte Trinitatis, anno Domini M° ccc° xxx^mo nono.

Sigillum e viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 10. nr. 22.

496.

1339. (Buda.) 28. Maii. — Inquisitoria capituli Budensis, contra Jacobum de suburbio castri Budensis, ob captivationem unius jobagionis monasterii s. Benedicti, pro abbate Siffrido datae.

Excellentissimo domino eorum *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, *capitulum Budensis* ecclesie, oraciones in domino debitas ac devotas. Vestra noverit excellencia, quod cum nos receptis litteris vestre celsitudinis inquisitor*is*, pro religioso viro fratre *Sefrido abbate* monasterii sancti Benedicti generalibus, per anni circulum eidem graciose per vestram excellenciam concessis, omni reverencia qua decuit, ut tenemur, unacum Luchachio de *Kaluz* homine vestre serenitatis, nostrum hominem videlicet magistrum *Mychaelem* clericum, *canonicum capelle beate Virginis,* et prebendarium chori ecclesie nostre, ad faciendum predictam inquisicionem pro testimonio duximus destinandum. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt, quod ipsi in festo Corporis Christi iam elapso, a quibus decuit et licuit diligenti inquisicione scivissent veritatem: quod *Jacobus,* filius Nicolai de suburbio *castri Budensis,* quendam iobagionem eiusdem domini abbatis *Cholk* nomine, (expunct.: vn) de villa *Wrs,* in vinea sua eiusdem Cholk, intra territorium eiusdem ecclesie nostre existenti, captivasset et captum ad civitatem predictam Budensem, ad captivitatem et vinculum iudicis et iuratorum dicti castri Budensis deduxisset. Qui quidem Jacobus predictus, dum per eundem hominem vestre excellencie presente nostro testimonio interrogatus fuisset (expunct.: taliter respondisset quod) ut per cuius iudicis hominem eundem Cholk captivasset, taliter respondisset, quod per (sic!) ipse cum homine iudicis dicti castri Budensis, qui iam obiisset, in procuracione Jacobi, filii M*y*chaelis, de dicto castro Budensi existente, captivari (loco syllabae: *sset* superscript. syllaba: *ri*) fecisset. Datum, feria sexta proxima post predictum festum Corporis Christi, anno Domini M° ccc° xxx^mo nono.

1339. 27. Maii.

Extus: Domino regi, pro domino Sefrido abbate de sancto Benedicto, contra Jacobum filium N*y*colai de suburbio castri Budensis inquisitorie. — Sigillum margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 8.

497.

1339. Pozsony. 24. Jun. — Michael prepositus eccl. Posoniensis, magistro Michaeli, filio Synke de Symigio, canonicatum in eccl. Poson. confert.

Seriem vide a. 1342. 10. Mart. sub nr. 600.

498.

1339. Visegrád. 2. Jul. — Prorogatoriae Thomae vajvodae, in causa Andreae Szunyog, contra Siffridum abbatem s. Benedicti, datae.

Nos *Thomas,* woyuoda Transsiluanus et comes de Zonuk, damus pro memoria: quod causam quam Andreas, dictus *Zunyug,* filius Petri de *Kata,* contra dominum *Seffridum abbatem* ecclesie sancti Benedicti de iuxta fluvio *Goron,* qui personaliter aderat, iuxta continenciam aliarum litterarum nostrarum prorogatoriarum, in octavis beati Johannis Baptiste movere habebat coram nobis, ob regale preceptum in parte actoris directum, ad quindenas residencie regalis exercitus nunc venturas peremptorie duximus prorogandam. Datum in *Wyssegrad,* secundo die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ nono. 1339. 1. Jul. 1340. 15. Jan.

Extus: Pro domino Seffrido, abbate ecclesie sancti Benedicti de iuxta fluvio Goron, contra Andream dictum Zunyug de Kata, ad quindenas residencie regalis exercitus, prorogatoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strigon., Publ. Capsa 18. fasc. 6. nr. 14.

499.

1339. (Zobor.) 6. Jul. — Conventus de Zobor, possessionem Zengő, in comitatu Barsiensi existentem, ad monasterium s. Benedicti de iuxta Gron pertinentem, metis circumscriptam esse, Carolo I. regi, rescribit.

Ed. Cod. Andegav. T. III. p. 573.

500.

1339. (Esztergom.) 22. Jul. — Conventus Cruciferorum Strigon., Chanadinum archiepiscopum possessionem Bogdány, comiti Bede pro possessionibus Bél et Sáró cessisse testatur.

A. B. C.

Nos conventus cruciferorum, ecclesie sancti regis Stephani *de Strigonio,* significamus tenore presenci[um, qui]bus expedit universis, quod venerabilis in Christo pater, dominus *Chanadinus,* Dei et apostolica gracia *archiepiscopus Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus [in su]a ad nostram personaliter accedens presenciam, confessus extitit in hunc modum: quod comiti *Bedy,* castellano de *Horsow,* et Petro filio suo, qui [simi]liter personaliter coram nobis astabant parte ab altera, propter maiorem utilitatem ipsorum talem concambium facientes, videlicet quandam possessionem ecclesie sue [Strigoni]ensis *Bagdan* nominatam, inter possessiones *Zodov,* Johannis filii Dominici, et *Sarou* eiusdem comitis Bede vocatas, in comitatu *Borsiensi* existentem, pro cam[bio ei]dem comiti Bede et suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter, cum omnibus suis utilitatibus, videlicet fenetis, pratis, aqu[is, sil]vis et quibuslibet aliis universis dedit, contulit permutando et concambiendo, coram nobis. Predicti vero comes Bedy et Petrus filius suus, in concam[bium et] permutacionem predicte possessionis Bagdan, alias ipsorum possessiones, a regia celsitudinis benignitate, per eundem comitem Bedy, fidelibus suis m[eritis et] serviciis optentas et acquisitas, necnon tytulo empcionis et pignoris obligacione primitus et antea a nobilibus iobagionibus dicte Strigoniensis [ecclesie

habit]as et conservatas, videlicet *Beyl* vocatam, Petri dicti *Feldeus,* inter possessiones *Sarlow,* eiusdem domini archiepiscopi et *Malas,* filiorum *Yule;* it[em al]iam possessionem eorum *Sarow* nominatam, Andree filii Dyonisii in vicinitate possessionum, similiter *Sarou* nominate, Johannis filii Petri, nobilis [iobagi]onis ecclesie *Strigoniensis* et *Kerestusfeldu Sakachy* dicte, iuxta Gron, in comitatu Borsiensi habitas; item porcionem ipsorum tercie partis duorum [mole]ndinorum, in predicto fluvio Gron, quelibet eorum in se quatuor rotas continentes, in villa *Sancti Georgii,* eiusdem domini archiepiscopi, empticio iure [ha]bitis, ipsi domino archiepiscopo Strigoniensi et per eum suis successoribus, cum universis suis instrumentis et privilegiis dictarum possessionum superiu[s nomi] natarum, cum omnibus suis utilitatibus, videlicet fenetis, pratis, aquis, silvis et quibuslibet aliis pertinenciis universis dederunt, contulerunt, concambierunt et permutaverunt, seu concambierunt coram nobis irrevocabiliter possidendas, tenendas et habendas. Nichilominus assumpmentes mutuo, sese racione possessionum permutatarum predictarum, a quibuslibet molestare volentibus temporis in processu, in eisdem defensando conservare. In cuius rei testimonium, perpetuamque firmitatem, ad peticionem predictarum parcium, nostras litteras concessimus, pendentis sigilli nostri munimine robora[tas et] alphabeto intercisas. Datum, in festo beate Marie Magdalene, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo [non]o.

Sigillum bene conservatum e viridi et rubro serico pendet. — Orig. membr., e parte iam exesum, in Arch. Primat. Secul. Lad. K. nr. 2. — Anno 1339. exaratum esse numerus subsequens ostendit.

501.

1339. **(Esztergom.) 29. Jul. — Conventus Cruciferorum Strigonien., metas possessionum Bél et Sáró, describit.**

[N]os conventus cruciferorum, domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani *de Strigonio,* memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod cum nos ad peticionem venerabilis in Christo patris, domini *Ch.*[anadini], Dei et apostolica gracia *archyepiscopi Strigoniensis,* locique eiusdem comitis perpetui, magistrum *Thomam, notarium nostrum,* ad videndum erecciones metarum quarumdam possessionum comitis *Bede Rufi, Beel* alio nomine *Fuldespeturfulde* nominate, item *Saarov,* filiorum Dyonisii, in comitatu *Borsyensi* existencium, quas sibi idem comes Bede in concambium et permutacionem cuiusdam possessionis sue *Bagdan* vocate, in eodem comitatu existentis, mediantibus aliis litteris nostris privilegialibus exinde confectis, dedisset et assignasset, item terre alterius Sarow esclesie Strigoniensis, super qua Johannes, filius Petri, nobilis iobagio ipsius Strigoniensis ecclesie residet, pro testimonio misissemus; tandem idem magister Thomas, homo noster, una cum partibus prenotatis ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt: quod eedem partes, presente eodem homine nostro, metas dictarum possessionum Beel, Sarow, filiorum Dyonisii, et alterius Sarow, super qua idem Johannes, filius Petri, nobilis iobagio ecclesie Strigoniensis predicte residet, ab aliorum vicinorum et conterminalium possessionibus hoc modo distinguentes separassent, per novarum metarum erecciones: quod primo terre ipsius Beel tres metas antiquas invenissent, quarum una ipsam terram Beel separaret a terra *Malas,* Gregorii filii Jule, alia Sarlow

et tercia ipsam terram Beel, ex quibus unam renovassent; deinde directe eundo, perveniret ad alias tres metas antiquas, ex quibus unam renovassent; deinde perveniret ad pratum *Fuldespetur/ulde* vocatum, ubi invenissent duas metas antiquas, circa quas unam novam erexissent; deinde iret per unam viam, per quam itur versus *Chekey,* ubi eciam duas metas antiquas invenissent, circa quas terciam novam erexissent; deinde iuxta ipsam viam parum eundo, a parte sinistra ipsius vie invenissent duas metas antiquas, circa quas terciam novam erexissent; deinde iuxta eandem viam iterum ad sinistram, perveniret ad tres metas antiquas, quarum una esset renovata et una earumdem separaret terram *Ibrahun,* Chekey vocatam, alia Malas et tercia Beel; deinde reflectitur per quandam viam et terras arabiles ad unam metam, supra quam esset dumus ilicis, que inciperet*ur* distingere ipsam terram Beel a terra *Arma* Johannis, filii Petri; deinde iret ad dumum pomi silvestris, ubi erexissent unam novam metam, alia autem esset antiqua; deinde perveniret ad tres metas antiquas, quarum una separaret terram Arma, alia *Wezekyn* et tercia Beel, quarum unam renovassent; deinde iuxta quandam viam antiquam ad dextram pervenissent ad unam metam antiquam, circa quam aliam novam erexissent et semper teneret vicinitatem cum terra Wezekyn; deinde iuxta eandem viam perveniret ad unam metam antiquam, circa quam unam novam erexissent; deinde perveniret ad unam metam antiquam que esset inter arbores *aprounyar/a* nominatas, iuxta quam unam novam metam erexissent; deinde parum eundo, iuxta quandam viam antiquam invenissent unam metam antiquam, circa quam aliam novam erexissent; et ibi mete ipsius terre Beel terminarentur. Item mete predicte possessionis ecclesie Strigoniensis, super qua Johannes, filius Petri, nobilis iobagio ipsius ecclesie Strigoniensis et quedam mulier, *Kuneth* vocata, resident, Sarow nuncupata, a possessione ipsius comitis Bede Rufi, similiter Sarow nominata, sicut per partes prenotatas, eodem nostro testimonio presente, exinde fuimus informati, per erecciones novarum metarum hoc ordine distingeretur: quod primo et principaliter, iuxta quoddam fluvium *Zerechepotaka* erexissent duas metas principales, cuius fluvii medietas, a parte metarum predictarum existens, pertineret ad terram ipsius Bede, alia autem medie (sic!) ad terram Sarow predictam ecclesie Strigoniensis; qui fluvius descenderet infra in alium fluvium, *Hothkompa* dictum; deinde parum eundo, per pratum erexissent duas metas; deinde parum eundo, iuxta quandam viam publicam erexissent duas novas metas; deinde parum eundo, transiret fluvium *Gron,* quo transito prope litum (sic!) ipsius fluvii erexissent duas metas; deinde directe transiret quendam nemorem ipsius fluvii Gron et ibidem in ipsius nemoris exitu, inter arbores silicis, erexissent duas novas metas; deinde per modicum spacium eundo, iuxta quendam ortum erexissent duas metas; deinde parum eundo, inter terras arabiles erexissent duas metas; deinde transit quandam viam publicam a parte meridionali, inter terras arabiles erexissent duas metas; deinde parum eundo prope quandam viam publicam, qua*m* itur de Sarow usque Sarlow, erexissent duas metas; deinde parum eundo, erexissent duas metas; abinde parum eundo, iuxta eandem viam erexissent iterum duas metas; deinde per modicum spacium eundo in campo, erexissent duas novas metas; deinde per bonum spacium eundo, transit quendam vallem, *Fyuzeg* nominatum, ubi inter arbores erexissent duas novas metas; deinde parum eundo pervenirent (emansit: ad terram, vel villam)

Paganya nominatam, ubi erexissent duas metas; et ibi mete ipsius possessionis ecclesie Strigoniensis, a possessione ipsius comitis Bede Rufi, Sarow terminantur. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem, presentes eidem domino Ch.[anadino] archyepiscopo Strigoniensi duximus concedendas, appensione sigilli nostri munimine roboratas. Datum, quinta feria proxima post festum beati Jacobi apostoli, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ nono.

Extus manu medii aevi: Super metis possessionum Beel et Saro. — Sigillum bene conservatum e viridi et rubro serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. K. nr. 3.

502.

1339. (Pozsony.) 6. Aug. — Capitulum Posoniense, partem terrae cuiusdam in Bánvölk, Petro et Cosmae, post depositum iuramentum statutam esse, Carolo I. regi rescribit.

Excellentissimo principi, domino Karolo, illustri regi Hungarie, domino suo, capitulum ecclesie Posoniensis, oraciones in filio virginis gloriose. Noverit vestre maiestatis excellencia, quod cum iuxta formam iudicii et seriem litterarum magnifici viri, comitis Pauli, iudicis curie vestre, Petrus, filius Jacobi et Cozmas, filius Michaelis, in octavis festi beati Jacobi apostoli, nunc in proximo preteritis, contra Ferenchz (sic!), filium Benedicti de Madarazeg, coram et presente Thoma, filio *Cheztwe,* vel Petro, filio *Kumpurd,* homine regio, altero absente, et nostro testimonio, in facie cuiusdam litigiose particule terre, pro qua inter partes iam nominatas litigabatur, secundum regni consuetudinem, prout est moris, pro terra iurare debuissent; adveniente ipso termino iuramenti, memoratus Thomas, filius Chezthve, homo vester, una cum domino Johanne presbitero, ecclesie beati Petri in villa *Eberhardi* rectore, quem ad ipsum Thomam, pro videndo ipso ibi fiendo iuramento deputaveramus, tandem ad nos reversus, retulit nobis sub eiusdem hominis nostri testimonio, quod ipsi in dictis octavis, super faciem dicte terre litigiose accesserint et presente dicto Ferenchz de Madarazyg (sic!), prelibati Petrus, filius Jacobi et Cosmas, filius Michaelis de *Bankwlke, discalceati, stando in facie ipsius particule terre, absque cingulis, cespitibus, seu terris in manibus supra caput latis, omnibus verbis ipsius iuramentalis deposicionis, ipso homine nostro eis predicente seriatim,* ymo omnibus et universis condicionibus, ad ipsum deponendum iuramentum requisitis, legittime observatis, ipso Ferenchz in nullo penitus contradicente, iuravissent. Quibus, prestitis eorum iuramentis, dictam particulam terre, a terra dicti Ferenchz, per seriem metarum subscriptarum separatam, et ipsorum Petri et Cosme terris adiunctam, perpetuo possidendam statuisset et habendam. Mete autem ipsius terre hoc ordine distinguntur a parte terre ipsius Ferenchz, quod a parte orientis, prope aquam magnam, que exit de fluvio *Chollou,* sunt due mete nove, separantes hanc terram ipsorum Petri et Cosme de *Wlk,* a terra ipsius Ferenchz; deinde versus meridiem, in quadam terra arenosa, wlgariter *Humuk* dicta, sunt iterum due mete, separantes ut priores; illinc similiter eundo versus aquam *Humuro,* sunt iterum due nove, ut prius separantes, ultra iterum similiter sunt due, seiungentes ut prius; iterum ultra similiter eundo, in modum anguli girando, sunt in valle adhuc due, ut priores semoventes; item in littore ipsius aque Humuro iterum duc nove, separantes ut priores; deinde transit ipsam aquam Humuro versus meridiem et pervenit iterum ad duas metas novas, similiter separantes; ultra similiter eundo,

1339. 1. Aug.

sunt iterum due nove, ut prius distinguentes, et ultra similiter eundo iterum sunt due nove, que distingunt ut priores; de illinc vellent ipsi de *Bankwlky,* quod ad locum ubi tres veteres mete stant, prosiliret, quarum unam veterem suam ad terram Bankwlky pertinere dicunt, sed nos eandem metam nostram et nostre possessionis, Wlky vocate, fore asserimus, pro qua lis inter nos et ipsos de Bankwlky pro adhuc pendet. Datum feria sexta proxima post octavas festi beati Jacobi apostoli, anno Domini M° ccc° xxx^mo nono.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Pos. Publ. Capsa 9. fasc. V. nr. 1.

503.

1339. Visegrád. 8. Aug. — Paulus, judex curiae regiae, causam abbatis s. Benedicti, contra Pobor de Győröd, ad octavas b. Michaelis Arch. prorogat.

Nos comes *Paulus,* iudex curie domini regis, damus pro memoria: quod causam quam frater *Syfridus abbas,* et conventus monasterii sancti Benedicti de *iuxta Gron,* pro quibus frater Cosmas, cum procuratoriis litteris eorumdem astitit, contra *Pobor,* filium Myke *de Geured,* Jordanum et Pousa famulos suos, sibi statuere commissos, pro quibus assumptores termini comparendo terminum assumpserunt, iuxta continenciam litterarum citatoriarum conventus de *Zobor,* in octavis beati Jacobi apostoli movere habeant coram nobis, racione prioritatis termini ad octavas beati Michaelis archangeli nunc venturas, duximus peremptorie prorogandam. Datum in *Vissegrad,* octavo die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xxx^mo nono.

1339. 1. Aug.

1339. 6. Oct.

Extus: Pro abbate et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, contra Pobor filium Myke, Jordanum et Pousa famulos suos, ad octavas beati Michaelis archangeli, prorogatoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Lad. I. fasc. 4. nr. 29.

504.

1339. (Pozsony.) 14. Aug. — Capitulum Posoniense, terram Ekeásókföld, a Hilia et filiis eius, filiis Mikó, nobilibus jobagionibus exercituantibus archieppatus Strigon. relictam, ac novis metis distinctam esse testatur.

[U]niversis Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, *capitulum* ecclesie *Posoniensis,* salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod *Hylia,* filius *Bodow,* et Nicolaus filius eius, pro se et ambo pariter pro aliis filiis eiusdem Hylie, videlicet Dominico, Alberto, Demetrio et Benedicto ab una parte, parte vero ab altera *Nicolaus* et Stephanus, filii Myko, filii Jacobi, similiter pro se et pro omnibus proximis suis, *nobiles iobagiones exercituantes archyepiscopatus sancte Strigoniensis ecclesie in Chollokuz de Karcha,* simul cum comite Nicolao, filio Pauli, filii *Chond de Kestelches,* super populos nobiles dicti archyepiscopatus in Chollokuz *viceiudice* magistri *Thome, palatini curie venerabilis patris,* domini *Chanadini,* eiusdem sancte *Strigoniensis,* ecclesie *archyepiscopi,* domini nostri et prelati, personaliter nostri presenciam adeuntes, nobis concorditer voce parili proposuerunt voluntarie in hunc modum: quod cum ipsi super metarum finalium, seu angularium terre ipsorum filiorum Myko, *Ekeasukfeld* dicte cursibus lite mota per ipsum Hylia, ordine iudiciario diucius

dissceptassent; tamen ad ultimum racione boni pacis concordie commodum, ipsi inter se, scilicet partes memorate, supradictarum metarum finalium et aliarum quarumlibet, inter partem possessionariam ipsorum filiorum Myko et suorum proximorum, et eciam partem possessionariam ipsius Hylie, cum eius filiis separancium et currencium, universis litibus de medio ipsorum sublatis et silencio perpetuo sedatis amicabiliter et sopitis, plena pacis unione inter se reformata, concordassent in hunc modum: quod partem possessionariam ipsorum filiorum Myko et suorum proximorum, dictus Hylia cum prenominato filio suo, tam ex parte sui, quam omnium aliorum filiorum suorum prenotatorum, subscriptarum metarum cursibus, metarum inquam, in presencia domini *Mychaelis, rectoris ecclesie beati Bartholomei* apostoli, hominis nostri in *Karcha,* quem ad peticionem parcium earumdem ad id specialiter deputavimus, et ipsius comitis Nicolai, filii Pauli, universis vicinis et commetancis |et| hominibus utrarumque parcium memoratarum, nacionibus quibuslibet, presentibus et consencientibus, nemine penitus contradictore existente, renovatarum et erectarum; prout iidem dominus Mychael, homo noster, et comes Nicolaus paraliter (sic!) astantes ore proprio nobis ref*f*erebant, limitatam et distinctam, eisdem filiis Myko et ipsorum proximis, ac heredibus et successoribus eorumdem universis libere, pacifice seu quiete relinquisset; *y*mo coram nobis reliquit et dimisit, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam semper et habendam.

Cursus autem metarum renovatarum, quibus terra ipsorum filiorum Myko et suorum proximorum, ab ipsius Hylie et aliorum vicinorum seu commetaneorum terris stat separata vel seiuncta, is est:

Item primo incipit in terra nomine *Aryul,* ubi est una nova meta, que separat terram iam dictorum filiorum Myko et suorum proximorum ad partem orientalem et terram filiorum Mauricii ad partem occidentalem; deinde procedendo versus meridiem in duobus locis, in finibus terre ipsorum filiorum Myko, sunt due mete, contra quas ipsi filii Mauricii debent erigere alias duas, separantes ut priores; post hec procedendo similiter contra meridiem, pervenitur ad duas metas, inter terras iam dicti filiorum Myko et Hylie, filii Bodow positas, que separant terras filiorum Mauricii et ipsius Hylie versus occidentem, et terram ipsorum filiorum Myko versus orientem, ut priores; ulterius procedendo, venitur ad finem terre *Ekeascuk* (sic!) dicte, et in duobus finibus ipsius sunt alie due mete duplicate, que separant terram ipsorum filiorum Myko et Hylie, ut priores; deinde flectitur versus supra (sic!), penes quoddam stagnum pergendo, pervenitur ad locum *Chyrgetykhath* dictum, ubi sunt due mete duplicate, separantes sicut priores; longius procedendo ad finem terre *Teluk* dicte, et in duobus ipsius finibus sunt due mete duplicate, separantes prout priores; ulterius procedendo ad terram *Thelukthu* dictam, semper versus tamen meridiem, et in duobus finibus ipsius terre sunt alie due mete duplicate, separantes tamquam priores; inde pertranseundo quoddam stagnum ad terras *Fizes* vocatas, et singulis finibus terrarum duorum dumuncularum (?) sunt alie due mete duplicate, separantes sicut priores; et sic perveniendo ad stagnum *Chykfuenye* dictum et ipsum pertranseundo ad terram *Kuesd* vocatam, sunt iterum due mete (expunct.: duplicate), separantes prout priores; ulterius gradiendo, non longe sunt iterum due mete; inde pervenitur ad locum *Sarusag* dictum, ubi iterum sunt due mete; ipsum Sarusag transeundo, adhuc versus meridiem, sunt alie due mete; item

similiter procedendo, prope terram *Anprohalum* dictam, sunt iterum due mete; adhuc ulterius procedendo in ipsa terra Approhalum sunt iterum due mete; deinde pervenitur ad finem stagny *Kyrogolth* dicti, et circa lacum *Barchz* dictum sunt iterum due mete; et ipsum lacum Barchz pertranseundo directe sunt iterum due mete; ultra procedendo in loco *Magala* vocato, sunt iterum due mete; deinde pervenitur ad lacum *Megeyr* dictum, ubi iterum sunt due mete, quarum omnium metarum antedictarum, quelibet a parte superiori, separat terram sepedicte Hylie, a parte vero inferiorii seu orientis, separat terram iam dictorum Nicolai et Stephani, filiorum Myko, filii Jacobi et suorum proximorum; et tunc ibi vicinitatem terre ipsius Hylie postponendo, seu relinquendo, inflectendo contra orientem, assumpmit sibi commetaneitatem cum duabus metis terrarum, Jwan, videlicet filii Johannis, et Thome filii Stephani, nec non filiorum *Pynke*, quarum una hanc filiorum Myko et suorum proximorum, alia terras ipsorum Jwan, Thome et Pynke filiorum separat et seiungit; illinc, scilicet ab oriente, proceditur iterum versus septemtrionem et sic directe procedendo inter has terras filiorum Myko et suorum proximorum, prioribus nominibus nominatas et terras ipsorum Jwan, Thome et filiorum Pynke, sunt iterum tot mete separantes posite, [sic]ut ex alia parte inter easdem terras filiorum Myko et suorum proximorum, et terras Hylie, filii Bodow, supradicti; deinde pervenitur ad locum sessionalem eorumdem filiorum Myko et suorum proximorum, et in finibus ambobus ipsius locy sessionalis eorum, sunt singule mete duplicate; inde pergitur iterum versus terram Ekeasuk transeundo quoddam stagnum, et in finibus ipsius terre Ekeasuk, sunt singule due mete duplicate; inde girat versus orientem ad terram *Rauazlyuk* vocatam et pervenit ad quandam viam, de domo filiorum Pynke versus *Zyridahely* ducentem, ex utraque parte ipsius vie in quatuor locis sunt singule mete; ex quarum opposito sunt semper alie singule mete, que omnes separant has terras filiorum Myko et suorum proximorum ad partem occidentalem, terras vero filiorum Pynke, Jwan ac Thome antedictorum ad partem orientalem; inde flectitur ad quamdam distinccionem, per quam transitur ad primo (sic!) et principalem dictam metam, et ibi terminantur cursus metarum filiorum Myko, filii Jacobi, et suorum proximorum predictorum, sic tamen quod omnes mete ipsorum filiorum Myko, filii Jacobi et suorum proximorum possessionis ante dicte, tam in terris arabilibus, quam inarabilibus, habent vrsus (sic!) liniales una ad aliam, seu rectos. In cuius rei memoriam, firmitatemque et stabilitatem perpetuam, presentes concessimus privilegiales litteras nostras, pendentis sigilli nostri munimine roboratas et consignatas. Datum, in vigilia Assumpcionis beate Marie Virginis gloriose, anno Domini Millesimo trecentesimo tricesimo nono.

A. B. C.

Sigillum e rubro, violaceo et viridi serico pendet. — Orig. in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 3. nr. 23.

505.

1339. Avignon. 21. Aug. — Benedictus PP. XII., *mandat nuntiis apostolicis, ut archiepiscopum Strigoniensem moneant et ad restituendum bona, per Jacobum Berengarium collecta et deposita, compellant.*

Ed. Theiner: Mon. Hist. Hung. T. I. p. 632.

506.

1339. (Nyitra.) 28. Aug. — Capitulum Nitriense, monasterium de juxta Gron et Michaelem quondam villicum, super molendino in Bars, amicabilem compositionem inivisse perhibet.

Nos *capitulum* ecclesie *Nitriensis,* significamus quibus expedit, presencium per tenorem universis, quod frater *Cozmas, prepositus* monasterii beati Benedicti de *iuxta Gron,* pro se et domino fratre Sewrido abbate, ac conventu monasterii eiusdem ab una; item *Michael,* quondam villicus *Borsiensis,* Paulus, Nicolaus et Petrus filii eiusdem, parte ex altera; coram nobis personaliter constituti, retulerunt oraculo vive vocis: quod in litigiosa contencione, super facto molendinorum eorundem domini abbatis et conventus, ac prefatorum Michaelis quondam villici, filiorumque suorum, in fluvio *Gron,* iuxta eandem civitatem *Bors* habitorum, super quibus in presencia (expunct.: domini) magistri *Dominici,* filii Leonardi, iudicis curie domini Thome woyuode Transiluani, magister*ii* tauarnicatus domini regis, ac comitis Neugradiensis, inter eos questio diucius fuit ventilata, ad plenum et perpetuo concordassent tali videlicet modo: quod dicti Michael, quondam villicus et filii sui, mediam partem molendini ipsorum, cum universis suis proventibus et toto dominio, predictis domino abbati et conventui, eorumque successoribus, ac monasterio beati Benedicti prefato contulissent, perpetuo possidere; e converso autem prefati dominus abbas et conventus similiter partem mediam molendini ipsorum, cum omnibus suis proventibus et utilitatibus, dictis Michaeli villico, Paulo, Nicolao et Petro filiis suis, annuissent modo simili perpetuo possidere; hoc adiecto, quod lapides molares et ferramenta necessaria ipsis molendinis congruencia, unacum molendinatoribus, communiter comparare et ordinare tenebuntur; nec hoc pretermisso, quod predicti Michael, quondam villicus et sui filii, ipsa molendina in omnibus suis operibus et structuris aliis, semper reficere, reparare et conservare, propriis laboribus et expensis assumpserunt, procuratores eciam, seu perceptores proventuum eorumdem molendinorum, partes singulis temporibus et annis pari voluntate ordinare et statuere se obligarunt; hoc eciam adiuncto, quod si processu temporis, interveniente aliqua necessitate predictorum Michaelis, quondam villici et suorum filiorum, porciones suas in dictis molendinis, ipsos tangentes, vendere intenderent, alteri nemini nisi domino abbati et conventui prefatis, vel si iidem emere nequirent, cui alteri annuerint bona voluntate, vendere valeant atque possint; item quod iidem Michael villicus et sui filii, in ipsis molendinis octo rotas usque festum beati Georgii martiris nunc venturum, assumpserunt facere et ordinare; taliter se iidem Michael et sui filii obligantes, quod si in predictis ordinacionibus vel aliquibus premissorum non astarent, vel in aliquo attemptarent contraire quandocunque, extunc in presencia quorumlibet iudicum suorum ordinariorum, contra eosdem dominum abbatem et conventum in triginta marcis deponendis et exsolvendis, absque porcione iudicis et insuper amissione porcionum suarum in eisdem molendinis habitarum, convincerentur eo facto. Datum, (expunct.: post) sabbato proximo post festum beati Bartolomei apostoli, anno Domini M^mo^ ccc^mo^ xxx^mo^ nono. Presentes autem promittimus nostro privilegio confirmare, cum nobis fuerint reportate.

1340. 24. Apr.

Extus manu medii aevi: Super molendino de *Bors.* — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon., Lad. 40. fasc. 2. nr. 7.

507.

1339. (Nagyvárad.) 6. Oct. — Capitulum Varadiense Andream Kese, ob intertentionem usus fructus possessionis suae Kalada, Thomam vajvodam protestando prohibuisse, perhibet.

Nos *capitulum* ecclesie *Waradiensis,* damus pro memoria, quod *Andreas,* filius *Kese,* de *Kalada,* ad nostram accedens presenciam, nobis protestatus extitit in hunc modum: quod vir magnificus *Thomas* woywoda Transsiluanus et comes de Zonuk, per iobagiones suos de *Patak,* usus et utilitates eiusdem possessiones sue Kalada, ipsum iure hereditario contingentis, tam in terris arabilibus, silvis, pratis et molendinis, quam quibuslibet aliis percipi et uti faceret, in preiudicum suum non modicum et gravamen. Unde facta protestacione, prohibuit tam eundem Thomam woywodam, quam iobagiones suos et alios ad se pertinentes ab usu et utilitatum percepcione possessionis sue Kalada antedicte, testimonio presencium coram nobis. Datum, in octavis beati Michaelis archangeli, anno domini M° ccc° xxx^mo^ nono.

Extus: Pro Andrea filio Kese de Kalada, contra magnificum virum Thomam woywodam Transsiluanum et iobagiones suos de Patak, super percepcione utilitatum eiusdem possessionis sue Kalada, prohibitoria. Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. F. nr. 11.

508.

1339. (Nyitra.) 12. Oct. — Capitulum Nitriense abbatem s. Benedicti, a terra Szölény, universos cives de Bars prohibuisse perhibet.

Excellentissimo domino suo, domino *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, *capitulum* ecclesie *Nitriensis,* oraciones in Domino debitas ac devotas. Litteris vestre excellencie generalibus prohibicionalibus, pro domino *Seurido, abbate* sancti Benedicti de iuxta Gron, et suo conventu, cum omni obediencia et reverencia receptis, cum Salomone de *Hymd,* (sic!) homine vestro, ad faciendum prohibicionem infrascriptam, dominum *Nicolaum* presbiterum, *rectorem misse beate Virginis,* pro testimonio destinavimus. Qui negocio bene intenti et ad nos reversi, concorditer retulerunt: quod, die dominica proxima preterita, universos cives de *Bors* et specialiter *Scentha,* et Benedictum Rufum, a cultura terre *Zulen,* ante Bors existentis, ad dictum dominum abbatem, conventum et suum monasterium pertinentis, prohibuissent. Datum, feria tercia proxima post octavas beati Michaelis archangeli, anno Domini M^mo^ ccc^mo^ xxx^mo^ nono. 1339. 10. Oct.

Extus: Excellentissimo domino suo, domino *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie prohibitoria pro domino abbate et suo conventu de iuxta Gron, contra cives de Bors. — Et item, alia manu: super Zewlen alias Zwlen dicta. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit, Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 9.

509.

1339. Visegrád. 24. Oct. — Amicabilis distinctio metalis, cujusdam insulae Stellengrunt, inundationi Danubii expositae, coram Paulo iudice curiae regiae, facta.

[N]os comes *Paulus,* iudex curie excellentissimi principis domini *Karoli,* Dei gracia incliti regis Hungarie, memorie conmendantes significamus, tenore

presencium quibus expedit universis: quod cum inter Johannem, Georgium et Paulum, filios Jacobi, cives Posonienses actores ab una, et Johanem, filium Stephani, filii Herclyni de eodem Posonio, in causam attractum parte ab altera, litigiosa questio in facto cuiusdam *insule, Stellengruunt* vocate, in comitatu *Posoniensi* existentis, in presencia comitis et iudicum nobilium eiusdem comitatus mota et ventilata, et demum per vicecomitem et dictos iudices nobilium, ob regium preceptum, ad presenciam domini regis, ad octavas Epiphanie Domini proxime preteritas transmissa extitisset, diversisque ventilationibus eiusdem, per aliquos terminos coram nobis diversimode peractis, ad octavum diem octavarum festi Assumpcionis Virginis Gloriose nunc transactum devenisset; tandem in ipso termino, quia predictus Johannes filius Jacobi se personaliter, et ipsos Georgium, ac Paulum fratres suos, cum procuratoriis litteris *capituli Posoniensis,* prefatus vero Johannes filius Stephani, personaliter se ordinacioni comitis Jacobi, iudicis Posoniensis, Andree de *Churle* et Foko de *Owgya,* tamquam ipsos conponencium, sub condicione et obligacione infraspecificanda in hac parte submiserant, ideo eisdem partibus volentibus et petentibus decreveramus eo modo: quod predicti comes Jacobus, Andreas de *Churle* et Foko parcium compositores, presente uno discreto viro de capitulo Posoniensi, personali dignitate prefulgenti, pro testimonio utique fidedigno, in octavis beati Michaelis archangeli nunc preteritis, ad faciem predicte insule, vicinis et commetaneis suis legittime convocatis et partibus, vel earum procuratoribus presentibus simul accedendo, primo easdem partes tempore et loco ipsius composicionis et discussionis ab ipsis et ab ipsorum consilio et tractatu penitus removendo et alienando, litteras causales parcium et privilegiales eiusdem capituli, per partes ibi exhibendas, de verbo ad verbum uberrime perlegendo et verissime in toto considerando et intelligendo, iuxta conscienciam ipsorum Deo debitam, inter easdem partes et iura ipsarum prius investigando et arbitrando, predictam insulam iuxta formam predictarum litterarum privilegialium et nostrarum, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, legittima reambulacione prehabita, predicto Johanni filio Stephani, perpetuo possidere statuerent, residuas vero partes, seu particulas eiusdem insule, si que ultra continenciam ipsarum litterarum privilegialium capituli Posoniensis inibi invenirentur et reperiri possent, similiter cum universis suis pertinenciis et utilitatum integritatibus, tunc inibi ad fortunium habitis et inventis, scilicet aquis et aliis quibuslibet fructibus et usibus suis memoratis, Johanni, Georgio et Paulo, filiis Jacobi, ad possessionem eorumdem *Heech* vocatam applicandas, statuerent perpetuo possidere et resignarent, novis metis in locis necessariis erigendis sequestrando. Tali obligacione per partes in se assumpta, quod si qua earum composicionem et discussionem predictorum comitis Jacobi, Andree et Foko, in toto vel in parte non acceptaret, extunc pars hoc faciens in pena calumpnie convinceretur contra partem alteram, premissam ordinacionem in toto assumpmentem ipso facto; post hec autem partes, octavo die, seriem tocius facti, cum cursibus metarum, in litteris dicti capituli Posoniensis, nobis reportarent. Demum ipso termino reportacionis seriei premissorum occurrente, predictus Johannes, filius Jacobi, pro se personaliter et pro ipsis Georgio ac Paulo fratribus suis, cum procuratoriis litteris prefati capituli Posoniensis ab una, et Barlabas de *Samuth,* pro eodem Johanne filio Stephani, similiter cum procuratoriis litteris

1339. 13. Jan.

1339. 29. Aug.

1339. 6. Oct.

1339. 13. Oct.

sepefati capituli Posoniensis parte ex altera, ad nostram accedentes presenciam litteras sepedicti capituli Posoniensis nobis demonstrarunt, in quibus vidimus contineri: quod predicti comes Jacobus, Andreas et Foko, cum domino *Thoma vicepreposito, Petro custode* et *Nicolao notario,* testimoniis eiusdem capituli, in dictis octavis festi prelibati, super faciem prefate insule litigiose accedentes, vicinis et commetaneis legittime convocatis, et tam ipsis universis quam partibus memoratis presentibus, ipsisque vicinis et commetaneis clam et palam primo de quodditate (!) et essencia insule Stellengruunt nominate, quam dicti capituli Posoniensis privilegium, per *Herclynum,* quondam iudicem, emptam contineret, videlicet que, qualis, quanta et ubi sita sit, diligentissime perquisitis et investigatis, studiose partibus quoque et ceteris universis hominibus, quorum caterva bene fuisset numerosa, a se procul pulsis et semotis, ipsi trini dumtaxat et dicti capituli socii prenominati arbitraturi consedissent, et cum singulorum dicta disparia et ostensiones dissimiles commetaneorum de dicta insula, industria circumspecta et pensione provida libravissent, de qualitate et quantitate ipsius insule Stellengruunt, et ubi sita sit revera et[cert]e c . . . . eri nequivissent, quoniam fluxus aque Danubii [alicu]bi terris, cum arboribus ablutis et deductis diminuens, quasi abyssos constituerit et profunda, alicubi vero addens et mediamnes ac insulas parvas constituens, profunda turgide telluris tumencium, seu copia replevit arenarum. Sic itaque insulam, pro qua litigabatur inter partes, secundum dissensiones vicinorum veraciter esse, vel non esse insulam Stellengruunt hesitantes, cum meatu magni Danubii versus provinciam Cholloukuz separata et seiuncta, extra metas terre *Vruzwar* habeatur et existat, dictam insulam litigeram totam relinquere, et temere statuere alteri parcium, pro suo iure, formidolosa consciencia, pene timida, salutis cupida, salva permanere cupiente, meticulosi metuissent, salubrius decernentes, plus Deo debite consciencie sincere puritati competere, ipsam dividere inter partes serie subsequenti, quam totam relinquere seu temere statuere parcium alteri predictarum. 1339. 6. Oct.

Sicque ipsam insulam, inter ipsas partes, eisdem volentibus et consencientibus, propter pacis bonum et amicicie inter partes corroboracionis fulcimentum divisissent sic: quod a loco laci ubi (sic!) vulgariter *Hetytoufeu* dicitur, ubi videlicet idem lacus in aquam *Renning* dictam quondam cadebat, ubi eciam fenetum *ville Heech* a terra *Moruchzykete* dicta semovetur, respiciendo per eandem insulam et ultra, ac usque ad magnum Danubium, directe contra metas nobilium de *Vruzwar* et de *Chun,* ubi eedem mete in magnum Danubium collateraliter intrant, et ex opposito earumdem metarum in eadem insula, penes latus magni Danubii, versus infra per defluxum Danubii spacium sexaginta cubitorum regalium metiri debeat, et ubi finis sexagesimi cubiti ab infra fixus fuerit, illic pro meta poni debeat intersignum, a quo intersigno mete erecte de novo versus locum (sic!) Hetytoufeu prenominatum ad modum linee transvexe, ipsam insulam in partes infra per defluxum aque et supra contra fluxum separabunt et seiungunt, que quidem inferior pars ipsius insule supranominato Johanni, filio Stephani, filii Herclyni, pacifice esset relicta; sed superior pars eiusdem insule cum quadam particula insule, in medio aque a supra stante, in quatuor partes esset divisa, quarum parcium quatuor una, sive quarta, filiis Jacobi, Johanni, Georgio et Paulo et ipsorum fratribus ac heredibus eorumdem universis, tres vero dictarum quatuor parcium superioris partis sepedicte insule memo-

rato Johanni, filio Stephani, filii Herclyni et eius successoribus, ad perpetuo possidendum dimisse forent et statute. Sic tamen, quod quicquid aqua fluens ad predictas quatuor partes superioris partis insule supradicte et ad ipsam particulam insule parve, in medio aque stantis, diminueret vel augeret, id communitati, scilicet tam dictis filiis Jacobi, quam predicto Johanni, filio Stephani, secundum quantitatem ipsis partibus in divisione quadripartita deputatarum, seu statutarum porcionum ablatum pariter haberetur et adauctum. Salva nichilominus insula quadam, que *Nulazzygeth* vocaretur, iuxta fenetum ville Heech, que eciam eisdem filiis Jacobi, cum et prius eorum fuisse dignoscatur, esset ad possidendum perpetuo deputata. Si autem ipse partes, temporis curriculo, dictas quatuor partes superioris partis insule sepedicte dividere, ut premissum est, et separare vellent, simul cum predicte parve insule particula liberam haberent suas a se invicem separandi porciones facultatem. Preterea omnes litteras causidicas, seu causales quaslibet, per partes vel earum procuratores, contra sese hactenus pro dicta insula quoquo modo et ubilibet emanari vel confici procuratas, viribus et efficacia qualibet permisissent carituras. Ceterum, quod dictus Johannes filius Stephani et eius successores, vel eius amici, pro dicta insula nec aliquem filiorum Jacobi prenotatorum, vel eorumdem successores, nec eciam aliquis filiorum Jacobi ipsum Johannem filium Stephani, vel eius posteritatem e contra, racione prefate insule, ullounquam tempore velud pacis zelatores et alumpni inquietare auderent vel presumpmerent. Quarum litterarum visis et partibus seriatim expositis tenoribus, cum easdem partes super eo, utrum premissa omnia inter se ordinata, sub eisdem obligacionibus perpetuo observare velint vel-ne, terna vice quisivissemus: idem Johannes, filius Jacobi se et dictos Georgium ac Paulum fratres suos, et predictus Barlabas, eundem Johannem, filium Stephani, vigore dictarum procuratoriarum litterarum obligando, premissa omnia inter partes ordinata, sub eisdem suis obligacionibus perpetuo observare velle affirmarunt coram nobis. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes litteras concessimus, pendentis sigilli nostri autentici munimine roboratas. Datum in *Vissegrad*, duodecimo die octavi dicti octavarum beati Michaelis archangeli predictarum, anno Domini Millesimo ccc^{mo} xxx^{mo} nono.

Extus manu medii aevi: Privilegium super distinccione metali cuiusdam insule, inter filios condam comitis Jacobi iudicis, ac Johannem, filium Stephani, filii Herclini facta, que insula vocatur Steelengruunt. — Sigillum e flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. T. nr. 17.

510.

1339. Esztergom. 5. Novembr. — Geraldus, ordinis fratrum minorum generalis minister, nonnullos laicos, eorum uxores. liberosque, ad universa et singula religionis suffragia, recipit, plenam eis concedens participationem bonorum spiritualium, ubicunque terrarum, per fratres operatorum.

Ed. Cod. Andegav. T. III. p. 568.

511.

1339. Visegrád. 18. Dec. — Comes Paulus, judex curiae regiae, magistrum Petrum et filios Johannis, contra capitulum Strigoniense, in facto possessionum Darás et Izsép, in termino non comparentes, convincit.

Nos comes *Paulus,* iudex curie domini regis, damus pro memoria, quod magister *Demetrius, decanus* ecclesie *Strigoniensis,* pro eodem capitulio (sic!) ecclesie Strigoniensis, in octavis beati Andree apostoli ad nostram accedendo presenciam, quasdam litteras capituli ecclesie *Quinqueeccle-* 1339. 7. Dec. *siensis* nobis demonstravit. In quibus reperimus contineri: quod, cum homo regius, sub testimonio dicti capituli Quinqueecclesiensis, ad facies possessionum *Daras* et *Iseph* vocatarum accessisset, et easdem per veteres suas metas et antiquas reambulando, ab aliorum possessionibus, metarum erreccione mediante, separare et magistro Petro, filio Herrici, quondam bani, Nicolao, Petro et Herrico, filiis Johannis, fratris eiusdem magistri Petri, iuxta continenciam litterarum regalium statuere voluisset, magister *Ladislaus, prepositus* ecclesie *sancti Georgii* matiris de *Strigonio,* sua et tocius capituli *maioris* ecclesie *Srigoniensis* predicti in personis, coram ipso capitulo Quinqueecclesiensi comparendo, ipsos hominem regium, testimoniumque dicti capituli Quinqueecclesiensis, a statucione earumdem possessionum *Daras* et *Iseph* vocatarum et metarum ereccionibus prohibuisset; sicque predictum capitulum Strigoniense, prefatus homo regius, presente testimonio dicti capituli Quinqueecclesiensis, contra dominum regem ad dictas octavas beati Andree apostoli citavisset, in presenciam eiusdem domini regis. Unde, quia prefata possessionaria statucio ipsis magistro Petro et filiis Johannis fratris sui fieri debuisset, dictumque capitulum Strigoniense pro premissa possessionaria inhibicione non contra ipsos magistrum Petrum et filios Johannis, sed contra dominum regem citatum fuisse, ex serie dictarum litterarum capituli ecclesie Quinqueecclesiensis reperiebatur, iidemque magister Petrus et filii Johannis, nec personaliter venire, nec procuratorem pro se destinare, nec eciam procuratorem ipsius domini regis ad exsecucionem dicte cause statuere curarunt, ideo ipsos magistrum Petrum et filios Johannis in hys gravaminibus decrevimus convictos extitisse. In quibus eosdem, regni consuetudine requirente, dum partes in causam devenerint, barones et nobiles regni convictos fore discusserint in premissis. Datum in *Wyssegrad,* duodecimo die octavarum predictarum, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ nono.

Extus: Pro capitulo ecclesie con. (sic!) Strigoniensis, contra magistrum Petrum, filium quondam Herrici bani, et filios Johannis iudicialis. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 31. fasc. 1. nr. 10.

512.

1340. (Ipolyság.) 13. Jan. — Conventus de Ságh, French nobilem de Csitár, sponso suo Andreae, filio Kese, dimidietatem possessionis suae donasse perhibet.

Nos Stephanus prepositus et conventus, fratrum ordinis Premonstratensis, monasterii beate Virginis Marie de *Saag,* memorie commendantes significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem quod *French,* filius Benedicti,

nobilis de *Cytar* ab una parte, item *Andreas*, filius Kese, nobilis de *Kaladey*, scilicet sponsus eiusdem, ab altera, coram nobis personaliter constituti; idem French, filius Benedicti, dimidietatem possessionis sue in eadem *Citar* ad ipsum de iure pertinentem, separatam a possessione et porcione Thome fratris sui, Nycolai et Ladislai filiorum ipsius de eadem, domine *Zebe* filie sue, et per eam predicto Andree sponso suo, ipsis et ipsorum heredibus, heredumque suorum successoribus, propter favorem et dileccionem quam ad ipsos habet, ex misione (sic!) et ex consensu predicti Thome, qui personaliter pro se, item pro Nicolao et Ladislao filiis suis anotatis, cum procuratoriis literis nostris, astitit coram nobis, idem consensum prebuit et assensum, dedit, contulit et donavit, iure hereditario et irevocabiliter possidendam predictam dimidietatem possessionis sue, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis universis, cum sessionibus et fundis curiarum, ac porcione molendini, sicut ydem French possedisset tenendam, pariter et habendam. In cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam, ad peticionem ipsius French, literas nostras patentes prenominato Andree, filio Kese, duximus concedendas; et cum presentes ad nos reportabuntur, nostrum super hoc privilegium ipsi Andree exinde concedemus. Datum, feria quinta, scilicet in octavis festi Epiphaniarum Domini, anno eiusdem M ccc XL^mo.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. F. nr. 14.

513.

1340. Visegrád. 13. Jan. — Carolus I. rex, libertates monasterii s. Benedicti de iuxta Gron, iterum confirmat.

Nos *Karolus*, Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod religiosus vir frater *Jacobus prior* monasterii conventus sancti Benedicti de *iuxta Goron*, pro se et domino fratre Seuerino abbate, ac eodem conventu, ad nostram accedens presenciam exhibuit nobis quasdam litteras nostras privilegiales, mediocri sigillo nostro in partibus Transalpinis casualiter deperdito consignatas, super quibusdam iuribus dicte ecclesie confectas, petens nos humiliter et devote supplicando, ut quia dictum privilegium ad execucionem cause ipsorum, propter fortuitos casus itineris et periculosos, secum in specie deferre non auderent, easdem nos de verbo ad verbum presentibus transscribi faceremus. Cuius quidem littere privilegialis tenor talis est:

Sequitur privilegium Caroli I. regis a 1328. super libertatibus monasterii concessum et sub nr. 192. ex ipso orig. communicatum. 1328. 18. Mart.

Nos itaque supplicacionibus predicti fratris Jacobi prioris inclinati, dictas litteras privilegiales presentibus de verbo ad verbum transscribi fecimus ad cautelam. Datum, in *Wyssegrad*, in octavis Epyphanie Domini, anno eiusdem M° ccc° xxxx^mo.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 9. fasc. 3. nr. 5.

514.

1340. (Garamszentbenedek.) 25. Febr. — Conventus de iuxta Gron, abbatem Stephanum de Lekér, quandam terram et pratum in Csanak, abbati s. Martini, pro tribus pensis denariorum, annuatim solvendorum, elocasse testatur.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 6.

515.

1340. (Garamszentbenedek.) 29. Febr. — Citatoriae conventus de juxta Gron, pro filiis Zamchuk datae.

Excellentissimo domino *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie illustri, domino suo, *conventus* monasterii sancti Benedicti de *iuxta Gron,* oraciones in Domino debitas et devotas. Litteris vestre excellencie citatoriis, pro Petro de *Fyus,* summa cum reverencia receptis, cum Deseu de *Rendue,* homine vestro, Salamonem capellanum nostrum ad citacionem infrascriptam faciendum, pro testimonio nostro hominem, iuxta vestrum preceptum duximus transmittendum. Qui demum ad nos reversi, et per nos diligenter requisiti, concorditer retulerunt: quod, feria secunda proxima post dominicam Esto mihi, Nicolaum, Deseu et Johannem filios *Zamchuk,* in *Ebeydyz* possessione ipsorum, contra predictum Petrum de Fyus et Thomam filium eiusdem, ad octavas medii quadragesime ad vestre serenitatis presenciam citavissent. Datum, feria tercia proxima post dominicam antedictam, anno Domini M ccc quadragesimo.

1340. 28. Febr., 29. Mart.

Extus: Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie, pro Nicolao, Deseu et Johanne, filiis Zamchuk, contra Petrum de Fyus et Thomam filium eius, ad octavas medie quadragesime citatoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 14. fasc. 6. nr. 19.

516.

1340. (Esztergom.) 5. Mart. — Conventus Cruciferorum Strigon. comitem Andream, cum jobbagionibus castri Nitriensis, circa aqueductum molendini, inter duas villas Ujfalu constructum, convenisse testatur.

Nos conventus *cruciferorum,* domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani *de Strigonio,* tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod *Nicolaus,* filius Andree, filii *Budmer,* cum procuratoriis litteris capituli ecclesie Nitriensis pro eodem Andrea ex una; et Johannes, filius Petri, cum procuratoriis litteris eiusdem capituli pro Peteu, filio Ders, et Johanne, filio Nicolai, iobagionibus *castri Nitriensis* parte ex altera; coram nobis personaliter constituti, per eundem Johannem procuratorem eorumdem Peteu et Johannis propositum extitit, oraculo vive vocis, et relatum: quod obstaculum molendini, per prefatum comitem Andream, in aqua communi *Wychma* vocata, inter duas villas *Wyfolu* vocatas constitutum, ex parte ipsorum eidem comiti Andree perpetuo annuissent et consensissent, predictus vero procurator Andree obligavit ipsum Andream et suos heredes ac successores, per predictum obstaculum molendini eisdem Peteu et Johanni, filio Nicolai, et ipsorum heredibus et successoribus, ac eorum pecoribus, aquam mittere sufficientem. Datum, in dominica Invocavit, anno Domini M° ccc° xxxx^mo.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Publ. Capsa 1. fasc. 4. nr. 23.

517.

1340. Visegrád. 16. Mart. — Comes Paulus judex curiae, per capitulum Strigoniense terram Csukárfalva, a terra Bazin, metis sequestrari et num intra metas ecclesie Poson., vel vero magistri Sebus de Bazin adjaceat, determinari petit.

Tenorem vide sub nro 527.

518.

1340. (Nyitra.) 19. Mart. — Capitulum Nitriense testatur, quod capitulum Posoniense, literas super inquisitione, ratione tributi in Bazin et utrum Konus rector novi montis in Nyir-Pataka, quemdam tributarium magistri Sebes vulnerasset, propter quandam discordiam litigiosam, inter ipsum Sebus et capitulum habitam, eidem magistro Sebus dare, recusasset.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 12.

519.

1340. (Pozsony.) 7. Apr. — Capitulum Posoniense, filios Egidii de villa Barnabae, possessionarias portiones quasdam in Staul, filiis Miko et Ladislai de eandem Barnabae, contulisse perhibet.

U[nivers]is Christi fidelibus presencium noticiam habituris, capitulum ecclesie Posoniensis, salutem in vere salutis amatore. Ad universorum, tam presencium, quam futurorum noticiam, harum serie volumus pervenire, quod Dominicus, filius Egidii, pro se, et pro Thoma filio suo; item Paulus, filius Nicolai, filii eiusdem Egidii, pro se et pro patre suo Nicolao, ac pro tribus fratribus suis, scilicet Barnaba, Andrea et Mathia; item Jacobus, filius Johannis, filii eiusdem predicti Egidii, pro se, et pro duobus fratribus suis scilicet, Nicolao et Anthonio, nobiles de *Stavl* inferiori, personaliter nostri presenciam adeuntes, vive vocis ministerio, totalis eorum possessionarie porcionis in dicta possessione Stavl ipsos quocumque titulo de iure contingentis terciam partem, tam in aqua, quam in terra, cum universis utilitatibus ad eandem terciam partem spectantibus et pertinenciis quibuslibet, quocumque nomine vocitentur, Johanni et Paulo, fil[ii eius]dem, item Petro et Jacobo, filiis Johannis, filiis Myko, item Stephano, filio Symonis, et Nicolao ac Johanni, filiis Ladizlai de villa Barnabe, ipsis inquam et eorum posteritatibus seu successoribus universis, perpetuo et irrevocabiliter dedissent et donassent, *y*mo coram nobis dederunt, tradiderunt et donarunt semper ad possidendum, tenendum, pariter et habendum donaverunt, inquam, racione tercie partis possessionarie porcionis prenominatorum nobilium de *villa Barnabe*, quam terciam partem sue totalis partis in terra Barnabe predicta, iam nominati nobiles de villa Barnabe, prefatis nobilibus de Stavl Dominico scilicet [. . . .]s se dixerunt e converso donavisse, *y*mo coram nobis donaverunt et perpetuo possidendam contulerunt; obligarunt se iidem nobiles de Stavl et de villa Barnabe mutuo et vicissim, quod quicumque temporis curriculo racione dictarum porcionum terciarum in predictis possessionibus villa Barnabe et Stavl inferiori infestare quoquomodo niteretur et [. . . .]het contra huiusmodi molestantem, eos se suis laboribus et expensis paribus et equalibus mutuo et vicissitudinaliter defensantes tuerentur. In cuius rei memoriam presentes, appensione nostri sigilli communi-

tas duximus concedendas. Datum feria sexta proxima ante dominicam Ramispalmarum, anno Domini M° ccc^mo xl^mo.

A. B. C.

Sigillum e viridi et rubro serico pendet. — Orig. membr., sat exesum, in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 17. nr. 28.

520.

1340. Visegrád. 8. Apr. — Carolus I. rex, capitulo Strigoniensi mandat, ut vineas in montanis de Nyir mensuret et censum ex ipsis Meskoni episcopo solvendum committet.

Seriem vide sub. nr. 540.

521.

1340. (Esztergom.) 9. Apr. — Conventus Cruciferorum de Strigonio, super possessione Kendi, prope Üzbég in comitatu Nitr. iacente, per magistrum Dezső de Emőke, Chanadino archiepiscopo Strigoniensi, pro 60 marcis Viennens. vendita, testimoniales dat.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII⁴. p. 467 et sq.

522.

1340. (Buda.) 23. Apr. — Capitulum Budense Andream, filium Kese, ob possessionis suae Kalade vocatae occupationem, protestasse perhibet.

Nos *capitulum* ecclesie *Budensis*, damus pro memoria, quod *Andreas*, filius *Kysa*, nobilis de *Kaladey*, citra fluvium *Ipol*, ad nostram accedendo presenciam, nobis significare curavit in hunc modum; quod magnificus vir dominus *Thomas*, *voywoda* Transsiluanus et comes de Zolnuk, quandam possessionariam possessionem suam Kaladey vocatam, in comitatu Hontensi existentem, contra voluntatem eiusdem Andree filii Kysa, predictus dominus Thomas voywoda Transsilluanus indebite et iniuste ocupasset et ocupari fecisse et ocupatam detinere et detineri faceret, in preiudicium et gravamen prescripti Andree, filii Kysa; super qua possessionaria possessione prenotata, seu fluvio inibidem transsmeanti, molendinum fecisset preparari. Igitur idem Andreas, filius Kysa, eundem dominum Thomam voyvodam, prohibuit ab omni ocupacione indebita et violenta percepcione usuum fructuum et utilitatum eiusdem possessionarie sessionis prenotate coram nobis. In cuius prohibicionis et protestacionis testimonium, presentes eidem duximus concedendas. Datum, in octavis Passce Domini, anno eiusdem millesimo ccc° xxxx^mo.

Extus: Pro Andrea, filio Kysa, contra dominum Thomam voyvodam Transsiluanum, super quadam possessionaria possessione Kaldey vocata protestacionalis et prohibicionalis. — Sigillum ext. marg. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. F. nr. 13.

523.

1340. Visegrád. 27. Apr. — Carolus I. rex, capitulo Strigoniensi reambulationem metarum possessionis Nyék, demandat.

Tenorem vide sub nr. 524.

524.

1340. (Esztergom.) **1. Maii. — Capitulum Strigon., peracta possessionis Nyék reambulatione, Carolo I. regi rescribit.**

Excellentissimo domino *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, Nicolaus prepositus et capitulum ecclesie Strigoniensis oraciones in domino, tam debitas quam devotas. Noveritis nos litteras vestras, nobis directas, recepisse debito cum honore in hec verba:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo ecclesie Strigoniensis salutem et graciam. Exponitur nobis in personis Georgii, Alberti, Gregorii, Chuaz et Stephani nobilium de comitatu Strigoniensi, quod quedam possessio ipsorum *Nyek* vocata, [in] eodem comitatu Strigoniensi habita, reambulacione metarum et ab aliorum possessionibus separacione plurimum indigeret. Super quo fidelitati vestre firmiter pre[cipim]us per presentes, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente Alexander de *Babnu,* vel Joannes, filius Georgii, altero absente homo noster, accedat ad faciem dicte possessionis, vicinisque et commetaneis suis, universis legitime convocatis et presentibus, reambulet ipsam per veras metas et antiquas, iuxta veteres ubi necesse fuerit novas metas erigendo, reambulatamque et ab aliorum possessionibus distinctam et separatam, relinquat eandem ipsis eo iure, quo ad ipsos pertinere dinoscitur, perpetuo possidendam, si non fuerit contradictum; contradictores vero, siqui fuerint, contra eosdem ad nostram presenciam ad terminum competentem legitime evocatis; et post hec diem et locum citacionis, terminum assignatum et nomina citatorum, cum cursibus metarum, tociusque facti seriem, nobis fideliter rescribatis. Datum in *Wyssegrad,* feria quinta proxima post octavas festi pasce Domini, anno eiusdem Millesimo ccc° quadragesimo. 1340. 27. Apr.

Nos igitur preceptis vestre maiestatis obtemperantes, ut tenemur, cum predicto Johanne, filio Georgii, homine vestro, *Johannem sacerdotem* de choro nostro transmisimus hominem nostrum, pro testimonio ad premissa exequenda. Qui ad medium nostrum reversi et per nos requisiti, nobis concorditer tali modo retulerunt: quod in octavis beati Georgii martiris proxime preteritis, ad faciem possessionis Nyek accedendo, suis vicinis et commetaneis eiusdem legitime convocatis, hominibus tandem magistri Thome, filii Petri vocatis, et ibi non comparentibus, eandem possessionem a parte possessionum *Chamazombata,* possessionis Petri, filii Beke et *Udvarnuk* possessionis Ladislai, filii Andree, et possessionis *Bayna* reambulassent, per veras metas et antiquas et reliquissent ipsam prefatis Georgio, Alberto, Gregorio, Chamas (sic!) et Stephano, nobilibus de comitatu Strigoniensi, perpetuo possidendam et habendam, nullo ibi contradictore comparente, sine nostro tamen preiudicio et iuris alieni. Mete vero eiusdem possessionis Nyek, a parte predictarum possessionum existentes, ut homo vester cum homine nostro nobis retulerunt, tali ordine essent situate: quod prima inciperet a parte meridionali circa angulum cuiusdam vinee apud duas terreas metas, quarum una possessionem Nyek, alia vero possessionem Chamazombata separaret, de quibus eundo versus plagam occidentalem, deveniret ad tres terreas metas, circa quandam vineam existentes, quarum una possessionem Nyek, alia vero possessionem Chamazombata, tercia vero possessionem Odvarnuk separaret; deinde transeundo ulterius versus ean- 1340. 1. Maii.

dem plagam, perveniret iterum ad tres terreas metas, in quodam monte situatas, quarum una possessionem Nyek, alia possessionem wdvarnuk, tercia vero possessionem Bayna separaret; deinde eundo versus orientem deveniret ad duas terreas metas, in quodam monte *Kwpesth* vocato existentes, quarum una possessionem Nyek, alia vero possessionem Bayna separaret; exinde transeundo vallem, pervenit ad unam lapideam metam, in quodam monte *Kwgath* vocato existentem, que possessionem Nyek et Bayna separaret; de qua eundo per metam cursualem, perveniret ad duas terreas metas, quarum una possessionem Nyek, alia vero possessionem *Sap* separaret; exinde eundo versus orientem, adveniret ad duas terreas metas et terciam lapideam, circa quandam magnam viam, in quadam *Berch* existentes, quarum una possessionem Nyek, alia possessionem *Kwy,* tercia vero Sap separarent; et ibi terminarentur. Datum in predictis octavis beati Georgii martiris, anno vero Domini supradicto.

E transsumpto capituli Vaciensis a. 1377. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 37. fasc. 1. nr. 1.

525.

1340. — 3. Maii. — Philippus vicecomes et vicecastellanus Posoniensis capitulo Strigoniensi seriem reambulationis possessionis Csukárfalva describit.

Tenorem vide sub nr. 527.

526.

1340. (Ó-Buda.) 5. Maii. — Capitulum Budense, Andream de Szunyog, vicecomitem de Szolnok, ab usu possessionum Sag et Alpár, monasterii s. Benedicti de iuxta Gron, prohibuisse Carolo I. regi, rescribit.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 20.

527.

1340. (Esztergom.) 8. Maii. — Capitulum Strigon. Carolo I. regi seriem reambulationis metarum possessionis capit. Poson. Csukárfalva vocatae, rescribit.

Excellentissimo domino suo, *Karulo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, Nicolaus prepositus et capitulum ecclesie Strigoniensis, oraciones in Domino, tam debitas quam devotas. Noveritis nos, litteras magnifici viri, comitis Pauli iudicis curie vestre, nobis exhibitas recepisse, in hec verba:

Amicis suis capitulo Strigoniensi, comes Paulus, iudex curie domini regis, debite amicicie et honoris incrementum. Vestre amicicie presencium serie declaramus, quod cum secundum continenciam priorum litterarum nostrarum, modum et formam iudicii nostri declarancium, magister *Sebus,* filius Abrace de *Bozyn,* instrumenta sua quibus mediantibus quedam terra, per prepositum et *capitulum* ecclesie *Posoniensis* nomine terre, seu possessionis ecclesie ipsorum *Negthurnye,* seu *Chukarfolua* vocate, per has metas incipiendo, a metis capitalibus, ubi videlicet terre *Dalyan* vicinaretur et terre *Bozyn* coniungeretur ad occidentem sursum versus montem *Sumberg* vocatum, viginti et una metis certis et manifestis, seu palam apparentibus, inter terram hanc Chukarfolua, et terram Bozen, ac

terram Sumberg memoratas currentibus, recaptivata sibi pertinere dignoscatur, in octavis festi Epiphanie Domini, proxime preteritis, 1340. 13. Jan. contra eosdem prepositum et capitulum ecclesie Posoniensis, coram nobis exhibere debuisset, et ipsa instrumentalis exhibicio, volentibus partibus, ad octavas diey Cinerum prorogata extitisset. Tandem ipsis octavis diei Cynerum occurrentibus, discretus vir *Martinus prepositus* ecclesie 8. Mart. *Demessiensis,* pro eisdem preposito et capitulo Posoniensi, cum procuratoriis litteris eorumdem, ad nostram accedendo presenciam, quoddam privilegium quondam magnifici viri, comitis *Alexandri,* titulo predicti iudicatus curie regie in bona memoria prefulgentis, predecessoris nostri, nobis demonstravit, in cuius tenore reperimus contineri; quod cum inter prepositum et capitulum dicte ecclesie Posoniensis ab una, et Andream, filium Nicolai, filii Jwanka de *Neek,* Johannem, filium Chama, Johannem et alterum Johannem, filios Nicolai dicti *Brod,* Thomam filium Lypoldi, et Jwankam, filium Nicolai, filii Jwanka, parte ab altera, racione dicte possessionis seu ville *Thurnye,* alo nomine *Chikarfalua* vocate, in comitatu Posoniensi, inter *Posonium* et *Tirnauiam* civitates existentis, in presencia ipsius comitis Alexandri litigionarie questionis materia diucius fuisset ventilata; tandem quia ydem prepositus et capitulum, predictam possessionem Turnye seu Chukarfolua vocatam, quondam per Johannem, filium Petri, filii Chukar, nobilem iobagionem *castri Posoniensis,* ex regia collacione ab antiquo possessam, pro remedio anime sue, ac animarum parentum et proximorum suorum, sub antiquis metis et terminis predicte ecclesie Posoniensi perpetuo collatam, et demum ipsam collacionem eidem ecclesie Posoniensi factam, per dominos *Andream* quondam et *Karulum* nunc, illustres reges Hungarie, confirmatam et perpetuatam extitisse, ac per patres eorumdem nobilium, in causam attractorum, generaciones prefatorum Chukar, iuxta collacionem prenominati Johannis, filii Petri, filii Chukar, eidem ecclesie Posoniensi resignatam fuisse, per exhibiciones efficacium instrumentorum comprobasset; ob hoc idem comes Alexander, ipsam possessionem Turnye, alio nomine Chukarfolua vocatam, eisdem preposito et capitulo adiudicasset inter cetera perpetuo possidendam. In cuius preexhibicionis (sic) privilegii contrarium idem magister Sebus, quedam duo privilegia serenissimorum principum dominorum *Andree* anno Domini Millesimo ducentesimo octavo, et *Bele* illustrium reguim Hungarie, anno Domini M cc quinquagesimo sexto emanata, demonstravit; 1208. in quarum continenciis vidimus contineri, quod prefatus dominus 1256. Andreas rex, terram quandam Bozen nomine, que ad castrum Posoniense pertinuisset, certis metis in eodem privilegio contentis, undique a circumiacentibus terris distinctam, Thome comiti Nitriensi, priori et progenitori ipsius magistri Sebus, perpetuo contulisset et eundem in prefatam possessionem per comitem Posoniensem introduci fecisset. Demum tempore procedente, cum prelibatus dominus *Bela* rex, post recessum Tartarorum pro revocandis iuribus castri, indebite occupatis, per totum regnum diversos iudices misisset, inter cetera *Cosmas* et *Achileus* comites, priores videlicet eiusdem magistri Sebus, predictam terram Bozyn, que castri fuisset Posoniensis, eisdem dimittere, regioque privilegio confirmare ab eodem domino Bela rege postulassent; serviciis itaque ipsorum consideratis, idem dominus Bela rex, dictam terram Bozyn, ipsis Cosme et Achilleo comitibus et heredibus ipsorum, heredumque suorum successoribus

dimisisset perpetuo, sub metis, per dominum *Vincencium episcopum Nitriensem,* requisitorem earumdem terrarum, sibi rescriptis et in eodem privilegio suo contentis, pacifice possidendam; sicut pater ipsorum eandem dinosceretur possedisse. Quorum instrumentorum exhibicionibus factis, quia in privilegio, per procuratorem dictorum prepositi et capituli Posoniensis exhibito, nulle mete dicte possessionis Nogturnye, seu Chukarfolua vocate, specialiter et nominatim continebatur (sic!); privilegia autem quondam dominorum Andree et Bele regum, per ipsum magistrum Sebus exhibita, metas quibus dicta possessio Bozyn ab aliis circumiacentibus terris separatur, in se nominatim exprimebant, — ideo amiciciam vestram presentibus petimus diligenter, quatenus duos ex vobis viros discretos et honestos socios vestros, pro testimoniis fide dignos, una cum Andrea, filio Abrae Rufi de *Cheklyz*, vel Meynoldo fratre suo, aut Mychaele de *Locy,* pro parte dictorum prepositi et capituli Posoniensis; item magistro Thoma Rufo castellano de *Chehthe*, vel magistro *Chenyk* castellano de *Weruskeu,* aut Philippo de *Chubay,* vel comite *Dyonisyo Nigro,* pro parte prelibati magistri Sebus, aliis absentibus hominibus regiis adducendis transmittatis, coram quibus *Abram,* filius Ladislai de *Sancta Elizhabeth,* similiter homo domini regis, ad huiusmodi negocii exequcionem de curia regia pro utrisque partibus transmissus, in octavis festi beati Georgii martiris nunc venturis, ad faciem dicte litigiose terre, vicinis et commetaneis suis universis legitime convocatis, ac partibus vel earum legitimis procuratoribus presentibus, accedat et tam iidem homines regii, quam testimonia vestra, primo ipsas litteras capituli Jauriensis, seriem recaptivacionis dicte litigiose terre exprimentes, per ipsos prepositum et capitulum ecclesie Posoniensis, vel eorum procuratorem, sub capite sigilli nostri ibi exhibendas, et demum ipsa duo privilegia dominorum Andree et Bele regum, in specie per ipsum magistrum Sebus, vel suum procuratorem ibidem demonstranda, de verbo ad verbum perlegi faciant, et ipsis litteris recaptivatoriis et privilegiis prenotatis, ac metis in eisdem contentis bene consideratis et diligenter scrutatis, procedant in ea solummodo parte, ubi dicte litigiose possessiones parcium predictarum invicem coniunguntur, et in locis inter easdem partes necessariis reambulent, ipsas metas iuxta ostensionem privilegiorum predictorum, ac commetaneorum et vicinorum earumdem. Et si ipsas metas, iuxta demonstracionem dictorum privilegiorum dominorum Andree et Bele regum, ac commetaneorum et vicinorum earumdem integras vel apparentes, aut loca earumdem metarum apparencia invenerint, extunc iuxta illas metas novas metas erigant, et ipsas parcium possessiones litigiosas per ereccionem ipsarum metarum ab invicem sequestrent, et cuique parti suam possessionem idem Abram, homo regius, statuat, non obstante contradiccione parcium, perpetuo possidere. Ipsamque terram litigiosam, iidem homines regii, vestraque testimonia videant, utrum intra ipsas metas in possessione magistri Sebus, vel extra easdem in possessione dictorum prepositi et capituli ecclesie Posoniensis adiacere dinoscantur; et eandem estiment. Si autem ipsas metas iuxta ostensionem dictorum privilegiorum reperire, vel loca earumdem metarum apparencia invenire non possent, nec easdem ab eisdem vicinis et commetaneis scire possent, extunc ipsam terram, inter partes litigiosam, signis pro metis positis consignando et regali mensura mensurando, vel visu considerando, cum utilitatibus suis universis estiment, regni consuetudine exigente; et post hec seriem ipsius

1340. 1. Maii.

possessionarie sequestracionis et statucionis, cum cursibus metarum, vel estimacione terre litigiose, ac signis pro metis positis, domino regi ad octavum diem dictarum octavarum beati Georgii martiris, fideliter rescribatis; ut visa serie premissorum, iudicium et iusticiam facere valeamus inter partes, moderamine iuris mediante. Datum, in *Wyssegrad,* nono die octavarum diei Cinerum predictarum, anno Domini M° ccc° xl^mo^. 1340. 16. Mart.

Nos igitur, legitimis prefati comitis Pauli peticionibus annuentes, cum predicto *Andrea*, filio Abrae Rufi, magistrum *Petrum* socium et *concanonicum* nostrum, pro parte predicti domini prepositi Posoniensis et sui capituli; item cum prefato magistro *Philippo* vicecomite et castellano Posoniensi, *Andream* et *Georgium presbiteros* chori nostri prebendarios, pro parte magistri Sebus prelibati vestris hominibus, nostros homines pro testimoniis misissemus ad premissa exequenda, et cum iidem homines vestri, cum nostris hominibus, ad medium nostri reversi extitissent, prefatus magister Sebus, cum eisdem ad nostram personaliter accedens presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras predicti magistri Philippi vicecomitis et vicecastellani Posoniensis, *sub sigillo nobis non cognito,* hunc tenorem continentes:

Honorabilibus viris, capitulo ecclesie Strigoniensis, dominis et amicis suis plurimum reverendis, magister Philippus, vicecomes et castellanus Posoniensis, ac castri de *Diuen,* sincere amicicie continuum incrementum. Noverit vestre discrecionis amicicia, quod mediantibus litteris viri magnifici comitis Pauli, iudicis curie domini regis, pro parte magistri Sebus de Bozyn, contra dominum prepositum Posoniensem et venerabile capitulum loci eiusdem, super quadam terre particula, inter ipsos litigiose, mediantibus vestris testimoniis, pro homine regio summus deputati, et tandem feria secunda, videlicet in octavis festi beati Georgii martiris proxime preteritis, iuxta litteras dicti comitis Pauli et sua iudiciaria, ac sentencionali ordinacione, sub vestrorum hominum testimoniis, ad faciem terre litigiose inter ipsum magistrum Sebus et prepositum ac capitulum Posoniense habite, tam super ostensione litterarum capituli Jawriensis recaptivatoriarum, per (expunct.: dominum) dominum prepositum et capitulum Posoniense ostensarum, quam super exhibicione privilegiorum Endre et Bele regum, per ipsum magistrum Sebus exhibitorum, ac eciam super reambulacione et ostensione metarum, iusticia mediante, accessimus et presentibus ambarum parcium vicinis et commetaneis legittime convocatis, unacum Abrae, filio Ladyslai de Sancta Elizabeth, qui de curia regia similiter per (sic!) utrisque partibus, super huiusmodi negocii exequcionem extitit transmissus, mediantibus continenciis litterarum iudicis curie regie, prout tenebamur, processimus; sed quia nos, in negociis arduissimis, per dominum nostrum, magistrum Nicolaum ad presens simus constituti, vestre amicicie seriem tocius processus, prout nobis visum et scitum fuit, oretenus indicare nequimus, nec vos personaliter visitare valemus, sed seriem tocius processus predicte terre litigiose, prout nobis presentibus Abrae regio, et vestrorum hominum testimoniis scitum et visum existit, vestre amicicie per nostras litteras declaramus, seu notificamus, tali modo: quod primo videlicet in dictis octavis festi beati Georgii martiris, cum Abrae, filio Ladyslai, homine regio, et dominis Andrea et Georgio presbiteris chori vestri prebendaris (sic), pro parte magistri Sebus per vos in testimonium transmissis, item Andrea, filio Abrae Rufi, similiter homine regio, ac 1340. 1. Maii.

magistro Petro concanonico vestre ecclesie, pro parte domini prepositi et capituli Posoniensis, super faciem dicte terre litigiose accessimus, et quatuor viri discreti, videlicet magister Nicolaus notarius, Petrus plebanus ac custos, et Johannes Longus canonici dicte ecclesie Posoniensis (quartus emansit), pro domino preposito et capitulo Posoniensi comparuerunt, quos cum idem magister Sebus vidisset, litteras procuratorias mediantibus quibus, pro dicto domino preposito et capitulo Posoniensi comparerent, coram nobis postulavit ab eisdem; qui taliter respondissent, quod ipsi pro domino preposito et capitulo antedicto, absque aliquibus litteris caucionibus comparere possent, et hys dictis idem magister Nicolaus notarius, una cum suis consociis prefatis, iuxta tenores litterarum iudicis curie domini regis, litteras venerabilis capituli Jawriensis ecclesie recaptivatorias, sine capite sigilli iudicis curie regie coram nobis exhibuit, licet ipsas litteras cum capite sigilli iudicis curie domini regis debuisset exhibuisse, et post hec visis eiusdem instrumentis, idem magister Nicolaus, cum suis prefatis consociis, homines regios et vestra testimonia, tam ex parte ipsorum, quam ex parte magistri Sebus, ad unam silvam adduxit, et in uno loco stando dixit, quod ibi quatuor mete fuissent capitales et dicte terre litigiose principales, quarum una est meta ipsorum, alia possessionis *Dalyan,* tercia possessionis *Ternye,* quarta possessionis *Bozyn,* que separant eorum possessionem a dictis aliis possessionibus, sed nunc easdem destruxissent; ubi diligenter intuentes et prospicientes, nullum penitus signum vel apparenciam mete intelleximus aliqualem; inde egrediendo versus occidentem, in uno loco ostenderunt unum combustum truncum pro meta, ubi nulla videbatur apparere; item inde similiter ad eandem partem directe eundo, satis per longum spacium, ostenderunt duas terreas metas; et inde tendendo eciam ad eandem partem ostendendo unum locum, ubi erat quasi focus, dicentes quod ibi fuisset meta ipsorum, que nobis non videbatur fore meta; deinde eundo ad eandem plagam, ostendenderunt unam metam terream, post hec iterum transeundo per bonum spacium, ostenderunt duas terreas metas, et inde procedendo semper in eadem silva ostenderunt unum signum pro meta, ubi eciam non percepimus esse metam; item abhinc procedendo, ostenderunt unum arborem piri pro meta, ubi non videbatur aliquod signum mete; et dehinc eundo ad eandem partem, in uno loco ostenderunt duas metas terreas; item post hec ostenderunt eciam unam metam terream; et dehinc procedendo directe, exeundo de silva, ostenderunt unum locum *w*lgo *Domb* dictum, ubi non percepimus esse metam; et abhinc eundo per magnum spacium in campo ad eandem partem, versus montem Sumberg, prope ipsum montem ostenderunt in uno loco unum signum *w*lgo Domb dictum pro meta, qui pro meta apparere non videbatur; deinde parumper egrediendo, ostenderunt simile signum, quod eciam non intelleximus esse metam; et abhinc procedendo per breve spacium, ostenderunt simile signum, quod non videbatur nobis esse meta; item ascendendo ad montem Sumberg, ostenderunt tria signa similia, que ad modum metarum non videbantur apparere; item ultimo ostenderunt unam congeriem lapidum, sub vinea *hospitalis de Tyrna,* que similiter non videbatur esse meta; ubi dixerunt, quod possessio prefata litigiosa esset maior et longior, sed et ultra metas dare et ostendere non possent. Post ista autem hec omnia, iuxta tenorem et seriem litterarum iudicis curie regie maiestatis, magister Sebus, ipsis Nicolao custode et Petro plebano magistris presentibus, ac coram hominibus tam regio, quam vestris

testimoniis, per partes adductis, vicinis et commetaneisque (sic) presentibus, sua instrumenta, videlicet litteras privilegiales serenissimorum principum Endre et Bele regum exhibuit, ut debebat, quorum tenorem de verbo ad verbum perlegendo, metas in eisdem repertis (sic!) voluissemus in ea parte ubi necesse fuerit, legitime convocatis vicinis et commetaneis reambulare. Primo incipiendo a fluvio *Luchink,* et ab eodem descendendo cadit in rivulum *Chukarpataka* vocatum, que habentur pro meta, et idem rivulus descendendo, per magnum spacium venit directe usque ad villam dicti capituli Posoniensis *Chukarfalua* nominatam, et ante ipsam villam, prope de fluvio *Chukarpataka* exeundo, versus dextram tendendo, secundum continencias predictorum privilegiorum Endre et Bele regum, tendit ad duas metas antiquas, quas vicini et commetanei predictarum parcium, ipsis partibus presentibus, veras et eminentes metas ipsius magistri Sebus esse affirmarunt; et quod ante spacium quinquaginta annorum in eodem loco possessionem magistri Sebus, iuxta scitum ipsorum, a possessione Chukarfalua nominata, dicte mete separacionem fecissent, et in ibi iuxta ipsas veteres metas, uno signo pro nova meta interim consignando, eo quod propter occasum diei, eo quod ipso tempore nimis tardum fuerat, cursum metarum perficere et perambulare ipso die nequimus, sed carstinum (sic!) diem dictarum octavarum, super execucione negocii predicti, partibus ambabus terminum comparendi commisimus. Tandem ipso die crastino adveniente, una cum dictis partibus, super prefatas antiquas metas accessimus, et in ibi coram vicinis et commetaneis legitime *ad*vocatis, unam novam metam ereximus, et magister Sebus, a Nicolao et Johanne Longo, ac a sociis eorum antefatis, litteras procuratorias, prout primo die petivisset, per quas pro domino preposito et capitulo Posoniensi comparerent, nunc iterato postulavit coram nobis, qui e contra allocuti (sic!) fuerunt, quod ipsi in persona domini prepositi et capituli Posoniensis possessionem ecclesie amittere seu perdere nollent, nec aliquas litteras cauciones, super ipsa procuracione possent exhibeiri (sic!), et cum hys verbis se ipsos a nobis alienarunt, ac hominem regium ipsorum et magistrum Petrum vestrum testimonium cum eis adduxerunt. Unde nos hys visis et perceptis, quia huiusmodi negocium predicte partis, iuxta ostensivas privilegiorum Endre et Bele regum bene ad medium fuerant reambulatum, ad dictas veteres metas, ubi nova meta per nos fuerat erecta iterato accessimus, et quia predicte mete antique, de exitu aque Chukarpataka, ubi ipsa aqua pro meta existit ambinvicem (sic!) appareant remote coniacere, ob hoc pro maiori certitudine unam metam sub uno piro novam ereximus, que de exitu prefate aque Chukarpataka directe ad ipsas duas antiquas metas videtur ostendere, de quibus quidem duabus metis procedendo versus silvam *Lyppua,* per aliquale spacium invenimus duas metas terreas, ubi ereximus novam metam. Item inde egrediendo, in rubeto invenimus unam metam, ubi similiter posuimus novam metam; deinde eundo ad eandem silvam comperimus similiter unam veram metam, et ibi ereximus novam; item dehinc procedendo in eadem silva *Lyppua* pervenimus ad terram, seu possessionem domini regis, *Modor* vocatam, et ibi invenimus duas metas terreas, iuxta quas novam similiter ereximus metam; et ibi possessio litigiosa terminatur, seu diffinitur; et sic ipsam terram litigiosam mete magistri Sebes, iuxta continencias predictorum privilegiorum ostense, incluserunt omnino. Quapropter ipsam terram litigiosam, presentibus viciniis (sic!) et commetaneis, nullo contradictore

existente, ipsi magistro Sebus, cum Abrae, filio Ladislai, homine regio, vestris testimoniis presentibus, statuimus et assignavimus, consuetudine regni requirente. *Possessio autem litigiosa cum mensura regali non poterat mensurari seu estimari, sed ad modum terre, prout in comitatu Posoniensi mos et consuetudo requirit,* presentibus vicin*g*s et commetaneis, ac Andrea de *Churle,* et Jacobo de *Kylithi,* iudicibus nobilium dicti comitatus ac aliis nobilibus, nobiscum existentibus, pro octuaginta marcis latorum denariorum per nos existit extimata. Datum, feria tercia proxima post octavas festi beati Georgii martiris, anno Domini M° ccc° quadragesimo. 1340. 3. Maii.

Prefatus itaque Abram, homo vester pro utrisque partibus deputatus, cum predictis Georgio et Andrea nostris hominibus, omnia premissa in predictis litteris prefati (expunct.: vestris) magistri Philippy vicecomitis et castellani Posoniensis conscripta, eo modo facta fore nobis affirmarunt, ut in eisdem litteris exprimuntur et explicantur. Preterea Andreas, filius Abrae, homo vester pro parte predicti domini prepositi et sui capituli deputatus, presente homine nostro magistro Petro, dixit se recessisse tempore reambulacionis metarum possessionis litigiose pro eo, quod vicini et commetanei ipsius possessionis presentes non fuissent; pro eo eciam, quod predicti canonici Posonienses procuratorium se non habere asseruissent, nec ipsum voluissent exhiberi; quod autem post ipsorum recessum per eosdem de dicto negocio factum fuerit, hoc dixerunt se penitus ignore. Item sciat vestra excellencia, quod *de latinitate ac incongruitate latinitatum litterarum vicecomitis Posoniensis nichil omnino correximus.* Datum, in quindenis beati Georgii martiris, anno Domini ut supra.

Extus: Domino regi, pro domino preposito Posoniensi et suo capitulo, contra magistrum Sebus, super reambulacione metarum cuiusdam possessionis litigiose, relacio. — Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa D. fasc. 2. nr. 26.

528.

1340. Esztergom. 10. Maii. — Chanadinus archiepiscopus confirmat et ratum habet privilegium novem episcoporum cardinalium, super quadraginta dierum indulgentiis ecclesiae capitularis in Posonio existentis, concessis.

Universis sancte matris ecclesie filiis, ad quos presentes littere pervenerint, nos miseracione divina Nerzes *Manasgardensis,* Joannes *Rossensis archiepiscopi,* Sergius *Polensis,* Petrus *Calliensis,* Bernardus *Canensis,* Nicholaus *Nazariensis,* Cranus *Dulcinensis,* Petrus *Montis Marani* et Siluanus *Warmacensis* episcopi, salutem in Domino sempiternam. Splendor paterne glorie, qui sua mundum ineffabili claritate illuminat, pia vota fidelium, de clementissima eius maiestate sperancium, tunc benegno (sic!) precipue favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas, sanctorum meritis et precibus adiuvatur. Cupientes igitur, ut ecclesia sancti *Martini in Posonio,* in honorem sancti *Salvatoris* consecrata, *Strigoniensis diocesis,* congruis honoribus frequentetetur (sic!) et a Christi fidelibus iugiter veneretur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui ad dictam ecclesiam in singulis suorum patronorum festivitatibus, nec non Natalis Domini, Circumcisionis et Epiphanie, Parascevas Pasche, Ascencionis, Sancte Crucis, in omnibus festis beate Marie Virginis, Michaelis archangeli, sancti Johannis Baptiste, Petri et Pauli, et omnium apostolorum et ewangelistarum, sanctorumque

Stephani, Laurencii, Martini, Nicholai, Gregorii, Augustini, Ambrosii, Jeronimi, sanctarumque Marie Magdalene, Katerine, Margarete, Cecilie, Lucie, Agnetis, Agathe Virginum, in commemoracione Omnium Sanctorum et animarum, et per octavas dictarum festivitatum octavas habencium, singulisque diebus dominicis, causa devocionis, oracionis, aut peregrinacionis accesserint, seu qui in illis predicacionibus, matutinis, vesperis, aut aliis divinis officiis ibidem interfuerint, aut Corpus Christi, vel oleum sacrum cum infirmis portentur secuti fuerunt, seu in serotina pulsacione campane genubus flexis ter Ave Maria dixerint, necnon qui ad fabricam, luminaria, ornamenta, aut quevis alia dicte ecclesie necessaria manus porrexerint adiutrices, vel qui in eorum testamentis, aut certum aurum, argentum, vestimentum, aut aliquod aliud caritativum subsidium dicte ecclesie donaverint, legaverint, aut procuraverint, aut qui dictam ecclesiam et eius cymiterium exorando circuierint, et qui pro *Johanne* de *Posonio,* alias dictus *Casmer* in pectore oraverint, quocienscunque, quandocunque et ubicunque premissa, vel aliquod premissorum devote fecerint, de Omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et et (sic!) Pauli apostolorum, eius auctoritate confisi, singuli min. XL^{a} dies indulgenciarum ob veniam suorum peccaminum (quatuor ultimae voces erasae et alia manu superscriptae existunt) misericorditer in Domino erogamus, dummodo dyocesani voluntas ad id accesserit et consensus. In cuius rei testimonium nostra sigilla presentibus literis apposuimus. Datum, *Auinioni,* XVIII. die Aprilis, anno Domini M° ccc° xxxix° et pontificatus domini Benedicti pape XII. anno quinto. 1339. 18. Apr.

Nos autem *Chanadinus,* Dei et apostolica gracia *archiepiscopus Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, predictis indulgenciarum venerabilium patrum largicionibus diocesanum consensum adhibemus, quatragiuta dierum indulgenciis, premissa caritativa salutaria opera impendentibus augmentantes, sigilli nostri appensione duximus confirmandum. Datum, *Strigonii,* quarta feria proxima post quindenas beati Georgii martiris anno Domini M° ccc^{mo} quatragesimo.

In plicatura extus, a dextris: X. episcopi XL-ta dies. — Sigilla novem e zonis cannab. pendebant, decimum, illud nempe Chanadini archiepiscopi, e viridi et flavo serico. — Totum diploma, excepta confirmatione archiepiscopi Strigoniensis, typo codicum, cum initiali episcopum orantem exhibente depictoque exaratum existit. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson. Priv. Capsa I. nro 4.

529.

1340. — 15. Maii. — Iudiciales comitis Pauli, iudicis curiae regis, super possessione conventus de Turócz, Sallya vocata, elargitae.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 24.

530.

1340. (Nyitra.) 1. Junii. — Capitulum Nitriense, populos de Bars in terram Zengő, quatuor aratrorum absque centum iugeris introductos esse, Carolo I. regi rescribit.

Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, capitulum *Nitriensis* ecclesie, oraciones in domino debitas et devotas. Litteris viri magnifici domini Thome, woywade Transyluani, procuratoriis seu iudicis tawarnicatus vestri, super ipsius sentencia diffinitiva in facto cuiusdam possessionis

Sengew vocate, civibus de *Bors* adiudicate, ad quatuor aratra congruentis et statucione eiusdem ipsis civibus, reverenter receptis ut decuit, cum Phylipo, filio Nicolay de *Warad,* homine vestro, discretum virum et honestum dominum Nicolaum custodem ecclesie nostre, pro testimonio destinavimus. Qui negocio bene intenti, et ad nos reversi, concorditer retulerunt: quod feria sexta proxima post festum Ascensionis Domini proxime preteritum, ad faciem dicte terre accedentes Sengew, suis vicinis et commetaneis convocatis ac presentibus, cum regali mensura mensurando, usque quasdam metas, terram quatuor aratrorum absque centum iugeribus in eadem reperissent, et civibus de *Bors* statuissent. Et dicta vero centum iugera terrarum, Pobor de *Geured,* et filii Myke fratris sui, nomine sui iuris a statucione prefata prohibuissent, asserentes eadem ad suam [dict]am possessionem *Gewrud* pertinere. Datum, in octavis Ascensionis Domini, anno eiusdem Domini M° ccc° quadragesimo. 1340. 21. Maii.

Extus: Excellentissimo domino suo, domino *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, pro domino abbate et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, super statucione terre *Sengew* quatuor aratrorum, minus centum iugeribus. — Sigillum margini ext. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 12.

531.

1340. (Zobor.) 1. Jun. — Inquisitioriae conventus de Zobor, super possessionis Szölény, ad monasterium s. Benedicti de iuxta Gron pertinentis occupatione, per populos civitatis Bars peracta.

Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, conventus monasterii beati Ipoliti martiris de *Zoburio,* oracionum suffragia devotarum. Litteris excellencie vestre generalibus inquisitoriis, pro domino *abbate* et suo conventu monasterii sancti Benedicti de *iuxta Gron,* reverenter receptis, ad faciendum inquisicionem infrascriptam, cum Nicolao, filio Mauricii de *Gerud,* homine vestro (expunct.: magistrum Cosmam) *Nicolaum presbiterum,* capellanum nostrum de *Paguran,* pro testimonio destinavimus. Qui negocio bene intenti, et ad nos reversi, concorditer retulerunt: quod sicut a nobilibus et aliis communibus hominibus terre *Zeulen* circumiacentibus, ad dictum monasterium pertinenti (sic!) scire veridice et inquirere potuissent, Mychael, famulus domini woyvade, ex induccione et facto civium de *Bors,* eandem terram, cum molendino in ipsa terra constructo, omnibus frugibus in eodem habitis abstulisse*n*t, et dictis civibus statuisse*n*t et dedisse*n*t, in ipsius monasterii preiudicium, dampnum et iacturam, videlicet in dominica Judica proxime preterita. Datum, in octavis Asscensionis Domini, anno eiusdem M° ccc° quadragesimo.

Extus: Excellentissimo domino suo, domino *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, super occupacione possessionis *Zeulen* et molendini, pro domino abbate et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strigon. Publ. Capsa 18. fasc. 6. nr. 11.

532.

1340. (Nyitra.) 1. Jun. — Capitulum Nitriense, seriem reambulationis metarum possessionis Zengő, ad monasterium s. Benedicti de iuxta Gron pertinentis, Carolo I. regi rescribit.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 32.

533.

1340. (Nyitra.) 1. Jun. — Capitulum Nitriense cives de Bars terram Szölény et molendinum ibidem constructum, ad conventum s. Benedicti pertinentem, vi abstulisse perhibet.

Excellentissimo domino suo, domino *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, capitulum Nitriensis ecclesie, oraciones in Domino debitas et devotas. Litteris excellencie vestre generalibus inquisitoriis, pro domino *abbate,* monasterii sancti Benedicti et suo conventu de *iuxta Gron,* reverenter receptis, ad faciendum inquisicionem infrascriptam, cum Nicolao, filio Mauricii de *Gerud,* homine vestro, magistrum *Cosmam concanonicum* nostrum, pro testimonio destinavimus. Qui negocio bene intenti et ad nos reversi concorditer retulerunt: quod, sicut a nobilibus et aliis communibus hominibus, terre *Zevlen* circumiacentibus, ad dictum monasterium pertinenti, scire veridice et inquirere potuissent, Mychael famulus domini Thome waywade, ex induccione et facto civium de *Bors,* eandem terram, cum molendino in ipsa terra constructo, cum omnibus frugibus in eodem habitis abstulisset et dictis civibus statuisset et dedisset, in ipsius monasterii preiudicium, dampnum et iacturam, videlicet in dominica Iudica proxime preterita. Datum, in octavis Ascensionis Domini, anno eiusdem M° ccc° quadragesimo. 1340. 2. Apr.

Extus: Excellentissimo domino suo, domino *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, pro domino abbate et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, super ablacione molendini eorum in Bors habiti et frugibus. — Sigillum margini exteriori erat appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 5. nr. 8.

534.

1340. Avignon. 9. Junii. — Welislaus de Bohemia, abbas monasterii S. Michaelis de Bátha, coram dominis Stephano praeposito Quinqueecclesiensi et electo Colocensi, et Michaele praeposito ecclesiae Omnium Sanctorum, in promontorio Vesprimiensi, ac aliis tesibus, necnon duabus notariis publicis, calumnias contra Sigfridum abbatem monasterii S. Benedicti de iuxta Gron, per ipsum dissipatas, revocat.

Incipit: In nomine Domini Amen. Sub anno nativitatis eiusdem M ccc quadragesimo, indiccione octava, hora quasi prima, nono die mensis Junii, *Auinione, in domo habitacionis* venerabilis in Christo patris, domini Siffridi, abbatis monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, Strigoniensis diocesis . . . . .

In fine: Actum anno, mense — — — — ut supra; presentibus honorabilibus viris, dominis Stephano et Michaele prepositis supradictis, ac Nicolao ecclesie sancti Martini Scepusiensis, Benhardo Satacensis, Nicolao de Pozega ecclesiarum canonicis, Strigoniensis, Pragensis et Quinqueecclesiensis diocesum; Johanne plebano de Cremnicz, dicte Strigoniensis diocesis — — —

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 33 es sq.

535.

1340. Visegrád. 23. Jun. — Paulus comes, iudex curiae regiae, Michaelem vicecomitem de Zonuk non comparentem, in facto conventus de juxta Gron, convinctum esse declarat.

Nos comes *Paulus,* iudex curie domini regis, damus pro memoria, quod frater Cosmas, pro domino abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron,

cum procuratoriis litteris conventus eiusdem, ab octavis festi Penthecostes duodecim diebus continuis, contra Mychaelem vicecomitem de Zonuk, stetit in termino coram nobis; qui iuxta continenciam litterarum capituli Budensis citatoriarum, legitime citatus, non venit neque misit. Unde commisimus ipsum in iudicio fore convictum, si se racionabiliter non poterit excusare. Datum, in *Vyssegrad*, tredecimo die termini prenotati anno Domini M° ccc° xL^mo^. 1340. 11. Jun.

Extus: Pro abbate sancti Benedicti de iuxta Gron, contra Mychaelem vicecomitem de Zonuk, iudicialis. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 11.

536.

1340. (Esztergom.) 1. Jul. — Conventus Cruciferorum de Strigonio transsumit privilegium super conventione inter capit. Strigon. et incolas de Bela anno 1225. inita, emanatum.

Nos *conventus* cruciferorum, domus hospitalis sancti Stephani regis de Strigonio, significamus quibus expedit universis, quod discretus vir dominus *Johannes, decanus* ecclesie Strigoniensis, ad nostram personaliter accedendo presenciam, exhibuit nobis quoddam privilegium nostrum, *priori sigillo nostro* consignatum, infrascripti tenoris, petens nos cum instancia, ut idem privilegium renovare et auctoritate novi sigilli nostri ratificare dignaremur. Cuius tenor talis est

Sequitur privilegium anno 1225 exaratum, in quo recognoscunt incolae de Bela, capitulum Strigoniense ibidem quatuor aratra terrae possidere, ex ipso orig. edit. T. I. p. 256. nr. 277. 1225.

Nos igitur peticionibus eiusdem inclinati, attendentes predictum privilegium nostrum racionabiliter emanatum, nec in aliqua sui parte viciatum, de verbo ad verbum rescribi fecimus et cum novo sigillo nostro perpetuo vallere ratificavimus. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens nostrum privilegium eidem capitulo duximus concedendum. Datum, in octavis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° ccc° xL^mo^.

In tergo eadem manu adnot.: Privilegium super possessione, seu terra Bela, *de ante Strigonio*. — Sigillum e serico albo pendebat. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 24. fasc. 1. nro 9.

537.

1340. (Nyitra.) 14. Jul. — Capitulum Nitriense, Stephanum de Magyar, vicecastellanum de Ghimes, possessionem conventus s. Benedicti Bessenyő vocatam, iniuriose retineri testatur.

Nos capitulum ecclesie *Nitriensis,* memorie commendamus, quod vir religiosus frater Jacobus, prior conventus monasterii beati Benedicti de iuxta Gron, ad nostram personaliter accedens presenciam, vice et nomine domini Sewridi abbatis, ac conventus monasterii predicti, per modum protestacionis nobis significare curavit: quod cum magister Stephanus, dictus *Magyar,* vicecastellanus de *Gymes,* possessionem seu villam dicti monasterii, *Beseneu* vocatam, per spacium decem annorum elapsorum per eundem, cum suis utilitatibus possessam, eisdem decem annis completis in festo beate Margarethe virginis proxime preterito, prout in aliis nostris litteris patentibus nobis exhi- 1340. 14. Jul.

bitis vigimus contineri, ut earumdem vigore se obligaverat predicto domino abbati et sui (sic!) conventui resignare, et reddere debuisset sine dampno, ipso festo beate Margarethe adveniente, eandem possessionem seu villam Besseneu predictus magister Stephanus reddere, vel reddi facere minime curasset, [ac eciam silvam magnam cum aliis utilitatibus ad ipsam possessionem Besseneu pertinentibus per Michaelem de *Zwgh* occupare permisisset]. In cuius protestacionis testimonium presentes duximus concedendas. Datum, in crastino festi beate Margarethe prenotati anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^.

In tergo legitur autem: Protestacionalis, pro domino Sewrido abbate, et conventu monasterii beati Benedicti de iuxta Gron, contra magistrum Stephanum, dictum Magyar, vicecastellanum de *Gymes*. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 3. fasc. 1. nr. 4. — Ibidem reperit. aliud par, forma clausa editum, Lad. 3. fasc. 1. nr. 3., in quo verba in superioribus intra [ ] posita desiderantur.

538.

1340. — 1. Aug. — Capitulum Posoniense, terram quandam in Karcsa, ecclesiae b. Bartholomaei, de eadem Karcsa, statutam esse perhibet.

Magnifico viro, domino *Nicolao*, regni Hungariae *palatino* et iudici Cumanorum, capitulum ecclesiae Posoniensis, orationes in Domino. Literis vestrae magnificentiae, super quibusdam particulis terrae ecclesiae beati Bartholomaei in Karcha statutorjis, debita cum reverentia receptis, quas capite sigilli nostri consignatas vestrae magnificentiae remisimus in specie, cum Stephano, filio Salamonis de Karcha, homine vestro, nostrum misimus hominem, dominum Joannem plebanum de *Zerdahel*, in testimonium. Tandem predictus Stephanus ad nos veniens, sub eiusdem homini nostri testimonio, veridice retulit nobis: quod ipse, feria tertia proxima post festum beatae Margarethae Virginis et Martyris, vicinis et cometaneis universis legitime convocatis, super faciem dictarum terrae particularum accesserit et eas iuxta suas metas reambulaverit, factaque reambulacione, ecclesiae b. Bartholomaei predictae et eius Presbytero eo iure, quo ad eum pertinere dignoscitur, statuisset perpetuo possidendas, contradictore nemine apparente. Metae autem dictarum terrae particularum hoc ordine dignoscuntur: quod primo a parte orientis penes quoddam fossatum eiusdem villae Karcha est una meta, quae vicinatur terris populorum archiepiscopalium, seu metae terrarum dictorum populorum. De hinc transit versus occidentem directe ad Ecclesiam Beati Bartholomaei, scilicet ad Campanile, adhuc ulterius eundo, versus eandem plagam occidentalem, pervenitur ad finem eiusdem foeneti, dicti *Pap* et ibi est una meta; et in alio fine eiusdem foeneti iterum est una meta; postmodum flectitur versus plagam meridionalem et itur quasdam distinctiones (?) ad duas metas, quarum una populorum archiepiscopalium est; relicta vero Ecclesiae B. Bartholomaei antedictae, ubi contiguatur meta dictarum terrae particularum ad alias possessiones Ecclesiae prelibatae. Datum, in Octavis festi Beati Jacobi Apostoli. Anno Domini Millesimo Trecentesimo quadragesimo.

1340. 18. Jul.

Copia Ferdinandi Knauz e transumpto visitationis ecclesiae Egyházkarcsa sub. Litt. B. conservata in predicta parochia.

539.

1340. Avignon. 6. Sept. — Benedictus PP. XII. archiepiscopo Strigoniensi iniungit, ut ministro Ord. Minor. recipiendi quandam domum cum ecclesia, quam Nicolaus de Purin in villa de Sancta Cruce, Agriensis diocesis, pro eis aedificavit, licentiam det.

Ed. Theiner: Monum. Hist. Hung. T. I. p. 640. — Fejér: Cod. Dipl. VIII.[4] p. 445 et sq.

540.

1340. (Esztergom.) 16. Sept. — Capitulum Strigoniense Carolo I. regi, super mensuratione vinearum in Nyir existentium, census Meskoni episcopo Vesprimiensi adjudicando, rescribit.

Excellentissimo domino suo K.(arolo), Dei gracia illustri regi Hungarie, Nicolaus prepositus et capitulum ecclesie *Strigoniensis*, oraciones in [Domino], tam debitas quam devotas. Noveritis nos, litteras vestras nobis directas, recepisse debito cum honore, in hec verba:

K.(arolus), Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo Strigoniensi salutem et graciam. Dicit nobis Petrus, filius Pauli, famulus venerabilis in Christo patris domini *Meskonis*, per eandem graciam *episcopi Wesprimiensis,* proximi nostri, quod homines quamplures, tam de civitate nostra Strigoniensi, quam de villis extraneis, in territorio possessionis sue *Nyr* vocate vineas habentes, de ipsorum vineis sub mensura vinearum earumdem, quemadmodum antiqua consuetudo illius partis requireret, censum suum sibi dare recusarent; sicut eciam in serie litterarum vestrarum rescripcionalium, montanorum census in vineis habita mensuracione vinearum, dominis terre intelleximus debere persolvere. Super quo fidelitati vestre precipientes mandamus, quatenus dum per eundem Petrum, filium Pauli ad id requisiti fueritis, vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente Egidius de *Boyun,* homo noster, ad faciem vinearum in territorio dicte possessionis *Nyr* existencium accedendo, vicinis et commetaneis ipsarum legitime convocatis et presentibus, exigente consuetudine illius partis mensuret easdem, et habita mensuracione committat, ut de univeris vineis, quibus vinitores dicto Petro ius suum censuale persolvant, si sic in illis partibus foret consuetum; et tandem facti seriem nobis fideliter rescribatis. Datum in *Wyssegrad,* sabbato proximo ante dominicam Ramispalmarum, anno Domini M° ccc° xl.^mo^. 1340. 8. Apr.

Nos igitur, preceptis vestre maiestatis obtemperare cupientes, cum predicto Egidio de *Boyun,* homine vestro, Andream presbiterum, chori nostri prebendarium, hominem nostrum pro testimonio misimus ad premissa exequenda. Qui ad medium nostrum reversi et per nos requisiti, nobis concorditer eo modo retulerunt; quod, feria tercia proxima ante festum nativitatis Virginis gloriose, proxime preteritum, ad faciem prefatarum (expunct.: possessionis) vinearum in territorio predicte possessionis *Nyr* existencium accedendo, vicinis et commetaneis ipsorum legitime convocatis et presentibus, exigente consuetudine illius partis mensurassent easdem, et habita mensuracione, idem homo (expunct.: vester), presente eodem nostro testimonio, commisisset, ut de universis vineis supradictis, quilibet (expunct.: vinitores) inibi habentes vineas, predicto Petro ius suum censuale persolverent, consue- 1340. 5. Sept.

tudine illius partis exigente. Datum, sabbato proximo post octavas festi nativitatis Virginis gloriose, anno vero Domini supradicto.

Extus: Pro Petro de Nyr, domino regi, super mensuracione vinearum, relacio. — Sigillum margini exteriori fuit appresum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 67. fasc. 1. nr. 17.

541.

1340. Vizsoly. 20. Oct. — Magister Izsépy, viceiudex palatinalis, filios magistri Kokas et Cruciferos de Landek, ratione possessionum Lomnicz, Ör et Heimburg, amicabilem compositionem inivisse, perhibet.

Nos magister *Iseyp,* (sic!) viceiudex magnifici viri domini Wyllermi Drugetter (sic!) palatini et judicis Comanorum, tenore presencium memorie commendantes, significamus quibus expedit universis, quod, cum iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum memorialium, magistri Johannes et Rykolphus, in octavis festi sancti Mychaelis archangeli, assumpto homine dicti domini nostri palatini, et testimonio honorabilis capituli ecclesie Scepus*y*ensis, de medietate possessionis quondam magistri Kokas, fratris ipsorum, Lumpnicha vocate, et de aliis possessionibus ab eodem magistro Kokas eis succedentibus seu remanentibus, habita condigna estimacione, pro sexaginta marcis argenti et viginti septem marcis grossorum, racionis Budensis, scilicet pro debito eiusdem magistri Kokas, de porcione possessionaria eiusdem Kokas persolvere assumpto per eundem, quod frater R*y*kolphus, magister cruciferorum ordinis sancti sepulchri Dominici *de Landek*, ordine judiciario acquirebat, coram nobis dando satisfaccione, et Lad[islau]s, filius eiusdem R*y*colph*y*, easdem possessionarias porciones prefati Kokas, estimatas pro eadem sumpma pecunie quantitate, ab eodem fratre Rykolpho magistro predicti ordinis, et ab ecclesia eiusdem, redimere et partes tocius facti seriem in litteris eiusdem capituli Scepusyensis, octavo die nobis debuissent reportare; tandem ipso octavo die reportacionis predicte seriei occurrente, frater Mychael, eiusdem ordinis procurator, cum sufficientibus procuratoriis litteris prepositi et capituli eiusdem ordinis sancti sepulcri Dominici *de Perusa,* pro eodem fratre Rykolpho magistro dictorum cruciferorum de Landek ex una parte; et Johannes filius Petri, cum procuratoriis litteris predicti capituli Scepus*y*ensis, pro eodem magistro Rykolpho et Ladislao filio eiusdem, ac Nicolaus, filius Wyllermi, pro prefato Johanne, filio Rykolph*y*, similiter cum procuratoriis litteris eiusdem capituli Scepus*y*ensis, parte ex altera; ad nostram personaliter accedendo presenciam, exhibuerunt nobis litteras eiusdem capituli ecclesie Scepus*y*ensis reambulatorias, in quarum tenoribus seriose vidimus contineri: quod iidem magistri, Johannes et Rykolphus, mediante Detrico, filio *Leuk,* homine dicti domini nostri palatini, presente Georgio presbitero, succentore et testimonio eiusdem capituli, in eisdem octavis ad faciem possessionum infrascriptarum, videlicet porcionum possessionariarum supradicti magistri Kokas, videlicet medietatem *Lumpnicha, Ewr* et *Heymburg* accedendo, universorum vicinorum et commetaneorum suorum legitimis convocacionibus factis, per suas metas reambulari, et easdem respectu omnium utilitatum suarum, consuetudine regni requirente, estimari faciendo, medietatem

1340. 6. Oct.

1340. 13. Oct.

supradicte possessionis Lumpnicha ad duodecim aratra, regali cum mensura mensurando, cum medietate ecclesie de eadem; item Ewr predictam, ad quatuor aratra, cum eadem mensura regali, cum molendino unius rote per aquam defluntem desuper, per cannales pulsas; ac Heymburg vocatam, ad septem aratra prefate mensure, cum molendino duarum rotarum, per aquam in cannalibus defluentem, similiter desuper pulsarum, et capella in eadem existente, ipsas porciones possessionarias cum omnibus suis utilitatibus aliis, pro supradictis sexaginta marcis argenti et viginti septem marcis grossorum, compoti Budensis, cum easdem prefato fratre Rycolpho, magistro cruciferorum de Landek, et ecclesie sue, licet eodem fratre Rykolpho absente, eius tamen legitimo procuratore presente, videlicet fratre Mychaele predicto crucifero, statuissent. Et cum prefatus magister Lad(islau)s, filius Rykolphy, easdem porciones possessionarias redimere noluisset, pro sumpma pecunie antedicta, Johannes et Henricus, filii supradicti magistri Johannis, filii Rykolphy, eundem Ladislaum, videlicet idem Henricus a recepcione dicte medietatis Lumpnicha, et prefatus Johannes a Heymburg, prohibuissent. Tandem tamen, idem Ladislaus, cum predictis Johanne et Henrico amicabiliter concordando, Henrico de dicta medietate Lumpnich, ac ipsi Johanni de Heymburg, totaliter iuxta condignam estimacionem regni redimendas consensisset, ipse vero Lad(islau)s, alia medietate dimidietatis sepefate possessionis Lumpnich ac Ewr, simili modo totaliter iuxta condignam estimacionem regni remanentibus, redimendo. Quibus perceptis et auditis idem frater Mychael, procurator dicti magistri cruciferorum, simul cum prefatis aliorum procuratoribus respondit: quod idem Ladislaus, filius Rykolphy, et memorati Henricus, ac Johannes, filii Johannis, prefatam sumpme pecunie quantitatem, eidem fratri Rykolpho, magistro ordinis cruciferorum de Landek et ecclesie sue prenotate, plenarie persolvisset modo supradicto, ut inter eosdem fuisset ordinatum. Datum, in *Wysul,* octavo die reportacionis seriei prenotate, Anno Domini M° ccc° xl^mo.

Extus manus med. aevi adnot.: Impignoracio Lompnicza et Ewr. 1340. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nation. Budapest. Arch. fam. Berzeviczy.

542.

1340. (Nyitra.) 5. Nov. — Capitulum Nitriense magistrum Vesszős, castellanum de Saskő, nonnullas possessiones monasterii s. Benedicti, iniuste occupasse et detineri, Carolo I. regi rescribit.

Excellentissimo domino suo, domino *Karulo,* Dei gracia regni Hungarie, capitulum Nitriensis ecclesie, oraciones in Domino debitas et devotas. Litteris vestre excellencie inquisitoriis generalibus, pro domino *Syffrido abbate* et suo conventw, monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvio Gron, reverenter et obedienter receptis, cum Syke de *Hynd,* homine vestro, Johannem dyaconum, clericum chori nostri, ad faciendum inquisicionem infrascriptam, pro testimonio destinavimus. Qui negocio bene intenti et ad nos reversi, concorditer retulerunt: quod sicut a nobilibus et aliis communis (sic!) hominibus, in comitatu *Borsiensi,* villis eiusdem monasterii beati Benedicti circumiacentibus infrascriptis, quibus decuit et licuit, inquisicione veridica scire potuissent, comes *Johannes,* filius *Soaz,* de *Schebnicz,* et magister *Emricus,* dictus de *Beche,* quondam castel-

lani de *Sasku,* predecessores magistri *Wessos,* nunc castellani eiusdem castri, tempore fratris Ladyzlai, quondam abbatis eiusdem monasterii sancti Benedicti, ex ordinacione facta per eum, cum iisdem castellanis census possessionum infrascriptarum, ad eundem (sic!) monasterium pertinencium, sine dampno plene et integre, idem abbas et conventus recepissent, videlicet villarum, seu possessionum: *Dopla, Doplicze, Widricze,* et iterum *Widricze, Madefolua, Kaltrin*; nunc vero *y*dem magister Wessos, auctoritate propria, absque solucione cuiuslibet census, sine consensu dictorum abbatis et conventus, dictas possessiones seu villas occupasset et detinet occupatas (expunct.: inprede iudicium) in preiudicium monasterii prenotati. Datum, in festo beati Emrici confessoris, anno Domini M° ccc° quadragesimo.

Extus: Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia regi Hungarie illustri, pro domino abbate, et suo conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta Groon, contra magistrum Wezeus, castellanum de *Saaska,* inquisitorie. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Privat. Lad. 40. fasc. 2. nr. 10.

543.

1340. (Szepeshely.) 5. Nov. — Capitulum Scepusiense, Ladislaum filium Ricolphi, in medietatem possessionum Lomnice et Ör, introductum esse, Wilhelmo Druget palatino, rescribit.

Magnifico viro domino Wyllermo Druget, palatino et iudici Comanorum, capitulum ecclesie beati Martini de Scepus, oraciones in domino. Litteras honorabilis viri magistri Isep, viceiudicis vestri, nobis per Johannem, filium Petri, servientem magistri Rycolphi exhibitas, cum honore recepimus in hec verba: Discretis viris et honestis, capitulo ecclesie Scepusiensis, amicis suis reverendis, magister Isep, viceiudex magnifici viri domini Wyllermi Druget palatini et iudicis Comanorum, amiciciam paratam. Noveritis, quod Lad(islaus), filius Rycolphi, ad quasdam porciones possessionarias quondam magistri Kokos, per magistros Johannem et Rycolphum de medietate possessionis, *Lumnycha* vocate et *Ewr,* apud eosdem in districtu Scepusiensi existentis, magistro cruciferorum de *Landek* statutas et per ipsum redemptas, iuris ordine mediante, prout aliarum nostrarum exprimit continencia litterarum, legi*t*time peciit et voluit introduci. Super quo, vestram petimus amiciciam reverenter per presentes, quatenus visis presentibus, vestrum detis hominem pro testimonio fide dignum, quo presente Matheus, filius Myke, vel Johannes, filius Powsa, aut Ladislaus, filius Mychaelis *de Olsawycha,* aliis absentibus, homo dicti domini nostri palatini, ad facies prefatarum possessionum, scilicet medietatis dimidietatis (sic!) prefate possessionis Lumnych et Ewr accedendo, universorum vicinorum et commetaneorum suorum legi*t*timis convocacionibus factis, reambulet easdem, per veteres metas suas et antiquas, et si necesse fuerit, ab aliorum porcionibus et possessionibus novis metis erectis separando et distingendo, statuat eidem Ladislao filio Rycolphi, si non fuerit contradictum. Contradictores autem si qui fuerint, contra eundem citet ad presenciam eiusdem domini nostri palatini, in villam *Wysul,* ad terminum competentem, et post hec totius facti seriem, cum cursibus metarum, vel si necesse fuerit diem citacionis et locum, nomina citatorum et terminum assignatum, eidem domino nostro palatino amicabiliter rescribatis. Datum in

Wysul octavo die octavarum festi sancti Michaelis archangeli anno Domini M° ccc° xl°. Nos igitur iustis, legitimisque peticionibus supradicti magistri Isep, viceiudicis vestri, satisfacere cupientes, una cum predicto Matheo, filio Myke, homine vestro, nostrum misimus hominem, virum *y*doneum Gregorium presbyterum, chori nostri prebendarium, ad premissam statucionem exequendam. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt, quod sabato proximo post festum Omnium Sanctorum, proxime preteritum, ad facies suprascriptarum possessionum, videlicet medietatis dimidietatis prefate possessionis Lumnych et Ewr accedendo, universorum vicinorum et commetaneorum suorum, legitimis convocacionibus factis, idem homo vester, dicto homine nostro presente, reambulasset easdem per veteres metas suas et antiquas, reambulatasque ipsi magistro Ladislao statuisset, nullo penitus existente contradictore. Datum, die dominico proximo post dictum festum Omnium Sanctorum anno Domini prenotato. 1340. 13. Oct.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nation. Budapest. Arch. fam. Berzeviczy.

544.

1340. (Zobor.) 6. Nov. — Conventus de Zobor, palatino Drugeth, seriem inquisitionis contra tributarium magistri Vesszős peractae, rescribit.

Magnifico viro et domino, domino *Druget* palatino et iudici Comanorum, conventus monasterii beati Ypoliti de *Zobur,* oraciones in Domino debitas et devotas. Litteris vestris generalibus inquisitoriis, pro domino *Syffrido* abbate, et suo conventu monasterii beati Benedicti de iuxta fluvio *Gron,* reverenter receptis, cum Syke de *Hynd,* homine vestro (expunct.: Johannem dyaconum chori nostri, et desuper scriptum:) fratrem Nicolaum, unum ex nobis, ad faciendum inquisicionem infrascriptam, pro testimonio destinavimus. Qui negocio bene intenti, et ad nos reversi concorditer retulerunt; quod sicut a nobilibus et aliis commu*nis* hominibus ville *Apati,* eiusdem monasterii sancti Benedicti, in comitatu *Borsiensi* circumiacentibus, quibus decuit et licuit, veridica inquisicione scire potuissent: quod Johannes, tributarius magistri *Wessos,* castellani de *Saasku,* in villa *Lodamer* commorans, ex precepto eiusdem domini sui, feria secunda proxima ante festum Pentecostes proxime preteritum, *Sceuk* villico ville Apati, dicti monasterii sancti Benedicti, non exigentibus suis culpis, calumpniose tres pensas denariorum abstulisset; item quod *y*dem tributarius, duos equos per quatuor septimanas in satis dictorum iobagionum Apati fecisset custodiri, pasci et servari, cum dampno non modico; item quod prefatus tributarius, in dominica Septuagesima, proxime preterita, indebite abstulit equum Thome, iobagionis de eadem Apati, quem restituit pro decem grossis; item idem tributarius, ex precepto domini sui, ab uno iobagione de Apati, in vigilia Assumpcionis beate Virginis, potencialiter accepit unum nisum; item sepedictus tributarius, in dominica proxima ante festum beati Bartholomei apostoli proxime preteritum, violenter abstulit unam clamidem ab uxore Baank iobagionis de eadem Apati, sine culpa, quas adhuc retinet; item quod dictus magister Wissos, universos iobagiones 1340. 29. Maii. 1340. 13. Febr. 1340. 14. Aug., 20. Aug.

dicti monasterii sancti Benedicti, contra libertatem et privilegia eiusdem monasterii, ad proximas villas procedentes compellit solvere tributum, et licet solvant, tamen adhuc calumpniari facit eos et dampnari, contra Deum et iusticiam; item quod omnes piscaturas in aqua, ad dictam possessionem dicti monasterii pertinente, potencialiter facit piscari, per suos piscatores, pertinentes piscatores vero, seu iobagiones dicti monasterii capi facit, cedi et suis retibus spoliari; item quod nullum hominem mittit ad molendina dicti monasterii ad molandum suas fruges, ymo quicunque procederent ad molendina predicta, eos prohibet et dampnificat. Datum, secunda die festi beati Emrici, anno Domini M° ccc° quadragesimo.

Extus: Magnifico viro et domino, domino Druget palatino et iudici Comanorum, pro domino Syffrido abbate et suo conventu monasterii sancti Benedicti, contra magistrum Wezeus inquisitoria. — Sigillum margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 7. fasc. 5. nr. 2.

545.

1340. (Zobor.) 6. Nov. — Conventus de Zobor, palatino Drugeth, magistrum Vesszős, nonnulas possessiones conventus de iuxta Garam, potentialiter occupasse perhibet.

Magnifico viro et domino, domino *Druget* palatino et iudici Cumanorum, *conventus* monasterii sancti (expunct.: Benedicti) Ypoliti martiris de *Zubor,* oraciones in Domino debitas et devotas. Litteris vestris inquisitoriis generalibus, pro domino *Syffrido* abbate et suo conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium *Gron,* reverenter receptis, cum Syke de *Hynd,* homine vestro, fratrem *Nicolaum,* unum ex nobis, ad faciendum inquisicionem infrascriptam, pro testimonio destinavimus. Qui negocio benc intenti et ad nos reversi, concorditer retulerunt: quod sicut a nobilibus et aliis communis (sic!) hominibus, in comitatu Borsyensi, villis eiusdem monasterii sancti Benedicti circumiacentibus infrascriptis, quibus decuit et licuit inquisicionc veridicta scire potuisset, quod comes Johannes, filius *Saachet de Schebnich-Banya,* et *Emricus* dictus de *Beche,* quondam castellani de *Sas*[ku] predecessores magistri Vezeus, nunc castellani eiusdem castri, tempore fratris Ladizlai quondam abbatis, eiusdem monasterii sancti Benedicti, ex ordinacione facta per eum cum iisdem castellanis, census possessionum infrascriptarum ad eundem (sic!) monasterium pertinencium, sine dampno plene et integre idem abbas et conventus recepissent, videlicet villarum seu possessionum *Dopla, Dopliche, Widriche,* et iterum *W*[*idri*]*cze, Madefolua, Kaltrin,* nunc vero idem magister Vezeus auctoritate propria, absque solucione cuiuslibet census, sine consensu d[omini a]bbatis et conventus, dictas possessiones seu villas occupasset et detineret occupatas, in preiudicium monasterii prenotati. D[atum], secunda die festi beati Emrici, anno Domini M° ccc° quadragesimo.

Extus: Magnifico viro et domino, domino Druget, palatino et iudici Comanorum, pro domino Syffrido abbate et suo conventu monasterii sancti Benedicti, contra magistrum Wezeus inquisitoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 5. nr. 31. — Cf. sup. nr. 542.

546.

1340. (Esztergom.) 8. Nov. — Capitulum Strigoniense, filiis Joannis de Bozteh, per Lambertum, e possessione de Gyarmath, decem porcos ablatos fuisse, testibus comprobasse refert.

Nos Nicolaus prepositus et capitulum ecclesie Strigoniensis, damus pro memoria, quod cum secundum continenciam litterarum memorabilium magnifici viri, comitis Pauli, iudicis curie regie, Petrus et Ladislaus, filii Johannis, filii Salamonis de *Bazteh,* testibus quibus evidencius potuissent, contra Lampertum, filium Dyonisii, et Johannem filium suum, de eadem Bazteh, in octavis festi Omnium Sanctorum, coram nobis testimonium producere debuissent super eo, quod *y*dem Lampertus et filius suus Johannes, in festo beati Galli confessoris, cuius iam tercia preteriisset revolucio annualis, ad possessionem eorum *Garmath* vocatam, potencialiter veniendo, decem porcos ipsorum abstulissent, per quod factum ipsa possessio eorum desolata extitisset, in quibus omnibus quadraginta marcarum dampna perpessi fuissent. Ipsis itaque octavis advenientibus, prefati Petrus et Ladislaus, filii Johannis de Bazteh, contra predictos Lampertum et filium suum Johannem, super premissis coram nobis testibus, quibus evidencius potuerunt, produxerunt testimonium, ut debebant. Nomina autem trium testium, qui predicta dampna et iniuras, per eosdem Lampertum et filium suum Johannem, eisdem Petro et Ladislao, filiis Johannis, illata fuisse oculata fide vidisse extiterunt testificati, sunt hi: Demetrius de *Galya,* item alter Demetrius de *Nyek,* et Johannes, filius Benedicti de *Zalanta.* Item alii testes eorumdem, videlicet Alexander de *Babana;* item Thomas de eadem; item Petrus, filius Beke de *Chasmasumbata;* item Nicolaus, filius Thomae de *Galya;* item Georgius, filius Symonis de Halap; item Nicolaus, filius Gabrielis de *Saras;* item Thomas, filius Laurencii de eadem; item Lucachius, filius Laurencii de *Kalaz;* item Michael, filius Johannis de *Bykche;* item alter Mychael, filius Johanis de *Zumur;* item Johanes, filius Petri de Bazteh et Dominicus, filius Ivanka de Galya et quam plures alii, eodem modo extiterunt testificati, ut per prefatos tres testes priores fuit testificatum. Datum, in predictis octavis festi Omnium Sanctorum, anno Domini M° ccc° xl^mo^.

1340. 8. Nov.

1337. 16. Oct.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., negligenter exaratum, in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 38. fasc. 9. nr. 21.

547.

1340. Egeg. 18. Nov. — Petrus sacerdos de Egeg, vicevicarius Jacobi praepositi s. Thomae de promontorio Strigon., necnon doctoris decretorum ac vicarii Chanadini archiepiscopi Strigon., Andream Album, relictae Michaelis, filii Martini de familia regis, pro dote et rerum paraphernalium satis fecisse, testatur.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 52.

548.

1340. Visegrád. 14. — Comes Paulus, judex curiae regiae, possessionem Szurdokpüspöki, contra filios Demetrii regi adiudicat, eandemque Nicolao magistro Janitorum, e donatione regia, statuit.

[N]os comes *Paulus,* iudex curie excellentissimi et magnifici principis, domini *Karoli,* Dei gracia illustris regis Hungarie, memorie commendantes signi-

ficamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod cum predictus dominus noster rex, quandam possessionem *Zurdukpyspuky* vocatam, partim in comitatu *Neogradiensi*, et partim in comitatu *Heweswywar* existentem, suam fore denotans, per Thomam *de Baranch*, hominem sue maiestatis, presente testimonio *capituli* ecclesie *Wachyensis*, vicinorum et commetaneorum eiusdem possessionis universorum legittimis convocacionibus factis, per veteres metas suas et antiquas reambulari et manibus suis regiis, si contradiccio cuiuspiam sibi non obviaret, perpetuo possidendam applicari, contradictores vero, si qui fierent, contra se ad nostram presenciam, ad terminum competentem citari precepisset; idemque homo domini regis, regio intentus mandato, sub testimonio iam dicti capituli Wacyensis, eandem possessionem Zurdukpyspuky, ob contradictoriam inhibicionem domine relicte Demetrii, filii Patha, pro Demetrio et Olyuerio filiis suis factam, manibus regiis statuere non valens, eosdem Demetrium et Olyuerium, filios Demetrii, filii Patha, contra eundem dominum regem, ad octavas Epiphanye Domini, anno eiusdem millesimo trecentesimo tricesimo nono preteritas, in presenciam nostre iudiciarie potestatis citavisset, et ipsa causa quibusdam prorogacionum cautelis et terminis intervenientibus, ad feriam secundam proximam post diem medii quadragesime, anno in presenti preteritum devenisset. Ipso termino occurrente, Johanne, filio Petri, legittimo procuratore ipsius domini regis, premisse inhibicionis racionem ab eisdem Demetrio et Olyuerio, filiis Demetrii, in figura nostri iudicii assignari postulante; iidem Demetrius et Olyuerius, filii Demetrii, personaliter adherentes et in facto eiusdem possessionis efficacia instrumenta se habere allegantes, ad ipsorum instrumentorum exhibicionem dilacionis terminum per nos sibi dari postularant. Et cum eisdem Demetrio et Olyuerio, filiis Demetrii, pro exhibendis ipsis instrumentis, quindenas festi beati Georgii martiris tunc sequentes, pro termino nostra iudiciaria sententia deputasset et ipsis quindenis occurrentibus, quia iidem Demetrius et Olyuerius, filii Demetrii, ipsa sua instrumenta tunc non posse exhibere asserentes, ad exhibicionem eorumdem ulteriorem terminum absque efficaci racione deputari postulassent; ideo ipsa instrumentalis exhibicio, cum gravamine iudicii trium marcarum, per ipsos Demetrium et Olyuerium, filios Demetrii, ante litis ingressum persolvendi, ad quindenas festi nativitatis beati Johannis Baptiste, et deinde, quia adhuc iidem Demetrius et Olyuerius, filii Demetrii, eadem instrumenta non exhibuissent, nec ipsum iudicium trium marcarum persolvissent, obhoc similiter cum ampliori iudiciali gravamine trium marcarum, ad quindenas festi beati Jacobi apostoli, iuxta continenciam litterarum nostrarum prorogata extitisset. Tandem ipsis quindenis festi beati Jacobi apostoli occurrentibus, Johanne, filio Petri in persona ipsius domini regis, cum procuratoriis litteris eiusdem, coram nobis astante et ipsa instrumenta exhiberi, dictaque iudicia sex marcarum, ante litis ingressum, per eosdem Demetrium et Olyuerium persolvi postulante; idem Demetrius suo et dicti Olyuerii fratris sui nomine et vice, non aliqua instrumenta in specie, nisi tenorem cuiusdam privilegii capituli Agriensis, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo confecti, in transcripto capituli Budensis nobis demonstravit. In cuius tenore reperiebatur

1339. 13. Jan. 1340. 27. Mart. 1340. 8. Maii. 1340. 8. Jul. 1340. 8. Aug. 1290.

contineri: quod nobilis domina, relicta comitis *Mythedey de Katha*, coram dicto capitulo Agriensi comparendo proposuisset viva voce: quod quandam terram suam *Zurdukpyspuky* vocatam, in comitatu *Heweswywar* existentem, a domino a. (sic!) episcopo Agriensi, per concambium ad ipsam devolutam, sub eisdem certis metis et antiquis, quibus ipsa possedisset, cum universis utilitatibus et pertinenciis suis, ob veram dileccionem proximitatis, Demetrio, patri prefatorum Demetrii et Olyuerii, fratribus scilicet suis nepotibus, perpetuo contulisset. Cuius transcripti perlecto tenore, quia iam tercia vice in tercio termino iidem Demetrius et Olyuerius, filii Demetrii, prealiegata eorum instrumenta in specie exhibituri non exhibebant, procurator vero ipsius domini regis de ipso transcripto non contentabatur, prefatus eciam Olyuerius, filius Demetrii, premisse litis intermedio in causa, in qua contra ipsum Anthonius, filius Welch, quinquagesimo se nobilibus, in octavis festi purificacionis beate Virginis nunc preteritis, in presencia *conventus de Jazou* super eo, ut idem Olyuerius unum equum suum, octo marcas valentem, potencialiter abstulerit, secundum formam nostre iudiciarie deliberacionis sacramentum prestiterat, contra eundem Anthonium filium Welch in ipso facto potenciali, ut in aliis litteris nostris privilegialibus uberius continetur, convictus extiterat; ideo licet, tum pro eo, quia iuxta approbatissimam regni consuetudinem tres termini, unicuique pro exhibendis suis instrumentis deputati, sufficere dinoscuntur et quilibet instrumenta sua in ipsis tribus terminis legittime assignatis exhibere non valens, ipso possessionario iure, pro quo huiusmodi instrumentalem comprobacionem gratulari nitteretur, de iure privari consuevit; prefati vero Demetrius et Olyuerius, filii Demetrii, prealiegata eorum instrumenta, in facto dicte possessionis Zurdukpyspuky exhibere assumpta, iam in predictis tribus terminis, legittime assignatis, non valuerunt exhibere, nisi prefatus Demetrius suo et dicti Olyverii fratris sui nomine et vice predictum transcriptum capituli Budensis, super ipsa possessione exhibebat, quod tamen nullius vigoris ad conservacionem dicte possessionis existebat, de quo eciam transcripto procurator ipsius domini regis se nolle contentari asserebat; tum eciam pro eo, quia predictus Olyuerius, premisse litis intermedio, contra prefatum Anthonium filium Wlch (sic!), in facto potenciali, scilicet in sentencia capitali et amissione omnium proprietatum suarum convictus extiterat, sicque non solum dicta possessione Zurdukpyspuky, quam ex obmissione exhibicionis prealiegatorum instrumentorum, in predictis tribus terminis sibi et dicto Demetrio iudiciarie exhibere commissorum, domino regi, de regni consuetudine ab antiquo approbata, adiudicare debuissemus; sed eciam aliis suis proprietatibus possessionariis universis privatus fuerat, huic cause finem debitum, absque ulteriori dilacione, inponere debuissemus. Ne tamen in reddenda iusticia preproperi fore videamur et iudicio nostro per quempiam in futurum possit derogari, ex superhabundanti nostre iudiciarie potestatis decreveramus eo modo, quod prefatus Demetrius, filius Demetrii solus, eoquod iam prelibatus Olyuerius frater suus in sentencia capitali, ut premittitur, convictus ipsa possessione Zurdukpyspuky, ac aliis rite et legittime privatus extiterat, preassumpta sua instrumenta in specie, in facto eiusdem possessionis confecta, in octavis festi Nativitatis beate Virginis anno in presenti, contra ipsum dominum regem cum gravamine iudicii trium marcarum, ante litis ingressum persolvendi, cum ipso

1340. 9. Febr.

1340. 15. Sept.

transcripto capituli Budensis, capite sigilli nostri consignato, exhiberet coram nobis. Et quia idem Demetrius, filius Demetrii, prefatorum iudiciorum sex marcarum, in ipsum et pretactum Olyuerium fratrem suum aggregatorum, dimidietatem, tres marcas facientem, ante litis ingressum pro sua parte solvere debentem, non persolvebat, nec se solvere posse asserebat; ideo ipsam dimidietatem dictorum iudiciorum sex marcarum, videlicet tres marcas cum duplo, in predicto termino ante litis ingressum solveret coram nobis. Tandem ipsis octavis festi nativitatis beate Virginis advenientibus, quia adhuc idem Demetrius, filius Demetrii, personaliter comparens, nec premissa iudicia, in toto novem marcas faciencia persolvebat, nec preallegata sua instrumenta in specie exhibebat, ideo cum dicta causa ad octavas festivitatis Omnium Sanctorum sub hac forma, quod predictus Demetrius omnia premissa iudicia novem marcarum cum gravamine dupli, ante ipsam instrumentalem exhibicionem solveret et solutis ipsis iudiciis et duplis eorum, sua universa instrumenta, in facto dicte possessionis confecta, coram nobis contra ipsum dominum regem exhiberet, prorogata extitisset. Ipsis octavis festi Omnium Sanctorum occurrentibus, prenominatus Demetrius, filius Demetrii, ad nostram personaliter accedens presenciam, nec predicta iudicia novem marcarum cum duplo se posse solvere, nec aliqua instrumenta in facto dicto possessionis Zurdukpyspuky se habere, proprie vocis organo asserebat, nec in futurum exhibere assumpmebat, nisi ipsum transcriptum capituli Budensis, quod nullius vigoris ad conservacionem dicte possessionis existebat, se habere, pluries per nos requisitus, indicabat. Quibus sic peractis, cum predictam possessionem Zurdukpyspuky, predicto domino nostro regi adiudicare voluissemus, Nicolaus, filius Petheuch, magister ianitorum eiusdem domini regis, personaliter assurgens, quasdam patentes litteras predicti domini *Karoli* regis Hungarie, die dominico proximo ante festum beati Michaelis archangeli, anno Domini millesimo trecentessimo quadragesimo confectas, nobis demonstravit, in quarum tenore predictus dominus noster rex, prefatam possessionem Zurdukpyspuky vocatam, in comitatibus Heweswywar et Neugradiensi mixtim adiacentem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, videlicet silvis, nemoribus, pratis et fenilibus, aquis, aquarumque ductilibus et clausuris, ac universis usibus et utilitatum integritatibus, quovis nomine vocitatis, specialiter cum *ecclesia lapidea in honore Virginis Sanctissime* in eadem constructa, sub cursu et limitacionibus antiquarum suarum metarum, in quantum per suos veteres possessores possessa fore dinosceretur, prenominato magistro Nicolao, filio Petheuch, in recompensacionem fidelissimorum serviciorum suorum, reperiebatur in filios filiorum suorum perpetuo possidendam contulisse. Verum, quia iuxta approbatissimam regni consuetudinem tres termini, unicuique pro exhibendis suis instrumentis deputatis, sufficere dinoscuntur et quilibet instrumenta sua in ipsis tribus terminis, legittime assignatis, exhibere non valens, ipso possessionario iure, quo per huiusmodi instrumentalem comprobacionem gratulari nitterentur, de iure privari consuevit; et prefatus Olyuerius, filius Demetrii, tum pro eo, quia preassumpta sua instrumenta in dictis tribus terminis sibi legittime deputatis exhibere non valuit, tum eciam pro premisso facto potenciali premisse litis intermedio, contra prefatum Anthonium in se aggregato, predicta possessione Zurdukpyspuky et aliis suis posses-

1340. 8. Nov.

1340. 24. Sept.

sionibus privatus extiterat; predictus autem Demetrius frater eiusdem Olyuerii, non solum in ipsis tribus, sed quinque terminis, ex suqerhabundanti misericordia nostre iudiciarie potestatis, pro exhibendis ipsis instrumentis sibi commissis, preallegata sua instrumenta, in specie ut assumpserat, non valebat exhibere, nec exhibere assumpmebat; ymo in ipso ultimo, seu quinto termino, personaliter adherens, in facto dicte possessionis Zurdukpyspuky se, excepto preexhibito transcripto capituli Budensis, nulla penitus alia efficacia instrumenta habere affirmabat; predictusque magister Nicolaus, filius Petheuch, ipsam possessionem Zurdukpyspuky, per dominum regem sibi perpetuo collatam fore, per litteras eiusdem domini regis patentes comprobabat; et ex eo ipsa possessio iuri regio et regie collacioni ex racionibus premissis pertinere videbatur, — ideo candem possessionem Zurdukpyspuky vocatam, predicto domino nostro regi, et ex sua collacione predicto prefato magistro Nicolao, filio Petheuch, adiudicavimus, sine preiudicio iuris alieni, perpetuo possidendam a modo et deinceps; prenominatis Demetrio et Olyuerio, filiis Demetrii, perpetue taciturnitatis silencium imponentes ab eadem. Ipsum autem Demetrium, pro negligencia solucionis dictorum iudiciorum, in toto decem et octo marcarum, in duplo eorumdem decrevimus convictum extitisse. Scribendo predicto honorabili capitulo Budensi, amicis nostris, eorum amiciciam postulantes, ut ipsi hominem eorum, pro testimonio fidedignum transmitterent, quo presente Johannes, filius Bede, homo domini regis, ad faciem dicte possessionis Zurdukpyspuky vocate, vicinis et commetancis suis convocatis accederet, et eandem per suas veras et antiquas metas reambulando, et ubi necesse fieret novas metas iuxta veteres erigendo, statueret ipsi magistro Nicolao, non obstante contradiccione dictorum Demetrii et Olyuerii, ac aliorum quorumlibet, eo quod in tam longinqua ventillacione dicte cause non apparuit alter contradictor, perpetuo possidendam, sine preiudicio iuris alieni. Si qui autem alii aliquod ius se habere sperarent in eadem, facta premissa statucione, exsequerentur, si vellent, moderamine iuris mediante. Et post hec, seriem ipsius possessionarie statucionis, cum cursibus metarum, idem capitulum Budense, amici nostri, fideliter rescriberent regie maiestati. Tandem predictum capitulum Budense, regie rescripserunt celsitudini eo modo: quod prelibatus Johannes, filius Bede, homo domini regis, et magister *Petrus concanonicus* et testimonium ipsorum, in festo beati Andree apostoli proxime preterito, ad faciem predicte possessionis Zurdukpyspuky accessissent, vicinis et commetaneis suis universis legitime convocatis et presentibus, reambulassent ipsam per veras suas metas et antiquas, ubi necesse fuisset novas metas iuxta veteres erexissent, reambulatamque et ab aliorum possessionibus distinctam et separatam, sub metis infra declarandis, contradiccione alicuius non obstante, magistro Nicolao, filio Petheuch, prenotato statuisset, sine preiudicio iuris alieni perpetuo possidendam. Cuius quidem possessionis mete taliter distingentur: incipiendo primo a parte orientali circa fluvium *Zogua* duas metas terreas de novo erexissent, quarum una distingit villam *Jobagy*, et alia predictam possessionem Zurdukpyspuky ab eadem Jobagy; deinde tenderet ad partem occidentalem, circa unam viam magnam erexissent unam metam terream de novo; deinde vadit ad eandem partem occidentalem circa unam viam magnam, que veniet de villa Jobagy ad villam *Paztuh*, erexissent unam metam terream; deinde parum eundo, circa quasdam arbores erexis- 1340. 30. Nov.

sent unam metam terream; deinde paulisper eundo, circa quandam viam magnam invenissent unam metam terream et antiquam, circa quam duas novas metas terreas erexissent; deinde eundo ad eandem partem, sub una arbore silicis invenissent unam antiquam metam, circa quam duas novas metas erexissent; et ibi essent mete angulares, que distingerent predictam possessionem Zurdukpyspuky a possessionibus Jobagy et *Chethe* nominatis; deinde procedendo, vadit ad partem septemtrionalem per longum spacium et ibi erexissent unam metam circa quandam viam, que via dicitur antiqua via; deinde vadit similiter ad partem septemtrionalem, circa eandem viam, circa quandam fossatam et antiquam unam metam, novam angularem erexissent, que distingit predictam possessionem a possessionibus Chethe et *Scenthiacob* nominatis; deinde transiret per eandem parvam fossatam, flecteretur a parte occidentali ad partem orientalem et ibi invenissent unam antiquam metam, circa quam unam aliam metam de novo erexissent: deinde ad eandem partem orientalem transiret aquam Zogua, ubi est transitus, qui vocatur *Kuesrew*, circa villam Scenthiacob ibi invenissent unam metam antiquam, circa quam unam aliam metam de novo erexissent; deinde vadit ad quandam vallem, ubi est quidam rivulus, qui vocatur *Gyoswelgh*; deinde supra ad eandem partem orientalem, satis per longum spacium, vadit ad *Melpotok* et de illo Melpotok, iterum satis per longum spacium, vadit ad quandam silvam, que vocatur *Bykerdeu*; deinde de illa silva Bykerdeu flecteretur ad partem meridionalem et circueret quendam montem, qui est supra predictam possessionem Zurdukpyspuky; deinde vadit ad eandem possessionem Zurdukpyspuky et ibi est meta possessionis Jobagy; et inde vadit infra ad quendam rꝝvulum et per eundem rꝝvulum inter montes vadit per longum spacium, tansiret unam magnam viam, que via vadit de *Hothwon* ad villam *Pazthuh* et transiret illam magnam viam, perveniret ad quendam parvum rivulum, meantem ad aquam Zogua et transiret aquam Zogua, perveniret iterum ad duas metas novas, quas primo et principaliter erexissent; et sic mete ipsius possessionis Zurdukpyspuky, terminarentur, prout in eisdem litteris capituli continebantur. Unde, quia pretacta possessio Zurdukpyspuky vocata, per hominem domini regis, sub testimonio dicti capituli Budensis, sub metis premissis, prelibato magistro Nicolao, filio Petheuch, statuta fore, ex serie dictarum litterarum capituli Budensis reperiebatur, ideo eandem sub metis prescriptis eidem magistro Nicolao et suis heredibus, premisso titulo adiudicavimus, sine preiudicio iuris alieni perpetuo possidendam. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes litteras nostras, eidem magistro Nicolao concessimus privilegiales, pendentis sigilli nostri autentici munimine roboratas. Datum, in *Wyssegrad*, in quindenis festi beati Andree apostoli prenotati, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo.

Extus *manu medii aevi*: Ista littera est de *Zurduchpispeki*. — Sigillum e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 23. fasc. 3. nr. 19.

549.

1341. Visegrád. 7. Jan. — Magister Michael, praepositus eccl. Posoniensis revocat, et cassat omnes provisiones de vacaturis canonicatibus et praebendis, in ecclesia sua Posoniensi per se, absque consensu capituli factas.

Tenorem vide a. 1342. sub nr. 600.

550.

1341. (Nyitra.) 13. Jan. — Capitulum Nitriense, cives de Bars, ad mensurationem possessionis Zengő, inter ipsos et monasterium s. Benedicti de iuxta Gron litigiosam, iteratis vicibus provocatos, non comparuisse testatur.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 69.

551.

1341. (Buda-Felhévviz.) 6. Febr. — Protestatio abbatum, de Visegrád et de iuxta Gron, contra hospites Vetero-Budenses, qui terram eorum Ó-Buda-Örs vocatam violenter inter se diviserunt.

Nos frater *Bartholomeus prior* et conventus crucifcrorum, ecclesie sancte Trinitatis de *Calidis Aquis,* memorie commendantes significamus, quibus expedit, presencium per tenorem universis, quod comes *Nicolaus,* index et officialis domini abbatis monasterii sancti Andree de *Vyssagrad,* et domini abbatis monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium *Goron,* ad nostram accedendo presenciam, per modum protestacionis, vice et nomine predictorum dominorum suorum, nobis significare curavit: quod universi hospites de *Veteri Buda,* manibus armatis, potencialiter super faciem terre *Obuda-Urs* vocate, irruendo et intra metam eiusdem terre fenetum, cum terra arabili tam seminatam, quam eciam non seminatam, et omnes universas terras ad eandem villam *Obuda Wrs* pertinentes et exspectantes, seu eciam plantulis vinearum aptas et convenientes, in medium eorum, nec una cum eis hominem domini regis, vel hominem capituli habentes, ausu temerario inter se divisissent et fecissent divisionem. Super quo, nostras litteras patentes, in testimonium sue protestacionis seu prohibicionis, sibi dari postulavit. Datum, tercia feria proxima post dominicam Circumdederunt me, anno Domini M° ccc° xl^mo primo.

Extus manu med. aevi adnot.: Erws — et supr.: Wrs. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 16.

552.

1341. — 19. Febr. — Michael praepositus eccl. Posoniensis, canoniam et praebendam canonicalem, in eccl. Poson. per mortem Petri Ruffi vacantem, de consensu capituli, magistro Nicolao, Albensis eccl. canonico, informatori sui, confert.

Tenorem vide sub. nr. 600.

553.

1341. Visegrád. 23. Febr. — Carolus I. rex, conventui s. Trinit. de Aquis Calidis Budens. injungit, ut causam inter hospites de Buda et conventum s. Benedicti de iuxta Gron, ratione possessionis Örs exortam, inquiret.

Tenorem vide sub nr. subsequenti.

554.

1341. (Buda.) 25. Febr. — Hospites de Vet.-Buda ab usu et perceptione fructuum et utilitatum terrae Örs, ad instantiam procuratoris monast. s. Benedicti de iuxta Gron, prohibentur.

Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, frater Bartholomeus prior et *conventus* ecclesie sancte Trinitatis *de Calidis Aquis,* ora-

ciones in Domino, tam debitas, quam devotas. Litteras vestre serenitatis honore quo decuit recepimus, inter cetera continentes:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis conventui de Calidis Aquis, salutem et graciam. Dicit nobis frater Emericus, procurator conventus sancti Benedicti de iuxta Gron, quod hospites seu homines de *Veteri Buda,* ad quandam possessionem ipsius monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, *Wrs* vocatam, venientes, metas ubi eis placuisset propria ipsorum auctoritate, sine homine nostro regio et capituli, aut conventus alicuius testimonio, in dominica Septuagesima anno in presenti erexissent et usui ipsorum applicassent, in preiudicium ipsius monasterii non modicum et iacturam. Super quo fidelitati vestre firmiter precipientes mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente Luchacius de *Kaluzi,* vel Andreas filius Blasii de *Neegh,* altero absente homo noster, presente ipso vestro testimonio, eosdem populos seu hospites de Weteri Buda, ab usu et percepcione fructuum et utilitatumum (sic!) indebita prefate possessionis *Wrs,* prohibeat verbo nostre maiestatis; et post hec scriem ipsius prohibicionis nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Wyssegrad,* feria sexta proxima ante dominicam Invocavit, anno Domini M^mo^ ccc^mo^ XL^mo^ primo.

1341. 4. Febr.

1341. 23. Febr.

Nos igitur, preceptis vestre serenitatis satisfacere cupientes ut tenemur, cum prefato *Lucachyo* homine vestro, unum ex nobis videlicet *fratrem Beke* transmisimus ad premissa mandata vestra fideliter exsequenda. Qui quidem homo vester demum ad nos rediens, nobis retulit eo modo, quod ipse presente ipso testimonio nostro, dictos populos seu hospites de Wetery Buda, facie ad faciem, ab usu et percepcione fructuum et utilitatum indebita prefate possessionis Wrs prohibuisset, verbo vestre maiestatis. Et prefatus homo noster, similiter personaliter coram nobis comparendo, premissa sic sicut idem homo vester, nobis consequenter affirmavit. Datum, in dicta dominica Invocavit, anno supradicto.

Extus: Domini regi pro conventu (sic!) fratre Emerico, contra hospites de *Weteri Buda* prohibitoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Privat. Lad. 40. fasc. 2. nr. 15. — Aliud par ibidem sub nr. 14.

555.

1341. (Pozsony) 9. Mart. — Capitulum Posoniense, Thomam vicearchidiaconum de Csalló-köz et plebanum de Potony, pro homine suo, fide digno, in certa causa exmittit.

Capitulum ecclesie Posoniensis, vos discretum virum magistrum Thomam, vicearchidyaconum in Chollokuz, et rectorem ecclesie beati Mych(aelis) archangeli in *Pothun,* amicum nostrum, petimus presentibus diligenter, quatenus visis presentibus, vadatis cum Petro, filio Andree *de Karcha,* vel Dyonisio, filio *Balase,* altero absente hominibus domini regis, pro testimonio ad faciendum id, quod in litteris eiusdem domini regis videbitis magis plene contineri, et nobis tandem tocius facti seriem, vestri gracia, referatis, datis tamen vobis vectura et expensis. Datum, feria sexta proxima ante Dominicam Oculi, anno Domini Millesimo ccc^mo^ XL^mo^ primo.

Extus: Vobis Domino Tho[me], vicearchidyacono in Chollokuz, rectori ecclesie beati Mychaelis archangeli in Pothun, amico nostro. — Orig. chart., in Arch. Mus. Nation. Budapest in Arch. fam. Véghelyi.

556.

1341. (Ság.) 9. Mart. — Conventus de Ságh, filios Petri, contra occupationem possessionum Varbók, Békésteleke et Horhathi, protestationem interposuisse, testatur.

Nos, *Stephanus prepositus,* et conventus fratrum ordinis Premonstratensium, monasterii beate Virginis Marie de *Saag,* damus pro memoria, quod *Paulus,* filius Petri, filii *Sandur,* pro se, pro Stephano, Georgio et Nicolao fratribus suis, coram nobis personaliter constitutus, nobis declarare curavit per modum protestacionis, in hunc modum: quod, cum quasdam possessiones ipsorum, — hereditariam et empticiam, — manus potenciales, *Verobok, Bekesteleku* vocatas et in possessione *Horhathy*, que ad ipsos de iure pertinerent, contra ipsorum voluntatem (expunct.: et adhuc) occupassent et adhuc detinerent occupatas, petens nos, ut in testimonium protestacionis litteras nostras protestacionales eidem dare dignaremur. Nos vero presentes nostras litteras, ad peticionem eiusdem duximus concedendas. Datum, feria sexta proxima ante dominicam Oculi, anno Domini M° ccc° xL^mo primo.

Extus: Pro Paulo, filio Petri et fratribus suis, super possessionibus ipsorum *Verobok* et *Bekesteleke* et *Horhath*, que ad ipsos pertinerent, protestacionalis. — Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 1. fasc. 5. nr. 17.

557.

1341. (Pozsony) 12. Mart. — Testamentum Petri, canonici Strigon. et Poson. in quo, quadam capellania Posonii fundatur, cum onere missae quotidianae, pro fundatore dicendae.

In nomine Domini amen. Labilis humane condicionis exposscit memoria, gesta perhenniter duratura, scripturarum serie futurorum noticie reserari. Ego igitur *Petrus,* Strigoniensis, Posoniensisque ecclesiarum canonicus, ad universorum tam presencium, quam futurorum noticiam cupio pervenire, quod iuxta doctrinam ewangelicam, qua indifferenter primum iubemur querere regnum Dei delectorum ex intimis, ut terrenis affectibus conculcatis, per pietatis exercicia virtuosa, ac per divini instauracionem et ampliacionem ministerii promereri valeam, divinitatis propiciacionem perpetuam, pro instabili eciam statu stabilem, pro luteo incolatu sidereum et pro terreno cultu celitum lucraturus, sano igitur et maturo usus consilio, non dolo seu adulacione circumventus, sed sponte, liberaliter et ex certa sciencia, in laudem Dei et gloriose Virginis Marie, omniumque sanctorum, nec non ad anime mee et progenitorum, ac successorum meorum animarum remedium et salutem, et omnium illorum a quibus mihi quitpiam promocionis et utilitatis obvenit, ordinavi et disposui unam missam perpetuam in *ecclesia Sancti Salvatoris,* et non alibi, singulis diebus celebrari per capellanum perpetuum, videlicet dominum *Georgium,* per me, in presenciarum, ex consensu et bona voluntate dominorum prepositi et capituli Posoniensis ecclesie institutum, et in posterum per *Johannem* dictum *Gayzmyr* et suos heredes, suorumque heredum successores, ac alios consanguineos et successores meos, post decessum eorum, videlicet dicti Johannis et heredum suorum, prefatis dominis preposito et capitulo ibidem, quos ad hoc exequendum in patronos presentibus deputavi. Qui quidem capellanus eandem missam singulis diebus per se, seu per alium presbiterum ydoneum si necesse fuerit, ipsum legitima aut racionabilis causa impediret, maxime si id necessitas postulaverit, celebrabit. Pro cuius capellani sustentacionem, ad dicte misse onus subeundum,

ordino, dispono duas vineas, quarum una sita est in *Hohney,* iuxta vineam *Treuffunkesy,* et alia sita est ex opposito *Meynoldsprun,* que vocatur *Groseer.* Item quatuor libras redituum, super domum meam vicinam domui Marci, filii Morcholphi; de quibus quidem quatuor libris emptor eiusdem domus, duas libras eque valentes redituum, in tam securo et tuto loco prout dicta domus est posita comparabit, residuas vero duas libras perpetuo de ipsa domo deserviet, debitis terminis et consuetis. Item allodium meum situm foris civitatem, in contrata que vocatur *Howchstraz.* Item triginta tres libras denariorum Wyennensium, minus sexaginta denariis, de quibus per dominum Johannem Longum et magistrum Paulum comparata est domus, cum agris et orto olerum, pro duodecim libris denariorum, residui vero denarii in structuram eiusdem domus exponentur, pro capellano eodem. Item breviarium meum et speciales missas. Item unum calicem integrum ornatum, cappam, crucem et omnia alia sanctuaria, ac unum librum missalem, que omnia idem capellanus, pro suis usibus perpetuo tenebit et libere possidebit. Dictus eciam capellanus, de redditibus trium librarum, quas supra domo sita iuxta domum Bernhardi, sororii domini Nicolai, tunc plebani ad Sanctum Mychaelem, ex opposito monialium sibi deputavi, anniversarium meum et parentum meorum solum videlicet, cum decem et octo solidis denariorum peragere tenebitur, cum decem libris cere, pane, vino et carnibus, quanto decencius et honestius poterit, qualibet occasione remota; residuos vero sex solidos denariorum, pro lumine perpetuo in ecclesia ibidem habendo exponet. Si quid vero de eisdem denariis superflui forsitan remanerent, hoc in usus capellanorum et pauperum penitus erogabit. Idem eciam capellanus, diebus dominicis et festivis, certis hor*y*s, nisi legitime prepeditus fuerit, presertim matutinis missis et vesperis interesse superpelliciatus tenebitur; et predictis dominis preposito atque capitulo obedienciam debitam exhibere. Et si idem capellanus aliquod crimen, adeo enorme et notorium, quod nulla tergiversacione posset celari perpetraret, per dictos dominos prepositum et capitulum debet, si emendari non posset, omnimode removeri, et per predictos patronos, consanguineos et heredes, alius *y*doneus presentandus, eisdem preposito et capitulo subrogari. Si vero in futurum, per dictum Johannem Gayzmir, seu heredes suos, aut consanguineos meos quoscunque, in preiudicium eiusdem ordinacionis mee aliqui contingerent attemptari, aut si iidem infra statuta tempora canonum, unum perpetuum capellanum actu sacerdotem, aut alium *y*doneum, qui infra statu (sic) tempora canonum procedat et velit, ac possit eandem missam singulis diebus, ut premittitur, expedire, negligenter presentare, extunc emenda et provisio eiusdem cappellani, prefatis dominis preposito et capitulo, qui tamen nullum ex seipsis eidem misse preficere possint, nec debent, nec sibi ipsis eandem vendicare tenentur, debet accrescere pleno iure. Ut igitur cuncta premissa rata et inconvulsa perhenni stabilitate consistant, presentem paginam sigillorum, mei videlicet et dominorum prepositi et capituli, ac universitatis civium Posoniensium, qui per me ad hoc suppliciter invocati existunt, inpressione disposui, in testimonium irrevocabile communiri. Datum *Posonii,* in festo beati Gregorii pape, anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo primo.

Quatuor sigilla e viridi et rubro serico pendent. — Orig membr., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa F. fasc. 2 nr. 47. — Ibidem aliud par sub nro. 49. cum sigillo capituli munitum. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[4] p. 534.

558.

1341. Visegrád. 21. Mart. — Comes Paulus iudex curiae regiae, conventui de juxta Gron, terminum pro exhibendis, in facto possessionis Zalatna, instrumentis suis, praefigit.

Nos comes *Paulus,* iudex curie domini regis, damus pro memoria, quod *Mark,* filius Baas et Johannes, frater suus, personaliter, iuxta continenciam priarum litterarum nostrarum, in die medii quadragesime ad nostram accedendo presenciam, contra *conventum* monasterii sancti Benedicti de iuxta *Gron,* in figura nostri iudicii, proposuerunt eo modo: quod cum ipsi quandam possessionem eorum hereditariam, *Zalathnuk* vocatam, in comitatu Borsiensi existentem, per hominem regium, sub testimonio capituli Nitriensis, legittime reambulari faciendo manibus suis statui et ab aliorum possessionibus separari facere voluissent, idem conventus in quadam particula eiusdem possessionis, contradiccionis velamine sibi obviasset, cuius inhibicionis racionem scire vellent ab eodem; quo audito Myko, filius Ipolyti, pro eodem conventu cum procuratoriis litteris eiusdem consurgendo, ipsum conventum in facto dicte inhibite particule efficacia instrumenta habere allegans, ad exhibicionem eorumdem dilacionis terminum a nobis peciit deputari. Unde nos decrevimus, quod idem conventus sancti Benedicti, preallegata sua instrumenta, in quindenis beati Georgii martiris proxime venturis, exhibere teneretur coram nobis; quibus visis faciemus prout fuerit oportunum. Datum in *Wyssegrad,* octavo die termini prenotati, anno Domino M° ccc^mo^ xxxx^mo^ primo.

1341. 14. Mart.

1341. 8. Maii.

Extus: Pro conventu sancti Benedicti de iuxta Gron, contra Mark et Johannem, ad quindenas beati Georgii martiris prorogatoria, super exhibendis instrumentis. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 1. fasc. 6.nr. 10.

559.

1341. (Ságh.) 25. Apr. — Conventus de Ságh, literas suas super donatione medietatis possessionis Csitár, Andreae filio Kese facta, in formam privilegii sui redigit.

Universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis, Stephanus prepositus et conventus, fratrum ordinis Premonstratensium monasterii beate Virginis Marie de *Saagh,* salutem in omnium Salvatore. Quum omnium habere memoriam et ullius (sic) oblivisci divinum est pocius quam humanum, igitur ea que ab hominibus sanxiuntur privilegiali testimonio conveniens est efulciri. Proinde ad universorum noticiam tam presencium, quam futurorum harum serie volumus pervenire, quod Andreas filius Kese de *Cytar,* ad nostram accedendo presenciam, exhibuit nobis literas nostras patentes, petens nos precum cum instancia, ut eas rescribi et in formam nostri privilegii redigi faceremus, quarum quidem literarum tenor talis est:

Tenorem vide sub nr. 513. ex ipso orig. edit.

1340. 13. Jan.

Nos itaque dignis peticionibus eiusdem Andree annuentes et videntes ipsas litteras nostras non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte fore viciatas, easdem de verbo ad verbum fecimus rescribi et in formam privilegii nostri redigi, presencium vigore confirmando. In cuius rei memoriam, firmitatemque

perpetuam, litteras nostras privilegiales, sepedicto Andree contulimus, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in crastino festi beati Georgii martiris, anno Domini M° ccc° XL^mo primo.

Sigillum e viridi serico pendet. — Orig. membr. in Arch. Primat. Secul. Lad. F. nr. 15.

560.

1341. Avignon. 25. Apr. — Benedictus PP. XII., bona a Cruciferis de Landek alienata, per archiepiscopum Strigoniensem revocari iubet.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII^4. p. 507.

561.

1341. (Pilis.) 3. Maii. — Conventus Pilisiensis, pro decimis villae Csákány, possessiones Bojtorján et Homoro, Chanadino archieppo Strigoniensi, ad viginti annos concedit et annuas viginti marcas promittit.

Nos frater *Stephanus, abbas* ecclesie beate Virginis Marie de *Pelisyo,* et nos totus eiusdem loci conventus, significamus tenore presencium quibus expedit universis, quod nos una cum venerabili in Christo patre, domino *Chanandino* (sic!), Dei et apostolica gracia *archyepiscopo Strigoniensi,* locique eiusdem comite perpetuo, super quibusdam possessionibus dicte ecclesie nostre videlicet *Buhturian* et *Humoro* nominalis, in *Cholokuz* habitis, et super universis decimis suis de sola villa nostra, *Chakan* dicta, sibi provenire debentis (sic!) absque quarta magistrali, talem permutacionem, seu concambium, infra viginti annorum revolucionem duximus faciendum, ut nos singulis annis in singulis octavis beati Michaelis archangeli autumpnalis, racione ipsius decime sue dicte sole ville nostre *Chakan,* sibi et suis successoribus usque ipsam viginti annorum revolucionem, cum decem pensis computando, solvemus viginti marcas lotorum Viennensium, *yta* videlicet, quod octo marcas, quas iobagiones sui de *Pyspiky* et de *Zungugd* nobis, racione censuum dicte terre *Bathurian,* singulis annis solvere tenebantur, necnon duas marcas censuales, a Jacobo comite Posoniensi et Nicholao, filio Jacobi, cive ab eadem, quibus (sic!) similiter singulis annis nobis solvere tenebantur, racione censuum sessionis seu curie, in quadam porcione dicte terre *Humuro* situate, quam eciam nunc tenent et habent in facie eiusdem Humuro, usque complecionem termini conduccionis, ad racionem ipsarum viginti marcarum ab ipsis recipiet. Si autem illas duas marcas censuales, predicti Jacobus iudex et Nicholaus, quandocunque et quocienscunque usque termini conduccionis complecionem solvere non curarent, nos cum aliis debitis in termino per nos assumpto, eidem domino archiepiscopo et suiis successoribus solvere teneremur. Hoc eciam declarato, quod si usque revolucionem ipsius vigesimi anni ipsam terram Humuro, ab eius detentoribus idem archiepiscopus vel sui successores possent redimere et liberare, nos pecuniam qua redemerint, sibi et suis successoribus persolvere teneremur et sic ipse archiepiscopus, vel sui successores, dictam terram Humuro nobis tenerentur resignare. Omnes autem utilitates predicte possessionis nostre Buhturyan, videlicet in terris arabilibus, fenetis, pratis, aquis, silvis et in quibuslibet aliis, ad eandem pertinentibus, intra terminos eiusdem existentibus, sui iobagiones (sic!) pacifice et quiete, usque ad

6. Oct.

predictam viginti annorum revolucionem, percipiendi dedimus facultatem; tali obligacione mediante, quod si nos predictas viginti marcas modo premisso in predictis singulis octavis beati Michaelis archangeli sine crastinacione solvere non possemus, sine porcione iudicis curie domini regis, tociens quociens predictum terminum obmiteremus vel obmiserimus insolutum, penam duppli incurreremus eo facto. Ut ad hec et quevis singula premissorum, ex ultronea et spontanea nostra voluntate firmiter nos obligamus, ipseque prelibatus dominus Chenaudinus (sic!) archiepiscopus Strigoniensis, in concambium et permutacionem dictarum possessionum nostrarum, Buhturyan et Humuro vocatarum, dictas decimas suas, in sola villa nostra Chakan singulis annis sibi provenire debentes, nobis absque quarta magistrali usque predictam viginti annorum revolucionem percipiendi et exigendi, vigore suarum litterarum, dedit et concessit facultatem; quam vero quartam residualem magistro quartarum qui pro tempore fuerint, similiter eidem persolvemus. Ceterum nos, amodo usque ipsam viginti annorum revolucionem, in prenominatis possessionibus nostris nullum dominium nobis reservantes, sed omnino quodlibet eius proprietarii, dominium ad ipsum dominum archiepiscopum et suos successores transferentes, dantes earum terminos eis a quibuslibet reinveniendi, recaptivandi et in suis metis et terminis augmentandi facultatem, iuris ordine observato. Completis vero ipsis viginti annorum revolucionibus, nos dictas decimas suas ville nostre Chakan, ipseque archiepiscopus et sui successores, predictas possessiones nostras Buhturyan et Humuro, mutua vicissitudine pacifice tenebimur reddere et resignare. In cuius concambii et permutacionis testimonium, presentes concessimus nostras litteras, pendencium sigillorum nostrorum munimine roboratas. Datum, in festo Invencionis Sancte Crucis, anno Domini M° ccc° quadragesimo primo.

Sigilla bene conservata e rubro et viridi serico pendent. — Orig. membr., humore corruptum, in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 53. fasc. 5. nr. 7.

562.

1341. Avignon. 19. Jun. — Benedictus XII. PP. causam Nicolai Johannis, canonici Posoniensis, contra Michaelem praepositum eccl. Poson., ob intrusionem Nicolai de Zala motam, Henrico abbati Scotorum in Vienna, dirimendam committit.

Tenorem vide sub. nr. 600.

563.

1341. Visegrád. 6. Jul. — Comes Paulus, judex curiae regiae terminum ad quem prepositus de Turócz, per Thomam Bud citatus sit, regi rescribi petit.

Amicis suis reverendis, *capitulo* ecclesie *Posoniensis*, comes Paulus, iudex curie domini regis, parate amicicie continuum incrementum. Johannes, filius Dominici, famulus et officialis domini *prepositi de Turuch*, in persona eiusdem domini sui, nobis dicit, quod *Thomas*, filius Nicolai dicti *Bud*, de *Parloch*, eundem dominum prepositum in presenciam regiam contra se, mediantibus homine regio et vestro testimonio citari fecisset et quosdam iobagiones suos ad statuendum sibi commisisset; sed ad quem terminum ipsa citacio et statuendi

commissio facta fuisset, idem dominus prepositus ignoraret. Super quo vestram amiciciam presentibus requirimus diligenter, quatenus intuitu iusticie, regnicolis observande, de premissa citacione et statuendi commissione, per quemcumque hominem regium, presente vestro testimonio ad aliquem terminum facta existit, ab eodem homine regio et vestro testimonio requisitis et reinnventis litteris, ad premissam citacionem faciendam et statuendi commissionem destinatis, sciscitemini. Et secundum quod ipsius citacionis et statuendi commissionis processus vobis constiterit, domino regi veridice rescribatis. Datum in *Wyssegrad,* feria sexta proxima post Octavas festi Nativitatis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° ccc° xxxx^mo primo.

Extus: Amicis suis capitulo Posoniensi pro domino preposito de Turuch. — Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 33. fasc. 1. nr. 8.

564.

1341. Visegrád. 8. Jul. — Comes Paulus judex curiae, Capitulo Strigoniensi committit, ut possessionem Zalatnya, monast. s. Benedicti, ab illa filiorum Baas similiter Zalatnya vocata, metis distinguet et separet.

Amicis suis, *capitulo* ecclesie *Strigoniensis,* comes *Paulus,* iudex curie domini regis, sincere amicicie continuum incrementum. Noveritis, quod cum secundum continenciam priorum litterarum nostrarum, *conventus* monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gron,* sua instrumenta in facto cuiusdam particule terre, quam *Mark,* filius *Baas,* et Johannes frater suus actores, ad possessionem ipsorum *Zalathnuk* vocatam, hereditario iure sibi pertinere, procurator vero ipsius conventus, super eadem particula terre eundem conventum efficacia instrumenta habere tempore proposicionis allegarant, in quindenis beati Georgii martiris exhibere debuisset coram nobis; ipsius autem instrumentalis exhibicionis discussio, volentibus partibus, ad octavas nativitatis beati Johannis Baptiste prorogata extitisset. Eisdem octavis advenientibus, prefato Johanne pro se personaliter et pro eodem Mark, filio Baas, cum procuratoriis litteris nostris astante, frater *Emericus,* pro eodem conventu monasterii sancti Benedicti, cum procuratoriis litteris eiusdem conventus, coram nobis comparendo, exhibuit privilegiales litteras excellentissimi domini nostri *Karoli* regis Hungarie, instrumenta quondam dominorum *Geyche,* fundatoris predicti monasterii, et *Andree* regum, super libertatibus et possessionibus, ac aliis bonis et mancipiis dicti monasterii confecta roborantes (expunctum: presentavit), in quibus inter alia continebatur, ut idem rex *Geyse,* filius *Bele* regis, cernens huius seculi bona esse momentanea, superna autem perpetua, magno amoris desiderio, ad laudem et honorem beati Benedicti piissimi patris monachorum construere exoptasset monasterium, ipsumque annuente divina gracia laudabiliter perfectum, hys hereditatibus dotasset, terris cultis et incultis, vineis ac vinetis, pratis ac pascuis, aquis, aquarumque decursibus, piscinis atque tributis, servis et ministris, ceterisque bonis, quibus condonare potuisset: et hoc omnibus episcopis et abbatibus, necnon et principibus regni, notum fieri voluisset. Terram igitur contulisset, que sita esset secus flumen, quod vocatur *Gron,* ubi eciam predictum monasterium esset constructum, cum silvis et venacionibus, piscacionibus et

1341. 8. Maii.

1341. 1. Jul.

cumulonibus, et omnibus comodis in eisdem silvis existentibus, cum propriis certis terminis et metis, ibidem expresse contentis; asserens predictus procurator dicti conventus, ipsam particulam terre litigiosam, inter ipsas metas in eisdem privilegialibus litteris expressas, manifeste contineri et ambiri. Cum igitur ad reambulacionem predictorum possessionariorum iurium parcium, domini regis et vestri homines transmitti per partes postulentur, amiciciam vestram requirimus presentibus reverenter, quatenus mittatis homines vestros pro testimoniis utique fidedignos, quibus presentibus Peteu de *Wolkoch,* vel Rubinus, filius *Zanchuk*, aut Gregorius, filius Jula, pro parte actorum; item Nicolaus de *Jerud*, vel Salomon de *Hyndy,* aut Johannes filius Zanchuk, pro parte adverse partis, aliis absentibus homines domini regis, in octavis festi beati regis Stephani proxime venturis, ad faciem possessionis predicti monasterii sancti Benedicti, eidem possessioni, Zalathnuk vocate vicinantis, et convocatis commetaneis et vicinis suis universis, et partibus vel earum procuratoribus presentibus, accedendo eandem, a primis veris metis antiquis et signis certis metalibus, in ipsis privilegialibus litteris domini regis, in superficie ipsius possessionis, per legitimum procuratorem dicti conventus sancti Benedicti in specie exhibendis, contentis et repertis, abiecta falsitate, sine diminucione et augmento, incipientes reambulent usque ad finales metas et metales distincciones. Et si dicte antique mete, ac aliqua vera signa metalia ex eisdem, ipsam possessionem dicti conventus supradicte possessioni Zalathnuk vocate vicinantem, ab eadem possessione Zalathnuk apparenter et perfecte, vero modo separancia, inventa fuerint; tunc novis metis per loca necessaria erectis, ab ipsa possessione Zalathnuk separando et distingendo, sine preiudicio iuris alieni, cuique parti sua iura possessionaria relinquant et statuant, perpetuo possidere. Si vero dicte antique mete, aut aliqua vera signa metalia ex eisdem, dictam possessionem a predicta possessione Zalathnuk apparenter et perfecte, vero modo separancia, inventa non fuerint, et per aliquem vel aliquos contradictum extiterit, ac litigiose particule possessionarie inter partes remanserint, tunc ipsos contradictores, exceptis partibus adversantibus predictis, ad regiam citet presenciam, contra quam parcium decet, ad quindenas predictarum octavarum beati regis Stephani nunc venturas. Predictas autem partes adversas, contra sese, si contradixerint, citari non oporteret, eoque racionem sue contradiccionis reddere eas oportebit sine iterata citacione; easdemque possessionarias particulas litigiosas, signis pro metis positis consignando, et regali mensura si mensurari poterit mensurando, vel visu considerando, cum aliis probis viris estiment, regni consuetudine requirente, et post hec tocius facti seriem, cum cursibus metarum predictas possessiones distinguencium, vel nominibus contradictorum et estimacione, ad predictas quindenas octavarum beati regis Stephani, domino regi fideliter rescribatis. Datum in *Vissegrad,* octavo die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xxxx^mo^ primo.

1341. 27. Aug.

1341. 10. Sept.

Extus: Amicis suis capitulo ecclesie Strigoniensis, pro conventu sancti Benedicti de iuxta Gron, contra Mark filium Baas et Johannem, super possessionaria reambulacione in octavis sancti regis Stephani fienda et in quindenis octavarum ipsius festi ad iudicem. — Dein manu medii aevi: Metales cum possessione *Zalathnok.* — Et iterum: Zonchuk fuit nobilis de *Ebedecz; Zalathnuk* est penes *Ebedecz.* — Sigillum margini exter. fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Privat. Lad. 1. fasc. 5. nr. 11.

565.

1341. — 22. Jul. — Stephanus, abbas de Pilis, Jacobum iudicem Posoniensem, in feudo allodii, super aquam Humuro, in Csallóköz iacenti, pro censu viginti pensarum singulis annis solvendarum, confirmat.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 114.

566.

1341. Esztergom. 25. Jul. — Chanadinus archiepiscopus, e bonis monialium de insula Budensi, per comitem camerae, lucrum camerae desumi, prohibet.

Chanadinus, Dei et apostolica gracia, *archyepiscopus Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, provido viro et honesto, magistro *Endre Chempelino,* comiti camerarum regalium Syrimiensis et Quinqueecclesiensis, et procuratoribus ac vices ipsius gerentibus, dilecciones et amicicias pleniorem. Ex querulosa supplicacione religiosarum dominarum sanctimonialium de Insula Leporum, regiis auribus extitit instillatum, quod vos iobagiones ipsarum et ad eas pertinentes, contra formam privilegiate libertatis earum, racione lucri camere agravare intenderetis; cum tamen regia benignitas, iobagiones earumdem sanctimonialium et ad ipsas pertinentes, in suis privilegiatis libertatibus indempnes velit conservare. Super quo vestre amicicie mandamus diligenter per presentes, quatenus predictarum dominarum iobagiones, ad ipsasque pertinentes, racione lucri camere, contra privilegiatam libertatem earum in nullo debeatis agravare. Cum et quorumlibet privilegiatam libertatem, iuxta tenorem litterarum conduccionalium ipsarum camerarum vestrarum teneamini indempniter conservare. Aliud non facturi, prout eciam in litteris regalibus videbitis contineri. Tibi autem Mychaeli, homini nostro, cum eodem comite camere procedenti, firmiter precipientes mandamus, ne ad exigendum lucrum camere cum eodem comite camere, vel procuratoribus ipsius in medium iobagionum dictarum dominarum, contra precepta regalia et tenores litterarum convencionalium eiusdem camere, in preiudicium privilegiate libertatis earumdem dominarum, accedere presumpmas ullo modo. Denarios autem, seu monetas regias, per totum regnum suum currere et cambiri statutas, in medio iobagionum earum currere facias et cambiri, prout eciam eedem domine sanctimoniales id facere, regie maiestati assumpsissent. Datum *Strigonii,* in festo beati Jacobi apostoli, anno Domini M° ccc° xl^mo primo.

Extus manu medii aevi: Kamara haznarol eretelen leuel Stragomi Erseke. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 3405. — Sign. vet. Acta Monial. Poson. fasc. 64. nr. 8.

567.

1341. Visegrád. 3. Aug. — Carolus rex, per capitulum Strigoniense, vineas Hannus civis Strigon. debitoris Thomae comit. Liptoviensis, pro parte eiusdem arestari precipit.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 118—119.

568.

1341. (Esztergom.) 7. Aug. — Capitulum Strigoniense, vineas Hannus, civis Strigoniensis, Thomae castellano Liptoviensi assignatas esse, Carolo I. regi rescribit.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 118 et sq.

569.

1341. (Esztergom.) 15. Aug. — Magistratus Strigon., haeredes comitis Hannus, civis Strigon., pro expungendo eius debito, magistro Thomae, castellano de Csókakő, vineam quandam cessisse testatur.

Comes Stephanus, filius Frank iudex, comes Stephanus filius Godini, Georgius filius Rubini, comes Wal*l*entinus, Geletus dictus de *Boioth*, comes Merclinus, Stephanus filius Hermani, Geletus filius Endre, Stephanus filius Hurnici, magister Leukus et Godinus, filius Godini, iurati ceterique *cives de Strigonio*, universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam, tam presencium quam futurorum, harum serie volumus pervenire, cum comes *Hannus*, noster socius et concivis, ac de numero iuratorum unus, nobili viro et honesto magistro *Thome*, filio Petri, *castellano de Chokaku*, ac comiti *Liptouiensi*, debito nonaginta marcarum debitor fuisset seu extitisset, et in sua egritudine coram nobis, cum eodem magistro Thoma computum et racionem inter se habuissent, velu*d* eciam ad ipsam racionem, seu computum audiendum per eosdem vocati fuissemus, facta ipsa racione et computo coram nobis, predictus comes Hannus sexaginta septem marcis, cum pondere Budensi, prefato magistro Thome remansit in debito, quod debitum Laurencio Mychaeli, dicto Siller, filiis suis, Jenslino ac Fredlino, suis proximis et cognatis, quod si ipsum in hac infirmitate sua mori contingeret, de possessionibus suis, videlicet de veneys (sic!) suis satisferent (sic!) cum deficiente facultate, pecunia sua pron*t*a satisfere (sic!) non val*l*eret magistro Thome antedicto. Tandem mortuo ipso comite Hannus, magister Thomas memoratus a Laurencio, Mychaele, filiis ipsius comitis Hannus, nec non a Jenslino et Fredlino cognatis et proximis eiusdem, ipsas sexaginta septem marcas repetisset et rehabere voluisset coram nobis; et iidem Laurencius, Mychael, Jenslinus ac Fredlinus, pecunia pron*c*ta satisfacere nequiverunt, quandam vineam ipsius comitis Hannus empliciam, in territorio Strigoniensi, *Perechen* vocat*a*, sitam in vicinitate vinearum Andree tributar*i* nunc, quondam episcopi Nitriensis, a plaga orientali Egid*i*, dicti de Insula, a parte meridionali quondam comitis *Ladislai Ventrosy*, nunc vero magistri Dominic*y*, castellani *de Trenchen*, a parte occidentali circa viam currus et circa quandam vineam incultam, ibidem prope a parte septemtrionali existentem et adiacentem, cum omnibus utilitatibus ad eandem pertinentibus, velu*d* predictus comes Hannus tenuisset vivente (sic!) et habuisset ab antiquo, pro debito ipsarum sexaginta septem marcarum, secundum extimacionem nostram et aliorum proborum virorum, ex utraque (sic!) adductorum, dederunt et statuerunt magistro Thome superius expresso et nominato, similiter coram nobis personaliter astanti, et per ipsum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam, necnon pariter et habendam; contradictore nullo penitus a*p*arente seu existente, nostri in presencia. Privilegium, primitus super premissa vinea confectum et emanatum, iidem filii comitis Hannus, Jenslinus et Fredlinus, ad manus magistri Thome dederunt et statuerunt, coram nobis, maiorem ad cautelam seu certitudinem. Insuper iidem Laurencius, Mychael, filii comitis Hannus, Jenslinus ac Fredlinus, tam per se, quam eciam per eorum proximos et cognatos, assumpserunt firmiter et districte, ut si qui ullo u*m*quam tempore ipsum magistrum Tho-

mam et suos heredes, seu successores, racione premisse vinee inquietare et molestare niterentur, seu conarentur, ab omnibus hys talibus expedire et liberare eorum laboribus propriis et expensis. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad instantes peticiones parcium premissarum, presentes ipsi magistro Thome concessimus, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in festo Assumpcionis Virginis gloriose, anno Domini M° ccc° xl.^mo^ primo.

Extus manus med. aevi adnot.: Super vineam Hannus in territorio existentem Strigonio. — Sigillum, sat bene conservatum, e rosco et cinericio serico contexto pendet. — Orig. in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 3412. — Sign. vet. Neo-Reg. Act. fasc. 650. nr. 29.

570.

1341. (Esztergom.) 3. Sept. — Capitulum Strigoniense, super controversia metali in possessionibus Zalatna et alia Zalatna, inter monasterium s. Benedicti de iuxta Gron et Marcum ac fratres eiusdem agitata, Carolo I. regi rescribit.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII. 4. p. 513 et sq.

571.

1341. Damás. 6. Sept. — Carolus I. rex, portionem Petri et sociorum eius in Sipek habitam, ob perpetrata latrocinia adimit, et Paulo ac Lucae, quibus eam comes Huntensis duodecim marcis vendiderat, confirmat.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, memorie commendantes, quod cum nos *Paulum,* filium Galli de *G[e]znous, Petrum,* filium Egidii *de Sembur,* ac Johannem et Nicolaum, filios Michaelis *de Palast,* item Petrum, filium Jacobi, et socios eiusdem *de Sypyg,* ac Michaelem filium Iwanka, nobiles de comitatu *Huntensi,* in publice infidelitatis notam redactos et elapsos, ex eo, quia diversorum et incessabilium malorum, videlicet latrociniorum maculis publice fuerant innodati, in preiudicium nostri regii honoris et regnicolarum nostrorum non modicum detrimentum rapinas perpetrando manifeste; specialiter autem pro eo, quia diebus pridie elapsis, eosdem Petrum, filium Jacobi et socios eiusdem de Sypyg, in spoliacionibus et latrocinalibus ablacionibus rerum et bonorum, quorumdam civium et hospitum nostrorum de civitate *Zolyo,* reos et noxios ex certa sciencia reperimus et cognovimus, ut plurimorum fidelium nostrorum relacio veridica nos edocuit extitisse, quique cognitis suis reatibus et excessibus enormibus premissis, cunctis notis formidine plenis, ad nostram regiam continuam vocacionem conspectum maiestatis nostre, se de facie iuris et iusticie retrahentes, ab eorum maleficiis se posse excusare penitus desperati, adire formidarunt; habita matura deliberacione cum baronibus regni nostri, quia nocivos homines et latrocinia in regno nostro committere non cessantes, regia cum vindicta compescere et iuxta excessus ipsorum eosdem punire debemus, ac de rebus et possessionibus ipsorum malefactorum, in quibus perseverando dicta maleficia perpetrarunt, predictis civibus et hospitibus nostris de Zolyo, pro rebus et bonis ab eisdem modo premisso ablatis satisfacere volentes, ut nostro incumbit officio, possessionibus et possessionariis porcionibus eorum ubique et specialiter in comitatu Huntensi existentibus, quomodolibet vocitatis, cosdem Petrum, filium Jacobi et socios

suos, ut malemeritos maleficia eorum inpunita nolentes pertransire, decrevimus spoliandos, ut pro eorum reatibus perpetua laborent egestate et de suis maleficiis non videantur commodum reportasse; easdem magistro *Morouchuk*, aule nostre militi, comiti ipsius comitatus Huntensis tradidimus et contulimus, assignantes hoc modo, ut ipse magister Morouchuk, predictas possessiones et possessionarias porciones ipsorum infidelium nostrorum, hȳs quorum redempcioni magis congrucrent ad redimendum assignaret, vel si necesse fuerit vendicioni exponat, et de precio earumdem possessionum, predictis civibus sive hospitibus de Zolyo, in premissa latrocinali spoliacione rerum et bonorum ipsorum defectum et dampnum pacientibus, omnimodam debeat satisfaccionem exhibere. Tandemque prefatus magister Morouchuk, ad celsitudinis nostre accedens presenciam, retulit nobis ministerio vive vocis, ut aliis proximis, vicinis et commetaneis dictam possessionem Sypyg redimere nolentibus et recusantibus, pluries ad redimendum per ipsum magistrum Morouchuk coartatis, ut dicebat Paulus, filius Petri, et Lukachius, filius Boka de eadem Sypyg, porcionem prefati Petri filii Jacobi et sociorum suorum in ipsa Sypyg ipsos contingentem et pro eorum maleficiis, ut premittitur, ab eisdem alienatam, pro duodecim marcis compoti Budensis, eidem magistro Morouchuk plene persolutis, redimissent. Quamquidem porcionem de eadem Sypyg, que prenotatum Petrum et socios suos contingebat, ipse magister Morouchuk auctoritate per nos sibi data, per alias litteras patentes exinde confectas, eisdem Paulo et Lukachyo de eadem Sypyg vendidisset, cum utilitatibus et pertinenciis eiusdem porcionis possessionarie universis et vendidit coram nobis, perpetuo possidendam, in filios filiorum eorumdem, ac heredum per heredes. Et quia nobiles domine, videlicet socrus eiusdem Petri, filii Jacobi, nomine Anna, filia Egidii, ac domina Mokch, consors eiusdem Petri, prefato Petro dum iam reatibus suis exigen[ti]bus proscriptus denunciatus extitisset, in congregacione universitatis nobilium eiusdem Huntensis comitatus generali, hospitalitatem exhibuissent, facta per ipsos Paulum et Lukachium legittima prohibicione et super hoc receptis per eosdem et factis legittimis protestacionibus et inquisicionibus, ut in litteris comitis et iudicum nobilium ipsius comitatus Huntensis nobis exhibitis continebatur, decrevimus: ut pro huiusmodi temeraria presumpcione, dicte domine iure ipsarum, quod in ipsa possessione Sypyg habebant careant et priventur. Datum in *Damas,* feria quinta proxima ante festum nativitatis Virginis gloriose, anno Domini M° ccc° xl^mo primo.

Datum hunc alia, ast coaeva manus adiecit, prout et in inferiori margine haec verba: Iterata relacio Morochuk. Sigillum majestaticum tergo fuit appressum, quod voces has tegebat: relacio eiusdem Morochuk. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strig. Priv. Lad. 18. fasc. 3. nr. 4.

572.

1341. Gyarmath. 19. Sept. — Villermus Drugeth palatinus, Stephanum abbatem de Ságh, protestationem proposuisse testatur, quod quaedam possessio Doba, circa aquam Ticie iacens, ad monasterium suum pertinens, per manus alienas esset occupata.

Ed. Cod, Andegav. T. IV. p. 133.

573.

1341. Maros. 22. Sept. — Vilhelmus Drugeth palatinus, causam monasterii s. Benedicti de juxta Gron, contra Petrum et socios suos motam, ad peremptorium terminum prorogat.

Nos *Wyllermus Druget,* palatinus et iudex Comanorum, damus pro memoria, quod causam quam *conventus* sancti Benedicti de iuxta *Goron,* pro quo frater *Vlricus* cum procuratoriis litteris eiusdem astitit, contra Petrum, Stephanum et Mychaelem, filios Jacobi *de Ohay,* et Anthonium de eadem, personaliter astantes, item Nicolaum, fratrem Abram, iobagionem eorumdem filiorum Jacobi, et Mykow Rufum, ac Jacobum servientes eiusdem Anthonii, ipsis statuere commissos, iuxta priorum litterarum nostrarum continenciam, in octavis festi Nativitatis beate Marie Virginis, super facto potencie et furti declarata movere habebat coram nobis, de voluntate parcium, ad octavas sancti Martini confessoris proxime nunc venturas, duximus peremptorie prorogandam, si partes medio tempore non poterunt concordare. Datum in *Morisio,* octavo die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xl^mo primo.

1341. 15. Sept.

1341. 18. Nov.

Extus: Pro conventu sancti Benedicti de iuxta Goron, contra Petrum, Stephanum et Mychaelem, filios Jacobi de *Ohay,* ac Anthonium de eadem et alios intra nominatos, ad octavas sancti Martini confessoris prorogatoria. — Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 5. nr. 20.

574.

1341. Damas. 23. Sept. — Carolus I. rex vetat Chanadinum, archiepiscopum Strigoniensem, ejusque vicarium, quatenus Archleb Thomam, Voythyh et Nicolaum filios eius, super dote et rebus parafernalibus novercae Michaelis dicti Turbuch, iudicaret.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 134.

575.

1341. Visegrád. 25. Sept. — Comes Paulus, judex curiae, particulam Zalatnya, ad possessionem monasterii s. Benedicti, Ebedecz vocatam, pertinentem, eidem monasterio adiudicat.

[N]os comes *Paulus,* iudex curie excellentissimi principis domini *Karoli,* Dei gracia illustris regis Hungarie, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit univeris, quod cum *Mark* et Johanne, filiis *Baas* possessionem *Zalathnuk* vocatam, in comitatu *Borsyensi* existentem, nomine possessionis ipsorum hereditarie, per hominem domini regis, presente testimonio capituli ecclesie Nitriensis, reambulari et manibus suis applicari facere volentibus, religiosus conventus monasterii beati Benedicti de iuxta Gron, in quadam particula possessionaria, contradiccionis velamine eisdem obvians, ad octavas festi Epiphanye Domini proxime preteritas, contra predictos filios Baas, in presenciam regiam citatus extitisset; et lite inter partes sic mota coram nobis, ad quindenas beati Georgii martiris, in perem*p*nali exhibicione instrumentali; abhinc autem volentibus partibus, ad octavas festi nativitatis beati Johannis Baptiste nunc elapsas deveniente; in ipso termino prefato Johanne pro se personaliter, et pro eodem Mark cum procuratoriis litteris nostris astante, *frater Emericus,* pro eodem conventu,

1341. 13. Jan.

1341. 8. Maii.

1341. 1. Jul.

cum procuratoriis litteris ipsius conventus, coram nobis comparendo, exhibuerat privilegiales litteras excellentissimi domini nostri *Karoli* regis prenotati, instrumenta quondam dominorum *Geyse* fundatoris predicti monasterii, et *Andree* regum, super libertatibus et possessionibus, ac aliis bonis et mancipiis dicti monasterii confecta roborantes, in quibus inter alia continebatur: ut idem rex Geyse, filius Bele regis, cernens huius seculi bona esse momentanea, superna autem perpetua, magno amoris desiderio, ad laudem et honorem beati Benedicti piissimi patris monachorum construere exoptasset monasterium, ipsumque annuente divina gracia laudabiliter perfectum, hys hereditatibus dotasset, terris cultis et incultis, vineis ac vinetis, pratis ac pascuis, aquis, aquarumque decursibus, piscinis atque tributis, servis et ministris, ceterisque bonis, quibus condonare potuisset; et hec omnibus episcopis et abbatibus, necnon et principibus regni, notum fieri voluisset. Terram igitur contulisset, que sita esset secus flumen, quod vocatur *Gron*, ubi eciam predictum monasterium esset constructum, cum silvis et venacionibus, piscacionibus et cumulonibus, et omnibus commodis in eisdem silvis existentibus, cum propriis certis terminis et metis ibidem expresse contentis; asserens predictus procurator dicti conventus, ipsam particulam terre litigiosam, inter ipsas metas in eisdem privilegialibus litteris expressas manifeste contineri et ambiri per easdem metas. Cum igitur honorabili capitulo ecclesie *Strigoniensis* scribendo, homines suos pro testimoniis fidedignos destinari postulassemus, ut ipsis presentibus, homines domini regis infranominati, in octavis festi beati regis Stephani ad faciem possessionis predicti monasterii sancti Benedicti, eidem possessioni Zalathnuk vocate vicinatis, convocatis commetaneis et vicinis suis universis et partibus, vel earum procuratoribus presentibus, accedendo eandem a primis veris metis antiquis et signis terris metalibus, in ipsis privilegialibus litteris domini regis, in superficie ipsius possessionis, per legittimum procuratorem dicti conventus sancti Benedicti, in specie tunc exhibendis contentis et repertis, abiecta falsitate, sine diminucione et augmento, incipientes reambularent usque ad finales metas et metales distincciones. Et si dicte antique mete, ac aliqua vera signa metalia ex eisdem, ipsam possessionem dicti conventus, supradicte possessioni Zalathnuk vocate vicinantem, ab eadem possessione Zalathnuk apparenter et perfecte, vero modo separancia, inventa fierent, tunc novis metis per loca necessaria erectis, ab ipsa possessione Zalathnuk separando et distingendo, sine preiudicio iuris alieni, cuique parti sua iura possessionaria relinquerent et statuerent, perpetuo possidere. Si vero dicte antique mete aut aliqua vera signa metalia ex eisdem, dictam possessionem a predicta possessione Zalathnuk apparenter et perfecte, vero modo separancia, inventa non fierent, et per aliquem, vel aliquos contradictum existeret, ac litigiose particule possessionarie inter partes remanerent, tunc ipsos contradictores, exceptis partibus adversantibus predictis, ad regiam citarent presenciam, contra quam parcium deceret, ad quindenas predictarum octavarum beati regis Stephani; predictas autem partes adversas contra sese, si contradicerent, citari non oporterent, eoque racionem sue contradiccionis reddere eas oporteret sine iterata citacione. Easdemque possessionarias particulas litigiosas, signis pro metis positis consignando, et regali mensura si mensurari possent mensurando, vel visu considerando, cum aliis probis viris estimarent, regni consuetudine requirente; et post

1341. 27. Aug.

1341. 10. Sept.

hec tocius facti seriem, ad predictas quindenas octavarum beati regis Stephani, domino regi capitulum rescriberet prenotatum. Tandem ipso termino reportacionis seriei premissorum adveniente, prefati frater Emericus, in personis predicti conventus sancti Benedicti, cum procuratoriis litteris eiusdem conventus ab una, et predictus Johannes filius Baas pro se personaliter et pro prefato Mark fratre suo, cum procuratoriis litteris nostris, parte ex altera, ad nostram presenciam redeundo, litteras predicti capituli Strigoniensis nobis presentarunt, continentes: ut Peteu de *Wolkoch,* et Nicolaus de *Gerud,* homines domini regis, presentibus *Georgio* et *Andrea sacerdotibus,* prebendariis chori, testimoniisque ipsius capituli Strigoniensis, in predictis octavis, convocatis vicinis et commetaneis, cum eisdem ad faciem dicte terre accessissent et ibidem, per legittimum procuratorem abbatis et conventus memorati, predictum privilegium regale fuisset in specie exhibitum, in quo expresse recepissent, quod ipsam terram litigiosam vicinantem predicte terre Zalathnuk, per cursum cuiusdam aque *Sytua* vocate, tenor dictorum privilegiorum, ad alias possessiones dicti monasterii sancti Benedicti metaliter inclusisset, et intra metas possessionum dicti monasterii conclusisset eandem. Nichilominus tamen, intra metas possessionum, dicti monasterii, idem Mark quedam tria signa metalia ostendisset, que dixisset esse separativa a possessione dicti monasterii litigiosam terram, per ipsum Mark recaptam pluries nominatam; que quidem signa, alii probi nobiles eciam pro signis metalibus valere limitassent, tamen ipsis propter ignoranciam pro certo non constaret. Et quia ipsa particula sessionalis apparuisset, aquam eciam Sytua iuxta eandem terram, ipse Mark non abbatis, sed suam esse dixisset, eoque eciam ex alia parte ipsius sua esset possessio; dixisset eciam, quod solus Mark actor ibi comparuisset et non frater suus, sed nomine fratris sui, sine procuratoriis litteris comparuisset. Quamquidem particulam terre pro tribus marcis estimassent. Quibus quidem litteris capituli Strigoniensis perlectis, pretactus Johannes, filius Baas, super eo, quod predicta terra litigiosa, pro tribus marcis estimata, sua et predicti Mark fratris sui hereditaria fore dignosceretur, per nos pluries requisitus, nullam racionem ad probacionem dare potuit, vel assumpsit se daturos cum ipso fratre suo in futurum. Verum, quia prenominati Mark et Johannes, filius Baas, huius cause actores, presumpcione temeraria, memoratam particulam terre litigiosam, ipsorum hereditariam allegare non verentes, nullam sue allegacionis certitudinem pretendere valuerunt seu assumpserunt, ymo predictus Johannes actor et motor huius cause existens, in sue malicie iudicium ad predictam possessionariam reambulacionem non accessisse, nec misisse, ex serie dictarum litterarum capituli Strigoniensis explicabatur, eademque terra litigiosa per cursum predicte aque Sytua, ad alias possessiones dicti monasterii sancti Benedicti, vigore prefati privilegii metaliter includi et inter metas possessionum ipsius monasterii concludi ac existere in eisdem litteris capituli Strigoniensis reperiebatur: idcirco, hys racionum documentis consideratis, memoratos Mark et Johannem, filios Baas, pro tam indebita ipsorum requisicione, in emenda estimacionis predicte terre litigiose in tribus marcis estimate, tres marcas facienti; et post hoc, ipsum Johannem, pro negligencia aditus sui, vel destinacionis eius procuratoris legittimi, tempore predicte reambulacionis possessionarie facta, in uno iudicio regali sex marcarum aggravatos fore committentes, unacum baronibus et nobilibus regni nobiscum assedentibus

1341. 27. Aug.

habita matura deliberacione, eandem terram litigiosam in tribus marcis estimatam, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, ac sub suis veris metis et distinccionibus, prout ad predictas possessiones ipsius monasterii sancti Benedicti metaliter includi dignoscitur, ad ipsas possessiones dicti monasterii applicando, eidem conventui sancti Benedicti, prout sibi pertinere dignoscitur, sine preiudicio iuris alieni, adiudicavimus perpetuo possidendam et habendam; prefatis filiis Baas perpetuum silencium inponendo, a particula terre litigiosa prenotata. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes litteras nostras privilegiales concessimus, pendentis sigilli nostri autentici munimine roboratas. Datum in *Wyssegrad*, sedecimo die post predictas quindenas octavarum, festi beati regis Stephani pretactarum, anno Domini Millesimo ccc° quadragesimo primo.

Extus manus alia, ast coaeva adjecit: Super particula terre circa possessionem *Zalathnuk* iuxta *Sythuam*, cum Mark et Johanne filiis Baas. Et iterum manus minime coaeva, ast adhuc medii aevi: Credo, quod *Zalathnuk* est idem quod nunc *Ebedecz* monasterii vocatur. *Zalathnuk*, penes *Ebedecz*. Zonchuk fuit nobilis de Ebedecz. — Sigillum e flavo serico pendebat. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 6. fasc. 1. nr. 1.

576.

1341. — 26. Sept. — Comitatus Hontensis, possessionem Sipek, a domina Anna et filia eiusdem Mochk, consorte Petri, quia huic utpote latroni hospitium prebuerunt, ademptam, e mandato regio, Lucae et Paulo de Sipek statuit.

Nos magister *Morouchuk*, comes Hontensis et quatuor iudices nobilium eiusdem comitatus, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, memorie commendantes, litteras domini *Karoli*, serenissimi regis Hungarie, per Lukasium, filium *Boka*, et Paulum filium Petri de *Sypig*, super possessio*narie* dominarum Anna consortis Moynoch, et Mochk filie eiusdem domine, consortis Petri, filii Jacobi, Sipig vocate, honore quo decuit recepimus reverenter. In quibus litteris reambulatoriis nobis firmo dabat in preceptis, ut nos duos ex nobis ad premissam possessionem Sypig vocatam transmitteremus, que quidem possessio propter perpetracionem latrocinii ipsius Petri, filii Jacobi, et propter hospitalitatem predictarum dominarum ipsi Petro, fili*i* Jacobi, ad manus eiusdem domini nostri regis devenisset et idem Lukasius, filius Boka, et Paulus, filius Petri, a nobis magister (sic!) Morouchuk, possessionem predictarum dominarum emissent regio ex favore, secundum quod in litteris ipsius domini nostri regis contine*n*tur, et ibi convocatis vicinis et commetaneis ipsius possessionis Sypig, circumquamque existentes, per veteres et antiquas metas, secundum quod ipse domine possedissent et conservassent reambularent, reambulatamque, si contradictores non existerent, statuerent Lukasyo et Paulo antedictis perpetuo possidendam. Nos igitur, preceptis et mandatis ipsius domini nostri regis in omnibus obedire volentes, ut tenemur, Johannem vicecomitem nostrum et unum ex nobis iudicibus nobilium, ad reambulandam possessionem predictarum dominarum destinavimus, qui demum pariter ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt: quod, feria secunda proxima post quindenas festi nativitatis beate Virginis Marie, ad possessionem Sipig nominatam accessissent, et ibidem convocatis vicinis et commetaneis ipsius possessionis circumquaque exi- 1341. 24. Sept.

stentes, ipsam possessionem Sipig per veteres et antiquas metas, secundum quod ipse domine conservassent et possedissent, reambulassent reambulatamque, cum omni plenitudine eisdem iuris, ipsis Lukasyo et Paulo, nullo contradictore ibidem existente vel existentibus, statuissent perpetuo possidendam; secundum quod, idem Johannes vicecomes noster et unus ex nobis iudicibus nobilium, ad nos reversi, nobis affirmarunt. Datum, feria quarta proxima post quindenas festi nativitatis beate Virginis Marie antedicti, anno Domini M° ccc° XL^mo primo.

Duo sigilla tergo erant impressa. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 18. fasc. 3. nr. 3.

577.

1341. Léva. 28. Sept. — Protestatio abbatis s. Benedicti de juxta Gron, contra universos monasterii sui jura et possessiones occupantes, coram palatino facta.

Nos *Wyllermus Drugetth,* palatinus et iudex Comanorum, memorie commendamus, quod in quadam nostra generali congregacione universitati nobilium comitatus Borsyensis, feria secunda proxima ante festum beati Michaelis archangeli, in villa *Leua* celebrata, religiosus vir frater Seffridus, abbas monasterii sancti Benedicti de iuxta *Gron,* sua et sui conventus dicti monasterii in persona, de medio universorum nobilium exsurgendo dixit protestando tali modo: quod non nulli hominum, tam ecclesiasticarum quam secularium personarum, Dei timore et suarum animarum salute postpositis, ad iura et possessiones ipsius monasterii, sine ipsius et fratrum suorum voluntate se ingerentes, ipsas occupando detinerent, in maximum dicti sui monasterii derogamen et iacturam, unde universos homines universaliter, et singulos singulariter, ecclesiasticas videlicet seculares*que* personas, et quoslibet alios homines cuiuscunque condicionis, status, dignitatis, officii et pre*h*eminencie homines existant, tam occupatores iurium, tributorum, possessionum et quarumlibet aliarum proprietatum ipsius monasterii, quam occupare eadem, ac uti volentes, prohiberet et prohibuit coram nobis, asserens et attestans se vel suos successores, premissa prosecutores, dum se tempus obtulerit et facultas. In cuius protestacionis et prohibicionis testimonium, nostras litteras eisdem domino abbati, sibi et suo conventui, instanter postulanti, concessimus iusticia suadente. Datum, tercio die congregacionis nostre et loco prenotatis, anno Domini millesimo ccc° LX^mo primo. 1341. 24. Sept.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. in sched. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 17.

578.

1341, Damás. 2. Oct. — Vilhelmus Drugeth palatinus, capitulum Posoniense, ad inquisitionem super actibus potencialibus, per Nicolaum de Úz vicecomitem et complices in civitate Nitriensi perpatratis, peragendam requirit.

Amicis suis reverendis, honorabili capitulo Posoniensi, Wyllermus Drugeth palatinus et iudex Comanorum, amiciciam paratam cum honore. Dicitur nobis in personis iudicis et universorum civium, seu hospitum de civitate Nitriensi, quod Nicolaus de *Uz,* vicecomes Nitriensis, Deseu filius Petri de *Eneke,* Johan-

nes filius Nicolai et Thomas filius Andree Rufi de eadem, item Jacobus, Thomas et Ladizlaus, filii *Zobonya*, ac Anthonius de *Ohaj*, nec non Ladizlaus filius Thome, item Nicolaus filius Iwanka de *Gyos*, et Jacobus filius Myko, cum aliis eorum consociis et complicibus, in crastino festi beati Michaelis Archangeli, proxime nunc preteriti, circa occasum solis, malicia preconcepta, manibus armatis, super predictam civitatem ipsorum, potencialiter irruendo, ipsos super domibus ipsorum interficere voluissent, et eosdem de domibus eorum pulsos, quosdam ex ipsis in *monasterium beati Emerani* et quosdam in *ecclesiam beati Nicolai* arreptos, arcubus et sagi*t*is fugassent, et plures ex eis per gladiorum ictus et sagi*t*arum emissiones, in cimiterio ipsius monasterii et in ecclesia beati Nicolai, diris wlneribus sauciatis (sic!) reli*n*quissent et sic eciam ipsum monasterium et ecclesiam beati Nicolai processionalem polluentes violassent; et cum Stephanus Hurvat dictus, castellanus domini episcopi Nitriensis, visis enormitatibus premissis, de castello Nitriensi cum Gregorio consobrino eiusdem domini episcopi, ad formandum inter eos pacem, ante ipsum monasterium venissent, eosdem Stephanum Castellanum et Gregorium, cum sagitarum ictibus letaliter wlnerassent; cantorem eciam iam dicte ecclesie wlneratum reli*n*quissent; ex quibus quidem hominibus, superius nominatis, videlicet Johannes filius Nicolai, in eorum defensione casualiter interemptus extitisset, cuius funus in eadem ecclesia sancti Nicolai pro declaranda potencia reservaretur; qui scilicet Johannes cum Anthonyo de *H*ohaj, quibusdam diebus paulo ante elapsis, in eadem civitate, in crepusculo noctis quinque equos arripuissent, et tam ipsi quam alii, superius declarati, diversa mala et indicibilia intulissent, culpis eorum non exigentibus. Super quo vestram amiciciam diligenter petimus per presentes, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente, Stephanus filius Petri et Jucas (sic!), vel Benedictus de comitatu Castriferrei, altero absente homo noster, ab omnibus quibus decet et licet, de premissis diligenter investigando, sciat et inquirat omnimodam veritatem et post hec, prout vobis veritas constiterit premissorum, nobis amicabiliter rescribatis. Datum in *Damas*, tercia feria proxima post festum beati Michaelis archangeli, anno Domini M° ccc° lx^mo primo. Item specialiter inquirant, utrum Johannes filius Nicolai, qui sagittatus fuit, habuit gladium evaginatum cruentatum in manu, et utrum occubuerit in potenciali congressu et in civitate predicta, ante castrum episcopi. Datum ut supra. 1341. 30. Sept.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart. in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 36. fasc. 1. nr. 2.

579.

1341. (Esztergom.) 6. Oct. — Conventus Cruciferorum Strigon., litem super particula terrae Ság, inter capitulum Strigon. et Veres Bede, mutua cessione compositum esse, perhibet.

Frater *Paulus* magister, et universi fratres cruciferorum, domus hospitalis ecclesie sancti Stephani regis, *de Strigonio*, omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, salutem in Domino. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod magistro *Mathia, archydiacono Kamariensi*, vice et nomine *capituli Strigoniensis*, cum sufficientibus procuratoriis pro ipso capitulo ab una parte: item *Gallus* cum litteris nostris procuratoriis, pro magistro Bede

Rufo, nobile *de Saag,* parte ab altera; coram nobis personaliter constitutis, propositum extitit per eosdem et relatum in hunc modum: quod licet super quadam particula terre Saag nominate, causa et discordia inter ipsum capitulum et Bede predictum, in presencia iudicis curie regie usque modo ventillata extitisset, et ipsa causa multis modis inter ipsos pluries prorogata, usque modo. Tandem recognoscentes, se dicte partes in huiusmodi controversis nichil penitus posse proficere, componentibus probis et nobilibus viris, vicinis et commetaneis dicte possessionis *Saag,* super memorata terra litigiosa taliter concordassent et eandem hys metis ab aliis terris capituli separassent, quod incipientes a parte *Ipul* a duabus metis terreis; abinde per viam veniendo a duabus aliis metis ad partem orientem, in orificio spinarum, similiter duas metas erexissent; et ab illo loco incipiendo, per rivulum *Banapataka* et viam predictam veniret ad duas metas terreas, a quibus quidem duabus metis iuxta eandem viam, in rivulo predicto, duas metas erexissent; abhinc per eundem rivulum reflecteretur ad partem meridionalem et veniret ad duas metas terreas; et deinde ad eandem partem procedendo, per meatum eiusdem rivuli veniret usque ad unum locum, ubi dictus rivulus Banapatoka coniungeret se terre dicti capituli inter fontem Banapataka et *Fenkupataka* habite, in quo quidem loco duas metas terreas in pede montis posuissent; et abhinc descenderet ad partem occidentem (sic!) iuxta fontem predictum Banapataka et terram capituli predicti, ubi erexissent unam metam; et ibi coniungeret se terre ipsius magistri Bede, *Saag* vocate; et sic a parte meridionali dictarum positarum metarum, in rivulo predicto, a parte meridiei ipsam particulam terre litigiose dimisissent ipsi magistro Bede et suo filio, ac heredibus ipsorum perpetuo possidendam; a parte vero septemtrionis et orientalis meatus eiusdem rivuli, usque ad montem *Bersen,* cessisset eidem capitulo Strigoniensi et usque ad caput ipsius rivuli Banapataka; et sic ipsam particulam possessionis litigiosam limitantes, ipsis magistro Bede et filio suo reliquissent. Hoc tamen mon (sic!) obmisso, quod ordinacionem et concambium, inter ipsum capitulum primitus et progenitores dicti Bede, de quadam particula terre inter fontem Fenkupataka et Banapataka, iuxta meatum dictorum foncium existentis, iuxta continenciam litterarum capituli Wachyensis ecclesie exinde confectarum, in eodem statu et vigore permanere inter se voluissent ac coram nobis permiserunt, nec in aliqua parte ipsam priorem ordinacionem retractassent. In cuius rei memoriam, a (sic!) peticionem parcium, eisdem presentes duximus concedendas. Datum, in octavis beati Mychaelis archangeli, anno Domini M° ccc° xl.^mo^ primo.

Extus manu medii aevi: Super metis possessionis Saag a parte possessionis Bede. — Sigillum e rubro serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 19. fasc. 1. nr. 15. — Aliud par cum sigillo integro, pariter e rubro serico pendente. In Arch. Cap. Strig. Publ. Capsa 70. fasc. 3. nr. 17.

580.

1341. Frisach. 11. Oct. — Guido cardinalis, apostolicae sedis legatus, parochiam Ófalu, cum conventu Carthusianorum de S. Antonio in Lechnicz, egestatis ipsorum levandae causa, unit.

Edit. Fejér: Cod. Dipl. VIII. p. 509.

581.

1341. Esztergom. 11. Oct. — Chanadinus archiepiscopus, Michaelem praepositum Posoniensem et postulatum eppum Vaciensem, necnon mag. Nicolaum de Zala, canonicum Albensem et Posoniensem, in causa, quam Nicolaus Johannis intendit contra eos movere, Berchtholdum plebanum in Marav, procuratorem suum constituisse, perhibet.

Tenorem vide sub nr. 600.

582.

1341. Visegrád. 13. Oct. — Carolus I. rex, Petro episcopo Syrmiensi, eiusque nepotibus, possessiones Joannis Tóth, sine haerede decessi, Jakabfalva, Undotő et Cserlek vocatas, confert.

Tenorem vide a. 1342. sub nr. 593.

583.

1341. Visegrád. 20. Oct. — Thomas vajvoda, judex magisterii tavarnicatus, Seffridum abbatem s. Benedicti sacramentum, contra Andream Szunyog, praestitisse perhibet.

Nos *Thomas,* woyuoda Transsiluanus et comes de Zonuk, ac iudex et procurator magisterii tauarnicatus domini regis, damus pro memoria, quod cum *Seffridus abbas* ecclesie beati Benedicti de iuxta fluvio *Goron,* iuxta continenciam aliarum litterarum nostrarum formam nostri iudicii exprimencium, in stalo suo, coram testimonio conventus monasterii *de Saag,* contra Andream, dictum *Zunyug de Kata,* super eo prestare debuisset sacramentum: quod ipse de sua possessione Saag vocata exeundo, ad possessionem ipsius Andree, *Wgh* vocatam, potencialiter accedendo, quandam capturam piscium in fluvio *Ticie* existentem, sibique pertinentem, piscari, necnon ducentos pisces magnos et unum usonem captivari de eadem non fecerit, ac sepem in fenum suorum iabagionum (sic!) de eadem possessione sua Wgh vocata, cum suis iobagionibus asportari non fecerit, solum (expunct: prestare) in quindenis festi beati Michaelis archangeli prestare debuisset sacramentum, et octavo die seriem depo- 1341. 13. Oct. sicionis ipsius iuramenti nobis reportare. Termino eodem adveniente, idem Se/ridus abbas, in litteris predicti conventus de Saag, super premissis se prestitisse sacramentum, nobis ostendit ut debebat. Datum in *Wyssegrad,* in termino prenotato, anno Domini M° ccc° xl^mo primo.

Extus: Pro Seffrido abbate de iuxta fluvio Goron, contra Andream dictum Zunyug *de Kata,* super deposito iuramento expeditoria. — Et alia manus adnot.: Super Saag in Zonuk exteriori. — Sig. margini exteriori erat appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 4. nr. 20.

584.

1341. Visegrád. 9. Nov. — Michael praepositus Posoniensis et Nicolaus de Zala canonicus Poson., procuratores suos in causa super canonia per Nicolaum Johannis mota, denominant.

Tenorem vide sub nr. 600.

585.

1341. — 14. Nov. — Capitulum Bacsiense, Petro episcopo Sirmiensi et suis nepotibus, possessiones Jakabfalva, Undotő et Cserlek statutas esse testatur.

Tenorem vide sub nr. 593.

586.

1341. Visegrád. 18. Nov. — Thomas vajvoda Transylvanus, judex magisterii tavarnicatus, hospites de Bors et Csütörtökhely, monasterio s. Benedicti possessionem Zengö, pacifice resignare spopondisse testatur.

Nos *Thomas,* woyuoda Transsiluanus et comes de Zonuk, ac iudex et procurator magisterii tauarnicatus domini regis, memorie commendantes tenore presencium, significamus quibus expedit universis, quod licet inter religiosum virum fratrem *Seffridum abbatem,* monasterii beati Benedicti de iuxta fluvio *Goron* et suum conventum ut actores, item iudices, iuratos et universitatem hospitum *de Bors* et de *Chuturthukhel,* in causam attractos, super facto cuiusdam possessionarie porcionis in possessione *Sengew,* in comitatu Borsiensi existentis habite, litis materia in figura nostri iudicii diu extiterit ventilata, tandem vero in octavis beati Martini confessoris, Paulo dicto *Jaas* et Nicolao, filio *Oth,* iudicibus iam dictarum civitatum, pro se personaliter et pro tota communitate suorum concivium et cohospitum, cum sufficientibus litteris procuratoriis predicti conventus beati Benedicti ab una parte, ab altera vero, pro predicto abbate et eius conventu, fratre *Emrico,* cum eorumdem litteris procuratoriis, coram nobis constitutis, per eosdem Paulum et Nicolaum iudices de Bors et de Chuturtukhel, intervenientibus proborum virorum composicionibus, suas partes interponencium, nostra iudiciaria ex licencia, cum predicto Seffrido abbate monasterii beati Benedicti suoque conventu, in huiusmodi concordiam ac pacis unionem confessum extitit se devenisse, atque devenerunt coram nobis: quod ipsi unacum universitate concivium et cohospitum suorum possessionariam porcionem monasterii sepius dicti, in dicta possessione Sengew habitam, pro qua scilicet porcione possessionaria per ipsos abbatem et conventum in causam attracti fuerant, presente homine regio, ac testimonio conventus Zoboriensis ad hoc adductis, iuxta continenciam litterarum patencium capituli Nitriensis, quas super facto reambulacionis et statucionis eiusdem possessionarie porcionis ipsi cives fecerant emanari, restitutis ipsis litteris per eosdem ibique exhibitis, in crastino die diei medii quadragesime, scilicet feria *sexta (?)* nunc ventura, sine aliquali diminucione et deffectu ipsam per metas ab aliis distinguendo, monasterio sepius dicto resignarent, resignareque assumpserunt coram nobis, obligaminibus huiusmodi interpositis: quod si dictam possessionariam porcionem prescripti monasteri, in possessione Sengeu habitam, eidem monasterio in termino prefixo, suo modo ut prediximus resignare recusarent, aut processu temporum iterato occupare, vel eius utilitates, absque velle eiusdem monasterii, percipere earumdem civitatum cives et hospites voluerint aut perceperint, in facto publicis (sic!) calumpnie et pena, iidem convicti haberentur, contra monasterium sepius dictum. Preterea iidem Paulus et Nicolaus iudices assumpserunt eciam, ut quidquid pretactus Seffridus abbas, pro suis sumptibus in execucione et processu cause iam notate per ipsum factis, ab ipsis et eorum concivibus in suam humanitatem receperit, usque terminum predictum eidem dare et persolvere teneantur. Datum in *Wyssegrad,* in octavis prenotatis, anno Domini M° ccc° xL^mo primo.

1341. 18. Nov.

1341. 15. Mart.

Sigillum tergo fuit impressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 13. Transsumptum hujus privilegii vide etiam a. 1347. exaratum ibidem Lad. 40. fasc. 2. nr. 35.

587.

1341. (Buda.) 30. Nov. — Capitulum Budense seriem reambulacionis et statutionis possessionis Alpar, ad monasterium de iuxta Gron pertinentis, describit.

Nos *capitulum* ecclesie *Budensis,* damus pro memoria, quod cum iuxta continenciam litterarum magnifici viri comitis *Pauli,* iudicis curie domini regis, modum et formam sue deliberacionis, iuxta arbitrativam composicionem baronum ac nobilium regni facte exprimencium, quedam possessionaria reambulacio et metarum distinccio possessionis, videlicet *Alpar* vocate, inter religiosum virum fratrem *Sefridum abbatem,* monasterii sancti Benedicti de *Iuxtagron,* dominum *Galyardum, prepositum* ecclesie *Thytuliensis* et capitulum eiusdem, ac magistrum *Powsam* de *Zeer,* Joannem et God, filios Stephani, per Georgium filium *Warda,* aut ipso absente Eliam filium *Chapani,* fratris eiusdem, coram nostro testimonio, in octavis nativitatis beate Virginis proxime preteritis fieri debuisset, et ipsam possessionariam reambulacionem et separacionem, secundum modum predictum, in dicto termino fieri debentem, ad preceptum dicti domini nostri regis nobis litteratorie iniunctum, ad octavas festi beati Martini confessoris nunc proxime futuras, sine gravamine iudiciali aliquali, prout nobis per ipsum dominum regem iniungebatur, mediantibus litteris nostris prorogassemus, ipsis tandem octavis festi beati Martini confessoris occurrentibus, peticionibus predicti comitis Pauli, iudicis curie domini regis, diligenter annuentes, cum predicto Elia, filio Chepani homine regio, ad prenotatam possessionariam reambulacionem et statucionem, prout congruum videretur inter prenotatas partes fiendam, *sew* faciendam, nostrum hominem fidedignum *Johannem presbiterum concanonicum capelle beate Virginis,* ac prebendarium ecclesie nostre, pro testimonio duximus destinandum. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retul*l*erunt: quod in predictis octavis beati Martini confessoris, ad faciem predicte possessionis *Alpar* vocate, vicinorum et commetaneorum eiusdem universorum legitimis convocacionibus factis, prenotatis fratre Sefrido abbate, monasterii sancti Benedicti de Iuxtagron (sic!) pro se personaliter et suo conventu cum procuratoriis litteris eiusdem conventus, et domino Galyardo preposito ecclesie Tytuliensis pro se personaliter et suo capitulo cum procuratoriis litteris eiusdem capituli, magistro Powsa de Zeer, Johanne et God, filiis Stephani, personaliter presentibus, primo secundum seriem litterarum sepedicti comitis Pauli, iudicis curie domini regis, prenotatarum, ad possessionariam porcionem sepefati fratris Sefridi abbatis monasterii sancti Benedicti de Iuxtagron et sui monasterii, in dicta possessione *Alpar* vocata habitam accessissent, et ipsam idem homo regius, presente eodem nostro testimonio, a primaria meta eiusdem usque ad finales metas, in litteris ipsius comitis Pauli, sub capite sigilli eiusdem ibi exhibitarum, anno Domini M° CCC^mo^ XL^mo^ emanatas contentas et distinctas reambulasset, et ubi necesse fuisset iuxta veteres metas novas erexissent, reambulatamque et metalibus distinccionibus ab aliorum possessionariis porcionibus separatam, secundum modum predictum predicto domino abbati et suo monasterio, nullo ibi contradictore apparente, statuisset perpetuo possidendam; hoc tamen non postposito, quod dum in vigilia festi beati Andree apostoli proxime preterita, *y*dem homo regius et nostrum testimonium seriem premissorum nobis recitarent, Johannes, filius

1341. 15. Sept.

1341. 18. Nov.

1340.

1341. 29. Nov.

Sebastiani *de Acha,* coram nobis comparendo quandam particulam de predicta sua possessione *Achateluke* vocata, infra declaranda, ad possessionariam porcionem predicti domini abbatis in distinguendo predictas metas asseruit occupasse, et ipsam particulam possessionariam, sub certis suis metis distinctam, secundum formam sui privilegii, videlicet ab angulo *Kukenzeg* vocato incipiendo usque ad *Sedfew* et de Sedfew usque ad terram, *sew* terreas metas capitales, non a reambulacione, sed a statucione perempnali, quoslibet et cuilibet facienda, prohibuit coram nobis, et ipsum Johannem, filium Sebastiani, idem homo regius, facie ad faciem coram nobis astantem, eodem die ad quindenas festi beati Andree apostoli proxime futuras, contra predictum dominum abbatem, vigore predictarum litterarum iudicis curie regie, ad pre- 1341. 14. Dec.
senciam eiusdem domini regis citavit, racionem sue contradicionis redditurum; hoc ecciam declararunt: quod prenotati magister Powsa et filii Stephani, quandam particulam terre, intra metas superius in aliis litteris declaratas, possessionarie porcionis predicti domini abbatis et sui monasterii existentem, cum ecclesia in eadem constructa, eorum hereditariam esse et fuisse asseruissent, ubi predictus abbas iuxta sentenciam iudicis curie regie, secundum suum statum et sue consciencie puritatem, super eo, quod ipsa particula terre quam iidem magister Powsa et filii Stephani prenotati, eorum hereditariam fore dicebant, monasterii sancti Benedicti de Iuxtagron esset et fuisset iuramentum deposuisset; iidem autem magister Powsa, Johannes et God, filii Stephani, ipsam particulam terre cum ecclesia in eadem existenti, pacifice et benivole eidem domino abbati et suo monasterio reliquissent et resignassent perpetuo possidendam. Datum, in die festi beati Andree apostoli anno Domini M° ccc^mo^ LX^mo^ primo.

Ex transsumpto conventus de Ságh a. 1498. 1. Apr. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Lad. 40. fasc. 6. nr. 14.

588.

1341, Visegrád. 5. Dec. — Petrus episcopus Sirmiensis cancellarius regis, hospites de Csütörtökhely, triginta pensas denariorum, monasterio de iuxta Gron, se solvere spoponsos esse, perhibet.

Nos *Petrus,* miseracione divina *episcopus* ecclesie *Syrimiensis,* comes capelle et secretarius cancellarius domini regis, damus pro memoria, quod *Nicolaus,* filius *Hoth,* villicus de *Chuturtwkheyl,* procurator populorum de eadem, sicut retulit coram nobis constitutus, presente fratre *Emirico* procuratore monasterii sancti Benedicti de *iuxta Goron,* confessus est tali modo: quod predicti populi de Chuturtwkheyl eidem monasterio, pro usufructu seu utilitate terre eiusdem monasterii *Sengew* vocate, duorum annorum iam in festo beati Michaelis archangeli proxime preterito elapsorum, tenerentur in triginta pensis 1340—41. 29. Sept.
denariorum Wyenensium et quatuor muneribus festivalibus, ac quatuor descensibus, de quibus vice et nomine eorumdem populorum, tercio die festi nativitatis Domini proxime venturi, coram homine conventus de *Zuburyo,* plenariam assumpsit impendere statisfaccionem monasterio 1341. 27. Dec.
supradicto; tali obligacione assumpta per eundem, quod si ipsum terminum preterirent sine satisfaccione, extunc in octavis medii quadragesime

proxime venturis, ante litis ingressum, cum iudicio regali de premissis satisfacere tenerentur. Datum, in *Wyssegrad*, feria quarta proxima ante festum beati Nicolai confessoris, anno Domini M° ccc° XL^mo primo. 1342. 13. Mart.

Extus: Pro monasterio sancti Benedicti de iuxta Goron, super solucione triginta pensarum denariorum et quatuor munerum, ac quatuor descensuum dacione, per populos de *Chuturtukhey*, predicto monasterio, coram homine conventus de *Zuburgo*, tercio die nativitatis Domini facienda (expunct.: in loco supra). — Sigillum regis, sat bene conservatum, margini exteriori est impressum. — Orig. in scheda membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 18.

589.

1341. (Esztergom.) 7. Dec. — Conventus Cruciferorum Strigoniens., filios Davidis, partem possessionis Ságh, capitulo Strigoniensi remisisse testatur.

Nos conventus cruciferorum, domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani, *de Strigonio*, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod magister *Mathyas archydiaconus Kamaruniensis*, vice et nomine capituli Strigoniensis ab una parte, item Stephanus, Johannes et Detricus, filii *Dauidis*, nobiles *de Saagh*, de comitatu Huntensi, parte ab altera, ad nostram personaliter accedentes presenciam, nobis concorditer retulerunt in hunc modum: quod ipsi in causa, quam idem capitulum, contra memoratos filios Dauidis, super facto cuiusdam possessionis Saagh vocate, in prefato comitatu existentis, in presencia iudicis curie regie movere intendebat, per ordinacionem proborum hominum taliter concordassent: quod, licet iidem filii Dauidis, prefatam particulam possessionis nomine Saagh, titulo sui iuris conservassent usque modo, tamen quia scientes eandem esse et fuisse ab antiquo ipsius capituli Strigoniensis, idcirco prefatam possessionem predicto capitulo Strigoniensi perpetuo remisissent et restituissent; *ymo* iidem filii Dauidis resignaverunt, cum plenitudine sui iuris coram nobis, pacifice et quiete tenendam et habendam. Que quidem terra, iam per prefatos filios Dauidis restituta et resignata, a parte sepiemtrionali inciperet, prout ipsi retulerunt, a puteo fontis cuiusdam rivuli et ab illo loco tenderet directe ad cinterium (sic!) ecclesie beati Martini confessoris, in facie eiusdem possessionis existentis, et per circuitum cimterii eiusdem ecclesie, ipsam ecclesiam circuiens, veniret ad partem meridionalem ad unam viam seu vallem, que transsiret ante ipsam ecclesiam et ibi caderet ad ipsam vallem seu viam, et per cursum eiusdem vie asscenderet ad dictam partem iuxta metas terrarum dictorum filiorum Dauidis; ita nichilominus, quod a parte orient*is*, pars ipsius terre Saagh, cessisset et remansisset ipsi capitulo; a parte vero occidentali, prefatis filiis Dauidis, ut premittitur. Nichilominus tamen, ecclesiam sancti Martini, communiter tam nobiles predicti, quam capitulum predictum possidebunt. Datum, in octavis beati Andree apostoli, anno Domini M° ccc^mo LX^mo primo.

Sigillum integrum e zona membr. pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 32. fasc. 1, nr. 3.

590.

1341. — 20. Dec. — Attestationes testium in processu Nicolai Johannis, contra Michaelem praepositum Posoniensem moto, productorum et examinatorum.

Cf. Seriem processi ex a. 1342. sub nr. 600.

591.

1341. Visegrád. 21. Dec. — Comes *Paulus*, judex curiae terminum, in causa per monast. s. Benedicti de juxta Gron, contra Joannem de Acha mota, peremptorie prorogat.

Nos comes *Paulus,* iudex curie domini regis, damus pro memoria, quod causam quam frater *Sefridus abbas,* et conventus sancti Benedicti de *iuxta Gron,* pro quibus frater Emericus cum procuratoriis litteris eorumdem astitit, contra *Johannem,* filium Sebastiani de *Acha,* pro quo assumptor termini comparendo terminum assumpsit, iuxta continenciam litterarum citatoriarum capituli Budensis, in facto cuiusdam particule terre, in quindenis beati Andree apostoli, movebant coram nobis, racione prioritatis termini, ad quindenas festi Epiphanie Domini nunc venturas, peremptorie duximus prorogandam. Datum in *Wyssegrad,* octavo die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xxxx^mo^ primo. 1341. 14. Dec. 1342. 20. Jan.

Extus: Pro abbate et conventu sancti Benedicti de iuxta Gron, contra Johannem filium Sebastiani, ad quindenas Epiphanie Domini prorogatoria. — Subtus manu medii aevii: Parcium inferioris Alpar. — Sigillum marg. ext. fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 5. nr. 25.

592.

1341. (circa) Avignon. 6. Aprilis. — Dinus archiepiscopus Januensis, datis missilibus ad Chanadinum, archiepiscopum Strigon., solutionem de massa Petri quondam prepositi s. Thomae de Strigonio, quietat.

Reverende pater, noveritis nos per manus *Nicolai,* condam Petri de *Agria,* latoris presencium, procuratorio nomine domini *Philippi Mameli, archidyaconi Nitriensis,* recepisse centum et sexaginta florenos, pro solucionibus duorum annorum, de quibus florenis heredes quondam domini *Petri,* prepositi ecclesie *sancti Thome de Strigonio,* et quoscunque alios quorum poterit interesse, quitamus; prout apparet publico instrumento de mandato nostro confecto, quod Nicolaus ipse pro predictorum certitudine secum defert. Valete in Domino et pro nobis si placet orate, que per nos fieri cupitis rescripturi. Datum *Auinione,* VI mensis Aprilis. Dinus, permissione divina archiepiscopus Januensis.

Extus: Reverendo in Christo patri domino *Chanadino,* Dei gracia *archiepiscopo Strigoniensi,* archiepiscopus Januensis. — Sigillum margini exteriori rubro cereo impressum fuit. — Orig. chart. in Arch. Primat. Secul. Lad. X. nr. 117. — Dinum de Radicofani ab a. 1336–1342. in sella archiepiscopali Januensis (Genova) ecclesiae sedisse *Gams:* Series epp. eccl. Cath. T. I. ostendit. A 1342. circa mensem Mart. vero Pisam fuit translatus. E converso *Petrum* praeposit. s. Thomae in Promont. Strigon. a 1338. 21. Sept. adhuc vivere diploma hoc anno super venditione domus suae sub castro Strigon. monstrat. (Cf. nr. 467.) Anno 1340. iam *Jacobus* apparet qua eius in praepositura successor. (Cf. nr. 547.) Haec omnia considerantes epistolam missilem hanc a 1341. datam esse pro certo credamus.

593.

1342. Visegrád. 10. Jan. — Carolus I. rex, merita Petri episcopi Sirmiensis remuneraturus, eidem et nepotibus suis, possessiones Jakabfalva, Undótő et Cserlek, iure perpetuo confert.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, tenore presencium significamus quibus expedit universis, quod cum venerabilis in Christo pater, dominus *Petrus,* miseracione divina *episcopus* ecclesie *Sirimiensis,* comes capelle, secretarius cancellarius, et consiliarius noster, ad nostram accedens presenciam, et sue fidelitatis, sive sinceritatis servicia nobis inpensa declarans et exponens, possessiones quondam Johannis, dicti *Toot,* quovis nomine vocatas et ubilibet existentes, dicens ipsum, volente Domino, sine herede decessisse et sic eas nostre collacioni iuxta regni consuetudinem pertinere, a nobis sibi, item Beke et Martino, filiis Johannis fratris sui ut*t*erini, ac Johanni, filio Kemeen, lectori ecclesie de *Kw,* videlicet filio sororis sue uterine, dari et conferri perpetuo postulasset, nosque in perpetuis donacionibus certam scienciam, ut debemus, maturitate regia prosequentes, fidelibus nostris *capitulo* ecclesie *Bachyensis* scripsimus super hoc, per tenorem infrascriptum. Quod quidem capitulum, nobis tandem rescripsit, in hec verba:

Excellentissimo domino suo *Karolo,* Dei gracia illustri regi Hungarie, capitulum ecclesie Bachyensis, oraciones ad Dominum pro eodem debitas et devotas, cum fideli famulatu. Litteras vestre serenitatis, honore quo decuit, recepimus sub hac forma:

Karolus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus sui capitulo ecclesie Bachyensis, salutem et graciam. Noveritis, quod venerabilis in Christo pater, dominus Petrus, miseracione divina episcopus ecclesie Syrimiensis, comes capelle et secretarius cancellarius noster, familiaris nobis et dilectus, ad nostram accedens presenciam et sue fidelitatis sincera servicia devota sollicitudine nobis inpensa, proponens et in memoriam nostram revocans, quasdam possessiones quondam Johannis dicti *Toot,* ut retulit hominis sine herede decedentis, et eo iure ad nostram collacionem regiam devolutas, unam videlicet *Jacabfolwa* vocatam populosam, in qua idem residenciam habuisset, et aliam iuxta fluvium *Ticie* habitam, *Wndoutew* nominatam, et terciam *Cherlek* vocatam, nunc habitatoribus destitutas et alias quaslibet villarum sessiones, quovis nomine nuncupatas, tam in comitatu Bachyensi, quam alias ubilibet situatas, cum omnibus earum utilitatibus et pertinenciis universis, quibus ad eundem Johannem rite pertinuisse eedem dinoscuntur, a nobis sibi, item Beke et Martino, filiis Johannis fratris sui uterini, ac Johanni, filio Kemeen, lectori ecclesie de Kw, videlicet filio sororis sue uterine, dari et conferri perpetuo postulavit. Unde, quia nobis de qualitate dictarum possessionum, et utrum hominis sine herede decedentis sint, et ad nostram collacionem pertineat nec-ne, veritas nobis non constat, ideo fidelitati vestre mandamus, precipimus per presentes, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo presente Mychael, filius Mark de *Rypak,* vel Nicolaus frater eiusdem, aut Valentinus, filius Mychaelis de *Kezew,* vel Sebastianus, filius Benedicti *de Bodun,* aliis absentibus homo noster, predictas possessiones, vicinis et commetaneis suis convocatis, per veras et antiquas metas reambulando, cum omnibus earum utilitatibus et pertinenciis universis, statuat predicto domino episcopo et nepotibus suis supradictis perpetuo possidendas,

si non fuerit contradictum; contradictores vero, si qui fuerint, contra eundem dominum episcopum, ad nostram citet presenciam ad terminum competentem et post hec tocius facti seriem, cum cursibus metarum, nominibus citatorum et termino, ac in quibus comitatibus eedem existunt, nobis fideliter rescribatis. Datum in *Wyssegrad*, sabbato proximo ante festum beati Galli confessoris, anno Domini M° ccc^mo quadragesimo primo. 1341. 13. Oct.

Nos itaque vestre regie excellencie mandatis satisfacere volentes, ut tenemur, una cum predicto Sebastiano, filio Benedicti de *Budun*, homine vestro, unum ex nobis, videlicet magistrum *Dominicum prepositum de Sancto Irineo*, socium et concanonicum nostrum, pro testimonio duximus transmittendum, ad premissa exequenda. Qui deinde ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt: quod ipsi, in octavis festi Omnium Sanctorum proxime preteritis et in aliis diebus in proximo easdem sequentibus, ad faciem predictarum possessionum ipsius Johannis, dicti Toot, hominis sine herede decedentis, Jacabfolwa vocate populose, et Wndoutew ac Cherlek noncupatarum habitatoribusque destitutarum, in predicto *comitatu Bachyensi* existencium accessissent, easdemque vicinis et commetaneis suis universis legitime convocatis et presentibus, per veras et antiquas metas reambulando cum omnibus earum utilitatibus et pertinenciis universis, quibus per prefatum Johannem dictum Toot habite fuissent et possesse, idem homo vester, presente eodem testimonio nostro, predicto domino episcopo Syrimiensi et eius nepotibus supranominatis statuisset, perpetuo et irrevocabiliter possidendas, tenendas pariter et habendas, nullo penitus contradictore existente. Datum, feria quarta proxima post festum beati Martini confessoris, anno supradicto. 1341. 8. Nov. 1341. 14. Nov.

Nos itaque, prout approbata ab antiquo et inviolabiliter observata regni nostri consuetudo expostulat et requirit, in huiusmodi donacionibus possessionariis et statucionibus, ex suprascripto tenore litterarum dicti capituli Bachyensis fidelium nostrorum, super statucione predictarum possessionum dictis domino episcopo et nepotibus eius legitime et evidenter facta, ac decessione sine herede eiusdem Johannis, dicti Toot, sufficienter et certitudinaliter informati, recordatis et in memoriam nostram revocatis meritoriis obsequiis eiusdem domini episcopi, longi temporis continuis laboribus et sollicitudinibus indefessis laudabiliter nobis exhibitis et inpensis, specialiter ipsius illa devota servicia, que nobis tunc cum *Andream*, secundum genitum nostrum, ad partes transmaritimas personaliter accedentes in civitatem *nativitatis nostre Neapolitanam* duxissemus, in regimine regni *Sycilie* feliciter regnaturum, idem dominus episcopus, tunc prepositus dicte ecclesie Bachyensis et similiter comes capelle et secretarius cancellarius noster sicut nunc existens, non parvis sumptibus nobiscum proficiscens, iuxta decenciam nostri honoris impendit, quibus animum nostram multipliciter reddidit conquietum, pariter et contentum, recentissime memoriter retinentes; intuentesque, quod idem, tanquam virtutem virtutibus augmentans, quanto divina gracia erga nos ipsum alciori, seu maiori dilectione ampliavit, tanto sue devocionis et sinceritatis obsequia nobis studuit fervencius augmentare; considerantes eciam et pro certo credentes, quod huiusmodi obsequiose devocionis et devote obsequiositatis constanciam et sollicitudinem virtuosam, nobis et rei publice fructuosam, donec vivet, sicut Domino placuerit, non minuet in futurum, sed pocius ampliabit, predictas possessiones, quondam Johannis, dicti

Toot, iuxta premissam certificacionem dicti capituli, hominis sine herede decedentis et eo iure nostre collacioni devolutas, tam premissŏ modo statutas, in ipso comitatu Bachyensi existentes, quam eciam alias quaslibet quibusvis nominibus nuncupatas, sive in eodem comitatu Bachyensi, sive in quibuslibet aliis comitatibus habitas, cum omnibus earum utilitatibus et pertinenciis, ac integritatibus universis, sub metis et terminis antiquis, quibus olim ad eundem Johannem iusto tytulo pertinuisse dinoscuntur, in recompensacionem huiuscemodi laude dignorum serviciorum et aliarum multiplicium famulatuum eiusdem domini episcopi, predicto domino episcopo et per eum supranominatis nepotibus suis, eorumdemque nepotum suorum heredibus, heredumque suorum successoribus, dedimus et donavimus, ymo damus et donamus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendas, tenendas pariter et habendas. Datum in *Wyssegrad*, feria quinta proxima post festum Epyphaniarum Domini, anno eiusdem M° ccc^mo quadragesimo secundo.

E transsumpto capituli Bacsiensis a. 1353. — In Arch. Primat. Secul. Lad. T. nr. 19.

594.

1342. Visegrád. 13. Jan. — Carolus I. rex, ad preces Thomae castellani de Csókakő, transscribit et confirmat quasdam literas capituli Strigoniensis, vineas nonnullas in territorio Strigon. existentes, eidem Thomae statuentes.

Tenorem vide sub. nr. 568.

Datum in *Wysegrad,* in octavis Epiphaniarum Domini, anno eiusdem M° ccc° xl^mo secundo.

Sigillum tergo fuit appressum — Orig. in Arch. Reg. Hung. Regnicol. Sign. vet. Acta Neo Reg. fasc. 688. nr. 45.

595.

1342. Visegrád. 17. Jan. — Vilhelmus Drugeth, palatinus, filium Bodor, ob indebitam statutionis prohibitionem, in iudicio regali, seu in sex marcis, convincit.

Nos *Wyllermus Drugett,* palatinus et iudex Comanorum, damus pro memoria, quod *Andreas,* filius Joseph, tam pro se personaliter, quam cum procuratoriis litteris *capituli Quinqueecclesiensis,* pro *Petro,* filio Stephani, Paulo, filio Petri, Johanne filio Ladislai, iuxta priorum litterarum nostrarum continenciam, in octavis diei Strenarum, in nostri iudicii figura comparendo, contra *Nicolaum,* filium *Budur,* proposuit tali modo; quod cum ipsi feria tercia, videlicet in festo decollacionis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° ccc° xl^mo una cum Ladislao, filio Gregorii, homine regio, sub testimonio hominis predicti capituli ecclesie Quinqueecclesiensis, accessissent ad faciem cuiusdam possessionis ipsorum *Almay* vocate, convocatis vicinis et commetaneis eiusdem universis et eisdem presentibus, per veras suas metas et antiquas eandem reambulassent, reambulatamque et ab aliorum possessionibus distinctam, idem homo regius, presente testimonio ipsius capituli, sibi statuere voluisset, hospites ipsius ville Almay, in persona predicti Nicolai, filii Budur, ipsam non a reambulacione (expunct.: non), sed a statucione prohibuissent, cuius prohibicionis racionem scire vellent ab eodem. Quo audito,

1342. 8. Jan. 1340. 29. Aug.

Andreas, filius Paulus (sic!), cum procuratoriis litteris capituli predicte ecclesie Quinqueecclesiensis, pro eodem Nicolao, filio Budur, exurgendo respondit eomodo, quod ipsa possessio Almay ipsius Nicolai non esset, sed ex detencione Damiani, filii Beke, commoraretur in eadem. Unde, quia ex tenore litterarum reambulatoriarum prenotati capituli Quinqueecclesiensis dictam prohibicionem non in persona ipsius Damiani, sed Nicolai, filii Budur prenotati fecisse reperiebatur, ideo ipsum Nicolaum, pro huiusmodi indebita prohibicione, contra eosdem Andream, Petrum, Paulum et Johannem, in iudicio regali commisimus fore convictum; committentes, quod in octavis medii quadragesime nunc venturis, nobis in duabus partibus, et in tercia parte parti adverse, persolvere tenealur. Datum in *Wyssegrad,* decimo die termini prenotati, anno Domini M° ccc^mo^ XL^mo^ secundo. 1342. 13. Mart.

Extus: Pro Andrea, filio Joseph, Petro filio Stephani, Paulo filio Petri, et Johanne filio Ladislai; contra Nicolaum filium Budur, super solucione sex marcarum, ad octavas medii quadragesime prorogatoria. — Sigillum margini fuit appressum, cum alio sigillo anulari, quo litterae denuo acclusae actori restituebantur, in termino reexhibendae. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 8. fasc. 5. nr. 5.

596.

1342. Visegrád. 20. Jan. — Thomas vajvoda Transilvanus et comes de Szolnok, causam ratione metarum Hácsok et Honthi, inter conventum de Ságh et Paulum de Cseveyhaz exortam, ad figuram sui iudicii referre, iubet

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII^2^. p. 346. et sqq.

597.

1342. Visegrád. 2. Febr. — Caroli I. regis literae conductionales, pro Endre Csempelényi, comite camerarum de Sirmia et de Quinqueecclesiis, emanatae.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium, quibus expedit universis significamus, quod nos prelatorum et baronum regni nostri voto unanimi et de consilio eorumdem, considerata sagacy industria magistri *Endre Chempeliny,* comitatus camerarum nostrarum de *Syrmia* et de *Quinqueecclesiis,* cum omnibus comitatibus, districtibus, civitatibus, villis et opidis, qui et que ab antiquo ad easdem cameras dinosscuntur pertinuisse, scilicet cum comitatibus Syrmiensi, Bachyensi, de Wolkow et de Bodrugh, item de Baranya, Symigiensi, Tholnensi et Zaladiensi, eidem magistro Endre, pro mille et quingentis marcis, partim in florenis seu aureis denariis camere nostre, Bude cusis et cudendis, partim vero in integris camere nostre monetis, annorum preteriti, tercii, quarti et presentis, per totum regnum nostrum uniformiter discurrendis, et per preteriti anni modum, tam per ipsum, quam per alios regni nostri camerarios ampliandis, nobis in terminis infrascriptis persolvendis: anno Domini millesimo ccc° XL^mo^ secundo, a data presencium per anni circulum, simul cum decimis archyepiscopalibus, dedimus itterato et locavimus ad exercendum, procurandum et tenendum, isto modo: quod idem magister Endre faciet fabricari integros denarios camere nostre argenteos, vere combustionis tercie, ad modum et formam ac valitudinem denariorum nostrorum preteriti, tercii et quarti, eosdem ampliando in vera et recta combustione tercia; ex qui- 1342.

bus, de una marca fini argenti, duodecim pense incidentur et octo pense ex eisdem, et non plures, unam marcam ponderis Budensis in statera ponderabunt, et current pro marca fini argenti in montanis. Qui quidem denarii nostri integri cambientur per hunc modum: quod ipse comes camere, vel sui officiales, in singulis foris civitatum et liberarum villarum nostrarum regalium et reginalium, ac quorumlibet aliorum, presentibus hominibus archyepiscopi Strigoniensis, magistri tawarnicorum et comitis parochyalis, ac uno iudice nobilium, sub testimonio alicuius capituli, in eisdem foris ipsos denarios camere ampliandos et multiplicandos publice super tabula sua exponere debeat, et tres ex eisdem denariis pro quatuor latis Wyennensibus, vel aliis camere nostre monetis quinti anni iam abolitis, aut eciam in aliis precedentibus annis fabricatis combustionem Wyennensium habentibus, cambientur; et sex ex eisdem tam denariis novis, quam annorum preteriti tercii et quarti camere monetis, quam ipsos annorum preteriti, tercii et quarti camere denarios in suo esse, cursu et cambio remanere volumus, pro grosso et octo pense, ac sedecim denarii pro marca pagamenti, absque aliquali augmentacione, ubique currant et solvantur. Si qui vero, iam dictas monetas nostras annorum preteriti, tercii et quarti veras, et eciam hoc anno, pro earumdem ampliacione, in eodem valore fabricandas, in numero augmentantes reperti fuerint, tamquam regalium nostrorum mandatorum et statuta camere infringentes, in rebus et personis per ipsum comitem camerarum nostrarum puniantur, nostra auctoritate mediante. Item, si leviores denarii, in istis presentibus preteriti, tercii et quarti annorum camere monetis, vel peioris conbustionis, plures quam octo pense et tres vel quatuor denarii marcam ponderantes, apud quemcunque, sive in civitatibus, sive in aliis locis, seu eciam circa camerarios, vel suos officiales, aut numerum marcarum augmentantes, ubicunque invenirentur, tamquam falsarii, nostra auctoritate puniantur. Propter quod volumus et committimus: ut in cunctis civitatibus et locis publicis, statera cum suis ponderibus semper habeatur et servetur, ad evitandum quod mercatores, vel alii forenses, aut eciam quicunque ex civibus et hospitibus, iuxta abusivam eorum consuetudinem et fraudem, graviores denarios ipsius monete camerarum nostrarum presentis, preteriti, tercii et quarti non possint eligere vel diminuere per incisiones. Istud tamen, pro multiplicacione earumdem monetarum camere nostre, maxime et specialissime cum ipso comite camerarum nostrarum, iuxta suam spontaneam obligacionem et nostram omnimodam intencionem volumus et committimus: ut in cunctis locis camerarum in quibus monete camerarum cudi solent, nunc in principio adminus mille marcas idem camerarius fabricari faciat cambio exponendas, qui si facere neglexerit, tamquam nos seducens et regnicolas nostras decipiens, remanebit. Item ordinavimus, quod abhinc unusquisque campsores denariorum, ut soliti fore dicuntur, pro se servare cesset omnino et desistat; si enim aliquos ex eisdem campsoribus in detrimentum camerarum servare et habere ipse comes camerarum sciverit, et in presencia hominum dominorum archyepiscopi Strigoniensis, et magistri tawarnicorum, triumque aliorum predictorum et una cum eisdem invenerit, nedum ipsi campsores, verum eciam ipsi domini eorum, in ablacione rerum et bonorum ipsorum punientur et dehonestabuntur in personis. Item florenus, seu aureus denarius camere, pro nongenta denariis integris camere nostre ampliandis, semper absque augmentacione et refutacione, ubique accep-

tetur et cambiatur. Item una marca auri, ponderis Budensis, duodecim karatorum cambitur cum septem marcis ipsorum denariorum camere, cum eodem pondere Budensi levando in statera, et nullus possit cambire aurum vel argentum cum pecunia numerata, sed debeat cambire in camera regali cum eisdem denariis camere ampliandis, levando in statera. Si qui autem secus fecisse vel facere reperti fuerint, pena condecenti, tamquam transgressores regalis mandati et statuta camerarum infringentes puniantur. Ceterum statuimus, ut nullus omnino hominum, cum aliquibus antiquis monetis, aut auro, vel argento, in specie et specialiter cum parvis et eciam mediocribus Wyennensibus, quorum omnimodam extirpacionem volumus et committimus, postquam cum ipsis monetis camerarum nostrarum mercandi habeat facultatem; alioquin emptores et venditores suas res et bona perdent et dehonestabuntur in personis. Preterea nullus mercator extraneus, vel huius regni superveniens, palam vel oculte in domibus, aut camera, suas res et bona, tam in pannis, quam in aliis generibus et speciei rebus, pro aliis monetis antiquis, cuiuslibet forme auro vel argento, vendere aut commutare presumpmat, sed pro monetis camere predictis. De noticia tamen et ad scitum comitis camerarum, aut predictorum hominum domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum, ac aliorum, dum ad locum deposicionis ad vendendum vel commutandum devenerit, vendendi habeat facultatem; si qui autem secus facientes et exercentes, per ipsum comitem camerarum, vel suos officiales reperti, seu per eosdem deprehensi fuerint, res vendicioni tam in pannis, quam in aliis rebus expositas, et pro venditis rebus receptas, perdant et puniantur in personis. Et nedum illi, qui per se et sua propria auctoritate, contra ordinacionem camerarum nostrarum et nostram voluntatem, aurum vel argentum, in specie postquam in aureis vel argenteis novis denariis exportantes inventi fuerint, ablacione earumdem et dehonestacione personarum suarum puniantur. Verum eciam, etsi sub sigillis vel signis camerariorum, huiusmodi aurum vel argentum quoquam extra regnum deferendum fuerit inventum, et si camerarii alios ad exportandum aurum vel argentum admiserint, iidem comites camerarum, quorum signa vel sigilla in ipso auro vel argento apposita invenientur, tamquam falsarii et transgressores regalium mandatorum puniantur; hoc tamen in presenti articulo specialiter expresso, quod comites camerarum nostrarum, sub quorum iurisdiccione montana habentur et existunt, pro comparando plumbo et aliis evidentibus necessariis camerarum et montanarum, sine quorum copia minere auri et argenti minime videntur posse procurari, ad noticiam eorumdem hominum domini archyepiscopi et aliorum, si tamen evidens necessitas id requirit, de auro vel argento tantum ad comparacionem premissorum habebunt transmittendi facultatem. Item sub cuiuscunque comitis camerarum comitatu vel in provinciis presens nostra moneta, ex mala procuracione falsificata fuerit, et discurrere, ac habundare ceperit, ipseque comes camerarum eandem falsam monetam captivare et anichilare non procuraverit, ipsi comiti camerarum sic inputabitur, ac si in locis camerarum suarum ipsa falsa moneta fuisset fabricata. Si autem ipse comes camerarum, ad conpesscendum eosdem falsarios, de eorum maliciosis operibus propriam aliubi non habuerit facultatem, extunc idem camerarius sub testimonio predictorum quinque hominum, veritate de eorumdem falsariorum maleficiis indagata et recepta, eosdem falsarios nobis et nostris baronibus, ac regno nominatim debe-

bit declarare, et nos pro exstirpacione eorumdem sollicite tenebitur incitare. Item, quia volumus, ut presens moneta nostra, tercie combustionis amplianda, per totum regnum nostrum immutabiliter possit perpetuari et habundari, et ipsi denarii camere nostre annorum preteriti, tercii et quarti, una cum eisdem novis, pariter debeant discurrere et acceptari, statuentes ordinavimus et committimus: ut in quolibet comitatu, de singulis portis, per quas currus cum feno vel frugibus honeratus intrare potest et exire, sive sub eadem porta, seu curia portam habentem tres vel quatuor, aut eciam plures existant homines residentes, sive solum unus commoret in eadem, nisi in tantum sit egens et pauper, ut solvendi non habeat facultatem, quos videlicet prememorati quinque homines archyepiscopi et aliorum iuxta ipsorum consciencium solvere posse cognoverint et commiserint, ac domini terre sibi solucionem facere posse vel non posse iuramento suo dixerint, exceptis servis et condicionariis nostrorum regalium et reginalium, ecclesiarum ac aliorum quorumlibet, necnon exercituantibus, servientibus dominorum terre, quos ipsi iuramento eorum exceperint et iidem quinque homines, scilicet domini archyepiscopi et aliorum, fore exercituantes investigando sciverint, et eciam exceptis ecclesiis, civitatibus vel aliis evidenti privilegiata libertate fultis, facta dicacione infra quintumdecimum diem, decem et octo denarios predicte camere nostre, pro lucro camere ipsi comiti camerarum dare et solvere teneantur; tali tamen expressione mediante, quod ubi et in quibus comitatibus, aut regni nostri partibus porte, tum ex consuetudine non habentur, tum eciam propter defectum lignorum fieri non potuerint, inibi et ipsi tales, predictum lucrum camere, secundum quod in aliis temporibus, iuxta tamen disposicionem et conscienciosam ordinacionem predictorum quinque hominum, infra idem tempus solvere tenebuntur. Civitates autem et alii regnicole nostri, predictam evidentem libertatem habentes, a solucione lucri camere taliter sint exempti, si tamen ipsas monetas camere nostre, in tenutis ipsorum et inter eos, ac iobagiones eorumdem, acceptari faciendo continuum cursum et cambium earumdem voluerint facere et exercere; sin autem non per nos, sed per se ipsos libertates eorum infringentur, et sic ad solucionem eiusdem lucri camere, sicut alii regnicole nostre (sic!) sic et ipsi, dummodo hoc, ut ipsa moneta nostra per eos non fuerit acceptata, nec inter ipsos et ad eos pertinentes cambiri curata fuerit, ad relacionem quinque hominum predictorum, videlicet domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum, ac comitis parochyalis, unius iudicis nobilium et alicuius capituli nobis pateat evidenter, tenebuntur; ita tamen, quod quivis camerariorum, ad singulos comitatus sue camere, sufficientes denarios camere nostre, pro multiplicacione dictorum modernorum denariorum nostrorum, ad scitum et noticiam eorumdem quinque hominum, in tanta habundancia, quod ipse comitatus de ipsis contentetur, dare debeat cambio exponendas. Qui si non faceret, aut ipsos nostros denarios ecciam larga copia cambio exponere non curarent, illic et in illis comitatibus, iura sua perdendo, nec dicam faciendi, nec lucrum camere exigendi habeant facultatem. Solventibus autem, in quolibet comitatu unus locus communis et conveniens, pro dicta solucione deputetur; et si qui presentes, *pre* multitudine solvencium, aut aliquo inpedimento alio prepediti, die assignato solvere non possent, absque aliquo gravamine quatuor diebus continuis expectentur, nec infra ipsos quatuor dies integros, si solucionem fecerint, possint aggravari; hoc expresso, quod iidem comites camere, ipsum lucrum

camere, racione cambii signanter impositum, non aliter, videlicet cum Wyennensibus aut aliquibus antiquis denariis vel grossis per formam composicionis, aut alicuius alterius coloris cautela, nisi cum ipsis integris denariis camere nostre ampliandis exigere tenebuntur. Et quod universos denarios antiquos, aut Wyennenses grossos, tam Bohemicales, quam Racenses et alios cuiuscunque forme existant, exceptis solummodo presentibus integris denariis camere nostre, perpetuo currere statutis, comburrere et infundere ac in forma modernorum denariorum nostrorum redigi facere, pro multiplicacione eorumdem, teneantur; condicione tali, quod si qui facta dicacione, in termino assignato lucrum camere non persolverent, tunc iidem quinque homines ad possessionem de qua ipsum lucrum non est persolutum accedant, et tamdiu moram ibi faciant, absque destruccione et despoliacione possessionaria, in expensa moderata eiusdem possessionis, donec ipsum lucrum camere, cum iudicio trium marcarum, persolvatur. Si vero populi, vel domini villarum non solvencium lucrum camere prenotate, preterito termino solucionis, dictis hominibus in officio camere procedentibus, cum pecunia debita et iudicio ordinato extra villam obviarent placaturi, extunc ipsi executores negociorum camere, in talibus villis descensum facere non valeant aliqualem. Comites autem parochyales, et iudices nobilium, favore vel precio corruptos, iusticiam camere celantes, et homines de dicta solucione defendentes, vel quoquo modo contra nostram ordinacionem procedentes, dummodo contra ipsos hoc evidenter possit comprobari, penis non solvencium decrevimus puniendos. Et, quia promisimus seriem omnium premissorum inviolabiliter observare, volumus ut iidem comites camerarum nostrarum immutabiliter in premissis perseverent. E converso, nec remedio aliquarum litterarum, post emanacionem presencium confectarum, aut acquisita aliqua astucia, quicquam immutare queant de singulis premissorum, quia si qui contra hoc facere ex ipsis comitibus camerarum attemptarent, dictos quinque homines, sine quorum iuvamine lucrum camere exigendi nolumus eos habere facultatem, a societate ipsorum auctoritate presencium iubemus separari; nam hanc dicam non pro exaccione antiquarum monetarum, aut Wyennensium, sed pro ampliacione monetarum camere nostre, perpetuo discurrere in toto regno nostro ordinatarum, duximus disponendam. Item volumus, quod dicti comites camere nostre, absque predictis quinque hominibus, in negociis camere exterioribus seu extraneis, videlicet in comitatibus fiendis et peragendis, utpote in dicacionibus et exaccionibus lucri camere nichil possint exercere; si vero ausu temerario contra hoc procederent, et in hoc malum aliquod paterentur, merito pacientur et sustinebunt. Item, si comitibus camere et suis sequentibus, aut cum eo procedentibus, violenciam quipiam inferrent, manifeste tales secundum qualitatem et quantitatem delicti puniantur. Civitatenses vero, sub comitatu et iurisdiccione eorumdem comitatuum camere existentes, iuxta presentem taxacionem nostram et baronum nostrorum, certam sumpmam pecunie, de predictis monetis camere ampliandis, similiter infra pretacti temporis spacium, pro argento cambire, vel finacionem eiusdem monete camere, in eisdem denariis camere ampliandis, dare et solvere teneantur; videlicet: *Zalankemen* ducentas et quadraginta marcas, item *Zemlyn* quindecim, item *Zenthdemeter* quinquaginta, item *Engh* sexaginta, item *Noghaloz* viginti quinque, item *Eztyen* triginta, item *Segusd, Aranyas, Labaad* et *Chehg*, cum suis pertinenciis centum, item *Peech* quadraginta marcas,

modo predicto cambire teneantur ita videlicet, quod aut ipsi civitatenses, receptis ipsis quantitatibus pecunie nove monete camere, pro qualibet marca, octo pensas in statera ponderanti, unam marcam fini argenti, vel saltim nichil recipiendo, combustionem seu finacionem singularum marcarum, ipsius monete videlicet de singulis marcis, super ipsos inpositis, singulas quatuor pensas predictarum monetarum, quarum octo pense marcam ponderant, dare debeant. Si qua autem civitatum negligens fuerit in solvendo, predicti executores negociorum camere, in medio talis civitatis tamdiu permanebunt, quousque cum gravamine duodecim marcarum solucionem facient prenotatam; in expensa tamen eiusdem civitatis moderata, cum adiutorio iudicis et iuratorum eiusdem civitatis. Hoc declarato, quod quilibet nobilis, super solucione lucri camere, litteras expeditorias a comite camerarum pro uno grosso redimere, licet plures habeat possessiones, teneatur. Item statuimus, quod in quibuslibet solitis locis camere, in civitatibus debeat fieri domus regalis, ad quam omnes homines aurum et argentum ad vendendum, comburrendum et cambiendum defferre teneatur; et si palam vel occulte, alias comburrere, vendere vel commutare presumpserint, et in hoc reperti fuerint, per eundem comitem camerarum omnia bona sua, presentibus supradictis testimoniis, auferantur et insuper ut infideles puniantur. Volumus eciam, ut nullus alias, postquam in domo regia aurum quot karatorum fiat probare debeat, sed camerarius debeat examinare in domo regia et ponere karatos et signo nostro regio inprimi faciat et consignari; contra hoc autem presumpmentes, per eundem comitem camerarum, predicta pena iussimus puniendos. Ceterum statuimus, ut nullus mercator aut quilibet alter, ultra duas marcas denariorum ad montana secum defferre presumpmat pro expensis, si autem ipse comes camerarum, vel sui officiales, apud tales ultra duas marcas reperient in denariis, auferant bona sua universa et puniant eum in persona, presentibus testimoniis supradictis. Et, ut camerariorum nostrorum iusticia appareat in denariis fabricandis, statuimus: ut quilibet eorum in ipsorum monetis signum habeat, per quod moneta, per ipsum fabricata cognoscatur. Ceterum volumus, ut ipse comes camerarum monetarios, seu cusores denariorum, ubique in civitatibus aut in villis invenire poterit et eosdem captivare voluerint, tunc iudex, iurati et universitas civitatis vel ville, in qua reperti fuerint, ad requisionem ipsius comitis camere vel eius officialium, ipsos monetarios captivare et ad manus comitis camerarum teneantur assignare; si qui autem secus fecerint, eadem pena qua monetarii contumaces sunt plectendi, puniantur. Item ipse comes camerarum nostrarum in civitatibus nostris, ubi monete nostre fabricantur, debet habere duo scrinia, in quorum uno ferramenta formalia, sub sigillis hominum dominorum archyepiscopi et magistri tawarnicorum conserventur; in altero vero virgule pro monetis fuse, absque monetis novis, sub sigillis tribus et clavibus tribus eorumdem trium hominum, videlicet: archyepiscopi et magistri tawarnicorum ac eiusdem camerarii debent conservari, et semper in presencia hominum ipsorum archyepiscopi et magistri tawarnicorum apperiantur, nec possint, aliquo ipsorum absente, aperiri vel opera monetarum exerceri; ita, quod si idem comes camerarum nostrarum, ipsis duobus testibus absentibus, vel aliquo ipsorum absente, fractis clavibus et sigillis, monetas faceret fabricari, per ipsum magistrum tawarnicorum tamquam falsarius puniatur, dummodo hoc iidem homines domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum

fateantur. Specialiter dum funditur 'argentum omnes personaliter interesse debeant; et singulis septimanis, ipsos novos denarios nostros, ipsi homines domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum, in combustione quadraginta eorumdem denariorum novorum, debeant examinare, et sic iidem novi denarii cambio exponantur. Item cusores denariorum et fabricatores in eisdem nostris civitatibus commorantes, ne ipse comes camerarum nostrarum pro falsis monetis inculpetur, sub potestate et iurisdiccione eiusdem remanebunt. Ceterum, antiqua libertate camerarum nostrarum requirente, statuimus: ut omnes servientes et officiales, ac monetarios, ipse comes camere nostre et non alter debeat iudicare, et si ipse ex parte suorum iusticam dare neglexerit, magister tawarnicorum nostrorum predictus, iusticiam facere teneatur, quibuscunque querulantibus de eisdem. Item pro ampliacione earumdem monetarum camerarum nostrarum statuimus, ut universi ecclesiarum prelati, decimas et debita, ac quosvis redditus, ac eciam cuncti regni nostri barones et nobiles, aliique cuiusvis status homines, ipsorum proventus universos, scilicet tributa, terragia et quavis (sic!) collectas, a quibuscunque ipsorum debitoribus et iobagionibus, tributariis et officialibus, cum ipsis monetis camere nostre, aut florenis recipere et exigi facere teneantur; dummodo ipsi denarii camere nostre in tanta copia cudantur, ut omnes debitores sua debita, cum ipsis denariis camere, persolvendi habeant facultatem. Nos autem promittentes assumpsimus universas nostras collectas regales et reginales, per totum regnum nostrum, specialiter tributa nostra et tricesimas nostras, exigi facere et recipere cum eisdem. Item, si qui contra ipsum comitem camerarum nostrarum, racione iniuriarum seu dampnorum, aut nocumentorum personis camerariorum nostrorum, in officio procedentibus illatarum, ad nostram vel magistri tawarnicorum presenciam citati fuerint, in primo termino, absque ulteriori dilacione, dante iusticia, ipsa causa finaliter debeat terminari. Quicunque autem comitem camere nostre predictum, ordine iudiciario in causam attraxerint, prelibatus magister tawarnicorum nostrorum, ex parte eiusdem iusticiam faciet, nostra auctoritate mediante. Hoc eciam ordinavimus, ut de quibuslibet rebus et bonis ipsarum camerarum nostrarum, ubicunque in terra et in aquis per eorumdem officiales deferendis, nullum tributum exigatur. Preterea de qualibet marca unum pondus, ad racionem denariorum, racione conservacionis ferramentorum, homini eiusdem archyepiscopi omni die operis, et dimidius ferto homini ipsius magistri tawarnicorum, preter summam convencionis nostre regalis, persolvatur. Si vero ipse comes camere nostre, quolibet die operis de singulis marcis cusis, singula pondera denariorum et dictos dimidios fertones, premisso modo, persolvere recusaverit, vel dilacionem facere vellet, homines ipsius domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum, ferramenta formalia includendi habeant facultatem. Item, aule nostre vice cancellario, idem comes camere nostre, proventus ab antiquo consuetos, videlicet triginta marcas in terminis solucionum subscriptarum, salvis proventibus notariorum remanentibus, plene dare et solvere teneatur. Hoc eciam adiecto, quod iniurias et dampna, officialibus camerarum per quoscunque irrogata, prefatus magister tawarnicorum prosequatur et emendet. De falsariis autem et eorum fautoribus, antiquam regni nostri consuetudinem, volumus observari. Item statuimus, ut comites parochyales, quorumlibet comitatuum, non plus quam tres marcas, octo pensarum, nove monete nostre, a comitibus camerarum nostrarum

petere vel recipere, racione fororum, presumpmant; nobiles autem, vel cuiusvis alterius status homines, fora habentes, pretextu fororum ipsorum, ab eisdem camerariis quicquam petere vel recipere, non presumpmant. Volumus eciam, quod tam magister tawarnicorum suos dimidios fertones, quam dominus archyepiscopus sua pondera quibuspiam vendere non possint et locare, quod si fecerint hys iuribus ipsorum priventur. Preterea iidem archyepiscopus et magister tawarnicorum, tales homines in prosequendis negociorum camerarum transmittant, qui possessiones habeant, et si demerita eorum requirerent, perdere habeant. Item comites camerarum nostrarum, qui anno sequenti cameras nostras conducere voluerint, in die Strennarum venturo, de predictis suis debitis racionem nobis personaliter reddendo, conducant. Item, quia superius tetigimus, ut prefati quinque homines executores negociorum camere, super civitates huic nostre ordinacioni rebellantes, lucrum camere, in expensa moderata commorando, cum subsidio iudicum et iuratorum earumdem civitatum, plene exigere cum gravamine iudicii duodecim marcarum et eisdem comitibus camerarum nostrarum plenarie persolvi facere teneantur, ideo volumus: ut si ipsi iudices et iurati, presenti nostro mandato obedire recusarent, extunc ipsum lucrum camere non solutum, plene et dictum iudicium duodecim marcarum cum dupplo, persolvere teneantur. Exprimentes eciam, quod quicunque res et bona, racione non observacionis aliquorum articulorum premissorum et transgressionis mandati nostri regalis, seu violacionis statuti camere, a quibuscunque personis hominum, et in quibuscunque locis auferentur, in tres partes debeant dividi coequales; quarum due partes ipsi comiti camerarum, tercia vero in manus predictorum hominum domini archyepiscopi et magistri tawarnicorum debeant provenire. Item, de quibuslibet marcis pro lucro camere, in quibuslibet comitatibus dicatis et exactis, unum grossum seu unum pondus homini domini archyepiscopi, alium vero grossum seu pondus homini magistri tawarnicorum dare et solvere tenebitur comes camerarum predictarum. Istud tamen expresse volumus, quod si ipse comes camerarum nostrarum, ipsam monetam camere nostre, in locis solitis camere cudendo habundanter fabricari non fecerit, et ipse solum ad dicam et exaccionem lucri eiusdem camere se dissimulando commiserit, extunc ipse talis, tamquam nos seducens et regni nostri deceptor seu mendax, contra nostram maiestatem convincetur. Ut autem idem comes camerarum, memoratam sumpmam pecunie mille et quingentarum marcarum nobis facilius solvere possit, ordinantes decrevimus: ut in octavis festi Nativitatis beati Johannis Baptiste trecentas et septuaginta quinque marcas; item in octavis Nativitatis Beate Virginis similiter trecentas et septuaginta quinque marcas; et modo simili trecentas et septuaginta quinque marcas in octavis festi beati Martini; residuas vero trecentas et septuaginta quinque marcas in octavis diei Strennarum nunc venturis, ultimam solucionem faciendo, in terminis, sese invicem subsequentibus, nunc venturis, hic in *Wyssegrad,* cum monetis prenotatis, modo premisso, solvere nobis tenebitur; penam duppli incurrat, si aliquem terminorum premissorum obmiserit insolutum. Datum in *Wyssegrad,* in festo Purificacionis beate Virginis, anno Domini supradicto.

1342. 1. Jul.
1342. 15. Sept.
1342. 18. Nov.
1343. 8. Jan.

Sigillum maiestat. tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. B. nr. 5. — Datum alio attramento alia manus, ast coeva, adjecit.

598.

1342. Avignon. 6. Febr. — Benedictus PP. XII., episcopo Wratislaviensi et sociis suis, iudicibus mandat, ut sententiam pro episcopo Cracoviensi, ratione finium diocesinalium latam contra archiepiscopum Strigoniensem et praepositum Scepusiensem, exequi curent.

Ed. Theiner: Mon. Hist. Hung. T. I. p. 645.

599.

1342. (Pécs.) 9. Mart. — Capitulum Quinqueecclesiense, transsumit litteras a. 1260. emanatas, ubi idem capitulum, Martinum de Alma, cum Zuga uxore fratris sui et filiabus eiusdem, super dote et quarta puellari, concordasse testatur.

Nos capitulum ecclesie Quinqueecclesiensis, memorie commendamus, quod Stephanus, filius Lancreth, ad nostram personaliter accedendo presenciam, exhibuit nobis quoddam privilegium nostrum, tenoris infrascripti, petens nos precum cum instancia, quod, quia ipsum in exsequendis suis causis, propter discrimina et fortuitos eventus viarum, ac suorum emulorum insidias, secum deferre non auderet, de verbo ad verbum transscribi, transscriptumque nostris litteris patentibus inseri facere dignaremur. Cuius quidem privilegii tenor talis est:

Jurko, prepositus Quinqueecclesiensis, eiusdemque loci capitulum, omnibus presens scriptum cernentibus, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam volumus pervenire, quod partibus scilicet domina *Zuga* nomine, relicta Benedicti de *Alma,* et filiabus suis *Scenie* nomine, uxore Pauli, filii Zuda, et *Galatya* domicella, filia Endre, et Paulo predicto genero suo, ex una parte; et Martino, fratre dicti Benedicti et filio eiusdem *Lancreti* ex altera, coram nobis constitutis, predictus Martinus solvit, coram nobis, summam triginta marcarum, domine prefate relicte Benedicti pro dote sua, dando *mancipia;* videlicet *Syculus,* cum uxore sua *Supka,* et tribus filiabus *Scemus, Damaka* et Elyzabet nominatis; et animalia secundum condignam estimacionem; et insuper tradidit eidem unam ancillam, nomine Marg*ve*retam (sic!). Preterea filiabus suis, uxori Pauli et domicelle, filie Endre predictis, pro quarta earumdem, dedit de terra nomine *Zalaylok,* centum et decem iugera, simul' cum feneto et nemore et sessione ville, certis metis distinctam; item decem iugera terre, que fuerat terra libertinorum ipsius Martini, que adiacet inter terram dicti Pauli, et vineam fratris sui Benedicti, sitam in *Zeleus;* et unam ancillam Elyzabet nomine, filiam prefate Marguarete, perpetuo possidenda. Prefate itaque domine, tam summam triginta marcarum, pro dote solutarum, quam terram, vineam et ancillas, pro quarta traditas, proprio ore confesse sunt se plenarie recepisse, reddentes super dote et quarta predictum Martinum omnino expeditum ita, quod nec ipse domine, nec earum heredes, vel cognati, prefatum Martinum et suos heredes, vel cognatos, super ipsa dote vel quarta poterunt amplius molestare. Hoc insuper adnotato, quod si dicte domine mancipia, seu ancillas, vel terram, aut vineam supradicta, aliquo unquam tempore voluerint vendicioni exponere, non poterunt Martino, vel suis heredibus, irrequisitis. Predium quoque, *Hoboy* nomine, predicta domina, et Bernoldus, ac Petrus fratres sui, quemadmodum sentenciatum fuerat, recepto iuramento dicti Martini, coram nobis, quod suum predium fuerit hereditarium et non cum dicta domina delatum, perpetuo eidem dimiserunt possidendum. Nos igitur, ad peticionem predictarum dominarum, litteras presentes, nostri

apposicione sigilli roboratas, predicto contulimus Martino, in supradicte satisfaccionibus testimonium et munimen. Anno gracie M° cc° LX^mo^, mense Octobr*y*, Henrico cantore, Andrea custode, Wencezlao decano, ceterisque quam pluribus, ibidem existentibus. Datum per manus magistri Guncel, lectoris Quinqueeccl*e*siensis. 1260. Oct.

Nos igitur, peticionibus eiusdem Stephani inclinati, predictum privilegium, de verbo ad verbum rescribi faciendo, presentibus nostris litteris patentibus, ad cautelam, duximus inserendum. Datum, sabbato proximo ante dominicam Letare, anno Domini millesimo ccc° XL^mo^ secundo.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Publ. Capsa 14. fasc. 6. nr. 22.

600.

1342. Bécs. 14. Mart. — Henricus abbas Scotorum in Vienna, iudex a Benedicto XII. PP. delegatus, canoniam et praebendam Posoniensem, praemissa longa litis serie, Nicolao de Zala adiudicat, Nicolao autem Johannis, qui litem suscitavit, perpetuum silentium imponit.

In nomine Domini amen. Anno nativitatis Eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo primo, indiccione nona, mensis Augusti die XXVII, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini, domini *Benedicti pape* XII. anno septimo, coram reverendo in Christo patre ac domino, domino *Hainrico abbate* ecclesie sancte Marie Scotorum in *Wienna,* ordinis sancti Benedicti, Pataviensis diocesis, in mei notarii publici et testium subscriptorum presencia, discretus vir *Nicolaus Johannis, canonicus* ecclesie sancti Salvatoris *Posoniensis,* Strigoniensis diocesis, constitutus, eidem domino abbati quasdam litteras apostolicas, non abolitas, salvas, integras, omnique suspicione carentes, bulla plumbea filo canapi appensa consignatas presentavit, tenorem qui sequitur continentes: 1341. 27. Aug.

Benedictus episcopus servus servorum Dei, dilecto filio . . *abbati monasterii Scotorum* in *Wienna,* Pataviensis diocesis, salutem et apostolicam benediccionem. Conquestus est nobis Nicolaus Johannis, canonicus ecclesie sancti Salvatoris Posoniensis, Strigoniensis diocesis, quod licet sibi de prebenda, que in dicta ecclesia vacavit per mortem quondam *Petri Ruffi,* eiusdem ecclesie canonici, sit provisum, tamen *Michael prepositus* dicte ecclesie, *Nicolaum de Zala,* clericum dicte diocesis, in dicta prebenda intrusit; qui pretextu intrusionis huiusmodi ipsam prebendam occupavit et detinet occupatam; fructus, redditus et proventus percipiens ex eadem, ac impedivit et impedit, quominus dictus Nicolaus eiusdem prebende valeat possessionem adipisci. Cum autem dictus conquerens, sicut asserit, potenciam dictorum prepositi et Nicolai de Zala merito perhorrescens, eos infra civitatem seu diocesim Strigoniensem nequeat convenire secure, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, apellacione remota, decernas, faciens quod decernis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, apellacione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum *Auinione,* XIII kalendas Julii, pontificatus nostri anno septimo. 1341. 19. Jun.

Post quarum litterarum presentacionem ac recepcionem, predictus Nicolaus Johannis, ipsi domino abbati, ad sancta Dei ewangelia iuramentum prestitit corporale, quod dominos Michaelem, prepositum ecclesie Posoniensis, et Nicolaum de Zala, in litteris apostolicis expressos, in civitate et diocesi Strigoniensi non audeat propter eorum potenciam, quam perhorrescit, convenire secure, ipsosque ut feria sexta proxima post diem beati Galli, si dies feriata non fuerit, alioquin proxima die iuridice sequenti comparerent ad dicti domini abbatis presenciam, citari peciit et procuravit. Acta sunt hec *Wienne,* in ambitu monasterii prelibati, presentibus honorabilibus viris dominis, magistro *Hermanno plebano* in *Walchunsckirchen,* Pataviensis dyocesis, magistro *Johanne de Borbach, canonico Brixinensi,* iurisperitis, *Alberto plebano* in *Marchgrafen Newsidel,* dicte Pataviensis diocesis, *Leupoldo* de *Swind, plebano* in *Rach,* Salzburgensis dyocesis, *Theodrico de Frybruch,* clerico Olomucensis dyocesis, et aliis pluribus testibus fide dignis. 1341. 19. Oct.

Termino ut supra expresso adveniente, ac Nicolao Johannis, canonico ecclesie Posoniensis supradicto pro se, necnon dominus *Perchtoldus plebanus* in *Maraw,* procurator et procuratorio, nomine honorabilium virorum dominorum Michaelis prepositi ecclesie Posoniensis, ac Nicolai de Zala supradictorum, coram prefato domino iudice in iudicio comparentibus, exhibita quoque ac lecta littera commissionis sedis apostolice per omnia ut supra scribitur et notatur, dictus procurator quoddam procuratorium, sigillo venerabilis in Christo patris et domini *Chanadini Strigoniensis archiepiscopi,* prout littere circumferenciales in eodem sculpte aperte innuebant, consignatum exhibuit, cuius tenor erat talis:

Chanadinus, Dei et apostolica gracia archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, ad universorum quorum interest, aut interesse poterit in futurum, volumus noticiam pervenire, quod constituti coram nobis, honorabilis vir dominus Michael, prepositus ecclesie sancti Salvatoris Posoniensis, necnon postulatus *Waciensis* ecclesie et magister Nicolaus de Zala, Albensis et Posoniensis ecclesiarum canonicus, prefati prepositi doctor et informator, et discretum virum dominum Perchtoldum, plebanum in Maraw, presentem et mandatum in se sponte suscipientem, presencium exhibitorem, in causa seu causis, quam vel quas eisdem movere intendit Nicolaus Johannis, super canonicatu et prebenda dicte ecclesie Posoniensis, coram venerabili in Christo domino Hainrico, abbate monasterii sancte Marie Virginis apud Scotos in Wienna, Patauiensis diocesis, iudice ad hoc a sede apostolica specialiter delegato, suum verum et legittimum fecerunt, ordinaverunt et constituerunt procuratorem, dantes eidem plenam et liberam potestatem suo nomine agendi, defendi, excipiendi terminos et dilaciones petendi, libellum seu libellos offerendi, eosdem recipiendi et ad ipsa respondendi, litem contestandi, iuramentum calumpnie, veritatis, malicie seu alterius cuiuslibet generis sacramentum, in animas ipsorum et suam propriam prestandi, ponendi, posicionibus respondendi, articulandi, testes et instrumenta producendi, ipsorum produccioni seu recepcioni interessendi, contra ipsa excipiendi et replicandi, in causa seu causis concludendi, sentencias interlocutorias seu diffinitivas audiendi, ab ipsis appellandi, apostolos petendi, alium seu alios procuratorem seu procuratores substituendi, copiam seu copias actorum petendi et omnia et singula faciendi, que verus et legittimus facere potest et posset procurator, vel que sibi a lege, canone, vel quavis consuetudine conceduntur, et que ipsi facere

possent, si in propriis personis presentes essent; eciam si predicta vel ipsorum aliquod mandatum exigant speciale. Promittentes nichilominus se gratum et ratum habituros, sub rerum suarum omnium *y*potheca, quidquid per dictum procuratorem ipsorum gestum fuerit in premissis, vel eciam quomodolibet procuratum. In cuius rei testimonium presentes conscribi et sigillo nostro iussimus communiri. Datum in *Strigonio*, feria quinta proxima ante festum beati Galli, anno Domini M° ccc^mo^ xl.^mo^ primo. 1341. 11. Oct.

Quo procuratorio lecto, procurator predictus, quandam protestacionem domino iudici in scriptis obtulit, in hec verba:

Coram vobis venerabili in Christo patre, domino Hainrico, abbate monasterii sancte Marie Virginis apu*d* Scotos in Wienna. Ego Perchtoldus, plebanus in Maraw, procurator honorabilis viri domini Michaelis, prepositi ecclesie sancti Salvatoris in Posonio, necnon postulati ecclesie Waciensis, et magistri Nicolai de Zala, Albensis et Posoniensis ecclesiarum canonici, doctoris eiusdem, procuratorio nomine eorundem protestando propono et dico, quod coram vestram reverenciam compareo nomine ipsorum, sicuti coram patre venerabili, non intendens per hoc approbare, vos iudicem dominorum meorum predictorum et eciam meum, et protestor, quod per ea, que dico vel facio, dicam vel faciam, non intendo quoquomodo in vos consentire, tamquam in iudicem, nisi eatenus, quatenus de iure decernetur hoc fieri debere; et hanc meam protestacionem, in singulis actibus meis subsequentibus, volo habere repetitam et peto ipsam reponi ad acta.

Eadem protestacione lecta, Nicolaus actor predictus, libellum seu peticionem suam domino iudici predicto obtulit infrascriptum:

Proponit in iure coram vobis venerabili patre, domino Hainrico, abbate ecclesie sancte Marie Scotorum in Wienna, ordinis sancti Benedicti, Patauiensis dyocesis, iudice ad infrascripta a sede apostolica specialiter delegato, Nicolaus Johannis canonicus ecclesie sancti Salvatoris in Posonio, Strigoniensis dyocesis, contra dominum Michaelem prepositum ecclesie predicte, et Nicolaum de Zala clericum dicte Strigoniensis dyocesis, et dicit, quod licet ipse ex parte dicti domini prepositi, ad quem racione prepositure de consuetudine antiqua et approbata, ac hactenus pacifice observata, recepcio canonicorum et eciam collacio prebandarum in ecclesia Posoniensi predicta pertinere dinoscitur, fuerit in canonicum receptus et in fratrem, stallo in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie sibi more solito assignatis, fuissetque tandem, post aliquod temporis, de prebenda, vacante in eadem ecclesia per mortem quondam Petri Ruffi, olim dicte ecclesie canonici prebendati, eidem Nicolao Johannis per certos executores, ad hoc ab ipso domino preposito legittime deputatos, nomine et auctoritate ipsius domini prepositi canonice provisum. Prefatus tamen dominus prepositus, contra factum proprium veniens, in prebenda suis nomine et auctoritate, prefato Nicolao Johannis legittime assignata, supradictum Nicolaum de Zala temerarie intrusit, qui huiusmodi intrusionis pretextu, prebendam eadem detinet occupatam, fructus, redditus et proventus percipiens ex eadem, in dicti Nicolai Johannis enorme preiudicium et gravamen. Quare petit, per vos dominum iudicem predictum et vestram sentenciam pronunciari, decerni et declarari, dictam prebendam ad ipsum Nicolaum Johannis pertinuisse et pertinere de iure, sibi adiudicari eandem, et prefatis domino preposito et Nicolao de Zala super ea,

necnon super oposicionibus et impedimentis, que sibi prestiterunt et prestant, perpetuum silencium inponi, dictumque Nicolaum de Zala, a detencione ipsius prebende amoveri. Hec dicit et petit omni via iuris, forma et modo quibus melius potest, cum expensis factis et faciendis, dampnis et interesse et fructibus perceptis et qui percipi poterant. Salvo sibi iure addendi, minuendi, corrigendi, declarandi, alium libellum de novo, si opus fuerit, porrigendi. De quibus protestatur.

Quo libello oblato et lecto, dominus iudex, ad peticionem, ac instanciam procuratoris dominorum reorum conventorum subscriptorum, copiam ipsius sibi dari decernens, feriam secundam proximam post octavam beati Martini, si dies feriata non fuerit, alioquin proximam diem iuridicam sequentem, ad deliberandum seu respondendum eidem, necnon ad procedendum alias, prout de iure fuerit, pro termino assignavit, presentibus honorabilibus et discretis viris dominis magistro Chunrado, procuratore ecclesie sancti Stephani in Wienna, iurisperito, Iwanka canonico Posoniensi, Petro plebano in Cotze, Johanne dicto Spul de Constancia, Mathia de Znoyma, publicis notariis, et aliis pluribus testibus fide dignis. 1341. 19. Nov.

Adveniente termino supradicto, et Nicolao Johannis actore pro se, ac discreto viro magistro Paulo, canonico ecclesie Posoniensis, procuratore et procuratorio nomine honorabilium virorum dominorum Michahelis, eiusdem Posoniensis ecclesie prepositi, et Nicolai de Zala reorum, coram prefato domino iudice in iudicio constitutis, magister Paulus quoddam procuratorium, manu publica conscriptum, exhibuit continencie sequentis:

In nomine Domini amen. Sub anno Nativitatis Eiusdem M° ccc° xlı^mo^, Indiccione nona, hora quasi sexta, apud *Wissegrad*, in caminata domus habitacionis reverendi viri, domini et magistri Michahelis, prepositi ecclesie sancti Salvatoris Posoniensis et postulati Waciensis, quinto idus mensis Novembris, in mei notarii infrascripti et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum presencia, prefatus dominus Michahel, prepositus Posoniensis et postulatus Waciensis, ac magister Nicolaus de Zala, Albensis et dicte Posoniensis ecclesiarum canonicus, fecerunt, constituerunt et prout melius potuerunt ordinaverunt, honorabiles viros dominos ac magistros Thomam, vicarium predicti domini prepositi, Paulum et Johannem Longum, ac Nicolaum notarium capituli, et canonicos prefate ecclesie Posoniensis, absentes tamquam presentes, et omnes et quemlibet eorum in solidum ita, quod non sit melior condicio occupantis, sed quod unus eorum inceperit, alter prosequi valeat et finire, suos veros et legittimos procuratores, actores, defensores et nuncios speciales, in causam seu causis, quam vel quas movet, seu movere intendit Nicolaus Johannis, super canonicatu et prebenda in dicta ecclesia Posoniensi, dominis et magistris Michaheli preposito et Nicolao canonico supradictis, coram reverendo in Christo patre domino Hainrico, divina providencia abbate monasterii sancte Marie Virginis aput Scotos in Wienna, iudice ut dicitur in eadem causa a sede apostolica deputato, dantes et concedentes eisdem, eorum procuratoribus, plenam et liberam potestatem agendi, defendendi, excipiendi, replicandi, duplicandi, triplicandi, terminum seu terminos et dilaciones petendi, ipsaque prorogandi, libellum seu libellos, ac quaslibet peticiones in iudicio et extra offerendi, et eos seu eadem recipiendi, respondendi, litem contestandi, iuramentum 1341. 9. Nov.

calumpnie et veritatis et malicie, seu cuiuslibet alterius generis sacramentum, in animas ipsorum, ac eorumdem procuratorum prestandi, ponendi, posicionibus respondendi, articulandi, testes et instrumenta producendi, ipsorum produccioni seu recepcioni et publicacioni attestacionum interessendi, contra ipsa excipiendi, concludendi, sentencias interlocutorias et diffinitivas audiendi, ab ipsis appellandi, apostolos petendi, appellacionem seu appellaciones prosequendi, transigendi, paciscendi, iuramentum seu iuramenta deferendi, delata suscipiendi, alium vel alios procuratorem seu procuratores substituendi, ipsosque quociens et quando eis visum fuerit revocandi, et omnia et singula faciendi et exercendi, que veri et legittimi procuratores facere possunt et debent, et que eis a lege, canone, vel quavis consuetudine conceduntur; et que ipsimet facere possent, si personaliter interessent. Promittentes michi notario infrascripto stipulanti, vice et nomine omnium quorum interest, aut interesse poterit in futurum, se ratos et firmos habere et tenere ac inviolabiliter observare, quicquid per dictos ipsorum procuratores, aut eorum substitutum, vel substitutos, ab eisdem vel altero eorumdem actum, factum, gestum fuerit, seu eciam procuratum in premissis omnibus et singulis eorumdem premissorum, sub rerum suarum et bonorum suorum omnium ypotheca. De quibus omnibus et singulis predicti domini et magistri prepositus et Nicolaus, canonicus Posoniensis, eis pecierunt per me notarium infrascriptum fieri publicum instrumentum. Actum anno, mense, indiccione, die, hora et loco quibus supra, presentibus honorabilibus viris et discretis dominis, magistro *Nicolao lectore* ordinis sancti Augustini, et fratre *Nicolao* eiusdem ordinis de *Insula Maiori*, ac magistro *Hermanno rectore hospitalis sancte Elisabeth in suburbio Budensi, Nicolao rectore ecclesie sancte Crucis iuxta Gron, Johanne sacerdote de Morod, Johanne* clerico *de Alba Regali*, et aliis multis testibus fide dignis. Et ego *Nicolaus*, natus Arnoldi *de Strelicz*, clericus Wratislauiensis dyocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, predictorum procuratorum constitucioni ac singulis premissis, una cum prenotatis testibus presens interfui, eaque rogatus per dictos constituentes conscripsi et in publicam formam redegi, meoque nomine et signo consuetis consignavi, in testimonium premissorum.

Quo procuratorio lecto, predictus procurator, videlicet magister Paulus, protestatus fuit, quod nomine dominorum suorum, coram domino abbate supradicto, non tamquam coram suo iudice, sed sicuti coram venerabili patre compareret, et si qua diceret vel faceret, que suam iurisdiccionem aliqualiter approbare videnter, dicta pro non dictis et facta pro non factis reputari vellet; adiciens, quod hanc protestacionem vellet in omnibus actis sequentibus et contra quemlibet actum habere specialiter repetitam. Deinde idem procurator quandam exposicionem in scriptis domino iudici obtulit sub hac forma:

Coram vobis venerabili in Christo patre, domino Hainrico, abbate monasterii sancte Marie Virginis Scotorum in Wienna, iudice unico a sede apostolica specialiter, ut dicitur, deputato, ad infrascripta: Ego magister Paulus, canonicus ecclesie sancti Salvatoris Posoniensis, Strigoniensis dyocesis, procurator honorabilis et reverendi viri Michaelis, prepositi ecclesie Posoniensis predicte, necnon postulati ecclesie Waciensis, et discreti viri magistri Nicolai de Zala, Albensis et dicte Posoniensis ecclesiarum canonici, nomine procuratorio eorumdem excipiendo propono et dico commissionem, si sic dici meretur, ad vos impetratam, super canonicatu et prebenda ecclesie Posoniensis predicte, per Nicolaum

Johannis, non valere; immo dico ipsam penitus esse nullam ipso iure ex eo, quia impetrata est per veri supposicionem et sui suggestionem, quia talis veritas est suppressa et falsitas suggesta per eundem; que si prepositus scivisset, commissionem sive rescriptum nullatenus concessisset; unde, sicut mendax precator carere debet penitus impetratis. Quod autem talis veritas in dicto rescripto sit suppressa, et suggesta falsitas, apparet ex eo, quod idem Nicolaus, in ipso rescripto dicit se canonicatum et prebendam in dicta ecclesia Posoniensi fore canonice assecutum; quod est omnino falsum, quia nunquam fuit, est, nec erit, Domino concedente, canonicus ecclesie supradicte; nec sibi provisum fuit de canonicatu seu prebenda per eum, qui hoc de iure, vel eciam approbata consuetudine facere potuit; nec eciam per capitulum, de quorum numero ego sum, fuit receptus aliquatenus, sed repulsus publice, eciam per appellacionis interposicionem, tamquam is, cui nullum ius competebat in ecclesia memorata. Et licet idem Nicolaus litteras quasdam, per importunas precum instancias, per quas plerumque non concedenda conceduntur, a domino Michahele extorserit supradicto, in quibus ipso promittebantur canonicatus et prebenda in ipsa ecclesia secundo loco vacatura, quia tamen promissiones huiusmodi nulle sunt penitus ipso iure, nec promittens obligatur aliquatenus per easdem; vacantibus canonicatu et prebenda prescriptis, predictus dominus prepositus ipsa contulit, quod et de iure facere potuit, magistro Nicolao de Zala prescripto, magistro et informatori suo; litteras ipsius Nicolai non ratificans, sed ipsas cassas, vanas et irritas denuncians, sicut a iure in plerisque locis casse, vane, nulle penitus et irrite, quod probabitur multis iuribus, locis et temporibus oportunis. Dico eciam procuratorio nomine quo supra, quod libello seu cartule nomine libelli porrecte, ad presens respondere non teneor ex eo, quia commissio, ut predicitur, nulla est supra quam fundatur; et eciam ex alio: quia in ipso libello petit sibi Nicolaus prescriptus adiudicari canonicatum et prebendam, que dicit se habuisse in ecclesia memorata, quod facere non potest, nisi primo sua doceat interesse. Hec excipiendo propono nomine procuratorio quo supra, offerens me ad probandum premissa saltim intencioni mee necessaria, sive in iure, sive in facto consistant. Petens per vos dominum abbatem, iudicem supradictum, dominos meos prescriptos ab instancia huiusmodi iudicii, et impeticione ipsius Nicolai absolvi, ipsique Nicolao super dictis canonicatu et prebenda, perpetuum silencium imponi; et nichilominus dominis meis prescriptis et michi, ipsorum nomine, in expensis, propter hoc factis legittimis, per vestram sentenciam condempnari. Hec peto omni via, modo et iure, quibus melius possum, salvo iure addendi, minuendi, corrigendi, declarandi, supplendi, mutandi etc.

Eadem excepcione lecta, dominus iudex ad peticionem actoris ipsius excepcionis, et procuratorii premissi copiam sibi dari decrevit, feriam quartam proxime subsequentem, ad replicandum et contradicendum, per ipsum actorem et ad procedendum alias, prout de iure fuerit, pro termino assignavit. Quo termino adveniente et partibus supradictis utrobique, coram domino iudice suprafato, pro tribunali sedente, comparentibus, actor replicaciones suas in scriptis exhibuit in hec verba: 21. Nov.

Ex parte actoris replicando dicitur, quod excipiens contra rescriptum non est audiendus, cum iam consensum sit in vos, domine iudex, cum petitus sit ex parte ipsius rei, et eciam obtentus terminus ad respondendum, libello in

iudicio per actorem exhibito, prout in actis apparet. Preterea, si actor inpetrando rescriptum obtinuisset, quid ergo dicit, quod falso suggessit se canonicum, quod adhuc dicit et probabit, se canonicum, suo tempore et loco, quando veniet tempus probacionum. Ista enim, que in excepcione rei veniunt, non habent locum contra rescriptum, ut de se patet, cum de hys sit questio principalis. Quare petit actor, ista supersticiosa excepcione non obstante, reum compelli ad respondendum libello, eumque sibi per vestram interlocutoriam in expensis condempnari. Protestatur insuper, quod predicta possit corrigere, eisque superaddere et diminuere, et alia si opus fuerit, de novo dare.

Quibus replicacionibus lectis, procurator reorum animo litem contestandi negavit, narrata prout narrantur in ipso libello, dicens petita de iure fieri non debere. Utraque parte protestante ac petente, sibi expensas fore salvas, quarum condempnacionem et taxacionem dominus iudex sibi in posterum reservavit. Lite itaque legittime contestata, et receptis a partibus hinc inde, de calumpnia et de veritate dicenda ad sancta Dei euangelia iuramentis, petivit actor terminum ad ponendum et articulandum sibi dari. Unde dominus iudex, ad hoc faciendum et ad procedendum alias prout de iure fuerit, terciam diem mensis Decembris pro termino assignavit. Acta sunt hec *in refectorio Scolorum Wienne*, presentibus honorabilibus viris dominis et magistris Andrea, vicario reverendi in Christo patris et domini Alberti Patauiensis episcopi in spiritualibus generali, Petro in *Spannberch*, Hainrico in *Weykendorf* ecclesiarum plebanis, Johanne iuvene de *Frankenfurda* iurisperitis et aliis pluribus fide dignis. 1341. 3. Dec.

Adveniente termino supradicto, et Nicolao actore pro se, necnon magistro Paulo procuratore reorum, in iudicio coram domino iudice comparentibus, idem actor posiciones et articulos suos exhibuit in hec verba:

Has posiciones etc., ut infra cum suis responsionis (sic!). Quibus oblatis, dominus iudex de peritorum consilio, copiam posicionum et articulorum, per ipsam partem actricem oblatorum, parti ree dari decrevit et ad respondendum eisdem dedit terminum, videlicet septimam diem mensis Decembris, salvo iure inpertinencium, et non admittendorum. Et sit facultas parti actrici declarare, si quid in posicionibus et articulis antedictis videbitur declarandum, parti quoque ree, eciam ad ponendum et articulandum. Actor vero protestando asseruit, quod in hoc, quod dominus iudex copiam posicionum et articulorum per eum oblatorum, parti ree dari decrevit, minime consentiret. 1341. 7. Dec.

Prenotato termino adveniente et supradictis actore et procuratore reorum coram domino iudice, pro tribunali sedente, constitutis, idem procurator reorum dedit responsiones suas in scriptis ad posiciones et articulos, per ipsum actorem oblatos, prout iuxta posiciones actoris infrascriptas annotatur, quarum tenor protenditur in hec verba:

Has posiciones infrascriptas, dat Nicolaus Johannis, canonicus ecclesie sancti Salvatoris in Posonio, Strigoniensis dyocesis, quibus per partem adversam petit responderi; si que vero negate fuerint, has pro articulis exhibet et se ad probandum petit admitti; non tamen se astringit ad probandum, sed tantum sue intencioni necessaria. In primis ponit, quod ecclesia sancti Salvatoris in Posonio est collegiata. Credo. Item, quod non habet certum numerum prebendarum. Non credo. Item, quod habet certum numerum prebendarum. Credo. Item, quod

in eodem collegio est dignatas prepositure. Credo. Item, quod habent unum prepositum. Credo. Item, quod ille prepositus est immediatus principalis, prelatus tocius illius collegii. Credo. Item, quod reverendus dominus, dominus Michael, natus nobilis domini, domini Thome waibode et comitis de Zounuch, est et fuit multo tempore prepositus eiusdem collegii, seu eiusdem ecclesie. Credo. Item, quod idem dominus Michael, per plures annos rexit et gubernavit et adhuc regit pacifice et quiete eandem preposituram. Credo. Item, quod de consuetudine antiqua et approbata, ad prepositum eiusdem ecclesie sancti Salvatoris, qui pro tempore fuit vel est, racione prepositure pertinet recepcio canonicorum in eadem ecclesia. *Credo, cum consensu tamen capituli.* Item, quod huiusmodi recepcio ad eum solum et in solidum (emans.: pertinet). Non credo. Item, quod ad eundem prepositum, eciam solum et in solidum pertinet collacio, seu provisio omnium prebendarum eiusdem ecclesie, dum vacant. Non credo. Item, quod recepti a prepositis, qui pro tempore fuerunt in canonicos, a multis annis, cessante cuiusvis contradiccione, obtinuerunt canonias. Non credo. Item, quod provisi, seu recipientes collacionem prebendarum, ab eisdem obtinuerunt prebendas. Non credo, nisi consensus capituli intervenerit. Item, quod tollerati fuerunt pacifice in eisdem, usque ad mortem. Non credo. Item, quod habiti fuerunt per omnia pro canonicis prebendatis. Non credo. Item, quod fuit eis responsum, de omnibus iuribus et pertinenciis, sive in spiritualibus, sive in temporalibus consisterent, que de iure vel consuetudine debent canonico prebendato. Non credo. Item, quod de premissis est publica vox et fama. Credo de confessis, et non alias. Item, quod idem dominus Michael prepositus, de antiqua et approbata consuetudine eiusdem prepositure, potest providere de canonicis, ut supra ubique. Non credo. Item, quod eciam quandocunque. Non credo. Item, quod potest hoc idem in assignacione prebendarum dum vacant. Non credo. Item, quod ad eum pertinet [de] eadem consuetudine dare stallum in choro et locum in capitulo. Non credo. Item, quod ad eum pertinet missio in possessionem fructuum et emolumentorum prebendarum. Non credo, nisi de consensu capituli. Item, quod ipse de eadem consuetudine approbata, in assignacione prebendarum potest vices suas committere, puta ut prima, vel secunda, aut quotacunque vacaverit tali aut tali assignetur suo nomine et auctoritate. *Iuris est et non credo,* nisi cum consensu capituli. Item, quod plures canonici Posonienses, hys modis prescriptis, ab eodem preposito assecuti sunt suas canonias et prebendas. Non credo, nisi cum consensu capituli. Item, quod adhuc hodie tenent illas prebendas pleno iure. Non credo. Item, quod nullo contradicente in iure. Non credo. Item, de talibus unus est Johannes Alexandri. Non credo. Item, secundus Thomas vicarius domini Michahelis prepositi. Non credo. Item tercius [Johannes fra]ter magistri Nicolai. Non credo. Item, quartus dominus Michahel. Non credo. Item, quod quam plures alii. Non credo. Item, quod plures de [tali]bus sunt mortui. Declara (sic!) et non credo. Item, quod omnia et singula premissa pertinent ad eundem prepositum solum et in solidum. Non credo. Item, quod contradictor cuiuslibet premissorum, aperte contradicit libertati et detrahit consuetudinalio (sic!) iuri eiusdem prepositure. Non credo. Item, quod est inimicus prepositi. Non credo. Item, quod talis contradiccio facti est, et non iuris. Non credo. Item, quod ex radice invidie procedit. Tendit ad crimen. Item, quod de premissis omnibus et singulis, est publica vox et fama. Non credo, nisi de confessatis. Item ponit

et probare intendit, idem Nicolaus Johannis, quod idem dominus Michahel prepositus, de anno Domini M CCC XXXVIII prefuit eidem prepositure. Credo. Item, quod pleno iure. Credo iurium et proventuum prepositure. Item, quod pacifice et quiete. Credo, ut supra proximo. Item ponit, idem actor illo tempore fuit clericus. Exhibe. Item, quod fuit tunc temporis et est in possessione clericatus. Ut supra. Item, quod ipse frequentavit scolas et chorum ecclesie predicte. Credo, quod ut scolaris, non ut canonicus. Item, quod ipse fecit studiosam diligenciam circa officium divinum ibidem. Non credo. Item, quod ipse est de legittimo matrimonio procreatus. Non credo. Item, quod pro tali est habitus et reputatus apud notos suos. Non credo. Item bone et honeste conversacionis et fame. Non credo. Item, quod integri status. Non credo. Item, quod fuit et est habilis de iure ad beneficium ecclesiaticum obtinendum. Non credo. Item, quod anno Domini quo supra, circa festum beate Agathe, honorabilis dominus Michahel prepositus predictus recepit, creavit et approbavit eundem Nicolaum Johannis, in predicte ecclesie sancti Salvatoris in *Posonio* in canonicum et confratrem. Non credo esse factum de consensu capituli. Item, quod fecit iure prepositure. Pono contrarium. Item, quod de gracia speciali. Non credo, nec potuit. Item, quod recepit eum tamquam bene meritum ecclesie. Non credo. Item, quod pure et simpliciter. Non credo. Item, quod propter servicium divinorum. Non credo. Item rite et legittime. Non credo. Item, quod ad sollicitacionem honorabilis viri domini Tatamerii, prepositi Albensis, aule regie vicecancellarii et magistri Iwance, ipsius ecclesie Posoniensis canonici. Inpertinens est et contraria superioribus. Item, quod super eadem recepcione, seu approbacione in canonicum, tradidit sibi litteras suas testimoniales, suo sigillo signatas. Exhibe. Item, quod predicte sue recepcioni in canonicum auctoritate supradicta non fuit a quocunque aliqualiter contradictum. [Non cre]do. Item, qud sepedictus honorabilis dominus prepositus, eidem Nicolao actori, iam recepto in canonicum [Posoniensem], ordinavit et dedit certos executores, ad providendum eidem, suis nomine et auctoritate iuxta ordinem recepcionis suc in canonicum, de prebenda secundo loco seu vice vacante, in ecclesia antedicta. Exhibe. Item, quod iniunxit illis idem suum mandatum exequendum, canonica monicione premissa, sub pena excommunicacionis late sentencie in rebelles. Exhibe. Item, quod executores sive mandatarii erant isti tres in numero: videlicet dominus Thomas vicarius ipsius domini Michahelis prepositi, magister Nicolaus notarius capituli ecclesie sancti Salvatoris predicte, et magister Iwanca eiusdem ecclesie canonicus. Exhibe. Item, quod istud mandatum fuit iniunctum omnibus ipsis et singulis. Exhibe. Item, quod cuilibet eorum in solidum. Exhibe. Item, quod hoc idem mandatum factum eisdem transivit, cessante qualibet contradiccione iuris eorum, quorum credebatur interesse. Non credo. Item, quod post istud mandatum vacabat prima prebenda, ex morte quondam domini Johannis pedagogi, sepedicti domini prepositi canonici, ibidem prebendati. Exhibe mandatum. Item, quod tandem vacabat secunda prebenda ex morte quondam domini Petri Ruffi, plebani sancti Martini in eadem ecclesia. Credo de vacacione prebende, non de prioritate seu posteritate. Item, quod ipse dominus Petrus Ruffi fuit canonicus prebendatus ecclesie sancti Salvatoris predicte. Credo. Item, quod eadem prebenda intelligebatur et fuit secundo loco vacatura. Non credo de ordine. Item, iuxta ordinem sue recepcionis in canonicum, eidem Nicolao actori

1338. 5. Febr.

eadem prebenda debebatur de iure. Non credo. Item, quod mandatum domini prepositi predictum, factum executoribus prescriptis, ad eandem prebendam tamquam secundo loco vacaturam, se directe extendebat. Exhibe mandatum. Item, quod sepedictus Nicolaus actor, debitis tempore et loco, dictam prebendam sic, ut premittitur, secundo loco vacantem, ab antedictis executoribus sibi, tamquam de iure debitam, potuit assignari. Non credo, nisi cum consensu capituli. Item, quod petivit sibi, auctoritate predicta domini prepositi, provideri de eadem. Credo peticionem, sed capitulum contradixit. Item, quod hoc petivit debitis modo et forma. Non credo. Item, quod suo loco et tempore. Credo, sed contradicente capitulo. Item, quod magister Iwanca, unus ex predictis executoribus, mandatis supradicti domini prepositi humiliter obtemperare, curavit. Exhibe mandatum. Item, quod idem magister Iwanca, ipsum Nicolaum actorem, hoc iuste petentem, de prebenda quondam Petri Ruffi, secundo loco in ipsa ecclesia sancti Salvatori in *Posonio* vacante, rite et legittime investivit. Non credo. Item, quod hoc iuxta continenciam sui mandati fecit. Exhibe mandatum. Item, quod providit de ea rite et legittime. Non credo. Item, quod hoc fecit per traditionem superpellicii. Dependet. Item, quod assignavit sibi stallum in choro. Dependet. Item, quod eciam locum in capitulo. Dependet. Item, quod intervenientibus sollempnitatibus debitis et consuetis. Non credo. Item, quod iuxta tenorem mandati domini prepositi, petivit hec omnia de iure, solus et in solidum. Exhibe. Item, qud hoc casu, totum suum factum sine qualibet contradiccione iuris processit. Non credo. Item, quod dominus Thomas unus executorum, rebellem se reddidit. Credo. Item, quod pro eo ipso facto est excommunicatus. Non credo. Item, quod adhuc in eadem excommunicacione perseverat. Non credo. Item, quod de predictis est publica vox et fama. Non credo. Item ponit, quod idem dominus Nicolaus de Zala, in eadem prebenda, eidem actori rite et legittime assignata, temerarie se intrusit. Non credo. Item, quod per potenciam facti. Non credo. Item, quod contra Deum. Non credo. Item, quod contra iusticiam. Non credo. Item, quod contra bonum consciencie sue. Tendit ad crimen. Item, quod temere ea occupavit. Tendit ad crimen. Item, quod modis predictis adhuc hodie eandem iniuste occupat et detentat. Non credo. Item in enorme preiudicium ipsius actoris. Non credo. Item, quod pluribus salutaribus monitis requisitus, desistere temere contradicit. Non credo. Item, quod de premissis est publica vox et fama. Non credo, nisi de confessis.

Exhibuit eciam idem procurator reorum, posiciones et articulos defensorias contra partem actricem, quarum copiam dominus iudex ipsi actori dari decrevit, sibique ad respondendum decimam diem mensis decembris pro termino assignavit. Quo termino adveniente, ac antedictis actore et procuratore reorum, coram domino iudice in iudicio comparentibus, actor predictus superaddidit quasdam posiciones, ad quas pars reconventa immediate respondit, prout iuxta easdem scribitur per omnia in hec verba: 1341. Dec. 10.

Item ponit, quod sepedictus dominus Michahel, prepositus Posoniensis, de consuetudine antiqua preest iurisdiccioni. Credit. Item, quod racione prepositure. Credit. Item, quod habet ordinariam iurisdiccionem in omnes et singulos de capitulo. Credit. Item, quod habet in eos exercere censuram ecclesiasticam. Credit. Item, quod habet eis precipere. Licita. Item, quod habet eos excommunicare. Credit, pro excessibus. Item, quod ipse usus est auctoritate creandi

canonicos Posonienses, pro ipso reconvento. Non credit, sine consensu capituli. Item, quod hoc fecit irrequisito consensu capituli. Pendet. Item, quod precepit ipsum reconventum mitti in possessionem canonicatus et prebende, sub pena excommunicacionis. Pendet. Item, quod dedit sibi suas litteras patentes, sigillo suo sigillatas. Exhibe. Item, quod omnia ista evenerunt quoad factum. Declara. Item, quod de premissis est publica vox et fama. Credit de confessis, alias non credit.

Deinde actor, iam dictus, responsiones suas, ad posiciones reconventorum in scriptis exhibuit, prout iuxta easdem posiciones annotatur, per omnia in hec verba:

Has posiciones et articulos porrigit magister Paulus, canonicus Posoniensis ecclesie, Strigoniensis dyocesis, procurator domini Michahelis prepositi et magistri Nicolai de Zala, canonici ibidem, procuratorio nomine ipsorum, contra Nicolaum Johannis partem adversam. Primo ponit et probare intendit, quod ecclesia Posoniensis predicta, est collegiata. Posuit. Idem ponit, quod in ipsa est certus numerus canonicorum. Posuit contrarium. Item ponit, quod iuramento firmatus. Dependet. Item ponit, quod auctoritate dyocesani confirmatus. Dependet. Item ponit, quod ibi est certus numerus prebendarum. Posuit. Item poni (sic!), quod canonicorum eleccio, et prebendarum collacio, in ecclesia Posoniensi predicta, spectant de antiqua consuetudine ipsius ecclesie ad prepositum ibidem. Posuit. Item ponit, quod predicta spectant ad ipsum ita, quod ea faciat cum consensu capituli. Posuit contrarium. Item ponit, quod aliter facta non valeant. Non credit. Item ponit, quod hoc observatum est in predicta ecclesia a tanto tempore, citra cuis contrarii memoria non existit. Non credo. Item ponit, quod quondam dominus Petrus Ruffus, bone memorie, fuit verus canonicus ipsius ecclesie. Dependet ex positis. Item ponit, quod fuit in possessione pacifica canonicatus et prebende ipsius, pluribus annis. Credit. Item ponit, quod habuit stallum in choro et locum in capitulo. Credit. Item ponit, quod habuit ea, quorum communis usus erat in ecclesia. Credit, quod iure canonic. Item ponit, quod idem dominus Petrus, tercio decimo Kalendas Marcii, sub anno Domini M° ccc° xl^mo primo, 1341. 17. Febr.
fuit viam universe carnis ingressus. Credit. Item ponit, quod XI kalendas mensis eiusdem corpus suum traditum fuit ecclesiastice 1341. 19. Febr.
sepulture. Credit. Item ponit, quod in ipsa Posoniensi ecclesia sepultus est. Credit. Item ponit, quod ipso sepulto, ut predicitur, mox omnes de capitulo, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt interesse, convenerunt in unum locum in ipsa ecclesia, ad quem soliti sunt capitulariter convenire. Multiplex est et credit. Item ponit, quod statim fuit presentata collacio domini prepositi supradicti, canonicatus et prebende, sic de iure et de facto vacantis, facta magistro Nicolao de Zala, informatori et magistro ipsius. Non credit. Item ponit, quod per dominum Thomam, vicarium ipsius prepositi, eis dicta fuit collacio presentata. Non credit, quod illo die. Item ponit, quod ille speciale mandatum habuit, hoc faciendi, a domino preposito supradicto. Exhibe. Item ponit, quod idem vicarius, nomine domini prepositi peciit consensum capituli Posoniensis, super collacione facta magistro Nicolao supradicto. Exhibe. Item ponit, quod prehabita deliberacione matura diligenti, omnes de capitulo, excepto solo Iwanca, dicte collacioni suum unanimem prebuerunt consensum. Non credit. Item ponit,

quod prebenda vacans per mortem domini Petri predicti, eidem magistro N
lao, pleno iure per capitulum extitit assignata. Declara. Item ponit, quod
lum in choro et locus in capitulo, per capitulum eidem magistro Nicolao
terit assignata. Credit quod de facto, et non de iure, nec die premisso.
ponit, quod ea quorum communis erat usus in ecclesia ei[dem] similiter
capitulum fuerunt assignata. Dependet. Item ponit, quod proventus et red
ipsius prebende ipsi magistro Nicolao, sicuti vero canonico ipsius ecclesie
runt assignati. Dependet. Item ponit, quod receptus fuit et admissus per
tulum ad plenam possessionem canonicatus et prebende supradicte. Depe
Item ponit, quod super hijs omnibus, date sunt sibi littere domini preposi
capituli memorati. Exhibe. Item ponit, quod hec est consuetudo ecclesie P
niensis, diucius observata, quod receptis in canonicos et confratres in sig
sue recepcionis, dantur littere prepositi et capituli, sigillis ipsorum sigil
Exhibe. Item ponit, quod ab illa hora incipiens semper fuit in possessione p
canonicatus et prebende supradicte. Credit quod de facto, et non de iure.
ponit, quod adhuc hodie est in possessione ipsorum. Dependet. Item ponit,
Nicolaus Johannis nunquam fuit receptus per capitulum in canonicum seu
fratrem ecclesie memorate. Posuit contrarium. Item ponit, quod quociescun
tractabatur de ipsius recepcione in canonicum et confratrem, omnes de
tulo unanimiter contradixerunt, excepto Iwanca supradicto. Non credit.
ponit, quod quocienscunque tractabatur, ut assignaretur sibi stallum in cho
locus in capitulo, omnes de capitulo contradixerunt, ut supra. Dependet,
credit. Item ponit, quod quocienscunque tractabatur, ut assignarentur sibi
quorum communis erat usus in ecclesia, omnes de capitulo contradixeru
supra. Dependet, nec credit. Item ponit, quod quocienscunque tractabatu
assignaretur sibi prebenda vacans per mortem domini Petri supradicti, o
de capitulo contradixerunt, ut supra. Non credit. Item ponit, quod de prem
est publica vox et fama. Credit de confessis, de negatis non credit. Pre
ponit et exhibet procurator supradictus, nomine procuratorio quo supra,
iure, via, modo et forma, quibus melius et efficacius poterit, salvo iure add
minuendi, corrigendi, mutandi etc. Protestans, quod non astringit se ad pro
dum superflua, sed ea tantum que sufficiunt ad intencionem suam fundan
et que ex predictis negata fuerint, loco articulorum vult habere; et petit sib
predicta per partem adversam respondi.

Demum actor supradictus, se ad probandum admitti postulavit. Unde d
nus iudex, utrique parti ad probandum pro prima dilacione, feriam
secundam post diem beate Lucie virginis, videlicet XVII. diem mensis 17.
Decembris, pro termino assignavit. Adveniente termino prenotato, et
actore per se ac procuratore reorum coram domino iudice, pro tribunali sed
comparentibus; procurator reorum, quasdam litteras seu instrumenta exhibu
produxit, quarum, seu quorum tenores protenduntur per omnia, in hec ve

Frater Gentilis, miseracione Divina tituli sancti Martini in Montibus p
biter Cardinalis, apostolice sedis legatus, dilecto in Christo filio Johann
Milisin, canonico ecclesie sancti Salvatoris Posoniensis, Strigoniensis dyoc
salutem in Domino. Sanctissimus pater et dominus noster dominus *Clem*
divina providencia papa quintus, in regno Vngarie, Polonie, Dalmacie, Cro
Rame, Seruie, Lodomerie, Gallacie (sic!), Cumanieque partibus, dicto r

conterminis, nobis plene commisso legacionis officio, concessit nobis de speciali gracia inter alia, ut possimus aliis existere graciosi, litteras apostolicas sub hac forma:

Clemens, episcopus servus servorum Dei, dilecto fratri Gentili tituli sancti Martini in Montibus presbitero Cardinali, apostolice sedis legato, salutem et apostolicam benediccionem. Cum te ad Vngarie, Polonie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Lodomerie, Galacie, Cumanieque partes, tibi commisso inibi plene legacionis officio, pro urgentibus et arduis negociis destinemus, nos volentes tuam honorare personam et per honorem tibi exhibitum, aliis graciam impertiri, providendi auctoritate nostra per te vel per alium, seu alios centum personis ydoneis, sciencia, vita, moribus et etate, in ecclesiis tue legacionis cathedralibus et aliis de beneficiis ecclesiasticis, prebendis, personatibus et dignitatibus, cum cura vel sine cura, si vacaret ibidem, vel quam primum ad id obtulerit se facultas, et faciendi personas ipsas in ecclesiis, in quibus eis provisum extiterit, si collegiate fuerint in canonicos seu clericos recipi et in fratres, necnon contradictores per censuram ecclesiasticam, appellacione postposita compescendi, non obstante statuto ecclesiarum ipsarum de certo canonicorum vel clericorum numero, iuramento, confirmacione sedis apostolice, seu qualicunque alia firmitate vallato, aut si direximus in eisdem ecclesiis pro aliis scripta nostra, quibus nullum volumus per hoc preiudicium generari, seu si est aliquibus ab eadem sede indultum, quod ad recepcionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et quod de beneficiis, prebendis, personatibus, vel dignitatibus ad eorum collacionem vel presentacionem spectantibus nulli valeant provideri, per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi plenam et expressam non fecerint mencionem, seu quelibet alia dicte sedis indulgencia, de qua cuiusquam (sic!) toto tenore, de verbo ad verbum oporteat in nostris plenam et expressam fieri litteris mencionem, et per quam effectus huius gracie impediri valeat, vel differri, aut si persone huius alias beneficiate existant, discrecioni tue liberam auctoritate presencium concedimus facultatem. Datum Pictauis, VI. Idus Augusti, pontificatus nostri anno secundo. 1307. 8. Aug.

Nos itaque attendentes laudabile de persona tua testimonium, innuens quod probitatis studia, cultumque virtutum, vigilanter prosequeris ac libenter, noster affectus quem ad benefaciendum bonis gerimus, instanter excitat et inducit ad tuum comodum libenti gratitudine promovendum; hinc est quod nos volentes tibi ob huiusmodi tuorum exigenciam meritorum, necnon consideracione dilecti in Christo filii *Hertlini, iudicis Posoniensis,* protonotario et familiari suo, nobis humiliter supplicantis, graciam facere specialem, canonicatum ecclesie sancti Salvatori Posoniensis, Strigoniensis dyocesis, cum plenitudine iuris canonici ac prebendam, nulli alii de iure debitam, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, auctoritate apostolica specialiter nobis in hac parte commissa, tibi conferimus et providemus de illis. Si vero nulla talis prebenda [nun]c vacat in ecclesia supradicta, nos prebendam proxime ibidem vacaturam, que de iure nulli alii debeatur, conferendam tibi cum vacaverit, donacionis nostre auctoritate prefata specialiter reservamus. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus a quoquam super hys quavis auctoritate contingerit attemptari. Non obstantibus omnibus supradictis, aut si presens non

fueris [ad prest]andum de observandis ipsius ecclesie statutis et consuetudinibus solitum iuramentum, dummodo in absencia tua per procuratorem *y*doneum [. . . . . .] ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter istud prestes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collacionis, provisionis, reservacionis et constitucionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit indignacionem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum *Posonii*, VII. idus Aprilis, pontificatus domini Clementis pape quinti, anno sexto. 1311. 7. Apr. Item alia:

Frater *Gentilis*, miseracione divina tituli sancti Martini in Montibus presbiter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilectis in Christo filiis preposito ecclesie Sancti Geory (sic!) *de Strigonio* et magistro Albertino de Parma, archidiacono de Dobicha, in ecclesia Zagrabiensi, et Johanni de Arecio, canonico Waradiensi, salutem in Domino. Sanctissimus in Christo pater etc. ut supra in prima. Nos itaque, attendentes laudabile de persona dilecti in Christo filii Johannis de *Milisin*, canonici ecclesie sancti Salvatoris Posoniensis, Strigoniensis dyocesis, testimonium innuens, quod probitatis studia, cultumque virtutum vigilanter prosequitur ac libenter, noster affectus, quem ad benefaciendum bonis gerimus, instanter excitat et inducit ad suum comodum libenti gratitudine promovendum; hinc est, quod nos volentes eidem Johanni, ob huiusmodi suorum exigenciam meritorum, necnon consideracione dilecti in Christo filii Hertlini, iudicis Posoniensis, pro ipso notario et familiari suo nobis humiliter supplicantis, graciam facere specialem, canonicatum ecclesie sancti Salvatoris Posoniensis, Strigoniensis dyocesis, cum plenitudine iuris canonici ac prebendam, nulli alii de iure debitam, si qua in eadem ecclesia tunc vacabat, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, auctoritate apostolica specialiter nobis in hac parte commissa, sibi contulimus et providimus de illis. Si vero nulla talis prebenda tunc vacabat in ecclesia supradicta, nos prebendam proxime inibi vacaturam, que de iure nulli alii deberetur, conferendam sibi cum vacaverit donacioni nostre, auctoritate prefata, specialiter duximus reservandam. Decernentes extunc irritum et inane, si secus a quoquam super h*y*s, quavis auctoritate contingerit attemptari; non obstantibus omnibus supradictis; aut si dictus Johannes presens non fuerit ad prestandum de observandis ipsius ecclesie statutis et consuetudinibus solitum iuramentum; dummodo in absencia sua pro (sic!) procuratorem *y*doneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter illud prestet; quocirca discrecioni vestre auctoritate predicta, presencium tenore mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios prefatum Johannem, vel procuratorem suum eius nomine, in corporalem possessionem predicti canonicatus, necnon et prebende si tempore huiusmodi nostre collacionis in ecclesia predicta vacabat, auctoritate predicta, inducatis et defendatis inductum, facientes eum vel dictum procuratorem suum pro eo, in eadem ecclesia in canonicum recipi et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in capitulo assignatis; quod si huiusmodi prebenda predicto tempore, in prefata ecclesia non vacabat, vos prebendam, per nos taliter reservatam, si ab huius nostre reservacionis tempore in ecclesia ipsa vacavit, vel quam primum eam vacare contingerit, dicto Johanni vel procuratori suo eius nomine conferatis, ac eciam assignatis; ipsumque faciatis pacifica eiusdem prebende possessione gaudere, ac ei de ipsius prebende fructi-

bus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis, integre responderi; non obstantibus supradictis, contradictores auctoritate predicta, appellacione postposita, compescendo. Datum *Posonii,* VII. idus Aprilis, pontificatus domini Clementis pape quinti, anno sexto. Item alia: 1311. 7. Apr.

Johannes de Arecio, canonicus Waradiensis, executor ad infrascripta, una cum venerabilibus et discretis viris magistris P.[etro], preposito ecclesie sancti Georii (sic!) de Strigonio, et Albertino de Parma archidiacono de Dobicha, in ecclesia Zagrabiensi, a reverendo in Christo patre et domino fratre Gentile, Dei gracia tituli sancti Martini in Montibus presbitero cardinali, in regno Vngarie ac partibus illi conterminis apostolice sedis legato, specialiter deputatis, venerabilibus et discretis viris . . . . preposito et capitulo, singulisque canonicis ecclesie sancti Salvatoris Posoniensis, Strigoniensis dyoecesis, salutem et dicti domini legati mandatis, immo verius apostolicis firmiter obedire. Noveritis, quod discretus vir Johannes de Milisin, canonicus ecclesie sancti Salvatoris Posoniensis, Strigoniensis dyocesis, anno Domini M° ccc° xi°, indicciome IX., vicesima secunda die mẽnsis Maii, pontificatus domini Clementis pape quinti, anno sexto, in nostra presencia constitutus, quasdam litteras dicti domini legati, suo vero sigillo cum filo serico, que eidem Johanni dirigitur; et quasdam alias litteras ipsius legati, cum suo vero sigillo et filo canapis integro sigillatas, non abolitas, non abrasas, non suspectas, nec in aliqua sui parte corruptas, sed omni suspicione carentes, nobis et coexecutoribus nostris predictis directas, coram notario publico et testibus infrascriptis presentavit, petens a nobis instanter, ut ad execucionem gracie sibi facte, iuxta ipsius legati litterarum tenorem, procedere deberemus. Quas sicut decuit et tenemur recepimus reverenter; quibus litteris receptis, visis et diligenter inspectis, ipsas publice legi fecimus, per notarium memoratum, quarum tenores tales sunt: 1311. 22. Maii.

Frater *Gentilis,* miseracione divina tituli sancti Martini in Montibus presbiter cardinalis, apostolice sedis legatus, dilecto in Christo filio Johanni de Milisin etc. ut prima. Item:

Frater *Gentilis* etc., dilectis in Chṛisto filiis . . . preposito ecclesie sancti Georii (sic!) de Strigonio, et magistro Albertino de Parma, archidyaconi de Dobicha in ecclesia Zagrabiensi, et Johanni de Arecio canonico Waradiensi ecclesiarum etc., ut supra in secunda per totum.

Nos igitur executor prefatus, tamquam obediens filius, volentes mandatum dicti domini legati predictum exequi, ut tenemur, humiliter et devote, vos dominum . . . prepositum et capitulum, ac singulos canonicos ecclesie Posoniensis predicte requirimus et monemus primo, secundo et tercio peremptorie, communiter et divisim, vobis nichilominus et cuilibet vestrum auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, in virtute sancte obediencie districte precipiendo mandantes, quatenus prefatum Johannem, vel procuratorem suum eius nomine et pro ipso, iuxta prefati domini legati litterarum tenorem, prout ad vos et quemlibet vestrum communiter vel divisim pertinet, infra sex dies a publicacione, vel denunciacione presencium vobis factam, immediate sequentes, quorum duos pro primo edicto, duos pro secundo, et reliquos duos vobis et universis et singulis pro tercio et peremptorio termino assignamus, cum plenitudine iuris canonici recipiatis in vestrum et ecclesie vestre canonicum atque fratrem, eique vel procuratori suo eius nomine, stallum in choro et locum in capitulo,

sicut canonico eiusdem ecclesie vestre Posoniensis assignetis, et in corporalem possessionem canonicatus et prebende huius et pertinenciarum ipsorum, nulli alii de iure debitorum, si qua tempore provisionis sibi facte per dictum dominum legatum ibi vacabat, eundem Johannem vel procuratorem suum eius nomine, sine difficultate qualibet ponatis et inducatis, ac defendatis inductum, admittendo ipsum, vel procuratorem suum eius nomine, libere ad predicta, et faciendo eidem, vel procuratori suo eius nomine, de ipsorum canonicatus et prebende vacantis, tempore provisionis huius, et nulli alii de iure debite fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus universis, plene et integre responderi. Et si tempore provisionis dicti domini legati, prebenda huiusmodi inibi non vacabat, sed vacavit postea, vel nunc vacet, nos eandem prebendam nulli alii de iure debitam, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, eidem Johanni, dicti legati, immo apostolica auctoritate conferimus, et de illis ordinamus, ac eciam providemus, ac ipsum de eadem per nostrum birretum presencialiter investimus. Monentes vos et singulos vestrorum primo, secundo et tercio, ut supradictum est, quatenus prenotato Johanni, vel procuratori suo eius nomine, et pro ipso plene et integre, sine qualibet difficultate, de ipsorum canonicatus et prebende fructibus ac iuribus universis, respondere curetis et responderi ab aliis, quantum ad vos et singulos vestrum pertinet, integre faciatis. Si vero, in predicta ecclesia vestra, ad presens huiusmodi prebenda non vacat, nos prebendam proxime vacaturam ibidem, nulli alii de iure debitam, predicto Johanni dum vacaverit conferendam, collacioni nostre, vel collegarum nostrorum, seu eius vel eorum, cui vel quibus super hoc committimus vel commiserimus vices nostras, libere reservamus. Decernentes ex nunc, licet ipse legatus decreverit, irritum et inane, si secus super hys a quoquam, quavis auctoritate de predicta prebenda, in vestra ecclesia taliter reservata per nos, quomodolibet fuerit attemptatum vel in futurum contingerit attemptari. Denunciantes, inhibentes, ac eciam interdicentes, vobis et vestrum singulis, ne prebendam huius, per dictum dominum legatum et per nos, ut premittitur, taliter collatam vel eciam reservatam, seu aliquod ius pertinens ad eandem, alicui conferre vel assignare curetis, aut permittatis, quantum in vobis est, assignari per alium aut conferri. Si vero vos, domine preposite, capitulum, seu canonici aliqui, eundem Johannem, ut premittitur, libere non admiseritis ad premissa, vel impedimentum prestiteritis per vos, vel per alium seu alios in premissis, vel aliquo premissorum, publice vel occulte, in vos et vestrum singulos, et in omnes alios quoscunque contradictores et rebelles, qui collacioni, provisioni, reservacioni et inhibicioni huius, ac aliis supradictis se quoquomodo opponent, vel impedimentum prestabunt, quominus dicta provisio aut inhibicio suum expedite sorciantur effectum vel ipsum libere non perciperet in canonicum et in fratrem, necnon in dantem seu dantes, et recipientem seu recipientes, prebendam huius vel dari, seu per alium recipi procurantes, ac recepcionem huius maliciose different, vel recepcioni ipsius impedimentum prestabunt, publice vel occulte, aut impedientibus ipsum scienter dederint auxilium, consilium, seu favorem; vel qui plene nostris in hac parte, immo verius apostolicis non parebunt mandatis, vel circa ea, vel aliquod premissorum contradictores et rebelles existerent, cuiuscunque fuerint preeminencie, auctoritatis, ordinis, condicionis, aut status, in hys monicione canonica premissa, singulariter in singulos, ex nunc excommunica-

cionis, in capitulum vero et ecclesiam vestram Posoniensem sepedictam interdicti sentencias promulgamus, absolucione omnium et singulorum, qui prefatas nostras sentencias, vel earum aliquam incurrerint, nobis vel superiori nostro tantummodo reservata. Ceterum, cum ad execucionem huius plenarie faciendam, non possemus semper personaliter interesse, venerabilibus et discretis viris domino *Liephardo* presbitero, magistro *Tybaldo*, Johanni filio quondam *Lowicz*, canonicis dicte ecclesie Posoniensis, quibus et eorum cuilibet in solidum, super execucione dicti mandati domini legati et nostri committimus plenarie vices nostras, donec eas ad nos duxerimus revocandas, sub pena excommunicacionis quam in ipsos, canonica monicione premissa, ferimus in hys scriptis, et ipsos ac eorum quemlibet incurrere volumus ipso facto, si mandatum nostrum, immo pocius apostolicum et dicti domini legati, neglexerint adimplere. Et in virtute sancte obediencie, tenore presencium districte precipimus et mandamus, quatenus ipsi vel eorum alter, qui a dicto Johanne seu procuratore suo fuerit requisitus, ad vos et dictam vestram ecclesiam Posoniensem personaliter accedant ita, quod ad exequendum huius mandatum alter alterum non expectet, et presentem nostrum processum et litteras supradicti domini legati, denuncient et publicari procurent, ac dicto Johanni, vel eius procuratori, prebendam dicte ecclesie cum vacaverit, auctoritate nostra, immo pocius domini legati et apostolica, conferant et in ipsius possessionem inducant et defendant inductum, loco nostri, stallum in choro et locum in capitulo assignando. Mandatum nostrum, immo verius dicti domini legati et apostolicum, super aliis exequendo, iuxta ipsius legati litterarum traditam nobis formam. Ita tamen, quod dicti subdelegati nostri, nichil in dicti Johannis preiudicium innovare valeant vel mutare, in processibus per nos factis et sentenciis per nos latis. In ceteris autem, que dicto Johanni nocere possent, eis vel eorum cuilibet, potestatem omnimodam denegamus. Volumus autem, quod per alterum eorum ceptum fuerit, per alium seu alios valeat terminari. In summa autem hoc est nostre voluntatis studium, ut secundum mandatum dicti domini legati, idem Johannes prebendam ecclesie vestre Posoniensis, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis, libere si ad presens vacat, vel cum vacaverit assequatur. Volumus autem vobis fieri copiam de predictis, si eam pecieritis et habere volueritis, vestris tamen sumptibus et expensis. Ita, quod facta vobis copia, omnia et singula instrumenta et litteras huius negocium tangencia omnino illesa, prout idem Johannes vel eius procurator assignaverit, sine difficultate qualibet, reddatis eidem vel procuratori suo; quia penes ipsos, vel eorum alterum, volumus remanere. Quod si secus feceritis, ex tunc vos et vestrum quemlibet, in hys scriptis, excommunicacionis vinculo, canonica monicione premissa, innodamus. Notificamus insuper, tenore presencium omnibus, quos negocium tangit huius, vel posset tangere in futurum, quod nostre intencionis aliquatenus non existit, quod per hunc nostrum processum aliquid nostris coexecutoribus, in totum vel in partem preiudicium generetur, quando ipsi vel eorum alter, per se vel per alium seu alios, huius nostro processu servato, mandatum dicti domini legati plene valeant exequi in premissis, iuxta directam ab ipso domino legato seu traditam eis formam, secundum quod eis vel alteri eorum videbitur expedire. In quorum omnium testimonium, presentes litteras, seu presentem processum, per *Johannem Anglicum, Exoniensis dyocesis*, publicum auctoritate apostolica notarium infrascriptum, scribi et publicari man-

davimus et sigilli nostri appensione muniri. Datum *Posonii*, et lecta in ecclesia sancti Salvatoris supradicta, anno, indiccione, mense et die prelibatis, presentibus discretis *Petro* capellano *Hertlini* iudicis, *Petro* Missiniensi rectore scolarum, *Nicolao,* filio Petri sartoris de Posonio, et quam pluribus aliis testibus, ad hoc vocatis specialiter et rogatis. Item alia: 1311. 22. Maii.

Nos magister *Nicolaus,* prepositus ecclesie Posoniensis, et administrator archidiaconatus Nitriensis, memorie commendantes significamus universis quibus expedit, presencium per tenorem, quod nos attendentes laudabile de persona discreti viri, magistri *Pauli* testimonium innuens, quod probitatis studia, cultumque virtutum vigilanter prosequitur, quodque fidei constancia et fidelium obsequiorum promptitudine, in nostris et ecclesie nostre negociis promovendis fidelior, prestancior et utilior pre ceteris claruit indefesse, ad suum comodum libenti gratitudine promovendum propensius excitamur. Volentes eidem magistro Paulo, ob huiusmodi suorum exigenciam meritorum, graciam facere specialem, canonicatum et prebendam, per privacionem et denunciacionem *Diclini* clerici, nobis tam de iure, quam de facto vacantem, de communi consensu et unanimi consilio ac bona voluntate fratrum et sociorum nostrorum capituli Posoniensis, donavimus et contulimus; ipsum in corporalem possessionem predicti canonicatus, necnon et prebende induximus et inductum defendere volumus et promittimus; stallum in choro, et locum in capitulo eidem inposicione birreti nostri liberaliter assignantes, ipsumque volentes pacifica eiusdem prebende possessione gaudere, ac ei de ipsis prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus integre respondere. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, presentes litteras sibi contulimus, sigillorum nostri ac dictorum fratrum et sociorum nostrorum capituli munimine roboratas. Datum et actum *Posonii,* XI° kalendas Septembris, anno Domini M° ccc° xxvi^mo^. 1326. 22. Aug.

— Item alia:

Michahel, Dei et apostolica gracia prepositus ecclesie Posoniensis, omnibus Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem in eo, qui eternam cunctis salutem elargitur. Ordo racionis expostulat et vigor exigit equitatis, ut ecclesiastica beneficia talibus conferantur personis, de quarum provida sagacitate sancta mater ecclesia optatum consequatur effectum, et caritatis earumdem conservacione animi gaudeant sociorum. Ad universorum igitur noticiam harum serie volumus pervenire, quod nos considerantes studia, laudabilis vite, et prerogativa meritorum discreti viri, domini *Thome,* fidelis capellani nostri, quibus Deo et nobis multipliciter meruit complacere, attendentesque ipsum ad universa ecclesie negocia et quelibet onera supportanda fore habilem, utilem et honestum, cupientes ipsum ecclesiastico beneficio decorare, canoniam per mortem domini *Liephardi,* bone memorie, de iure et de facto vacantem in eadem ecclesia nostra, de fratrum nostrorum, scilicet eiusdem Posoniensis ecclesie nostre capitulum, voluntate et consensu, predicto domino Thome duximus conferendam; *investientes ipsum* de eadem canonia et prebenda canonicali, *per nostrarum manuum imposicionem;* introducentes eundem, eiusdem canonie seu prebende in plenam possessionem, dantesque ei vocem in capitulo et stallum in choro, iuxta sacrorum canonum sancciones. In cuius provisionis et collacionis testimonium, presentes litteras eidem domino Thome, nostri scilicet prepositi et ipsorum nostrorum fratrum videlicet capituli sigillorum munimine roboratas, voluntate consona

duximus concedendas. Datum *Posonii,* in die festo beati Mathie apostoli, anno Domini M ccc xxxv°; dominis canonicis Johanne Longo, Petro Ruffo, magistro Tyboldo, Nicolao notario, magistro Paulo Perherlino, plebano sancti Laurencii, et magistro Iwanca et aliis Deo in ipsa ecclesia devotissime famulantibus. — Item alia: 1335. 24. Febr.

Nos *Michael,* prepositus ecclesie Posoniensis, significamus quibus expedit tenore presencium universis, quod nos instanciis, precum *s*wavium magnifici viri *Thome woiwode* Transsiluani, domini et genitoris nostri karissimi, nobis vice altera porrectarum, ipsis benivole annuendo permolliti, attendentesque merita virtuosa, vitam laudabilem, scienciam congruentem et conversacionem perhonestam, discreti viri et honesti domini *Petri* presbiteri Posoniensis, nostre ecclesie custodis, sperantes eciam per ipsius servicia studiosa in cultu divino decorem et honorem nostri chori devocius adaugeri, canonicatum seu prebendam canonicalem, per mortem domini *Leupoldi,* plebani sancti Laurencii, nobis tam de iure quam de facto vacantem, de communi consensu et unanimi consilio, ac bona voluntate fratrum et sociorum nostrorum capituli Posoniensis, donavimus et contulimus, et per Thomam, eiusdem ecclesie nostre concanonicum, vicarium nostrum pro nunc generalem, et magistrum Tyboldum, similiter ecclesie nostre canonicum, in corporalem possessionem et percepcionem usuum ipsius canonie, seu prebende canonicalis, ipsum induci mandavimus; volentes eundem pacifica eiusdem prebende possessione gaudere, ac ei de ipsius prebende fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obvencionibus, integre responderi. Scimus enim in ipsius recepcione, provisum ecclesie amplius, quam persone. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, presentes litteras sibi contulimus, sigillorum nostri videlicet ac dominorum fratrum nostrorum capituli munimine roboratas. Datum feria tercia in octava Assumpcionis gloriose Virginis Marie, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ quinto. Item alia: 1335. 22. Aug.

Nos magister *Michael,* prepositus ecclesie Posoniensis, significamus quibus expedit tenore presencium universis, quod nos intuentes servicia meritoria, et virtutum merita clariora discreti iuvenis, magistri *Michahelis,* filii *Synke* de *Simigio,* quibus idem nobis multipliciter voluit et meruit bene digne complacere, sperantesque per ipsius bonam industriam et discretam sollerciam, ipsam nostram ecclesiam utilitatem, comodum posse consequi et honorem, una cum fratribus nostris eiusdem ecclesie canonicis deliberacione matura prehibita (sic!), de consilio eciam ac consensu eorumdem, canoniam et prebendam canonicalem, nunc in ipsa ecclesia nostra per mortem magistri *Johannis,* quondam informatoris nostri bone memorie, de iure vacantem et de facto, plena prepositali potestate qua potimur, ipsi magistro Michaeli, filio Synke, ex nunc damus et conferimus pleno sui iure, ipsum in plenam eiusdem canonie seu prebende canonicalis possessionem, per dominos Johannem Longum et Petrum Ruffum canonicos, executores eiusdem, induci et inductum ad percipiendum quoslibet proventus et obvenciones canonicatus universos eiusdem, defendentes et defendi facientes; eidem stallum in choro et vocem in capitulo assignantes. Credimus enim nos in eiusdem magistri Michaelis, persona, plus ecclesie quam persone, in hac parte providisse. In cuius collacionis testimonium, presentes nostri appensione sigilli consignantes eidem duximus concedendas. Et nos, eiusdem Posoniensis ecclesie capitulum, ad hoc pro nostri favoris, seu consensus adhibicionis intersigno,

nostrum sigillum, una cum magistri Michaelis prepositi domini et prelati nostri sigillo, hys duximus appendendum. Datum *Posonii,* in die beati Johannis Baptiste, anno Domini M° ccc° xxxix°. Item alia: 1339. 24. Jun.

Nos magister *Michahel,* prepositus ecclesie Posoniensis, significamus quibus expedit tenore presencium universis, quod nos intuentes servicia meritoria, et virtutum merita clariora discreti viri, magistri *Nicolai,* Albensis ecclesie canonici, informatoris nostri seu magistri predilecti, quibus nobis idem in nostro studio et erudicione studiosa, voluit et meruit benedigne complacere, sperantesque quod per eius bonam industriam et discretam sollerciam, ipsam nostram ecclesiam utilitatem comodum posse consequi et honorem, una cum fratribus nostris, eiusdem ecclesie nostre canonicis deliberacione matura prehabita, de consilio eciam ac consensu eorumdem, canoniam et prebendam canonicalem, nunc in ipsa ecclesia Posoniensi, per mortem domini *Petri Ruffi,* beate memorie, de iure vacantem et de facto, plena prepositali potestate, qua potimur, ipsi magistro Nicolao, magistro nostro, ex nunc damus et conferimus pleno sui iure, in plenam eiusdem canonie seu prebende canonicalis possessionem, per nostrum vicarium dominum videlicet Thomam induci, et inductum ad percipiendum quoslibet proventus et obvenciones universas canonicatus eiusdem, defendentes et defendi facientes; eidemque stallum in choro et vocem in capitulo assignantes. Credimus enim nos, in eiusdem magistri Nicolai, magistri nostri persona, plus ecclesie quam persone in hac parte providisse. In cuius collacionis testimonium, presentes nostri appressione sigilli consignatas duximus concedendas. Et nos, eiusdem ecclesie Posoniensis capitulum, ad hoc pro nostri favoris seu consensus adhibicionis intersigno, nostrum sigillum, una cum magistri Michahelis prepositi domini et prelati nostri sigillo, hys duximus appendendum. Datum feria secunda in die Carnisprivii, scilicet proxima post dominicam Esto michi, anno Domini M° ccc° xl primo. Item alia: 1341. 19. Febr.

Magister *Michael,* prepositus ecclesie Posoniensis, dilecto sibi domino *Thome,* eiusdem Posoniensis ecclesie canonico, in spiritualibus et temporalibus suo vicario generali, dileccionem et dileccionis et promocionis favorabilem operam, cum salute. Quia per inportunitatem petencium devicti, per quam sepius non concedenda conceduntur, presertim cum simus in annis minoribus constituti, quasdam provisiones de vacaturis canonicatibus et prebendis ecclesie nostre supradicte, contra canonum instituta attemptavimus, consensu tamen et voluntate fratrum nostrorum, seu sociorum capituli ecclesie memorate, ad hoc non adhibito; sine quorum consensu, vel voluntate, sicut ex nunc cercius edocemur, provisiones huiusmodi nequivimus, neque voluimus attemptare. Immo eas universas, si que per nos hactenus attemptate fuerint, revocamus, cassamus et penitus irritamus. Dileccioni tue firmius dantes in mandatis, quatenus de canonicatu et prebanda, quamprimum ipsa in ecclesia nostra Posoniensi predicta vacare contingerit, consensu tamen fratrum nostrorum de capitulo, ad hoc diligencius vice nostra requisito et eciam obtento, nichilominus ac impetrato, magistro *Nicolao* de *Zala,* informatori nostro et doctori dilecto, auctoritate nostra, una cum predictis fratribus nostris de capitulo, studeas liberaliter providere, stallum in choro et locum in capitulo, cum plenitudine iuris canonici, et integritate prebende eidem vel procuratori ipsius, non obstante contradiccione cuiusquam, integraliter assignando. Datum in *Wissegrad,* in crastino Epiphanie Domini, anno eiusdem Domini M° ccc° xl primo. 1341. 7. Jan.

Quibus litteris exhibitis et productis, dominus iudex eundem terminum, ex causis legittimis, usque ad horam vesperarum eiusdem diei, de consensu parcium prorogavit. Qua hora vesperarum adveniente, et partibus predictis coram domino iudice, in figura iudicii constitutis, necnon ex parte actoris quibusdam testibus, videlicet discretis viris dominis *Nicolao,* notario capituli Posoniensis, *Thoma,* capellano domini archiepiscopi Strigoniensis, *Iwanca, Michahele* canonicis ecclesie Posoniensis, *Engelschalco* capellano canonicorum ibidem, *Johanne* scolare custodis et Fabiano; ex parte vero reorum honorabilibus viris dominis *Thoma,* vicepreposito, *Petro* custode et *Johanne Longo,* canonicis dicte Posoniensis ecclesie, testibus nominatis et productis. Receptis eciam ab eisdem testibus, ab utraque parte productis, de veritate dicenda, ad sancta Dei ewangelia corporaliter iuramentis, dominus iudex eorumdem testium examinacionem, discretis viris dominis fratre *Philippo* procuratore, seu dispensatore monasterii Scotorum supradicti, et *Alberto* plebano in *Marchgrafen Newsidel,* Patauiensis dyocesis, et michi notario recommisit. Prefingens utrique parti terminum, pro omnibus dilacionibus ad probandum et ad producandum omnia, quibus uti voluerint, videlicet proximam diem iuridicam, post octavam Epiphanie Domini, proxima affuturam. Ubi eciam dicte partes, hinc inde protestabuntur, quod salvum esset utrobique ius dandi et opponendi in dicta testium et personas. 1342. 13. Jan.

Termino prelibato adveniente, ac actore et procuratore reorum coram domino iudice comparentibus, ex parte actoris exhibite fuerunt quedam littere sub hac forma:

In nomine Domini amen. Nos magister *Michahel,* Posoniensis ecclesie prepositus, significamus tenore presencium quibus expedit universis, quod considerantes virtutum studia, discreti iuvenis *Nicolai,* filii Johannis de *Symidio,* scolaris chori nostri Posoniensis, peticionesque venerabilis viri domini *Tatamerii prepositi* Albensis, aule regie vicecancellarii, amici nostri honorandi, ac magistri Iwance, predicte ecclesie nostre canonici, pro eodem porrectas attendentes, sperantes quoque, quod in persona ipsius Nicolai eidem ecclesie nostre in futurum poterit admodum deserviri, eum in canonicum ipsius ecclesie Posoniensis recepimus et in fratrem, promittentes presencium testimonio litterarum de prebenda canonicali, que ab hinc secundo loco in eadem vacaverit, eidem actualiter providere. Quocirca vobis discretis viris dominis Thome, vicario nostro, magistro Nicolao notario capituli, fratrum nostrorum, ac Iwance prenotato eiusdem ecclesie nostre canonicis, et vestrum cuilibet in solidum, per presentes, ac in virtute sancte obediencie, et sub pena excommunicacionis, quam in vos et vestrum quemlibet si secus feceritis, canonica amonicione premissa, ex nunc prout ex tunc proferimus in hys scriptis, disctricte precipientes mandamus, quatenus prebendam canonicalem ecclesie nostre secundo loco vacaturam, ut prediximus, sive nos tunc adesse contingat vel abesse, eidem Nicolao scolari, auctoritate nostra mediante, vobis presentibus concessa in hac parte, cum omni plenitudine sui iuris conferre debeatis, eumque iuxta modum consuetum investiatis de eadem, faciatisque de omnibus fructibus et redditibus ipsius prebende sibi plenarie responderi. Data in *Wissegrad,* in festo Agathe virginis et martiris, anno Domini M° ccc° xxxvm°. — Item alia: 1338. 5. Febr.

Venerabili in Christo patri et domino, domino *Chanadino,* Dei et apostolica gracia *archiepiscopo Strigoniensi,* comitique loci eiusdem perpetuo, domino et

amico suo, *Mesko,* per eandam *episcopus Wesprimiensis,* aule domine regine cancellarius, mutuam et sinceram in Domino karitatem. Vestre sanctitatis paternitas presencium serie agnoscat, quod cum nos litteris vestre paternitatis, honore debito per nos receptis, iuxta tenorem earumdem, discretis viris *Michaheli* de *Chorchaw, Barnabe* de *Gamas, Paulo* de *Symigio,* et Nicolao de *Vica,* ecclesiarum sacerdotibus, in Christo *y*doneis, de eo utrum Nicolaus, filius Johannis de *Gulia,* nostre dyocesis, de eadem villa *Gulia,* nobili et de legittimo thoro procreatus extitit, nec-ne; a nobilibus, ignobilibus et aliis condicionis et status hominibus ipsius provincie, palam et occulte a quibus decuisset et licuisset omnimodam veritatem sciri et inquiri, litteratorie precipiendo et scribendo mandassemus, et seriem ipsius inquisicionis, sub autentico sigillo religiosi conventus Symigiensis, seriatim nobis per eosdem rescribere commisissemus. Demum iidem domini ecclesiarum sacerdotes, nobis rescripserunt, sub predicto sigillo, in hunc modum: quod ipsi feria quarta proxima, ante festum beatissimi regis Stephani, ad prelibatam villam *Gulia* et ad alias villas circumquaque adiacentes accedentes, a nobilibus et ignobilibus et aliis communibus hominibus, palam et occulte diligentissime inquirendo et indagando, talem super premissis didicerunt veritatem: quod prelibatus Nicolaus clericus, director presencium, et sui progenitores nobiles ext[iterint] semper, ipsi titulo nobilitatis fuissent gratulati, et ipse de thoro legittimo procreatus et nulla rubigine illegitimi [thori procreacionis] innodatus extitisset; et in predicta possessione Gulia, more aliorum nobilium hominum, possessiones porcionarias [et alias] habuisset, et easdem nunc possideret. Datum *Wesprimii,* feria secunda ante festum Nativitatis Virginis gloriose. — Item alia: S. a. [1337.] 1. Sept.

Venerabili in Christo patri, domino *Chanadino archiepiscopo Strigoniensi,* locique eiusdem comiti perpetuo, domino eorum reverendo *frater Anshelmus,* divina miseracione *abbas Symigiensis,* et conventus loci eiusdem, oraciones in Domino assiduas, debitas et devotas. Noverit vestra paternitas, quod receptis litteris vestris, pro Nicolao clerico, filio Johannis de villa Gulia, quem canonici ecclesie Posoniensis non de legittimo thoro natum fuisse diffamaverunt, nobis destinatis ad sciendum et inquirendum veritatem super eo: utrum idem Nicolaus clericus, de legittimo thoro procreatus fuerit nec-ne; fratrem *Petrum* monachum, virum *y*doneum de conventu nostro duximus transmittendum. Demum idem ad nos reversus, sua consciencia mediante nobis recitavit: quod ipse sabbato proximo post festum Assumpcionis Virginis gloriose, accedendo in provinciam Symigiensem, a nobilibus et ignobilibus, a sacerdotibus et laicis, indagata et investigata veritate, predictum Nicolaum clericum, filium Johannis, de legittimo thoro procreatum et nobilem, ac possessionatum in ipsa villa Gulia esse et fuisse, diligentissime inquirendo scivisset. Datum, IIII. feria proxima post festum prenotatum, anno Domini M° ccc° xxxvii°. Item alia: 1337. 20. Aug.

Nos, conventus monasterii sancti Egidii de Symigio, damus pro memoria, quod Michael de *Krocho,* Barnabas de *Gamas,* Paulus de *Symigio,* et Nicolaus de *Vyga* sacerdotes, anno Dominice Incarnacionis M° ccc^mo^ xxxvii°, ad nostram accedentes presenciam, eorum consciencia mediante nobis dixerunt: quod ipsi ex mandato et precepto domini *Meskonis,* Dei et apostolice sedis gracia *episcopi Wesprimiensis,* in villa Gulia accessissent, et ibi a nobilibus et ignobilibus diligentissime inquirendo scivissent, quod Nicolaus clericus, per 1337.

discretum iuvenem magistrum Michaelem prepositum Posoniensem, ad prebendam canonicalem dicte ecclesie Posoniensis receptus, nobilis de eadem Gulia esset, et de legittimo thoro genitus seu procreatus, et nulla rubigine illegittimi thori procreacionis maculatus. Datum, in vigilia beati Bartholomei apostoli, anno superius annotato. 1337. 23. Aug.

Quibus exhibitis, et attestacionibus testium, de consensu parcium pro publicatis habitis, dominus iudex copias earumdem attestacionum, partibus hinc inde dari decrevit, prefingens ipsis partibus terminum, videlicet crastinum Conversionis beati Pauli apostoli proxime affuturum, ad dicendum et opponendum utrobique in dicta et personas testium; necnon ad informandum utrobique ipsum dominum iudicem et ad dandum in scriptis, loco excepcionum, sive replicacionum, omnes informaciones sive allegaciones, quas dare velint. Ex quibus dominus iudex, una cum suis assessoribus, sive aliis consiliariis ad hoc assumendis, habebit deliberare ad ferendum sentenciam; necnon in eodem termino ad concludendum in ipsa causa, vel ad dicendum causam racionabilem, quare concludi non debeat, vel non possit. Tenor autem attestacionum, supra nominatarum, protenditur per omnia in hec verba: 1342. 26. Jan.

Hec sunt attestaciones testium, a Nicolao Johannis, clerico Strigoniensis dyocesis actore, contra honorabiles viros, dominos Michaelem prepositum ecclesie Posoniensis et Nicolaum de Zala reos, pro prima dilacione productorum et examinatorum XIIII. kalendas Januarii, anno Domini M° ccc° xl primo. 1341. 19. Dec.

Primus testis, dominus *Nicolaus, notarius capituli* Posoniensis, sub iuramento prestito requisitus, quomodo sciat, quod non sit certus numerus canonicorum in ecclesia Posoniensi? Respondit: quod sit ibi certus numerus canonicorum, videlicet XIIII canonici, excluso preposito; et quod temporibus suis nunquam fuerint plures, et audiverit, quod ex antiqua consuetudine, nunquam fuerint plures. Item interrogatus, utrum aliquis canonicus sit receptus, nulla prebenda vacante, qui statim in sua creacione et recepcione adeptus sit plenam ipsius prebende possessionem, et assignata sit totalis porcio ipsius prebende, sicut ipsis canonicis fieri est consuetum? Respondit: quod nunquam temporibus suis aliquis talis sit taliter receptus. Item interrogatus super isto articulo, quomodo sciat, quod de consuetudine antiqua et approbata ad prepositum ecclesie sancti Salvatoris Posoniensis, qui pro tempore fuit vel est, racione prepositure pertinet recepcio canonicorum solum (expunct.: ad), et non cum consensu capituli? Respondit: quod recepcio canonicorum, ad prebendas vacantes vel vacaturas, prout ipse ab aliis suis concanonicis audiverit, nunquam pertinuit ad prepositum solum, nec adhuc pertineat ad eundem, sine consensu capituli Posoniensis. Item, utrum hoc aliquando sit factum sine consensu capituli? Respondit: quod temporibus suis nunquam, nec perceperit quod umquam fuerit factum sine consensu capituli. Item interrogatus, utrum prepositus volens providere alicui persone aliquo tempore requisiverit consensum capituli? Respondit: quod temporibus suis semper requisierit capituli (sic!) in persona propria, vel per litteras suas, aut per interpositam personam. Item interrogatus, utrum capitulum in recepcione canonicorum aliquando suum consensum adhibuerit? Respondit quod sic. Item interrogatus, utrum aliquibus receptis in canonicos, date sint littere prepositi et capituli, simul eorum sigillis sigillate? Respondit, quod prout

ipse recordatur, omnibus dantur littere, sigillis domini prepositi et capituli simul consignate. Item interrogatus utrum in eisdem litteris contineatur collatio prepositi, facta cum consensu capituli? Respondit, quod sic. Item queritur de articulo XII-mo, si qui fuerint sic recepti a prepositis, sine consensu capituli, ipsas prebendas et canonicatus possederint pacifice et quiete? Respondit, quod de nullo recordetur, qui fuerit sic receptus temporibus suis, et cui fuerit talis provisio facta sine consensu capituli, nisi de Nicolao Johannis, cui fuerit quedam promissio facta per dominum prepositum, quam eciam dominus prepositus revocavit. Item interrogatus, super isto articulo: de talibus unus est Johannes Alexandri, utrum idem fuerit promotus cum consensu capituli, vel non? Respondit, quod credat ipsum promotum cum consensu capituli. Item interrogatus circa istum articulum: quod est de legittimo matrimonio procreatus, et de nomine patris et matris, et utrum communiter a suis vicinis habitus sit pro tali? Respondit, quod de hys nichil constet sibi. Item circa istum articulum: Item, quod anno Domini etc., eciam circa festum beate Agathe, honorabilis vir dominus Michael, prepositus Posoniensis recepit, creavit et approbavit Nicolaum Johannis, in canonicum et confratrem ecclesie Posoniensis, utrum hoc fecerit cum consensu capituli? Respondit, quod non; et ergo revocaverit suam promissionem eidem factam, et alium cum consensu capituli recepit. Item interrogatus, utrum super hoc idem Nicolaus habeat litteras prepositi et capituli, ipsorum sigillis sigillatas? Respondit, quod tantum habeat litteras prepositi, super promissione facta de prebenda vacatura, que eciam revocata est per prepositum et per capitulum irritata. Item interrogatus, circa istum articulum: Item quod sue recepcioni in canonicum etc. utrum aliquis sue recepcioni contradixerit? Respondit, quod omnes contradixerint, excepto Iwanca. Item interrogatus, quando contradixerint. Respondit, quod anno Domini M° ccc° xli^mo, feria secunda post dominicam Esto michi, sepulto domino Petro. Item utrum de premissis sit publica vox et fama? Respondit, quod sic. Item a quibus eadem fama ortum habuerit? Respondit, quod ab omnibus canonicis ecclesie Posoniensis. Item apud quos? Respondit, quod apud canonicos ecclesie Posoniensis. Item in quo loco? Respondit, quod in *Posonio*. Item interrogatus si gracia, odio vel timore etc. sic deposuerit? Respondit, quod simpliciter pro veritate demonstranda. Item si doctus vel informatus sit facere taliter testimonium? Respondit, quod non. 1341. 19. Febr.

Secundus testis dominus *Thomas, capellanus domini archiepiscopi Strigoniensis,* sub iuramento prestito requisitus, super primo articulo de certo numero canonicorum etc. Respondit, quod inibi sit certus numerus canonicorum, videlicet XIIII canonici, excepto preposito, et quod nunquam audiverit, nec recordetur, quod ibidem fuerint plures. Item utrum aliquis canonicus sit receptus nulla prebenda vacante etc.? Respondit, quod nunquam recordetur temporibus suis taliter fore factum. Item, quod de consuetudine antiqua etc.? Respondit, quod nunquam temporibus suis pertinuit ad prepositum solum recepcio canonicorum, sine consensu capituli, nec eciam audiverit, quod umquam ad eum pertinuerit. Item utrum hoc aliquando sit factum sine consensu capituli? Respondit, quod nunquam, ut audiverit factum fuerit; nec eciam hodie fiat. Item, utrum prepositus volens providere alicui persone, aliquo tempore requisierit consensum capituli? Respondit, quod temporibus suis semper requisierit consensum capituli.

Item, utrum capitulum in recepcione canonicorum aliquando suum consensum adhibuerit? Respondit, quod sic. Item interrogatus utrum aliquibus receptis in canonicos date sint littere prepositi etc.? Respondit, quod sic. Interrogatus, utrum in eisdem litteris contineatur et etc. ut supra? Respondit, quod sic. Item queritur, de articulo XII-mo: si qui fuerint sic recepti a prepositis, sine consensu capituli etc.? Respondit, quod quamdiu ipse fuerit canonicus ecclesie Posoniensis, nunquam aliquis fuerit receptus in canonicum sine consensu capituli, et quod talis sic receptus non toleraretur ab omnibus canonicis, ut apparet in actore. Item, super isto articulo: de talibus unus est Johannes Alexandri etc.? Respondit, quod promotus fuerit cum consensu capituli. Item, super isto articulo quod est de legitimo matrimonio procreatus etc.? Respondit, quod de hoc nichil constet sibi. Item circa istum articulum, quod anno Domini etc. circa festum beate Agathe etc.? Respondit, quod non fecerit cum consensu capituli. Item, utrum super eo Nicolaus Johannis habuerit litteras prepositi et capituli etc.? Respondit, quod licet habuerit litteras prepositi, super promissione quadam facta de prebenda vacatura, tamen litteras capituli nunquam habuit, nec hodie habet. Item, interrogatus circa istum articulum: utrum sue recepcioni in canonicum etc. aliquis de capitulo contradixerit? Respondit, quod omnes unanimiter, excepto Iwanca. Item de aliis concordat cum primo teste.

Tercius testis dominus *Iwanca*, sub iuramento prestito requisitus, ad primum respondit: quod in ecclesia Posoniensi est certus numerus canonicorum scilicet XIIII. canonici, excepto preposito et temporibus suis nunquam fuerint plures, nec eciam debeant, nec possint esse plures ex antiqua consuetudine. Item interrogatus utrum aliquis sit receptus in canonicum nulla prebenda vacante etc. Respondit, quod multi; attamen non statim sunt adepti porcionem prebende, quousque prebenda vacavit. Item interrogatus, qui fuerint illi sic recepti? Respondit Thomas, vicepreppositus, Johannes Alexandri, Michahel, et Nicolaus actor, et quam plures alii. Item utrum tales habuerint stallum in choro et locum in capitulo ut canonicus? Respondit, quod sic. Item interrogatus, si hec sint facta cum consensu capituli, vel maioris partis eius an-non? Respondit, quod sine consensu capituli. Item interrogatus super isto articulo, quod de consuetudine antiqua etc., interrogatus quomodo sciat predicta pertinere ad prepositum solum et non cum consensu capituli? Respondit, quod episcopus Agriensis, olim ipsius ecclesie Posoniensis prepositus, recepit canonicos consensu capituli irrequisito, videlicet Sixtum, Nicolaum notarium capituli et Paulum et hodiernus prepositus eciam hactenus semper tenuerit, et adhuc hodie teneat eandem consuetudinem. Interrogatus quanto tempore observata sit ista consuetudo etc.? Respondit, quod semper. Item interrogatus, utrum hoc aliquando sit factum sine consensu capituli? Respondit, quod sic; et quod nunquam fuerit requisitus consensus capituli. Item, utrum prepositus volens providere alicui persone etc.? Respondit, quod prepositus possit facere et eciam pluries fecerit, sine consensu capituli. Item, utrum capitulum, in recepcione canonicorum, aliquando suum consensum adhibuerit? Respondit, quod sic. Item utrum aliquibus receptis in canonicos date sunt littere etc. Respondit, quod aliquibus date sunt littere, aliquibus vero non. Item, utrum in eisdem litteris contineatur consensus capituli? Respondit, quod nesciat. Item qui fuerint illi sic recepti sine consensu capituli? Respondit nomi-

nando personas supradictas. Item quo anno etc.? Respondit, quod non habeat in memoria, quo tempore tales sint recepti a prepositis in canonicos. Item, a quibus tollerati fuerint? Respondit, quod ab omnibus canonicis, et quod recepcioni actoris nullus contradixit, nisi Paulus et Johannes Longus. Item, super isto articulo, quod de talibus unus est Johannes Alexandri etc.? Respondit, quod promotus fuerit sine consensu capituli. Item super isto articulo, quod est de legittimo matrimonio procreatus etc.? Respondit, quod sit procreatus de legittimo matrimonio et quod pro tali communiter habeatur, nomen vero patris et matris ignorat. Item circa istum articulum, quod anno Domini etc. circa festum beate Agathe etc. utrum prepositus fecerit cum concensu capituli? Respondit, quod sine consensu capituli, quia nunquam factum sit cum consensu capituli. Item, si super hoc Nicolaus habeat litteras prepositi et capituli etc.? Respondit, quod tantum habeat litteras prepositi et non capituli, quia nec alii canonici habent litteras capituli. Item circa istum articulum, quod predicte sui recepcioni in canonicum etc. utrum aliquis de capitulo sue recepcioni contradixerit? Respondit, quod nullus, nisi Paulus et Johannes Longus. Item quando etc.? Respondit, quod in capite ieiunii, videlicet feria secunda proxima ante Carnisprivium, anno Domini quo supra. Item dixit, quod de premissis est publica vox et fama apud clericos et laicos in *Posonio*. Item, quod nec amore, commodo, nec doctus, nec informatus etc. sic deposuerit. 19. Febr.

Quartus testis dominus *Michahel*, canonicus Posoniensis, iuratus interrogatus: quomodo sibi constet, quod non sit certus numerus canonicorum in ecclesia Posoniensi? Respondit, quod sit ibi certus numerus canonicorum videlicet XIIII. canonici, preter prepositum, et quod audiverit, quod semper ex antiqua consuetudine, non fuerint plures; eciam quod temporibus suis, nunquam fuerint plures. Item interrogatus, utrum aliquis canonicus sit receptus nulla prebenda vacante etc.? Respondit, quod nunquam sic factum temporibus suis. Item interrogatus super isto articulo: Item quod de consuetudine antiqua etc. interrogatus quomodo sciat predicta pertinere ad prepositum solum, et non cum consensu capituli? Respondit, quod nunquam pertinuerit ad prepositum solum, sine consensu capituli, prout ab omnibus suis concanonicis audiverit; nec eciam hodie pertineat ad eundem. Item interrogatus, utrum hoc aliquando sit factum sine consensu capituli? Respondit, quod nunquam sit factum temporibus suis. Item interrogatus, utrum prepositus volens providere alicui persone, aliquo tempore requisierit consensum capituli? Respondit, quod semper temporibus suis, quibus ipse fuerit ibi canonicus. Item interrogatus, utrum capitulum in recepcione canonicorum aliquando suum consensum adhibuerit? Respondit, quod quamdiu ipse steterit in ecclesia Posoniensi semper capitulum adhibuerit suum consensum, nisi in recepcione actoris, que fuit facta sine consensu capituli, et ergo per ipsum prepositum revocata. Item interrogatus, utrum aliquibus receptis in canonicos date sint littere prepositi etc.? Respondit, quod credat, quod omnibus. Item interrogatus, utrum in eisdem litteris contineatur collacio prepositi, facta cum consensu capituli? Respondit, quod sic. Item interrogatus, super isto articulo, si qui fuerint recepti a prepositis sine consensu capituli etc.? Respondit, quod temporibus suis nunquam aliquis fuerit sic receptus, nisi actor, et ergo capitulum impediverit suam recepcionem. Item interrogatus, super isto

promotus fuerit cum consensu capituli. Item interrogatus circa istum articulum, quod est de legittimo matrimonio procreatus etc.? Respondit, quod nesciat. Item interrogatus circa istum articulum, quod anno Domini etc. circa festum beate Agathe etc.? Respondit, quod prepositus non fecerit cum consensu capituli. Item interrogatus si ipse Nicolaus habeat litteras prepositi etc.? Respondit, quod nesciat si habeat litteras prepositi, sed credat, quod non habeat litteras capituli. Item interrogatus, circa istum articulum, quod sue recepcioni in canonicum etc. utrum aliquis de capitulo contradixerit? Respondit, quod omnes unanimiter, excepto Iwanca, contradixerunt. Item interrogatus, quando contradixerunt? Respondit, quod anno Domini M° ccc° xl.i^mo^, feria secunda post Esto michi. Item interrogatus super aliis. Respondit concordando cum testibus primo et secundo.

Quintus testis *Johannes scolaris custodis,* sub iuramento prestito requisitus, quomodo sibi constet, quod non sit certus numerus canonicorum etc.? Respondit, quod quamdiu serviverit in Posonio, semper audiverit a canonicis, quod ibi esset certus numerus canonicorum videlicet XIIII. canonici, preter prepositum. Item interrogatus, utrum aliquis sit receptus in canonicum nulla prebenda vacante etc.? Respondit, quod dominus suus custos fuerit sic receptus, habendo locum in capitulo et stallum in choro, tamen nullam recepit prebende porcionem, antequam vacavit. Item interrogatus, super isto articulo, quòd de consuetudine antiqua etc. quomodo sciat ad prepositum solum pertinere etc.? Respondit, quod non constet sibi aliud, nisi in quantum audiverit a dominis suis canonicis, quod sine consensu capituli non pertineat ad prepositum. Item interrogatus, utrum aliquando factum sit sine consensu capituli? Respondit, quod nesciat. Item interrogatus, utrum prepositus volens providere alicui persone etc.? Respondit, se nescire. Item interrogatus, utrum aliquibus receptis in canonicos date sint littere etc.? Respondit, quod bene constet sibi quod dominus suus custos habeat litteras, sed non sit sibi notum si alii canonici habeant litteras. Item utrum in eisdem litteris contineantur etc, cum consensu capituli? Respondit, quod in litteris domini sui contineatur, et quod de aliis nesciat, ut supra. Item interrogatus, de articulo XII-mo, qui fuerint recepti a prepositis sine consensu capituli etc.? Respondit se nescire. Item interrogatus, super isto articulo, de talibus unus est Johannes Alexandri? Nescit. Item interrogatus circa istum articulum, quod est de legittimo martrimonio procreatus etc.? Respondit, quod nesciat, sed audiverit a quibusdam quod esset cognatus Iwance, a quibusdam vero, quod esset filius suus. Item circa istum articulum, quod anno Domini etc. circa festum beate Agathe etc.? Respondit, quod fecerit sine consensu capituli. Item interrogatus si Nicolaus habeat litteras prepositi etc.? Respondit, quod nesciat. Item interrogatus circa istum articulum: Item quod predicte sue recepcioni etc. utrum aliquis de capitulo contradixerit? Respondit, qud omnes canonici contradixerunt, excepto Iwanca. Item dicit, quod de premissis est publica vox et fama. Item, quod ista fama ortum habuerit a dominis canonicis Posoniensibus, aput clericos et laicos civitatis Posoniensis etc. ut alii testes.

Sextus testis dominus *Engelschalcus, capellanus canonicorum* ecclesie Posoniensis, sub iuramento prestito requisitus, super isto articulo, quomodo sciat quod non sit certus numerus canonicorum etc.? Respondit, quod sit certus numerus canonicorum in ecclesia Posoniensi videlicet XIIII canonici, preter prepositum; et fuerit servitor et capellanus canonicorum plus quam XX-ti annis, et

nunquam percepit ab aliquo nec eciam viderit, quod fuerint ibi plures. Item interrogatus, utrum aliquis canonicus sit receptus nulla prebenda vacante etc.? Respondit, quod nunquam temporibus illis, quibus ipse inibi steterit. Item interrogatus, super isto articulo: quomodo sciat, quod recepcio canonicorum de consuetudine antiqua etc. pertineat ad prepositum solum et non cum consensu capituli etc? Respondit, quod nunquam temporibus suis aliquis canonicus receptus sit sine consensu capituli, nec perceperit, quod umquam antea aliquis taliter sit receptus. Item interrogatus, utrum hoc aliquando factum sit sine consensu capituli? Respondit, quod nunquam, nisi in promissione quadam facta actori per prepositum, quam eciam idem prepositus, cum se errasse senserit, revocavit. Item interrogatus, utrum prepositus volens providere alicui persone aliquo tempore, requisierit consensum capituli? Respondit, quod sic. Item interrogatus, utrum capitulum in recepcione canonicorum aliquando suum consensum adhibuerit? Respondit, quod semper, nisi in recepcione actoris. Item interrogatus, utrum aliquibus receptis in canonicos date sint littere etc.? Respondit, quod sic. Item interrogatus utrum in eisdem litteris contineatur etc.? Respondit, quod sic. Item super isto articulo XII-mo, si qui fuerint sic recepti sine consensu capituli etc.? Respondit, quod nunquam aliquis fuerit temporibus suis sic receptus, sine consensu capituli. Item quod de talibus unus est Johannes Alexandri etc.? Respondit, quod nesciat, sed bene sciat ipsum habere litteras sigillatas sigillis prepositi et capituli. Item interrogatus super isto articulo: quod est de legittimo matrimonio procreatus etc.? Respondit, quod nesciat. Item circa istum articulum: quod anno Domini etc. circa festum beate Agathe etc. utrum hoc prepositus fecerit cum consensu capituli? Respondit, quod sine consensu capituli. Item interrogatus si Nicolaus habeat litteras prepositi et capituli etc.? Respondit, quod habeat litteras prepositi, quas idem prepositus revocavit; litteras vero capituli nunquam habuit. Item circa istum articulum: quod sue recepcioni etc. utrum aliquis de capitulo sue recepcioni in canonicum contradixerit? Respondit quod totum capitulum, excepto Iwanca. Item interrogatus quod anno etc.? Respondit, quod anno Domini M° ccc° XL^mo primo, sepulto domino Petro, feria secunda post Esto michi, et eciam postea semper unanimiter contradixerint. Item utrum de premissis sit publica etc. Respondit [si]c. Item a quibus [. . . .]. Respondit a toto capitulo etc. ut predicti testes primus, secundus, quartus et quintus.

Septimus testis *Fabianus* a [. . . . .] gatori [. . . . .] nescivit quitquam dicere, vel eciam respondere.

Infrascripte attestaciones sunt testium, ab hono[rabilibus viris] Michahele preposito Posoniensi, et Nicolao de Zala reorum, contra Nicolaum Johannis actorem, pro prima dilacione [adductorum] et examinatorum, XIII kalendas Januarii, anno Domini M° ccc° XLI^mo. 1341. 20. Dec.

Primus testis dominus *Thomas,* viceprepositus ecclesie Posoniensis, iuramento prestito, requisitus super illa posicione qua ponitur, quod est certus numerus canonicorum, si ne plures sint recepti in canonicos ibidem antequam vacaret prebenda? Respondit, quod nunquam temporibus suis. Item interrogatus circa illa, qua ponitur, quod predicta spectant ad prepositum, ita quod ea faciat cum consensu capituli. Interrogatus qualis sit iste consensus: utrum capitularis vel extracapitularis? Respondit, quod capitularis. Item interrogatus, si iste con-

sensus requiratur ante collacionem prepositi, vel post? Respondit ante collacionem prepositi. Item interrogatus, utrum communis consensus vel singularis requiratur? Respondit, quod communis. Item interrogatus, super illa ubi dicitur, quod aliter facta non valent: utrum ipso iure vel per sentenciam? Respondit, quod ipso iure. Item interrogatus si sciat aliquam provisionem prepositi ea de causa irritatam? Respondit, quod nullam recordetur factam sine consensu capituli, nisi illam in persona Nicolai, que sit facta sine consensu capituli, et ergo fuerit per capitulum irritata; nec eciam audivit, quod umquam in ecclesia Posoniensi fuerit talis provisio facta, unde eidem provisioni extitit a capitulo contradictum, propter consuetudinem ab antiquo observatam. Item interrogatus circa illa, ubi ponitur, quod sepulto domino Petro etc. et circa omnes alias subsequentes, utrum talia sint facta in persona Nicolai de Zala, provisione ipsius Nicolai Johannis primitus cassata vel[. . .] denunciata in iure? Respondit, quod primitus fuit cassata per capitulum, et eciam per prepositum revocata. Item circa illas quocienscumque credatur [. . . .] etc. si consensus capituli hoc casu redderit factum prepositi nullum ipso facto, vel annulandum. Respondit, quod ipso facto reddiditur (sic!) nullum. Item interrogatus si possit sine iusta causa dissentire? Respondit, quod sic. Item interrogatus qua de causa, vel quibus dissenserit provisioni Nicolai actoris? Respondit quod [iusta fuerit] causa, quia fuerit deprehensus pro quodam spolio, et quod ipse dominus Thomas viceprepositus liberavit eum ab huiusmodi captivitate. Item interrogatus [per quem mo . . .] a dissenserint? Respondit, per interposicionem appellacionis. Item interrogatus, qualiter? Respondit quod omnes unanimiter contradixerunt, excepto Iwanca. Item quando? Respondit, quod feria secunda post Esto michi, anno Domini M° ccc xli. Item si doctus vel informatus ferat huiusmodi testimonium? Respondit, quod non. Item interrogatus si sit familiaris aut domesticus producencium? Respondit, quod sit tantum vicarius domini prepositi. Item de odio, amore, timore et favore etc.? Respondit, quod nec odio etc., sed plus foveat capitulum propter iusticiam. Item dicit, quod de premissis est publica vox et fama in Posonio, apud clericos et laicos.

Secundus testis, dominus *Petrus custos* Posoniensis, iuratus interrogatus, si ne plures recepti sint in canonicos antequam vacaret prebenda? Respondit, quod licet facta fuerit aliquando quibusdam promisso de prebendis vacaturis, non tamen statim recepti sunt in canonicos, antequam vacarent prebende. Item interrogatus circa illa, quod predicta spectant ad prepositum etc., qualis sit iste consensus, utrum capitularis vel extracapitularis? Respondit, quod capitularis. Item interrogatus, utrum iste consensus requiratur ante collacionem prepositi, vel post? Respondit, quod requiritur ante collacionem prepositi consensus capituli, alioquin non valeret talis collacio, et si ad talem collacionem dominus prepositus potest habere omnes canonicos, tunc requirit consensum omnium, si vero non potest habere omnes, tunc requirit concensum partis melioris et sanioris. Item ad illa, quod aliter facta non valent, interrogatus utrum ipso iure, vel per sentenciam? Respondit, quod de iure et consuetudine approbata. Item interrogatus, si sciat aliquam provisionem prepositi ea de causa irritatam? Respondit, quod temporibus suis prepositus nunquam attemptaverit facere talem provisionem, nisi illam factam actori, et ideo extitit per capitulum irritata. Interrogatus circa illa, quod hoc observatum sit etc. interrogatus utrum hoc sciat, et si recordetur hoc umquam fuisse in iudicio contradictorio? Respondit, quod non recordetur

temporibus suis, et quod audiverit a senioribus capituli Posoniensis, quod antea nunquam fuit talis collacio facta, sine consensu capituli, et quod huiusmodi consuetudo semper fuerit observata. Item circa illa ubi ponitur, quod sepulto etc. et circa alias sequentes, si talia facta sint provisione actoris primitus cassata etc.? Respondit, quod non fuerit inibi presens cum talia fuerint facta, sed audiverit ab aliis canonicis, quod Michahel fuerit loco ipsius Nicolai de Zala missus in possessionem ipsius prebende corporalem. Item ad illam quocienscunque etc. interrogatus si consensus capituli etc.? Respondit, quod ipso facto redditur factum prepositi nullum. Item si possint sine iusta causa dissentire? Respondit, quod possint dissentire, vel non dissentire. Item qua de causa dissenserint provisioni actoris? Respondit, quia nesciebatur unde natus esset, vel cuius filius, et quod videbatur capitulo sua persona nimis exilis ad habendum talem prebendam. Item per que media? Respondit, quod non fuerit presens, ut supra, et ergo ignoret. Item qualiter et quando? Respondit quod nesciat qualiter, sed audiverit quod feria secunda ante Carnisprivium anno Domini videlicet ut supra. Item dicit, quod nec odio, timore, precio, nec favore, nec doctus etc. sic deposuerit, sed simpliciter propter veritatem ostendendam. Item dicit, quod de premissis est publica vox etc. ut primus testis.

Tercius testis, dominus *Johannes Longus*, iuratus interrogatus, super prima posicione, videlicet quod est certus numerus canonicorum etc. si ne plures recepti sunt ibidem in canonicos etc. ut supra. Respondit, quod nunquam. Item circa illa qua ponitur, quod predicta spectant ad prepositum etc. Interrogatus qualis sit iste consensus etc.? Respondit, quod capitularis. Item interrogatus, si requiratur iste consensus ante collacionem prepositi vel post? Respondit, quod ante. Item utrum requiratur communis vel singularis? Respondit, quod communis. Item ad illa quod aliter facta non valent, utrum ipso iure etc.? Respondit, quod ex antiqua consuetudie et approbata aliter facta non valuerunt. Item si sciat aliquam provisionem prepositi ea de causa irritatam? Respondit, quod temporibus suis, videlicet XL annis, nunquam facta fuerit talis provisio. Item circa illa, quod hoc observatum est etc.? Respondit, quod temporibus suis, quibus supra, semper observatum sit, ut prepositus provideat cum consensu capituli, alioquin capitulum semper contradixisset, ut patet in provisione facta actori. Item circa illam, quod sepulto etc. ut supra interrogatus si facta sint provisione Nicolai actoris primitus cassata etc.? Respondit, quod ipsemet prepositus cassaverit et revocaverit provisionem actoris, cum senserit quod non habuit consensum capituli. Item circa illas quocienscunque etc. interrogatus si consensus capituli etc.? Respondit, quod ipso facto reddiderit nullum. Item si possint sine iusta causa dissentire. Respondit, quod nunquam dissenserint sine iusta causa. Item qua de causa dissenserint provisioni actoris? Respodit, quia fuit facta sine consensu capituli. Item per que media? Respondit per appellacionem. Item qualiter et quando? Respondit per dissensum, videlicet feria secunda post Esto michi, anno Domini ut supra. Item nec odio etc. in quo concordat cum predictis.

Supradicto termino, videlicet crastino Conversionis beati Pauli apostoli adveniente, dominus iudex arduis prepeditus negociis, eidem termino non poterat interesse, ipsum usque in diem lune proxime subsequentem ex suo officio prorogavit. Quo termino adveniente, 1342. 26. Jan. 28. Jan.

ac partibus sepedictis, coram domino iudice, in figura iudicii comparentibus, Johannes actor sepefatus protestatus fuit, quod posicionibus videlicet de installacione et loci in capitulo assignacione non sit per testes sufficienter responsum, nec eciam per principalem. Unde peciit dominum Paulum procuratorem, per dominum iudicem compelli, eisdem posicionibus plene ac sufficienter responderi. Dominus vero iudex ipsum procuratorem iussit respondere super posicionibus antedictis. Qui ad primam respondit: Non credo. Ad secundam vero respondit: quod Iwanca acceptavit ipsum installare, sed capitulum non admisit, quia provisio actoris prius fuit per dominum prepositum revocata, et quod sine consensu capituli talis provisio fieri non poterat. Post hec dominus iudex, cum ipsis partibus, omnibus aliis excepcionibus et probacionibus renunciantibus, et in causa concludentibus conclusit, et habuit pro concluso: Prefigens terminum, videlicet quartam diem mensis Februarii, ad diffinitivam sentenciam proferendam. 1342. 4. Febr.

Adveniente termino antedicto, et actore ac procuratore sepedictis, coram domino iudice pro tribunali sedente comparentibus, et consilio super sentencia diffinitiva ferenda, per dominum iudicem nondum habito, ipse dominus iudex eundem terminum usque in diem lune, post dominicam Letare proximam prorogavit. Ubi eciam ipse partes videlicet actor discretum virum magistrum *Hermannum plebanum in Walchunschirchen,* Patauiensis dyocesis, procurator vero reorum, honorabilem virum magistrum *Andream vicarium* reverendi in Christo patris et domini domini *Alberti, Patauiensis episcopi,* in spiritualibus generalem, pro dando consilio ad ferendam sentenciam diffinitivam, in causa supradicta, in assessores elegerunt, assumpserunt et domino iudici assignarunt informaciones suas eisdem assessoribus dandas, hinc inde in scriptis ipsi domino iudici exhibentes, infrascriptas. Primo informaciones actoris tales: 1342. 11. Mart.

Nicolaus Johannis actor, in causa quam movet honorabilibus viris, domino Michaheli preposito et domino Nicolao de Zala, canonico Posoniensi, coram venerabili patre domino Hainrico, Dei gracia abbate monasterii sancte Marie Scotorum in Wienna, proposuit libellum in hec verba:

Proponit in iure coram vobis venerabili patre etc. videatur in actis. In quo quidem libello primo narratum est, quod ad predictum dominum prepositum, racione prepositure, de consuetudine antiqua approbata et hactenus pacifice observata, recepcio canonicorum et eciam collacio prebendarum, in ecclesia Posoniensi predicta, pertinere dinoscitur. Qui quidem articulus probatus videtur per novam posicionem actoris et per responsionem factam ad eandem, et per XIII-am et responsionem ad eandem, et per XXIII-am et eius responsionem. Item probatus videtur idem articulus, per sextam posicionem ipsorum reorum, que sic incipit: Item ponit quod canonicorum eleccio etc. Tandem in eodem libello narratur, quod ipse Nicolaus Johannis, ex parte dicti domini prepositi, in eadem ecclesia Posoniensi, fuerit in canonicum receptus et in fratrem, stallo in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie sibi more solito assignatis. Primum caput de hoc articulo probatum est per responsionem reorum ad LI-am posicionem, ubi respondent: Non credo esse factum cum consensu capituli; sequitur de iure, ergo credunt esse factum. Extr. de presump. in c. none. Et quod plus est, evidenter probatum est per totum quod premissum est, per reales et omni excepcione maiores litteras domini prepositi Posoniensis productas, in iure. Facit ad

hoc, quod responsum est ad LXXII-am posicionem ipsius actoris. Item postea narratur in eodem libello, quod prefatus dominus prepositus veniens contra factum proprium, in predicta suis nomine et auctoritate ipsi actori assignata prebenda, supradictum Nicolaum de Zala temerarie intrusit etc. usque ad finem narracionis; quod probatur XII-o responso primi testis, producti ex parte actoris; et cum hoc concordat secundus testis in genere; et VI-m responsum IIII-ti testis circa finem; et in quarto responso sexti testis. Probatur hoc idem per ea, que posita, sunt in iure per reos ab XI-a posicione usque ad XVIII-am. Cum itaque omnia et singula, que narrata sunt in libello, vel per posicionem reorum, vel per responsionem eorum, ad posita sufficienter probata sunt, vel eciam per dicta testium, ut supra, et cum ipse libellus de necessitate forme concludat, quid ultra ambigimus, nisi quia petita in eodem libello de necessitate iuris fieri debent, maxime cum contra actoris intencionem elidendam, nichil excipiendo sit propositum, licet forte ponendo, contra eum aliqualiter sit palpitatum. Ut tamen res tanto plus sine suspicione transire possit, respondeamus ex superhabundanti aliquibus tacitis questionibus, que potuissent bene opponi, et fuisse probabiliter opposite ipsi actori, non tamen fuerunt, nec sunt. Potuisset enim fuisse dictum, contra intencionem actoris, quod erat tempore provisionis sue certus numerus canonicorum in ecclesia Posoniensi, non curo eciam si esset verum, quod non concedo, quia nequaquam probatum est. Supposito tamen, et non concesso, quod foret probatum sufficienter, non obstat adhuc, quod in contrarium ventum est pluries, ut probat tercius testis actoris Iwanca, secundo responso et sequentibus. Idem probat de una vice quintus testis actoris, secundo responso. Quid plura adimus, in casu actoris ventum est contra hoc privilegium, et recessum est ab illo statuto: si que erant; quod tamen non est declaratum, nec probatum in iure, ut apparet evidenter; et in tali casu, per unicum factum contrarium, tollitur privilegium et rumpitur statutum; casus est rotundus. Extr. de consti. cum accessissent in fine etc. Cum Q. ibi mandamus, quatenus cum etc. et ita notatur clare Inno. in C. cum Q. glossa: sed quare et sequenti, ubi dicit, quod per solam recepcionem alicuius in canonicum rumpitur certus numerus canonicorum, sicut per solam excrescenciam fructuum rumpitur certus numerus prebendarum. Nec mirum, quod utraque contraria sunt legi communi, que dicit, quod in qualibet ecclesia tot debent collocari, quot de redditibus eius possunt honeste sustentari. Extr. de iusti. C. d. cum multis concor.(dibus) ibi positis. Hys igitur racionibus non obstaret, quod promittitur, eciam si fuisset oppositum expresse in iure; ergo longe minus nocebit ex quo tacitum est, nec valet si diceretur, quod prepositus revocavit factum suum, quia hoc non potuit de iure eciam si fuisset erroneum, quod absit. Facit expresse: Extr. de cle. [. . . . . .] diversis falla. Extr. de preben[dis]. Si tibi absenti. Li. VI—o cum multis si-[milibus]. Item si fuisset oppositum ipsi actori, quod provisio sua facta fuit citra consensum capituli, et ergo non valebat; et fuisset forte additum, quod ille consensus debebat requiri, antequam prepositus procederet ad provisionem seu recepcionem; non est verum, ut aperte apparet in posicione reorum questione XVIII, que sic dicit: Item ponit, quod statim fuit eis etc. ut accedat quod legitur: Ex ore tuo te iudico etc. Nec valeret, si diceretur, quod dissensus capituli hoc casu redderet factum prepositi nullum, quia hoc nullo iure fulciri potest, nec est probatum de facto. Preterea quandocunque aliqua provisio per-

tinet ad aliquam certam personam, ita tamen quod debet eam facere de consilio aliorum, ille ad quem pertinet ipsa collacio seu provisio, censetur sanior pars et maior, et si non numero, tamen auctoritate; sicut hoc probatur clare: Extr. ne se. va. c. si ad episcopum: li. VI—o. Modo sic est, quod si maior et sanior pars providit irrequisito minori seu minus saniori parte, obtinet factum sanioris partis, nisi illi contempti in iure suum prosequantur contemtum. Sed hoc non est factum in casu nostro, probatur per ea que leguntur et notantur: Extr. de elec(cione) c. quod sicut c. dudum C. venerabilem cum infinitis similibus. Preterea in talibus minoribus beneficiis, collacio seu provisio obtinet vim confirmacionis, maxime si installacio secundum consuetudinem ecclesie sit secuta, modo, sic est de iure, quod post confirmacionem, nisi forte legittima appellacione suspensa foret, non auditur aliquis contradictor, maxime ubi non restat aliquid plus petendum, sicut in casu nostro; prout hec probantur: Extr. de actu. c. super hys, extr. de elec C. fi. li. VI-o. de hoc videatur glo. aur. Innoc. extr. de do. et co. c. cum olim et dicto c. super hys videatur glo. compo. extr. de rescriptis c. capitulum in glo. magna. Preterea dominus prepositus Posoniensis, postquam ipsum actorem receperat in canonicum et in fratrem, precepit et dedit in mandatis tribus de canonicis, eciam sub pena excommunicacionis late sentencie, ut ipsum suum provisum reciperent et more solito installarent. Quod preceptum, quia iurisdiccionis et ab eo, qui iurisdiccioni preest processit, vim obtinet sentencie eciam diffinitive. Unde, quia non fuit legittima appellacione suspensum, transivit in rem iudicatam; de hoc videatur, quod no(tatur) II. gr. in summa, in specie de sententia, sunt species autem in v. est quoque etc. de hoc not. extr. de elec. c. Cum dilecti. Quid plura. Non est verum, quod dicitur, quod in provisione ipsius actoris non intervenerit consensus capituli. Certum est enim, quod dominus prepositus provisionem a se factam de ipso actore litteris suis apertis destinavit capitulo, mandans tribus ex eis, ut dictum est, ut eum suo nomine et auctoritate installarent; unde si sciebant, quod eorum intererat, non contradixerunt in iure, consentire presumuntur ipso iure et pro consencientibus habentur. Extr. de te. c. veniens. faciunt que leguntur et notantur per dominum Ty. et Jo. an. Extr. de re. iu. c. qui tacet etc. is qui tacet. o. Omnia ergo et singula premissa, eciam si fuissent expresse opposita, non obstarent, quanto minus ergo tacita. Unde Dominus sit in corde vestro.

Deinde informaciones reorum tales:

Quoniam iudicantem cuncta ruminari oportet, et rerum ordinem plena inquisicione discutere, secundum quod habetur XXX. q. v. Judicantem. Ideo ad informacionem venerande paternitatis vestre, quedam sub compendio et breviter, ad declaracionem et manifestacionem cause nostre perstringam, quia secundum beatum Augustinum brevitas locucionis graciam parit, et molestias sinistramque suspicionem fugat, immensitas autem e contra. Ar. XVIII. q. r. diffinimus in fine; et prolixe prefaciones confusionem inducunt et tedium generant in animis auditorum, ut C. de no. C. compo c. una v. quibus Jo. attendens, quod nec verborum multitudine Deus flecti potest ut de com. di. v. Non mediocriter, nec in multitudine sacrificiorum prospiciatur, ut III. q. VII. in gravibus in fine et XIIII. q. v. c. u. etc. Scriptum est: a colorato verborum fastu abstinens ad factum principale accedam. Cum igitur summum bonum in rebus sit iusticiam colere, ut XII. q. II. cum devotissimam ad quod pater reverende ex officio vestro tenemini, ut IX. q.

III. cum scimus quia non est iudex, nisi in eo sit iusticia, ext. de v. sig. forus et XXIII. q. II. s. i. scio, quod tamquam iustus et rectus iudex, stateram gestantes in manibus, lances iudicii equo libramine appendetis et solum Deum pre oculis habentes, omni gracia et favore postpositis, sine personarum acceptacione procedetis, non declinantes ad dexteram vel sinistram et unicuique quod suum est reddere studebitis. Ext. de. actu. qualiter. i. et iudi novit. Sed forsan et de re iudi. cum eterni. XIV. Si omnis, qui iusti. de iusti. et vi inprimis ff. e. iustitia. et iuste iudicanti non adversabitur quitquam. C. de su. tri. inter claras. Confidens igitur de vestre benignitatis constancia et equitate, cum allegacionibus paucis et brevibus, causam nostram brevius, quod potero declarabo. Dico ergo primo, quod provisio, que dicitur esse facta, per dominum prepositum Posoniensem, Nicolao Johannis actori de canonicatu et prebenda ecclesie Posoniensis, non valet, nec valuit, nec valere potuit et nulla fuit penitus ipso iure, ex causis et racionibus infrascriptis. Primo quidem illa promissio directe fuit contra concilium Lateranum, quod ponitur ext. de conces. preben. nulla et contra iura, quod ponitur ex: c. relatum et c. constitutus. et c. fi. et hodie clarius c. ti. detestanda li. VI-o. nec obstat decretum relatum de prebendis ext. quia illam dicit dominus Inno(centius) continere gratiam, non ius . . . primo ibidem, vel intelligit eam in Papa, sed quod notatur in dicta decr. nulla, iam superius allegata et adhuc non obstat eciam, si ipsam intelligamus secundum communem opinionem doctorum, quia illa decr. ad hoc quod teneat promissio vacature prebende presupponit quatuor: unum est, quod sit canonicus institutus per illum vel illos, qui hoc de iure facere potuit vel potuerunt. Item, quod habeat stallum in choro et locum in capitulo. Item, quod habeat aliquam porcionem in ecclesia. Ultimo, quod habeat ea quorum communis usus est in ecclesia. Horum autem nullum habuit actor in ecclesia Posoniensi predicta, ergo promissio non valuit et ita intelligit, decr. ipsam glo. or. in decr. dilectus. de prebendis ect. Quod autem premissa actor non habuerit, apparet manifeste in actis, per testium deposiciones. Item ex alio non valuit promissio supradicta, quia prepositus non habet conferre canonicatus vel prebendas in ipsa ecclesia Posoniensi, nisi cum consensu capituli, quia de iure communi collacio prebendarum spectat ad prelatum et capitulum simul, secundum quod tenent doctores et maxime glo. or. et compost. ext. de elec. cum ecclesia wlterana et de hys que fiunt a prelatis sn. con. ca. ea noscitur. Et licet Inno. in dicta decr. cum ecclesia wlterana. dicat, quod in talibus spectantur consuetudo ut satis videtur ipsa decr. in mi. et c. ca. noscitur supra alle. tamen semper; ita eciam de consuetudine observatum est in ecclesia memorata, quod prepositus una cum consensu capituli canonicatus et prebendas semper contulit, alias capitulum contradixit, ut apparet in actore. Et de iure contradicere potest et potuit, quia collacio facta per prepositum solum, sine capitulo, nulla est ipso iure per decr. unicum, ne se va. li. VI-o. exceptis casibus ibidem positis et hoc tenet Jo. Au. ibidem. Quod autem ita observatum sit in ecclesia supradicta, apparet per litteras diversorum prepositorum repositas apud acta, et per deposiciones testium repositas et conscriptas in actis. Et quid plura. Prepositus et capitulum fatentur hoc idem, unde fatuum esset admittere probacionem aliquam in contrarium. Quia hic agitur de iure prepositi, nec est presummendum, quod pro ista prebenda pateretur sibi auferri potestatem conferendi prebendas per se, si hoc non crederet esse de iure. Quod autem prepositus fateatur collacionem

prebendarum, non aliter ad se pertinere, nisi cum consensu capituli, et quod aliter facta sua collacio non teneat; apparet per litteras suas patentes repositas apud acta et per confessionem procuratoris sui. Dico eciam, quod sufficienter et plene fundata est intencio nostra per testium deposiciones, quia tam testes actoris, quam eciam nostri concordant, super nostris articulis unanimiter, sensum eundem exprimentes; excepto solo Iwanca, cuius eciam testimonium non valet, ut inferius liquide apparebit. Sunt eciam nostri testes omni excepcione maiores, quod esse debet, ut probatur ext. de testi. ex tenore et c. series; nec obstat si dicatur, quod testes nostri testificati sint in facto proprio, quia hoc de iure fieri potest et potuit ex eo, quia producti sunt super factis capituli, et illa nullus melius scire potest, quam illi de capitulo, ut probatur expresse ext. de proba c.[....] et de testi. c. tam litteris circa fi(nem). Et si testes nostri eciam nichil pro nobis dixissent adhuc sufficeret ad fundandam intencionem nostram in dictis testium per actorem productorum, ut apparet ext. de testi. c. in omni, quos nec reprobare potest idem actor, nec in dictis, nec persona ut probatur e. ti. c. presencium ext. et in Auten. de testi. qui vero et de hoc plene not. Inno. de excep. cum venerabili ext. Ulterius dico, quod dicto Iwance nullatenus est standum, nec aliqua fides penitus adhibenda ex eo, quia fautor et amicus est ipsius actoris et non solum modica, sed eciam maxima amicicia ipsi actori astringitur, quare testis pro eo esse non potest, ut probatur IIII. q. III. s. si testes v. testium ff. de v. sig. in L. secunda et de hoc lata. III. q. v. c. II. ar. ff. de procu. aut affinitate et ext. de testi. quociens. et de testi. co. ceterum. et c. cum contra. et c. se. et c. fi. Item testis esse non potest pro eo, quia periurus ex eo, quia prelato suo et ecclesie per quam nutritus est, notorie se opposuit, ut probatur III. q. III. v. si testes. ext. de testi. ex parte et c. sic. [....]o. q. VII. testes ff. de furt. non potest; nam tales infames sunt infamia canonica VI. q. i. illi, qui. et c. omnis immo propter ingratitudinem beneficiis ipsius ecclesie spoliari debet. ar. op. i. q. VII. c. I. et XXVI. di. super III. q. i. nulli, quia iustum est, ut ecclesia in se suum retineat fundatorem, quem recepit extraneum XII. q. IIII. sacerdotes. Item periurus est ex eo, quia dicit [....] ginem [....] non habere litteras prepositi [....], quod est falsum, quia reposite sunt apud acta. Item deponit contraria plus quam in decem locis ergo, [....]a audiendus ut probatur ext. de ar. sollicitudinem circa fi(nem), cum concor. ibi positis. Plura alia possent opponi contra ipsius personam et dictis, que brevitatis causa obmitt[o....]; peto quod sedulus assessor cum diligencia acta respiciat, et omnia sibi patebunt ad oculum [et ea] cognoscere poterit manifeste. Hec vestre paternitati, quamquam pauca loco informacionum offero, petens humiliter, quatenus ipsis diligenter [examina]tis finem iustum et debitum ipsi negocio imponatis iuxta illud psalmi: Iuste iudicate filii hominum etc.

Supradicto termino [ad]veniente, et partibus predictis coram domino iudice in iudicio comparentibus, propositum fuit ex parte actoris, quod cum super certis articulis [.....] ab eo in iure, testes non vel ad minus insufficienter fuerint examinati, dominus iudex faceret eos super eisdem articulis [exami]nari. Replicatum fuit a parte rea, quod non debeat fieri, cum iam in causa conclusum esset, et renunciatum testibus. Iudex pre[.....] ad porripendum desuper informaciones hinc inde, utrum hoc fieri deberet vel non, videlicet feriam quartam proxime [.....]. Quo termino adveniente, ac partibus sepedictis coram

domino iudice, pro tribunali sedente, comparentibus, ex parte actoris ex [. . . . .]da informaciones super petitis in termino antedicto et lecte in hec verba:

Quod post publicacionem attestacionum, immo [. . . conclusio]nem et renunciacionem, iusta causa suadente, potest iudex denuo testes examinare et interrogare eos, quocienscunque et [. . .]bi fuerit expedire. Probatur de causa possessionis et proprietatis in c. pastoral. ext. de proba. in c. licet cum multis concor.(dibus) ibi positis et not. [. . .sp]ec. de posicionibus f. IIII-o post principium. Item quod eciam in casu nostro ad peticionem partis iudex hoc tenetur facere de iure. Probatur ext. de testibus in capitulo per tuas. et not. spec. de teste f. nunc videndum. Ver. illud autem not. idem spec. de renunciacione et conclusione in ver. et s[. . .]es, quod post conclusionem sub versiculo, nisi aliquid sit iudicis negligencia obmissum, et facit ad hoc, quod not. Inno. dicto capitulo per suas glo. secunda. Contra easdem informationes per partem adversam c. auditis de procu., cum suis cor. prepositum extitit et allegatum. Quibus propositis interlocutum fuit per dominum iudicem, quod sequenti die ante meridiem vellet super eisdem petitis, de consilio assessorum sibi ut supra [par]tibus assignatorum, suam dicere voluntatem. Et si huiusmodi peticiones non forent admittende, statuit eundem terminum ad diffinitivam sentenciam pro [. . .]ndam. Eodem termino adveniente et constitutis coram domino iudice in iudicio partibus sepedictis, actor cum instancia petivit per dominum iudicem testes saltim presentes et iuratos denuo examinari, super quibusdam articulis datis in iure admissis et per dominum iudicem approbatis. Procurator vero reorum dixit, hoc fieri non debere ex eo, quia illis testibus fuerit specialiter renunciatum et responsum et hys non obstantibus petivit procedi ad sentenciam diffinitivam. Quibus factis dominus iudex asserendo proposuit, quod iuxta consilium assessorum sibi ab ipsis partibus hinc inde, ut premittitur assignatorum, posset et deberet proferre in causa huiusmodi sentenciam diffinitivam. Actor vero protestando de gravamine et de appellacione interponenda a iudicio contumaciter recessit. Quo sic recedente, procurator reorum accusans eius contumaciam petivit, ut dominus iudex iuxta termini assignacionem in causa huiusmodi sentenciam diffinitivam proferre dignaretur, ipsius actoris absencia non obstante. Dominus igitur iudex habito iterum consilio assessorum supradictorum, non abstante (sic!) dicti actoris absencia, sentenciam diffinitivam in scriptis protulit infrascriptam:

In nomine Domini amen. Nos Hainricus, Dei gracia abbas monasterii sancte Marie Scotorum in Wienna, ordinis sancti Benedicti, Patauiensis diocesis, iudex a sede apostolica in causa, que vertitur inter Nicolaum Johannis, clericum Strigoniensis diocesis actorem ex una, et honorabilem virum dominum Michahelem prepositum ecclesie sancti Salvatoris Posoniensis, ac Nicolaum *de Zala* reos, eiusdem Strigoniensis diocesis, ex parte altera, super canonicatu et prebenda dicte Posoniensis ecclesie specialiter delegatus, olim litteras sanctissimi in Christo patris ac domini domini Benedicti pape XII-mi recepimus sub hac forma:

Benedictus episcopus servus servorum Dei dilecto filio . . . abbati monasterii Scotorum in Wienna, Patauiensis diocesis, salutem et apostolicam benedicccionem. Conquestus est nobis Nicolaus Johannis, canonicus ecclesie sancti Salvatoris Posoniensis, Strigoniensis diocesis, quod licet sibi de prebenda, que in dicta ecclesia vacavit, per mortem quondam Petri Ruffi eiusdem ecclesie canonici canonice sit provisum, tamen Michahel prepositus dicte ecclesie, Nicolaum

de Zala, clericum dicte diocesis, in dictam prebendam intrusit, qui pretextu intrusionis huiusmodi ipsam prebendam occupavit et detinet occupatam, fructus redditus et proventus percipiens ex eadem, ac impedivit et impedit, quominus dictus Nicolaus eiusdem prebende valeat possessionem nancisci. Cum autem dictus conquerens, sicut asserit potenciam dictorum prepositi et Nicolai *de Zala* merito perhorrescens, eos infra civitatem, seu diocesim Strigoniensem nequeat convenire secure, discrecioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellacione remota, decernas faciens, quod decernis per censuram ecclesiasticam, firmiter observari, testes autem qui fuerint nominati, si se gracia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellacione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum *Auinione* XIII kalendas Julii, pontificatus nostri anno septimo. 1341. 19. Jun.

Quarum siquidem litterarum auctoritate, honorabiles viros dominos Michahelem prepositum Posoniensem, necnon Nicolaum de *Zala* superius nominatos, ad instanciam Nicolai Johannis clerici supradicti, coram nobis in iudicium fecimus evocari, quibus coram nobis per procuratorem ipsorum sufficienter comparentibus, eidem procuratori, per Nicolaum Johannis supradictum coram nobis libellus porrectus extitit, continencie subsequentis:

Proponit in iure coram vobis venerabili patre domino Hainrico abbate ecclesie sancte Marie Scotorum in Wienna ordinis sancti Benedicti, Patauiensis diocesis, iudice ad infrascripta a sede apostolica specialiter delegato, Nicolaus Johannis canonicus ecclesie sancti Salvatoris in Posonio, Strigoniensis diocesis, contra dominum Michahelem prepositum ecclesie predicte et Nicolaum de *Zala* clericum dicte Strigoniensis diocesis et dicit, quod licet ipse, ex parte dicti domini prepositi, ad quem racione prepositure de consuetudine antiqua et approbata, ac hactenus pacifice observata recepcio canonicum et eciam collacio prebendarum in ecclesia Posoniensi predicta pertinere dinoscitur, fuerit in canonicum receptus et in fratrem et in fratrem (sic bis) stallo in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie sibi more solito assignatis, fuisset tandem post aliqua tempora de prebenda vacante in eadem ecclesia per mortem quondam Petri Ruffi, olim dicte ecclesie canonici prebendati, eidem Nicolao Johannis, per dictos executores, ad hoc ab ipso domino preposito legittime deputatos, nomine et auctoritate ipsius domini prepositi canonice provisum, prefatus tamen dominus prepositus contra factum proprium veniens, in prebenda suis nomine et auctoritate prefato Nicolao Johannis legittime assignata, supradictum Nicolaum de *Zala* temerarie intrusit, qui huiusmodi intrusionis pretextu prebendam eandem detinet occupatam, fructus redditus et proventus percipiens ex eadem in dicti Nicolai Johannis enorme preiudicium et gravamen. Quare petit per vos dominum iudicem predictum et vestram sentenciam pronunciari, decerni et declarari dictam prebendam ad ipsum Nicolaum Johannis pertinuisse et pertinere, de iure sibi adiudicari eandem et prefatis domino preposito et Nicolao de *Zala* super ea, necnon super opposicionibus et impedimentis [...] sibi prestiterunt et prestant perpetuum silencium imponi, dictumque Nicolaum de *Zala* a detencione ipsius prebende amovere; hec dicit et petit, omni via iuris forma et modo, quibus melius potest, cum expensis factis et faciendis, dampna et interesse ex proventibus perceptis et qui percipi poterant, salvo sibi iure addendi, minuendi, mutandi,

corrigendi, declarandi, alium libellum de novo, si opus fuerit porrigendi, de quibus protestatur.

Lite itaque coram nobis super ipso libello legittime contestata, prestitoque hinc inde a partibus de calumpnia et de veritate dicenda iuramentis, factis quoque posicionibus et ad ipsas responsionibus subsecutis, datis eciam articulis ac testibus et instrumentis productis et attestacionibus publicatis, tandem conclusum in causa a partibus extitit hinc et inde, ac termino peremptorio per nos ipsis partibus pluries assignato ad comparendum et diffinitivam sentenciam audiendum. Nos itaque diligenter visis et auditis parcium iuribus et racionibus et probacionibus, investigatis quoque ad plenum et cognitis ipsius cause meritis et eque iusticie lance discussis, deliberacione insuper nobiscum et cum peritis prehabita diligenti, invenimus pro parte Nicolai actoris predicti, nichil in iudicio esse sufficienter probatum, necnon dominum Michahelem prepositum et Nicolaum de *Zala* canonicum pre[....] per discretum virum dominum Paulum Nicolai canonicum Posoniensis ecclesie predicte, plebanum in Haugdorf, Patauiensis diocesis, prenominate, procuratorem eorum ad hoc legittime constitutum intencione ipsorum sufficienter fundasse ac probasse. Nos invocato Christi nomine, pro tribunali sedentes, prefatos dominum Michahelem prepositum, ac Nicolaum de *Zala* et dictum magistrum Paulum, procuratorio nomine eorum, ab impeticione Nicolai Johannis actoris supradicti, matura deliberacione nobiscum et cum iurisperitis ut prefertur prehabita, finaliter absolvimus in hys scriptis, canonicatum et prebendam predictos vacantes in ecclesia Posoniensi antedicta per mortem quondam domini Petri Ruffi canonici, prebendati ibidem, ipsi Nicolao de *Zala* et dicto procuratori pro eo pleno iure adiudicantes; supradicto Nicolao Johannis super ipsis perpetuum silencium imponentes, ipsumque in expensis parti adverse finaliter condempnantes, taxacione earum nobis in posterum reservata. Lecta et lata est hec sentencia in refectorio monasterii nostri prelibati, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo, indiccione decima quarta, decima die mensis Marcii, presentibus honorabilibus et discretis viris, magistro Andrea vicario reverendi in Christo patris et domini Alberti, Patauensis episcopi, in spiritualibus generali, magistro Hermanno plebano in *Walchensckirhen* assessoribus per partes predictas pro dando consilio super huiusmodi sentencie prolacione assumptis et electis, necnon magistro Hainrico plebano in *Weykendorf* [. . . . .] diocesis, magistro Johanne iuvene de *Frankenfurda*, clerico Moguntinensis diocesis, iurisperitis, ac Witigone decano La [. . . . . Chunrado in Heckental] Alberto in *Marchgrafen Newsidel*, Cholomanno in *Witzlenistorf* ecclesiarum plebanis, Alberto vicario in *Mistelbach*, dicte Patauiensis diocesis, Jacobo publico et predicti magistri Andire notario et aliis pluribus testibus fidedignis. 1342. 10. Mart.

(Signum notariale.) Et ego *Petrus*, quondam Chonradi de Ha[. . . . .]s, Herbipolensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, omnibus et singulis in causa prenotata actis, actitatis, factis, habitis, productis, allegatis, pronunciatis et pro[lati]s, una cum premissis testibus, presens interfui, eaque omnia et singula ut supra leguntur fideliter conscribens et in hys septem cedulis, per me filis sericis rubei coloris con[. . . . . .]is comprehendendo, in hanc formam instrumenti publici redigens, meo nomine et signo solito nedum in presenti subscripcione, verum eciam in earumdem cedularum con[nexion]ibus a tergo,

requisitus specialiter et rogatus; insuper dominus abbas iudex sepefatus presentem processum [in testimonium] s[igilli] sui appensione fecerat communiri.

Fragmen sigilli abbatis oblongum, cerae rubrae impressum, praelatum dextera pedum tenentem, sinistra ad pectus reflexa exhibet; epigraphe iam detrito, e serico rubro pendet. — Origin. membr., e septem partibus constans, filis sericis rubri coloris comprehensum, in longitudine 4 m. 54 cm., in latitudine vero 28 cm. habet. Pulchrae exaratum, sed situ iam exesum. In Arch. Capit. Coll. Posoniensis Priv. Capsa 7. fasc. 9. nr. 192. — Allegationes circa finem, ex Jure Canonico productae, ob nimias contractiones et quia membrana recte hic maxime exesum est, clare et plene legi non poterant.

601.

1342. (Zobor.) 16. Mart. — Conventus Zoboriensis, terram Zengő, ad monasterium s. Benedicti pertinentem, hactenus a hospitibus de Bars et Csütörtökhely iniuste detentam, reambulat et monasterio statuit.

Nos *conventus* beati Ypoliti martiris, monasterii *Zuburiensis,* memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod cum iudices, iurati et tota universitas hospitum de *Bors* et de *Chuturtukhel,* ad presenciam magnifici viri domini *Thome woyuode* Transiluani, comitis de Zonuk et iudicis, ac procuratoris tawarnicatus domini regis, per dominum *Syffridum abbatem,* et conventum monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium *Goron,* in causam attracti fuissent, super quadam possessionaria porcione terre monasterii eorundem, in possessione *Sengeu,* in comitatu Borsiensi existentis, quam possessionariam porcionem dicti iudices, iurati et universitas hospitum de Bors et de Chuturtukhel, in grande preiudicium et iacturam monasterii predicti, cum homine regio et testimonio honorabilis *capituli* ecclesie *Nitriensis* reambulari, et suis utilitatibus, mediantibus litteris patentibus eiusdem capituli, perpetue fecerant applicari; tandem ordinacione et composicione proborum virorum interveniente, ex permissione et licencia iudiciaria ipsius domini Thome, et secundum continenciam litterarum patencium eiusdem, partibus volentibus et consencientibus, ad perpetue pacis unionem devenissent et devenerunt, coram ipso eo modo, quod predicti iudices, iurati et universitas hospitum de Bors et de Chuturtukhel, feria sexta post diem medii quadragesime proxime nunc ventura, ipsam possessionariam porcionem terre monasterii sancti Benedicti, in Sengeu existentis, ab aliis terris vicinis et cometaneis, per metas reambulando distinguere et litteras reambulacionis et statucionis capituli ecclesie Nitriensis, super ipsa possessionaria porcione terre monasterii sancti Benedicti emanatas, presente homine regio et nostro testimonio, sub penis et obligacionibus in dictis litteris domini Thome woyuode contentis, domino abbati de sancto Benedicto et suo conventui, ut spontanea assumpserunt voluntate, sine diminucione aliquali, debebunt resignare. Igitur ipso termino occurrente, ad peticionem predictorum domini Syffridi abbatis, et sui conventus, cum Salomone de *Hynd,* homine regio ad hoc deputato, fratrem *Jacobum sacerdotem,* unum ex nobis, in Bors et in Chuturtukhel ad premissa exequenda, pro testimonio duximus transmittendum. Qui demum ad nos reversi, concorditer retulerunt: quod antedicti iudices, iurati et universitas hospitum de Bors et de Chuturtukhel, sepedictam possessionariam porcionem terre, monasterii sancti Benedicti, in possessione *Sengeu,* per certas veras metas, inferius declarandas, ex omni parte distinctam,

1342. 8. Mart.

vicinis et cometaneis convocatis et consencientibus reambulassent, et memoratis domino abbati de sancto Benedicto et suo conventui, cum fructuum utilitatibus et suis pertinenciis universis, sicut monasterium ipsorum ex antiquo possedisse dinoscebatur, una cum litteris reambulacionis patentibus predicti capituli ecclesie *Nitriensis,* presentibus Salomone homine regio et nostro testimonio prememoratis, resignassent et pacifice possidendam reliquissent, nullo penitus contradictore apparente. Huius, siquidem possessionarie porcionis terre monasterii sancti Benedicti, prima meta incipit prope viam, qua itur de Bors versus *Werebel,* quantum iactus est lapidis a parte eiusdem vie inferiori; et inde transit per eandem terram monasterii Sengeu a parte orientali et est ibi terrea meta, cometanea possessioni *Pobor,* in cuius vertice positus est lapis satis magnus, ita tamen, quod a parte meridionali est possessioni Pobor, a parte autem septemtrionali possessionaria porcio terre sancti Benedicti; deinde procedit ad vallem, in cuius vallis medio est alia meta; dehinc directe vadit versus rubum et ibi est alia terrea meta; exinde procedit per rubum usque ad montem, et ultra verticem montis est meta sub quercu, qua meta dividit terram monasterii a terra Pobor, et a terra Nicolai et fratrum suorum, filiorum Mauricii de *Geured;* et per eundem verticem montis transeunt mete lapidee, quousque pervenitur ad viam, que ducit versus vallem *Mohi* et ibi circa eandem viam sunt due mete; deinde descendendo ad vallem, versus partem septemtrionalem, transeundo per rubum, est meta lapidea; deinde tendendo versus partem orientalem ad viam, que ducit in Bors et per eandem viam eundo ad montem et in vertice montis, sub arbore piri est meta; de qua meta tenendo versus partem meridionalem, ubi iterato sub arbore piri est alia meta; exinde procedendo directe ad unum parvum rubum, est terrea meta, in cuius summitate iacet lapis; exhinc eundo directe ad viam Borsiensem, circa quam viam est alia terrea meta, que tendit ad primam metam; et quia de supradicta possessionaria porcione terre, monasterii sancti Benedicti, Pobor antedictus, quandam particulam tenebat indebite occupatam, quam eciam propter bonum pacis, presentibus vicinis et cometaneis et coram homine regio et nostro testimonio, novis metis erectis restituisset. Datum, sabbato proximo post octavas medii quadragesime, anno Domini millesimo ccc^mo^ quadragesimo secundo.

Extus manu medii aevi: Reambulacio metalis terre *Sengew,* cum opido *Bars* et *Gyewres.* — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Privat. Lad. 9. fasc 3. nr. 6. — Ibidem aliud par in transsumpto Ludovici I. regis de a. 1347. Lad. 40, fasc. 2. nr. 35.

602.

1342. Visegrád. 22. Mart. — Carolus I. rex magistrum Dezső, Chanadino archiepiscopo Strigon. possessionem Kendi, penes Üzbég, sexaginta marcis vendidisse perhibet.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod venerabilis in Christo pater, dominus Cha. (nadinus), graciam per eandem *archyepiscopus Strigonyensis* ab una, magister *Desew de Enykey,* pro se et pro Andrea filio suo, cum procuratoriis litteris conventus monasterii Zuburiensis, ac Mychaele altero filio suo, cuius honus et gravamen, si que ex ipsius absencia possent allegari, super se assumpmendo, parte ab altera, coram nobis personaliter constituti, idem magister Deseu quandam possessionem suam, *Kendi* vocatam, vicinam et commeta-

neam possessionis dicti domini archyepiscopi, *Ezbeg* vocate, in comitatu Nitriensi existentem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, videlicet silvis, pratis, aquis. terris arabilibus, cultis et incultis, et aliis quibusvis utilitatibus, quocumque titulo nominatis, sub veris metis et terminis, quibus idem et sui progenitores eandem possedissent et conservassent, pro sexaginta marcis Vyenensium, quamlibet marcam cum decem pensis computando, coram nobis plenarie habitis et receptis, et per predictum dominum archyepiscopum persolutis, eidem domino archyepiscopo et per eum sue ecclesie predicte, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam dedisse, tradidisse et vendidisse, est confessus. Universa sua instrumenta litteralia, quorum vigore dictam possessionem ipse et filii sui predicti, ac progenitores eorumdem tenuissent et possedissent, in manus eiusdem domini archyepiscopi assignando. Datum in *Wyssegrad,* feria sexta proxima ante dominicam Ramispalmarum, anno Domini M° CCC° XXXX^mo^ secundo.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 3666. — (Sign. vetus: Acta Ecclesiastica Cameralia fasc. 3. nro 13.) — Ed.: Cod. Andegav. T. IV. p. 196.

603.

1342. Visegrád. 22. Mart. — Carolus I. rex, Mathiam, filium Vid, possessionem suam. Kural vocatam, pro viginti marcis, Chanadino archiepiscopo Strigon., oppignoresse, perhibet.

Nos Karolus, Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes, tenore presencium [significamus qui]bus expedit universis, quod venerabilis in Christo pater dominus Cha.(nadinus), graciam per eandem archyepiscopus Strigoniensis ab una, et [Math]yas, filius *Vyd* pro se, et pro Jacobo filio suo, cuius honus et gravamen, si que ex ipsius absencia possent allegari, super se [assumpme]ndo parte ab altera, coram nobis personaliter constituti, idem Mathyas, quandam possessionem suam, *Kural* vocatam, inter possessiones [eiusdem] domini archyepiscopi, *Fornad* et *Geech* vocatas archyepiscopales, in comitatu de Bors existentes, habitam, cum omnibus su[is uti]litatibus et pertinenciis, videlicet silvis, pratis, aquis, terris arabilibus, cultis et incultis, et aliis quibusvis utilitatibus, quocunque tytulo nominatis, sub veris metis et terminis, quibus idem et sui progenitores eandem possedissent et conservassent, pro viginti marcis latorum Wyennensium, compoti Budensis, coram nobis plenarie habitis et receptis, et per predictum dominum archyepiscopum persolutis, eidem domino archyepiscopo, et per eum sue ecclesie predicte, obligasse est confessus ita, ut quandocumque idem Mathyas, predictam suam possessionem, iam pignori obligatam, ab eodem domino archyepiscopo, pro predicta sumpma pecunie redimere voluerit et poterit, extunc ipse et [sui] successores liberam redimendi habebunt facultatem. Datum, in *Wyssegrad,* feria sexta proxima ante dominicam Ramispalmarum [anno] Domini M° CCC° XXXX° secundo.

Sigillum maiestat. tergo fuit appressum. — Orig. membr., humore exesum, in Archiv. Primat. Secul. Lad. K. nr. 4.

604.

1342. (Esztergom.) 24. Mart. — Conventus Cruciferorum Strigon., Desiderium de Emőke possessionem Kendi, Chanadino archiepiscopo Strigon., sexaginta marcis vendidisse testatur.

A. B. C.

Nos *conventus* cruciferorum, domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani, *de Strigonio,* memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod venerabilis in Christo pater, dominus *Chanadinus,* (emansit: per) graciam ac providenciam Dei *archiepiscopus Strigoniensis* ab una, magister *Desew,* filius Petri de *Emmekey,* frater *Zobonia,* pro se et pro Andrea filio suo, cum procuratoriis litteris monasterii *Zuburiensis,* ac Mychaele altero filio suo, si quoquam temporis in eventu racione eiusdem possessionis, per eundem Mychaelem filium suum, propter modernam absenciam aliqualiter infestaretur, sew inpeteretur, propriis suis laboribus et expensis expedire asumpmendo, parte ab altera, coram nobis personaliter constituti; idem magister Desew, quandam possessionem suam, *Kendy* vocatam, vicinam et commetaneam possessioni dicti domini archiepiscopi, *Ezbeg* vocate, in comitatu Nyitriensi existentem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, videlicet silvis, pratis, aquis, terris arabilibus, cultis et incultis, et aliis quibusvis utilitatibus, quocunque titulo nominatis, sub veris metis et terminis, quibus idem et sui progenitores eandem possedissent et conservassent, pro sexaginta marcis Wienensium, (emansit: latorum) quamlibet marcam cum decem pensis computando, coram nobis plenarie habitis et receptis, et per predictum dominum archiepiscopum persolutis, eidem domino archiepiscopo et per eum sue ecclesie predicte, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam dedisse, tradidisse et vendidisse est confessus. Universa sua instrumenta litteralia, quorum vigore dictam possessionem ipse et filii sui predicti possedissent, ac progenitores eorumdem tenuissent, in manus eiusdem domini archiepiscopi asignando; et se idem magister Desew predictus, coram nobis taliter obligando, ut si successu temporum eundem dominum archiepiscopum vel ecclesiam suam predictam, per quampiam (sic!) infestarent, sew inpeterent, racione prefate possessionis, propriis suis laboribus et expensis asumpsit expedire, vel si qua instrumenta per astuciam frivolose reservasset, coram quovis iudice presentarent super eandem possessionem, mortuas et extinctas re*d*idit, et viribus carituras. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad peticionem utrarumque parcium, presentes concessimus duplicando, cum alphabeto intercisas et sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in dominica Ramispalmarum, anno Domini M° ccc° xl^mo secundo.

Sigillum integrum e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membr. in Arch. Primat. Secul. Lad. L. nr. 2. Cf. nr. 602.

605.

1342. (Buda.) 7. Apr. — Filii Michaelis de Egyházaskereki, coram capitulo Budensi, quia Chanadinus archiepiscopus possessionem eorum Egyházaskereki, in Bihariensi comitatu existentem, quam pro quibusdam gravaminibus iudicialibus amisissent, pro triginta marcis eis redimisset, in aliqualem gratiarum actionem portionem possessionariam eorum, in possessione Galuspetri vocata, in comitatu Szatmariensi habitam, eidem archiepiscopo et suis fratribus tradiderunt in perpetuum habituram.

Ed. Codex Dipl. Comit. Zichy. T. II. 11—13.

606.

1342. (Esztergom.) 14. Apr. — Capitulum Strigoniense Thomae vajvodae, seriem reambulationis possessionis Hátszeg, ad monasterium de Ságh pertinentis rescribit.

Edid. Codex. Andegav. T. IV. p. 199.

607.

1342. Visegrád. 14. Apr. — Magisratus Hontensis, bonis castri Drégely recaptivatis, terram Olvár, praeposito monasterii Sághiens. confirmat.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[4] p. 627.

608.

1342. Esztergom. 25. April. — Petrus Gervasii, canonicus Vivariensis, apostolice sedis nuntius, Thomam abbatem de Zobor, Strigon. dioecesis, quadraginta marcas Viennenses, ratione decimae sexennalis, solutum esse, perhibet.

Edid. Cod. Andegav. T. IV. p. 202.

609.

1342. (Esztergom.) 26. Apr. — Capitulum Strigon. Carolo I. regi, possessionem Iva, in comitatu de Szolnok, iuxta fluvium Zagyva existentem, semper ad praepositurum Saghiensem pertinuisse, rescribit.

Excellentissimo domino suo *Karolo*, Dei gracia inclito regi Hungarie, *capitulum* ecclesie *Strigoniensis*, oraciones in Domino debitas et devotas. Noveritis, quod cum nos, secundum continenciam litterarum vestrarum citatoriarum generalium, nobis directarum citaciones, inquisiciones et alios processus continencium, qui secundum regni consuetudinem fieri consueverunt ad inquisicionem faciendam, iuxta vestrum mandatum, cum Johanne, filio Jacobi, homine vestro, discretum virum magistrum *Johannem*, socium et *concanonicum* nostrum, hominem nostrum misissemus pro testimonio; idem homo vester et nostrum testimonium ad medium nostrum reversi et per nos requisiti, nobis in hunc modum concorditer retulerunt; quod cum ipsi, in octavis festi Passce Domini, ad rembulandam et statuendam quandam possessionem *monasterii* Beate Virginis *de Saag* et prepositi eiusdem loci, *Hachzak* vocatam accessissent, a nobilibus et ignobilibus in comitatn *de Zounuk* existentibus et specialiter vicinis et commetaneis possessionum *Iwa* et Hachzak vocatarum, iuxta fluvium *Zagua* existencium, tempore premisse reambulacionis inibi personaliter existentibus, palam et oculte diligenter inquirendo, talem scivissent veritatem, quod prefata possessio, Iwa vocata, semper fuisset monasterii Beate Virginis de Saag et pertinuisset ad monasterium prenotatum, et quod Stephanus, filius Ladislai, facta prima reambulacione ipsius possessionis Iwa, de eadem [lit]e pendente, per nimiam exaccionem collectarum et aliarum gravaminum, duodecim mansiones iobagionum desolando effugissent . . . . . Datum, feria sexta proxima post festum beati Georgii martiris, anno Domini M° ccc° xl^mo secundo.

1342. 7. Apr.

Extus: Excellentissimo domino suo Karolo, Dei gracia inclito regi Hungarie, pro domino Stephano preposito de Saag contra Stephanum filium Ladislai, inquisitoria. — Sigillum margini exter. appressum. — Orig. membr., in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 3474. (Sign. vet. Acta Eccl. fasc. 31. nr. 48.)

610.

1342. (Nagyvárad.) 1. Maii. Capitulum Varadiense, magistrum Ákos, de genere Ákos, omnium bonorum suorum quartam partem, filiae suae Helenae et per eam Johanni genero suo, testatum esse, perhibet.

. . . in tribus possessionibus infrascriptis, videlicet Akus munustura in Zonuk, Gyos in Pestiensi et *Akuspalataia* in Srtigonyensi comitatibus etc . . .

Ed. Cod. Dipl. Com. Zichy. T. II. p. 14 et sq.

611.

1342. Visegrád. 8. Maii. Thomas, vojvoda Transilvanus, praeposituram de Ságh, in possessiones Haczok et Iva, eidem, e consensu Chanadini archiepiscopi et reliquorum indicio assidentium consensu, notabili sententia adjudicata, per capitulum Strigon. statui jubet.

Viris discretis et honestis, amicis suis reverendis, *capitulo* ecclesie *Strigoniensis, Thomas woyuoda* Transsiluanus et comes de Zonuk, amiciciam paratam. Vestra noverit amicicia, quod religiosus vir frater *Stephanus,* monasterii Beate Virginis *de Sag prepositus* actor existens, iuxta continenciam aliarum litterarum nostrarum, modum et formam statucionis possessionis Hachak numpcupate, (sic!) in comitatu videlicet Zonuk predicto existentis exprimencium, ac vestrarum litterarum rescripcionalium, contra *Paulum,* filium Benedicti, dictum de *Ceruehaza*; item iuxta aliarum litterarum nostrarum, scilicet prorogatoriarum continenciam contra *Stephanum,* filium Ladislai, in facto possessionis *Iwa* vocate, in eodem comitatu habite, in octavis beati Georgii martiris, in figura nostri iudicii personaliter coram nobis comparendo, iuxta seriem primeve proposicionis sue, in aliis litteris nostris plenarie habitam, exhibitis universis suis litteris causalibus et aliis, proponebat allegando: quod prelibate possessiones Hachak, quam ipse Paulus usu proprio utitur; et Iwa, quam pater ipsius Pauli Ladislao, patri dicti Stephani, titulo vendicionis locarat et alienarat, suo monasterio ante dicto iure hereditario pertinerent. Quibus propositis, exhibuit litteras domini *Bele,* condam incliti regis Hungarie privilegiales, quas antea coram facie nostri iudicii sepius exhibuerat et nos iuxta tenorem earumdem litterarum ad rehambulandum et statuendum dictas possessiones sepius destinaveramus, in quarum tenoribus plenissime continetur, quod *Mortonus, condam banus, fundator et constructor ipsius monasterii de* de (sic!) *Sag,* idem monasterium cum prefatis possessionibus, videlicet Hachak et Iwa, velud suis possessionibus hereditaris, excepta particula terre usui duorum aratrorum sufficientis, et loco unius sessionis, quem et quam de eadem possessione Iwa metis distinctam et separatam, cuidam *sacerdoti Nemel* nomine, et duobus filiis eiusdem Benche et Ybrahim vocatis, iure perpetuo contulerant possidendam, predotasset; quam quidem dotacionem idem dominus Bela rex, sub anno gracie millesimo CC^mo^ XL^mo^ quinto, iam dictis suis litteris privilegialibus mediantibus solidando confirmasset. In oppositum autem predictus Paulus, filius Benedicti, personaliter comparendo, nemine tamen pro prenominato Stephano, filio Ladislai astante, exhibuit litteras (expunct.: regias) *Ladislai,* similiter olim regis Hungarie, ac eciam litteras capituli Vachiensis privilegiales, asserens eandem possessionem litigiosam, quam ipse Stephanus prepositus de Sag, Hachak nominari dicebat, alio vocabulo nominis

1342. 1. Maii.

1245.

videlicet *Hunty* nuncupari, et ex condonacione eiusdem Ladislai regis se et suos predecessores, sub eodem nomine Hunty tenuisse, et avum suum predictum, super eadem nobilitasse. In quibus quidem litteris, ipsius Ladislai regis, hoc continebatur: quod quemdam iobagionem castri, nomine *Benche,* quem idem Paulus suum avum fuisse asserebat, pro fidelibus suis serviciis a iobagionatu castri in cetum et numerum nobilium graciose sublevando, super quibusdam possessionibus castri Huntensis, *Hunty* et *Iwa* vocatis, nobilitasset, ipsas possessiones iure perpetuo eidem condonando. Alye autem littere privilegiales *capituli Vaciensis* predicti exprimebant, ut ad mandatum dicti Ladislai regis, presente testimonio eiusdem capituli, per regium hominem, vicinis et commetaneis presentibus, eedem possessiones Hunty et Iwa, quibusdam metis et signis circumdando, prenomitato Benche statute extitissent; nec tamen in eisdem litteris (expunct.: eorum) ipsum capitulum dicto domino regi rescripsisse inveniebatur. Et cum parcium propositionibus auditis, ac litterarum tenoribus perlectis, prefatum Paulum, filium Benedicti, in eo: utrum prenominatus Nemel sacerdos, suus avus extiterit et si dictam terram, duobus aratris sufficientem, cum loco sessionis antedicto, nomine sui iuris rehambulare (sic) velit; aut possessionem Iwa, sepius dictam, memorato Ladislao, patri ipsius Stephani, pater suus vel sui predecessores vendiderint requisivissemus; idem Paulus, filius Benedicti, ipsum Nemel sacerdotem non suum avum fuisse, nec dictam terram duorum aratrorum cum sessione ipsa, nomine sui iuris velle rehabere, verum quidem possessionem Iwa antedictam, per Benedictum patrem suum Ladislao, patri ipsius Stephani venditam, nomine sui iuris fore allegabat. Unde nos, una cum regni prelatis et baronibus nobiscum tribunal iudiciale consedentibus, videlicet venerabilibus patribus dominis Chandino (sic!) Strigoniensi archiepiscopo, item Ladislao Quinqueecclesiensi, Petro Syrimiensi, Vito Nitriensi ecclesiarum episcopis et magistro Thatamerio Albensis ecclesie preposito; item magnificis viris videlicet Paulo magistro tawarnicorum domine regine, magistro Oliverio iudice curie eiusdem, magistro Nicolao et Johanne, filiis Geleth, ac Thoma, filio Petri, comitibus de *Turuch* et de *Liptow,* item comite Deseu viceiudice curie regie, ac magistro Paulo prothonotario iudicis curie eiusdem, quod quia privilegium seu instrumentum monasterii beate Virginis per ipsum Stephanum prepositum de Sag exhibitum prius confectum, quam privilegium Ladislai regis per predictum Paulum exhibitum fuisse; et ex eo vigorem collacionis dictarum possessionum Hachak et Iwa, per Stephanum prepositum nomine iuris sue ecclesie aquisitarum plene continuisse, et easdem possessiones non ipsas, quas ipse Benedictus nomine possessionum condam castri Hunthensis et suorum iobagionum suo avo collatas extitisse dicebat, indicabat et exprimebat, decrevimus et commisimus iudicantes: ut sepius dicte possessiones Hachak et Iwa, quas privilegium ipsius *Bele* regis per collacionem Mortonus, olim bani, fuisse continet et exprimit manibus et dominio sepius dicti monasterii de Sag, tamquam sua iura, perpetuo redigantur, restituantur et aplicentur; prelibatus vero Paulus, filius Benedicti, alias possessiones si quas, iuxta continenciam sui instrumenti, sub vocabulo nominum premissorum videlicet Hunty et Iwa suas esse credit, et extra terminos et metas possessionis ipsius monastrerii de Sag, Hachak et Iwa vocatas, poterit invenire, liberam ordine iuris recipiendi habeat facultatem. Quare vestram petimus amiciciam presentibus diligenter, quatenus mittatis hominem vestrum pro testimonio fide-

dignum, quo presente Johannes, vel Petew, filius Gabrielis de *Zud,* altero absente homo noster, in octavis beati Jacobi apostoli proxime nunc venturis, accedat ad facies sepius dictarum possessionum Hachak et Iwa vocatarum, easdemque iuxta tenorem et continenciam dicti privilegii Bele regis, ac cursus metarum, in eodem continencium (sic!) et novis circa veteres, ubi necesse fuerit consignando metis, non obstantibus contradictionibus eiusdem Pauli, filii Benedicti, item Stephani, filii Ladislai, nec non Nicolai Rufi et Jacobi dicti *Opprod,* quibus idem Stephanus, filius Ladislai, de predicta possessione Iwa partes dedisse et tradidisse dicitur, qui eciam racione eiusdem possessionis, per ipsum Stephanum prepositum in causam furant (sic! *a*tracti, presentibus vicinis et commetaneis earumdem universis, statuat sepius dicto Stephano preposito et suo monaster*y*o, perpetuo iure possidendas, si non fuerit per alios quospiam contradictum; contradictores vero, si qui alii fuerint, cum eorum instrumentis contra memoratum Stephanum prepositum, legitima citacione prehabita, ad nostram evocet presenciam, ad terminum competentem; et post hec seriem statucionis, cum cursibus et ereccionibus metarum dictarum possessionum, vel nomina citatorum, si fieri contingat, domino regi fideliter rescribatis. Datum in *Wyssegrad,* octavo die octavarum predicti festi beati Georgii martiris, anno Domini millesimo ccc^mo^ xl^mo^ secundo. 1342. 1. Aug.

Extus: Discretis viris et honestis amicis suis reverendis capitulo ecclesie Strigoniensis, pro Stephano preposito de Saag, super statucione possessionum Hachzak et Iwa vocatarum, in octavis beati Jacobi apostoli nunc venturis facienda. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Reg. Hung. Regnicol. M. O. D. L. 3440. — (Sign. vet.: Acta Ecclesiast. fasc. 31. nr. 49.)

612.

1342. — 11. Maii. — Vicecomes Simigiensis, Johannem et Emericum de Kisbud, super persoluta portione iudiciali, expeditos reddit.

Nos *Endry*o, vice comitis Bartholomei comes Symigiensis, et quatuor iudices nobilium eiusdem comitatus, damus pro memoria, quod Johannes, filius Nicolai, et Emericus, filius Gube, nobiles de *Kysbud,* de iudicio pacis racione placacionis nostre, quo in facto reformacionis cause, quam magister Elya de *Elya,* sabbato proximo post quindenas beati Georgii martiris, in figura nostri iudicii, contra eosdem movebat, nobis tenebantur, ad plenum nobis satisfecerunt. Unde eosdem de predicto iudicio commisimus expeditos, a*d*que satisfactos (sic!) Datum, die predicto, anno Domini M° ccc° xl^mo^ secundo.

Extus: Pro Johanne, filio Nicolai, et Emerico, filio Gube, super solucione iudicii, pacis racione placacionis nostre, expeditoria. — Sigilla exteriori margini fuerunt appressa. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 1, fasc. 3. nr. 4.

613.

1342. Damás. 18. Maii. — Carolus I. rex, transscribit literas, super statutione possessionis Nyék, emanatas.

Nos *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod Stephanus *de Nyek* suo,

Georgii, Alberti, Gregorii et Chuaz proximorum suorum, nobilium de eadem, vice et nomine, ad nostram accedendo presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras rescripcionales *capituli* ecclesie *Strigoniensis*, hunc tenorem continentes:

Sequitur mandatum statutoriale ejusdem regis de a. 1340. 27. Apr., et privil. statutionis a 1340. 1. Maii, per capit Strig. facta. Vide orig. sub nr. 348 et 349. 1340. 27. Apr. 1. Maii.

Petens nos cum instancia, ut ipsas litteras rescripcionales predicti capituli ecclesie Strigoniensis, de verbo ad verbum presentibus transcribi facere dignaremur, ad cuius peticionem nos ipsas litteras, prout rite et legitime emanate, eedem littere existunt, presentibus duximus transcribendas, predictas autem litteras rescripcionales ipsius capituli Strigoniensis, capite sigilli nostri includi faciendo. Datum in *Damas, loco venacionis nostre,* in vigilia festi Penthecostes, anno Domini millesimo ccc° XL^mo secundo.

E transsumpto capituli Vaciensis, ad preces Petri, fili Petee de Epely, a. 1377. 6. Maii dato. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 37. fasc. 1. nr. 1.

614.

1342. (Szekszárd.) 31. Maii. — Conventus Szekszárdiensis, filios Pauli Zupa, more latronum, domos filiorum Stephani Szakálos, expilasse testatur.

Excellentissimo domino ipsorum K(arolo), Dei gracia illustri regi Hungarie, *conventus* monasterii *Saxardiensis,* oraciones in Domino. Litteras vestre serenitatis recepimus, honore cum decenti, et iuxta earundem continenciam, unacum Demetrio de *Ruuasd,* homine vestro, nostrum hominem Nicolaum clericum chori nostri fidedignum, pro testimonio transmisimus ad infrascripta exequenda. Qui postmodum ad nos reversi nobis concorditer retulerunt, quod ipsi feria quinta proxima post festum sancte Trinitatis proxime preterita, accessissent ad comitatus *Baranya* et *Symigiensem,* et in eisdem circuendo, prefatus homo vester, presente eodem nostro testimonio, a nobilibus comprovincialibus et ab aliis cuiusvis status et condicionis hominibus diligenter inquirendo, sicut scire potuisset, sic scivisset, quod Nicolaus et Johannes, filii Pauli dicti *Zupa,* cum famulis et iobagionibus magistri Petri, filii *Ders* et famulis Petri, filii Johannis de *Vizlow* (expunct.: ac aliis famulis et iobagionibus) ac aliis eorum complicibus, feria quinta proxima post festum Resurreccionis Domini nunc preteritum, more latronis ad domum Andree et Petri, filiorum Stephani, dicti *Zakalus* de *Karaan,* in eadem Karaan habitam, hora aurore irruissent et eosdem interficere voluissent et easdem domos ipsorum confregissent, universa eorum bona mobilia videlicet et immobilia, ac litteralia instrumenta eorum penitus abstulissent et duas nobiles dominas, consortes eorumdem Andree et Petri denudassent, et cum eosdem malefactores in villa ipsius magistri Petri *Zenthlaslo* vocata, cum nobilibus ipsius provincie et proximis eorum insecuti fuissent, et ipsos malefactores, ac seipsos per Ladislaum, officialem ipsius magistri Petri et populos de eadem villa Zenthlazlow legitime detineri facere voluissent, iidem Ladislaus et populi eiusdem ville, predictos malefactores cum ablatis abire permisissent, *ymo* eisdem auxilium prebuissent et iuvamen. Datum, secundo die festi Corporis Christi, anno eiusdem M° ccc° LX^mo secundo. 1342. 23. Maii. 1342. 4. Apr.

Extus: Domino regi, pro Andrea et Petro filiis Stephani de *Karaan*, contra Johannem et Nicolaum filios Pauli dicti *Zupa*, inquisitoria. — In exteriori margine vestigium sigilli appressi. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 1. fasc. 5. nr. 16.

615.

1342. Visegrád. 2. Jun. — Abbates ordinis s. Benedicti, apud coenobium s. Andreae Apost. in Visegrád, ad capitulum provinciale congregati, monasterio de iuxta Grón, expensas in complurium monasteriorum reparationem ac recuperationem factas, resarciunt.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. VIII.[4] p. 604.

616.

1342. Damás. 8. Junii. — Carolus I. rex mandat capitulo Strigoniensi, ut possessionem Csáth inter Meskonem episcopum Vesprimiensem et praepositum de Dömös dividet.

Tenorem vide sub nr. 634.

617.

1342. Esztergom. 20. Junii. Paria literarum fundationalium ecclesiae Divékiensis.

Nos Aegidius et Petrus de *Egyházdiak*, filii egregii Thomae Chorba, de eadem Egyházdiak, memoriae comendamus tenore praesentium, significantes quibus expedit universis, notitiam praesentium habituris: quamquam nos haereditatem possessionis nostrae Egyhazdiak vocatae, in comitatu Nitriensi habitae, nostra ex propria haereditate, quam nostri parentes et praedecessores suis propriis viribus, fidelibusque servitiis aquisiverunt, agnoscentes igitur, quod mortis ianuas omnes homines comuniter ingrediuntur, in futurum etiam nullum habentes pro refrigerio auxilium, nisi quas hac in valle miseriae piae manus erogarent elemosynas; unde sicut corpus medicamentis in hac vita sustentatur, sic anima in futuro, piis elemosynis hic porrectis, alitur.

Et quia in territorio, eiusdem nostrae possessionis Egyhazdiak, non habentes locum stabilem, ex parte aedificationis ac situationis curiae plebani, una cum domo scholae, ubi continue, quasi propter instabilitatem curiae plebani, carebat stipendio ipsa ecclesia Omnium Sanctorum rectorum et curatorum animarum Christicolarum, ea propter de causa decrevimus, nos praedicti Aegidius et Petrus, filii dicti Thomae de Csorba, nihilominusque ordinavimus nostra et propria conscientia, ut status ac situatio praedictae curiae plebani, una cum schola, in nostra propria portione possessionaria, aedificaretur et situaretur; adiecimusque etiam ad circa et donavimus ex ipsa praedicta haereditate Egyhazdiak, ut puta mediam tertiam curiam, cum terris et pratis his infra notatis:

Item ad eandem curiam plebani, primas terras donavimus mox infra decimam sextam curiam *Vasardiak*, a parte ortus solis usque fluvium, qui fluit per eandem Vasardiak, quae etiam terrae adiacent cum uno fine, quasi ab Ecclesia ad aquam *Nittra*. Item pratum unum, quod vulgo dicitur *Schigote*, sub rippa aquae Nittra. Item alias terras adiecimus et donavimus, quae terrae adiacent infra imaginem mediam, cum fine uno ad viam, alteroque ad eandem Nittra, et pratum secundum et inter praedictas terras ibidem adiacentes et inter aquam Nittra. Item scholae locum, causa situationis, etiam in nostra propria portiuncula

statuimus et decrevimus, quae portiuncula vel media curia sessionis, adiacet superius Ecclesiam Omnium Sanctorum, a parte ortus solis et infra primam sessionem Vasardiak, una cum horto.

Hoc totum provenire debentes in usum plebaniae Omnium Sanctorum et eiusdem scholae in eadem possessione nostra Egyhazdiak constructae, dedimus et assignavimus ea conditione: quod quivis plebanus, cum scholastico suo, dictae Ecclesiae situatae in nostra haereditaria possessione, qualibet hebdomada duas missas perpetuo celebrare, extra festa solemnia teneatur; una sabbatis diebus de B. V. scilicet: Salve Sancta parentem, et in eadem missa rector scholae teneatur cecinere, post elevationem Sanctissimi Corporis Christi, antiphonam: O Maria mater Christi eris; et aliam missam secundis feriis pro defunctis nostrorum antecessorum et posteritatum, in qua quidem missa defunctorum etiam debeat dalcisonare (sic!) rector scholae antiphonam: Salve regina etc. Insuper quivis plebanus Ecclesiae eiusdem Omnium Sanctorum, in nostra haereditate situatae, nostrae possessionis haeredum et posteritatum nostrarum, omnibus *sacramentis* ac iuribus Ecclesiae, ut puta baptismo, copula, utraque introductione, vigiliis, novem lectionum unitis laudibus et sepultura ac pulsu funeris, gratis teneatur administrare et attribuere. Hoc denique specificato, quod si aliquis plebanorum, temporis in processu, dictas missas celebrare vel celebrari facere nollet, extunc quivis plebanus talis, his curiis praedictis et terris, ac earumdem omnibus utilitatibus, per nostras posteritates, in hac possessione Egyhazdiak situatis, libere privetur. Et e converso, sub posse et dominio haeredum et posteritatum nostrorum in eadem Egyhazdiak comorantium et residentium usurpetur et subiugetur, et inde ipsa curia plebani in pristinum locum suum collocetur et situetur, ut puta in vicinium eius loci, qui locus adiacet quasi infra Vasardiak, videlicet inter Ecclesiam et inter fluvium, ubi situata ab antiquo erat, eo facto; et singula praemissa spontanea nos et haeredes nostros obligavimus voluntate. Unde si quis, haeredum videlicet, vel superstitum nostrorum, sine praedicta supra causa (!), dictam nostram dispositionem confringere, vel quoquomodo fraudulenter violare attentaverit, extunc in excomunicationem, iramque Dei Omnipotentis ac B. M. V., necnon OO. SS. incurrat et incidat perpetue ac in . . . Harum nostrarum, quibus sigillum nostrum authenticum, quo utimur apponi et supponi in zona seritia fecimus, vigore testimonio litterarum mediante. Datum *Strigonii,* feria quinta proxima ante festum beati Joannis Baptistae. Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo.

Praesentem copiam, cum suo vero originali exacte et diligenter, in quantum fieri potuit ob antiquitatem suae, per me comportatam, in omnibus suis punctis et clausulis conformem esse testor. Datum Csepenth die 16 May 1821 Ladislaus Cziry Judlium m. p. — Orig. erui non potui. Ex MS.: Alecta Strigon. Eccl., in frag. remaṇ.

618.

1342. Gömör. 1. Julii. — Dominicus vicearchidiaconus, Catharinam, relictam Johannis Bek de Szkáros, comitem Nicolaum de rebus suis parafernalibus et dote expeditum reddidisse, perhibet.

Nos Dominicus sacerdos de *Capulna,* vicearchidiaconus *Gumuriensis,* vicesgerens magistri *Jacobi* decretorum doctoris, ac *prepositi* ecclesie *sancti Thome* martyris de promontorio *Strigoniensi,* nec non venerabilis in Christo patris

domini *Ch(anadini)* Dei et apostolica gracia archiepiscopi Strigoniensis vicarii in spiritualibus generali, memorie commendamus, quod cum nobilis domina Katha vocata, filia Gregorii de *Waal,* relicta Johannis dicti *Bek* de *Scarus,* comitem Nicolaum filium Nicolai de eadem Scarus, super dotis et rerum parafernalium suarum, que cidit sibi de porcione possessionaria dicti Johannis mariti sui, ad nostram presenciam in causam atraxisset, tandem composicione et ordinacione proborum et nobilium virorum, per partes adductorum interveniente, taliter concordarunt; quod idem comes Nicolaus, pro dote sua et rebus parafernalibus suis, ipse domine persolvit sex marcas coram nobis, quibus receptis et persolutis ipsum comitem Nicolaum, medio premisse dotis et rebus parafernalibus suis, eadem domina reddidit et reliquit coram nobis pure et simpliciter expeditum et per omnia absolutum. Datum in villa *Gumur,* feria secunda in octavis videlicet beati Johannis baptiste. Anno domini M° ccc^mo^ xl^mo^ secundo.

Sigillum marg. ext. fuit appress. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nat. Bpest. Arch. fam. Nagy Iván. Fasc. VI. nr. 53.

619.

1342. Visegrád. 8. Jul. — Vilhelmus Drugeth palatinus, Clementinum de Tarkő, fratres Ricolfum praepositum et Michaelem ordinis s. Sepulchri, ab alienatione possessionum Komlós et Landek, prohibuisse perhibet.

Nos Wyllermus Druget palatinus et iudex Comanorum, damus pro memoria, quod magister Clemens, filius magistri Rykolphi de *Torkeu* pro se, Ladislao, Johanne, Laurentio et Nycolao, ac ceteris fratribus suis uterinis, ad nostram personaliter accedens presenciam, nobis suo et fratrum suorum iamdictorum nominibus, per modum protestacionis significare curavit, quod prout ipsi percepissent, religiosi viri fratres Rycofus (sic!) prepositus de *Landek* et Mychael ordinis sepulchri Dominici, super quadam possessione *Komlós* vocata, in comitatu de Sarus existente, quam a nobili viro magistro Johanne de *Sumus,* suo ac prioris et capituli Jerosolimitani, qui nunc per se commorantur nominibus, iidem fratres ordine judiciario recaptivaverant et reposcunt, nunc cum filiis eiusdem magistri Johannis: Georgyo, Petro, Ladislao, Nicolao ac ceteris, ad talem composicionem seu ordinacionem intendent devenire, per quam ipsa possessio Komlos, vel possessio Landek supradicta, quarum alter ad ipsos magistros Clementinum, filium Rycolfy et fratres suos esset devolvenda, in toto alienaretur ab eisdem. Quam ob rem, fratres Rycolphum et Mychaelem de Landek et quoslibet alios fratres eiusdem ordinis, ac filios magistri Johannis de Sumus supradictos et alios quoslibet de generacione eorundem, prohiberent ab ipsa composicione, ac eciam alia quacumque, per quam, ut premittitur, altera possessionum predictarum alienari possit ab eisdem filiis Rycolphi, seu in preiudicium eorum perpetuari cuiuscumque; et sepedictus magister Clementinus nomine quo supra, prohibuit coram nobis. Datum in *Wyssegrad,* in quindenis festi nativitatis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ secundo.

Extus: Pro Clementino, filio magistri Rycolfy ac fratribus suis uterinis, contra fratres Rycolphum et Mych[aele]m de Landek et alios interius nominatos prohibitoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest. Arch. Fam. Berzeviczy Fasc. IV. sub. lit. A.

620.

1342. Avignon. 8. Julii. Clemens. PP. VI., Michaelem, e praeposito Posoniensi, Vaciensem electum confirmatum, archiepiscopo Strigoniensi commendat.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri . . . archiepiscopo Strigoniensi, salutem et apostolicam benedictionem. Ad cumulum tue cedit salutis et fame, si personas ecclesiasticas, presertim pontificali dignitate preditas, divine propiciationis intuitu, oportuni presidii et favoris gracia prosequeris. Dudum siquidem ecclesie *Waciensis,* per obitum bone memorie *Rudolphi,* episcopi Waciensis, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris regimine destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum et Spiritus Sancti gracia invocata, deliberantes in huismodi electionis negocio, per viam procedere compromissi, dilecto filio *Johanni Martini Berend,* preposito ecclesie *Orodiensis, Cenadiensis* diocesis, assumendi tres personas de dicto capitulo, que, vel eorum maior pars, per electionem canonicam vel postulationem concordem, ecclesie predicte ea vice de pastore providerent, concesserunt unanimiter potestatem; promittentes, illum in eorum episcopum et pastorem recipere et habere, quem illi tres compromissarii, assumendi per dictum Johannem, eligendum ducerent vel etiam postulandum. Prefatus vero Johannes, huiusmodi potestate recepta, habita deliberacione intra se diligenti, dilectos filios *Dominicum* de *Zygetahew* et *Nicolaum Pestiensem* archidiaconos, ac magistrum *Mikonem,* canonicum eiusdem ecclesie, ad providendum eidem ecclesie, ut premittitur de pastore assumpsit. Qui Dominicus, Nicolaus et Miko, recepta huiusmodi potestate, secedentes in partem, post deliberationem, quam intra se super hoc habuerunt diligentem, ad dilectum filium *Michaelem* electum Waciensem, tunc prepositum ecclesie Posoniensis, tue Strigoniensis diocesis, in diaconatus ordine, ac vicesimo quinto anno etatis sue constitutum, licet in sinistro oculo maculam habentem, direxerunt unanimiter vota sua; ac predictus Dominicus, vice sua et collegarum suorum, et dictorum capituli nomine, ac de ipsorum mandato, eundem Michaelem in Waciensem episcopum postulavit, ac postulationem huiusmodi a dict*is* capitulo concorditer acceptatam, de mandato eorumdem capituli, clero et populo, publicavit. Ipseque Michael, presentato sibi, pro parte dictorum capituli, ipsius postulationis decreto, eidem postulationi non consentiens, nec dissentiens, se super hy*s* gracie et beneplacito apostolice sedis commisit. Ac deinde, cum idem Michael tunc nec post, proter inimicias capitales, quas absque culpa sua in illis partibus habebat, sicut adhuc habere se asserit, ad sedem apostolicam, absque mortis periculo accedere non auderet, ipse ac dict*i* capitulum, certos procuratores nuncios et excusatores, pro sua excusatione ac prosecutione, dicte postulationis, ad sedem destinarunt eandem, felicis recortionis *Benedicto pape XII.,* predecessore nostro, tunc in humanis agente. Dictoque predecessore, sicut Domino placuit postmodum rebus humanis exempto, nobisque ad apicem summi apostolatus assumptis et pro parte, dictorum capituli, huiusmodi postulationis et impedimentorum negocio proposito in consistorio, coram nobis, prefati procuratores et nuncii nobis humiliter supplicarunt, ut dictam postulationem, ipsius nobis presentato decreto, admittere dignaremur, in hy*s* omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nosque postulationis, et impedi-

mentorum predictorum, negotium per venerabilem fratrem nostrum *Gaucelinum,* episcopum *Albanensem,* examinari fecimus diligenter, et facta nobis ab episcopo predicto, super hys relatione fideli, quia invenimus impedimenta predicta legitime probata fuisse, ac postulationem predictam de prefato Michaele, in dictis diaconatus ordine, ac vicesimo quinto anno etatis sue constituto, viro utique litterarum, scientia predito, vite et morum honestate decoro, in spiritualibus provido, et in temporalibus circumspecto, ac aliis multiplicium virtutum meritis, sicut habet fidedignorum assertio, insignito, canonice celebratam, eam non obstantibus defectu etatis et macula, quam idem Michael patitur, ut prefertur, super quibus secum auctoritate apostolica dispensavimus, de benignitate dicte sedis duximus admittendam, ipsumque Michaelem, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica, dicte ecclesie Waciensis prefecimus in episcopum et pastorem, curam, et administrationem ipsius Waciensis ecclesie sibi, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, plenarie committentes, firma spe fiduciaque conceptis, quod dextera Domini eidem electo assistente propicia, prefata ecclesia Waciensis, sub fructuosi regiminis sui cura, votiva commodi et honoris suscipiet incrementa. Cum igitur, ut idem electus, in commissa sibi ecclesie Waciensis predicte cura, facilius proficere valeat, tuus favor sibi esse noscatur plurimum oportunus, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatinus eundem electum suffraganeum tuum, et commissam sibi ecclesiam, habens pro nostra et apostolice sedis reverencia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis iuribus suis sic eum tui favoris presidio prosequaris, quod ipse per tue auxilium gracie se possit in commisso sibi eiusdem ecclesie Waciensis regimine utilius exercere, tuque divinam misericordiam et dicte sedis benevolenciam valeas exinde uberius promereri. Datum, *Auinione,* VIII. Idus Julii, pontificatus nostri anno primo.

Sub plicatura: Christianus. — Extus in plicatura a dextris: Gasbertus. — A tergo: Johannes de Placentia. Regestrata.

Bulla e filo cannabi pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap, Strigon. Priv. Lad. 44 fasc. 2. nr. 6. — Theiner Monum. Eccl. Hung. Hist. I. 648. edid. exemplar Tabul. Vatican.

621.

1342. Visegrád. 15. Jul. — Wilhelmus Druget, palatinus causam abbatis s. Benedicti contra filios Jacobi et Anthonium nobiles de Óhaj motam, prorogat.

Nos *Wyllermus, Drug[et],* palatinus et iudex Comanorum, damus pro memoria, quod causam quam dominus *abbas* et conventus monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gron,* pro quibus frater Paulus, cum procuratoriis litteris eorumdem astitit; contra Petrum, Stephanum et Mychaelem, filios Jacobi, pro quibus Thomas filius Andree, cum procuratoriis litteris iudicis curie regie astitit, et Anthonium, filium Stephani, personaliter astantem, nobiles de *Ohay,* iuxta continenciam litterarum inquisicionalium capituli ecclesie *Strigoniensis,* formam nostri iudicii exprimencium, in quindenis festi nativitatis beati Johannis Baptiste movere habebat coram nobis, causa maturioris deliberacionis, ad octavas festi sancti regis Stephani nunc venturas, statu in eodem, peremptorie duximus prorogandam. Datum in *Wysegrad,* octavo die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xL^mo secundo. 1342. 8. Jul. 1342. 27. Aug.

Extus: Pro abbate et conventu sancti Benedicti de iuxta Gron, contra filios Jacobi et Anthonium filium Stephani, ad octavas festi sancti regis Stephani prorogatoria. — In margine exteriori vestigium sigilli appressi. — Orig. in scheda membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 1. fasc. 8. nr. 20.

622.

1342. (Esztergom.) 1. Aug. — Capitulum Strigoniense, divisionem possessionis Csáth, in comitatu Tolna existentis, inter Meskonem episcopum Vesprimiensem et praepositum de Dömös peregisse, Ludovico I. regi rescribit.

Tenorem vide sub nr. 634.

623.

1342. Szepeshely, 18. Aug. — Urovinus, Cracoviensis et Scepusiensis canonicus, Joannis praepositi Scepus. vicarius generalis in spiritualibus, decimas possessionum Harakocz et Korotnok, contra Demetrium canonicum Scepus., Ladislao rectori ecclesiae de Harakocz (Herkovycz), adiudicat.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX.[1] p. 77.

624.

1342. Visegrád. 19. Aug. — Wilhelmus Drugeth palatinus rogat capit. Scepusiense, ut in causa inter filios Rycolphi et filios Somos exorta, inquiret.

Tenorem vide nr. subsequenti 625.

625.

1342. (Szepeshely,) 17. Sept. — Capitulum Scepusiense, seriem inquisitionis in Lucska et Haruncsár peractae, Vilhelmo Drugeth palatino rescribit.

Magnifico viro domino *Wyllermo Drugetth,* palatino et iudici Comanorum, capitulum ecclesie beati Martini de *Scepus*, oraciones in domino. Litteras magnificencie vestre, nobis per magistrum Johannem filium Rykolphy de *Tarkew* exhibitas, cum honore recepimus in hec verba:

Amicis suis reverendis, capitulo ecclesie Scepusiensis Wyllermus Drugetth, palatinus et iudex Comanorum, amiciciam paratam debito cum honore. Magistri Lad(islaus) et Clemens, filii magistri Rykolphy, filii Rykolphy *de Tharkew,* sua et dicti Rykolphy patris ipsorum, nec non Nicolai, Laurencii et Johannis fratrum ipsorum in personis, dicunt nobis, (em.: quod) iidem Lucas, filius Petri, filii Symonis, St(ephanus) dictus *Zumor,* filius dicti Luce et Jacobus filius Pauli, nobiles de *Luchka* et de *Harunchar*, litteras inquisitorias et protestatorias, contra ipsos occulte et fraudulose emanari super eo procurassent et procurarent, ut dicte possessiones, Luchka et Harunchar vocate, in vicinitate possessionis eorum Tharkew existentes, per factum ipsorum essent destructe seu desolate; que tamen possessiones, prout iidem filii Rykolphy nobis retulerunt, non per factum ipsorum, sed pro eo, quia porciones possessionarie Luce, St(ephani) et Jacobi antedictorum, in dictis possessionibus habite comiti Paulo iudici curie regie, ac nobis pro quibusdam iudiciis in quibus ipsi convicti extitissent, fuissent occopate; et eciam, *cum dominus noster rex exercitum misisset in Poloniam contra Tartaros*

pugnaturum, totus exercitus in eisdem villis descendisset et quinque diebus super ipsos permansisset, quia in campo eo tempore descendere minime valuissent; quo tempore eciam possessiones aliorum nobilium et eciam ecclesie, non solummodo ipsorum, impedite et destructe extitissent. Rursum, quia idem Lucas, cum filiis suis et filii Pauli antedicti, item filii Dominici et Laurencii, filii eiusdem Symonis de eadem Luchka et Harunchar domos, horrea, stabula et alia edificia vendunt (sic) ad possessiones domini regis et quorumlibet aliorum, fuissent destructe et devastate, et ex eo ipsi, in omnibus premissis et singulis premissorum, innocentes penitus essent et immunes. Super quo amiciciam vestram presentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente Johannes filius Mich(aelis), aut Jacobus filius Mich(aelis) de *Kend,* vel Matheus filius Mykd de *Segre,* aut Lad(islaus) filius Mich(aelis), aliis absentibus homo noster, ab omnibus, quibus decet et licet palam et occulte diligenter inquirendo, super premissis sciat et inquirat omnimodam veritatem et post hec prout vobis veritas exinde constitit*ur,* nobis amicabiliter rescribatis. Datum in *Wyssegrad,* feria secunda proxima ante festum beati regis Stephani, anno Domini M^mo^ ccc^mo^ XL^mo^ secundo. 1342. 19. Aug.

Nos itaque peticionibus vestris benevole annuentes, una cum predicto (expunct.: Mathias et) Johanne (expunct.: hominibus) homine vestro, nostrum misimus hominem virum *y*doneum, *Mathiam* presbiterum chori nostri prebendarium, ad premissa diligenter exequenda. Qui demum reversi, nobis concorditer retulerunt, quod feria secunda proxima post festum Exaltacionis Sancte Crucis, ab omnibus nobilibus et ignobilibus cuiusvis status et condicionis hominibus, quibus decuisset et licuisset idem hom*ine* vestro, dicto testimonio nostro presente, palam et occulte diligenti inquisicione premissa, talem de premissis scivisset veritatem: quod prefate possessiones, Luchka et Harunchar vocate, Luche, St(ephani) et Jacobi antedictorum, non per factum magistri Rykolphy supranominati, aut filiorum eiusdem magistri Rykolphy annotatorum forent desolate et distructe, sed primo pro eo, quia porciones possessionarie Luche, St(ephani) et Jacobi supradictorum, in dictis possessionibus Luchka et Harunchar habite, comiti Paulo iudici curie serenissimi domini nostri regis, ac vestre magnificencie, pro quibusdam iudiciis in quibus ipsi convicti extitissent, fuissent occupate; et secundo pro eo, quia cum dominus noster rex prelibatus, exercitum in Poloniam misisset contra Thartaros dimicaturum, totus exercitus in eisdem villis descendisset et quinque diebus in ipsis permansisset, eo quod in campo propter *frigus et gelu* descendere minime potuisset; quo tempore eciam possessiones aliorum nobilium et eciam ecclesie, non solum ipsorum extitissent impedite et destructe; ac eciam tercio ex eo, quia idem Lucas, cum filiis suis et filii Pauli antedicti, item filii Dominici et Laurencii, filii eiusdem Symonis de eadem Luchka et Harunchar domos, horrea, stabula et alia edificia venderent ad possessiones ipsius domini nostri regis et quorumlibet aliorum, fuissent destructe ac devastate; et si iidem Lucas, Stephanus et Jacobus, aliquas litteras inquisitorias seu protestatorias, contra ipsum magistrum Rycolphum et filios suos annotatos super eo, ut dicte possessiones Luchka et Harunchar per factum ipsorum essent destructe et desolate, emanari procurassent, contra Deum et iusticiam, eedem litere emanassent, quia idem magister Rycolphus et filii sui sepius nominati, in omnibus premissis et singulis premis- 1342. 16. Sept.

sorum essent penitus innocentes et immunes. Datum, feria tercia post dictum festum Exaltacionis Sancte Crucis, anno Domini prenotato.

Extus: Magnifico viro domino Wyllermo Drugetth, palatino et iudici Comanorum, pro Rycolpho ac Lad(islao), Clemente, Nicolao, Laurencio et Johanne, filiis eiusdem, contra Lucham filium Petri, St(ephanum) dictum Zomor et Jacobum filium Pauli nobiles de Luchka, inquisitorie. — Sigillum marg. exter. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest. — Arch. Fam. Berzeviczy. Fasc. 13. sub A. nr. 121.

626.

1342. Visegrád. 28. Sept. — Ludovicus I. rex, mandat capitulo Vesprimiensi, ut litteras regias magistro Band, castellano de Hegyesd exhibeat.

Tenorem vide sub nr. 674.

627.

1342. (Veszprém) 9. Oct. — Capitulum Vesprimiense magistrum Band, castellanum de Hegyesd, villas Apáti, Győr, Felső et Alsó Atak, abbati de Almád, sine contradictione reddidisse, Ludovico I. regi rescribit.

Tenorem vide sub nr. 674.

628.

1342. Visegrád. 20. Oct. — Nicolaus palatinus possessiones Őr, Heimburg et Lomnic, a cruciferis in Landek redemptas, filiis Ricolphi adjudicat.

Nos *Nicolaus* palatinus, et iudex Comanorum, memorie commendantes tenore presencium significamus quibus expedit universis, quod in causa quam magister Petrus, filius Johannis de *Sumus*, iuxta continenciam litterarum prorogatoriarum *Wyllermi Drugetter*, (sic) *quondam palatini bone memorie*, predecessoris nostri, contra magistrum Rykolphum filium Rykolfi, in octavis festi beati Martini confessoris in exhibicionibus instrumentorum, si medio tempore nequivissent concordasse, habebat coram nobis; Johanes (sic) filius *Chuda*, cum procuratoriis litteris capituli ecclesie Sepesiensis, vice et nomine ipsius magistri Petri, filii Johannis de Sumus, in iamdictis octavis festi beati Martini confessoris, ad nostram accedens presenciam, nobis quasdam litteras memoriales eiusdem Wyllermi palatini, formam iudicii sui continentes demonstravit, in quibus conspeximus evidenter, quod anno dominice incarnacionis M° ccc° xl^mo primo, in quindenis festi pentecostes, Petrus filius Johannis, cum procuratoriis litteris capituli ecclesie de Sepus, pro magistro Johanne filio Georgii de Sumus, iuxta priorum suarum litterarum continenciam, ad ipsius palatini accedens presenciam, contra ipsum magistrum Rykolphum proposuisset eo modo: quod olym magister Kokos, frater carnalis magistri Rykolfi prenotati, quandam possessionem suam, *Komlous* vocatam, in comitatu de *Sarus* existentem, pro quingentis marcis fini argenti, predicto magistro Johanni filio Georgii de Sumus et suis heredibus, perpetuo vendidisset et eundem ab omnibus racione dicte possessionis sibi vendite inpetere attemptantibus, eciam cum gravamine suarum possessionum, propriis suis laboribus et expensis expedire assumpsisset, et ut iamdicta proposicio sua veritati consona habeatur vigore

1342. 18. Nov.

1341. 10. Jun.

litterarum privilegialium dicti capituli Sepsyensis ecclesie, ibidem premissa, comprobasset; ex eoque quia fratres cruciferi ordinis dominici sacri sepulcri de *Landek*, racione ipsius possessionis ipsum infestarent, ordine iudiciario eandem rehabere intendentes ab eodem, et ipse magister Kokos debitum exsolvisset omnis carnis et possessionarie porciones suc in ipsius magistri Rykolphi [.....] devenissent, ideo per eundem magistrum Rykolfum, racione prefate possessionis Komlos, iuxta vinculum obligacionis prescripti magistri Kokos [.....] expediri ab inpetitoribus cruciferis prenotatis. In cuius contrarium Johannes filius *Pousa*, procurator legitimus eiusdem magistri Rykolfi, possessionarias porciones prefati magistri Kokos, fratris sui, eundem magistrum Rykolfum non habere, eo quod iidem cruciferi de Landek, eodem magistro Kokos migrato ab hac luce, modo iudiciario procedentes, pro debito quo ipse Kokos adhuc vivens eisdem fratribus cruciferis persolvendo se obligasset, possessionarias porciones ipsius fratris sui requisivissent ab eodem; et super hoc evidencia habere instrumenta respondisset. Ad quorum instrumentorum exhibicionem octavas festi beati Jacobi apostoli tunc succedentes, ipse palatinus assignasset; a quibus quidem octavis ipsa instrumentalia exhibicio, diversis dilacionum cautelis intervenientibus, usque presentes octavas festi beati Martini confessoris fuisset protelata; petens dicta assumpta instrumenta per eundem magistrum Rykolfum, ad examen judiciarium exhibere. Pro quo quidem magistro Rykolfo, Johannes filius Pousa, cum procuratoriis litteris capituli Sepsyensis predicti exsurgendo, nobis quasdam litteras patentes iamdicti capituli Sepsyensis eidem Wyllermo Drugetth palatino, iuxta continenciam litterarum memorialium magistri *Isep* viceiudicis eiusdem palatini, formam sue judiciarie deliberacionis continencium, ad tenorem earundem litterarum respondendo transmissas et alias litteras eiusdem magistri Isep similiter patenter emanatas, processus judiciarios continentes, nobis presentavit, expresse declarantes, quod religiosus vir frater Rykolfus, magister domus ordinis fratrum cruciferorum sacri sepulcri dominici, anno domini M° ccc° xl^mo in octavis festi beati Andree apostoli, iuxta tenorem litterarum prefati magistri Isep, ad ipsius accedens presenciam, contra magistros Johannem et Rykolfum, filios Rykolfi proposuisset eo modo, quod iidem magistri Johannes et Kokos frater suus, quandam possessionem ipsorum Landek vocatam, in districtu Sepsyensi existentem, suo et fratrum suorum nomine, cum universis utilitatibus suis et pertinenciis, pro possessione eiusdem ordinis Komlous vocata, in comitatu de Sarus existenti, titulo concambii eidem ordini contulisset perpetuo possidendam; assumpmens idem magister Kokos, racione ipsius possessionis Landek, eosdem fratres cruciferos, ab omnibus inquietare volentibus propriis laboribus et expensis expedire et a debito domini prepositi Sepsyensi liberare; pro quoquidem debito, ab anno domini M° ccc° tredecimo incipiens, usque ipsius quadragesimi anni complecionem, singulis annis eidem domino preposito preposito (sic!) Sepsyensi, singulas marcas compoti Budensis, racione census kathedratici de ipsa possessione Landek iidem fratres curciferi persolvissent; adhuc eciam ipse magister Kokos, coram eodem capitulo Sepsyensi comparendo, ab eodem anno Domini M° ccc° tredecimo magistro cruciferorum et fratribus cruciferis ab eadem Landek, sexaginta marcas argenti, racione ablacionis bonorum et rerum ecclesie ipsorum cruciferorum usque ad terminum in eiusdem capituli presencia

1341. 1. Aug.

1342. 18. Nov.

1340. 7. Dec.

persolvere assumpsisset, ea condicione mediante; quod si non soluta pecunia prenotata eundem magistrum Kokos decedere contigisset, extunc sui successores in sua possessionaria porcione sibi succedentes, ipsam pecuniam sexaginta marcarum fini argenti eisdem fratribus persolvere debuissent. Ipseque magister Kokos, ipsa pecunia non soluta decessisset et premissa omnia instrumenta prescriptus frater Rykolfus, testimonio litterarum privilegialium pluries dicti capituli Sepsyensis, et duarum clausarum litterarum eiusdem capituli, ac tercie littere honorabilis viri magistri Johannis prepositi eiusdem Sepsyensis ecclesie prelucide conprobasset, et ipsius pecunie sexaginta marcarum argenti et viginti septem marcarum, compoti Budensis, quantitatem sibi reddi postulasset. Quorum quidem magistrorum Johannis et Rykolfi legitimi procuratores, eo proposicionis tempore adherentes respondissent e converso; quod, quia idem frater Rykolfus, prefatam possessionem Komlos concambio venditam ad proprietatem eiusdem ecclesie cruciferorum intenderet revocare si eandem rehabere valeret, dictaque possessio Landek eisdem filiis Rykolfi devolveretur condigna estimacione valoris possessionarie porcionis eiusdem magistri Kokos mediante, ipsam sumpmam pecunie persolvere prompti fierent et parati. Si vero ipsi fratres cruciferi, eandem possessionem Komlous rehabere non valerent, ex eoque sepedicta possessio Landek ad ipsos filios Rykolfi revolvi non posset, ex tunc de medietate possessionis, *Lumpnicha* vocate, in eodem districtu Sepsyensi existentis et de aliis possessionibus ipsius magistri Kokos, *Hewr* et *Kolchuan* nominatis, et ibidem in ipso districtu adiacentibus, ad ipsam pecuniam sexaginta marcarum argenti et viginti septem marcarum compoti Budensis in valore se extendentibus, satisfaccionem exhibere spopondissent. Quos quidem magistros Rykolfum et Johannem, filios Rykolfi, a possessionaria solucione et prefatum fratrem Rykolfum a recepcione et occupacione ipsius possessionarie solucionis, coram eodem magistro Isep, magister Lad(islaus), filius ipsius magistri Rykolfi, modo protestatorio prohibuisset, seque easdem possessionarias porciones, quod ipsa pecuniosa solucione eisdem fratribus redigendis, pro prefata sumpma pecunie quantitate regni consuetudine requirente redimere velle allegasset, condigno suo precio et valore. Premissis itaque litigionariis seu causalibus processibus et prohibitoriis obstaculis requirentibus, quia ipsa causalis processus, absque possessionariis reambulacionibus, estimacionibus et regalibus mensuracionibus, debito modo nullatenus poterat def/iniri, ipse magister Isep, scribendo amicabiliter prelibato capitulo ecclesie Sepsyensis, diligenter ipsum postulasset, ut ipsum capitulum suum daret hominem pro testimonio fide dignum, quo presente Detricus filius *Leuke,* homo domini sui Wyllermi palatini, in octavis festi penthecostes tunc venturis, ad faciem prefate possessionis Landek accedendo, eamque universorum commetaneorum et vicinorum suorum circumquaque existencium legitimis convocacionibus factis, conspectis utilitatibus eiusdem quibuslibet per suas metas reambulando, Deo pro oculis habito, regni consuetudine requirente, suo valore estimare et regali mensura mensurare; quam si in suo valore interposita regali mensuracione et regni consuetudinaria estimacione predictas sexaginta marcas argenti et viginti septem marcas grossorum, compoti Budensis valore inveniretur, eidem fratri Rykolfo et ecclesie cruciferorum ordinis sacri sepulcri dominici statuetur pro premissa sumpma pecunie quantitate; si autem prescriptus frater Rykolfus pretactam possessionem Komlos in concam-

1342. 26. Maii.

bium eiusdem possessionis Landek datam, medio tempore valeret rehabere; alioquin de eadem possessione Lumpnicha et de aliis possessionibus prefati magistri Kokos, ipsis Rykolfo et Johanni devolutis, habita premissa regali mensuracione et consuetudinaria regni estimacione, eidem crucifero satisfaceret pro pecunia prenotata. Ipse vero magister Lad(islaus), filius magistri Rykolfi, easdem possessionarias porciones pro premissa pecunie quantitate eidem fratri Rykolfo et ecclesie cruciferorum premisso modo assignandas, ipsa pecunia eisdem fratribus cruciferis persoluta redimendi liberam habuisset facultatem, si contradiccione quorumpiam non fuisset obviatum; contradictoribus vero apparentibus, citacionis modo ad terminum competentem in causam *ad*tractis, ad presenciam palatini memorati. Quorum quidem possessionum reambulacio, mensuracio et estimacio ab eisdem octavis Pentecostes, tunc futuris, ad octavas beati Mychaelis archangeli, racione regali exercitus tunc moti, fuisset prorogata. Seriem autem omnium premissorum, in literis eiusdem capituli, cum omnibus suis exigentiis, partibus predictis octavum diem earundem octavarum festi beati Mychaelis archangeli pro termino assignasset. Ipso denique termino reportacionis serici omnium premissarum occurrente, eedem partes in litteris predicti capituli ipsius processus seriem eo modo reportassent, quod ipsum capitulum legitimis peticionibus dicti magistri Isep accquiesscens, ad premissa exsequenda Georgium presbiterum succentorem ecclesie Sepsyensis predicte, pro *y*doneo testimonio cum prefato Detrico filio Leuk, homine palatini prelibati, transmisissent. Quiquidem homo palatini, in predictis octavis festi beati Michaelis archangeli, ad prememoratas possessionarias porciones dicti magistri Kokos, videlicet ad medietatem *Lumpnicha*, *Hewr* et *Hemburg* accedendo, universis earum vicinis et commetaneis legitime convocatis, per suas metas reambulando, visis quibuslibet suis utilitatibus, Deo pre oculis habito et regali mensura consuetudine regni requirente, medietatem eiusdem possessionis Lumpnicha ad duodecim aratra regalis mensure cum medietate ecclesie ibidem constructe; possessionem vero Hewr ad quatuor aratra cum molendino unius rote cannalis; et possessionem Hemburg, cum capella ibidem constructa et molendino duarum rotarum cannalium, ad septem aratra, cum omnibus aliis utilitatibus suis pro preallegatis sexaginta marcis argenti et viginti septem marcis grossorum, compoti Budensis, estimasset, estimatasque prelibato Rykolfo cruciferi et ecclesie ordinis predicti pro dicta pecunie quantitate statuisset. Cuiusquidem possessionis Lumpnicha medietatis medietatem Herricus, filius magistri Johannis, filii Rykolfi; possessionem vero Hemburg Johannes, filius eiusdem magistri Johannis, filii Rykolfi; residuam vero medietatem medietatis possessionis Lumpnicha cum prelibata possessione Hewr, sepedictus magister Lad[islaus], filius Rykolfi, regali mensuracione mediante regni consuetudine exigente estimatas et ipsis cruciferis pro pecunia eorum statutas redimere ab eisdem cruciferis assumpsissent. Quas demum, prout in ipsius magistri Isep patentibus litteris exinde nobis presentatis conspeximus, iidem filii magistri Johannis et Lad(islai) filiis Rykolfi, ab ipsis cruciferis pro supradicta sexaginta marcarum argenti et viginti septem marcis grossorum, compoti Budensis, a prenominatis cruciferis consuetudinaria regni estimacione et mensuracione mediante redemissent. Visis itaque premissorum instrumentorum tenoribus, partibus explicatis, prememoratus procurator magistri Petri, filii Johannis, prememoratas litteras

1342. 6. Oct.

privilegiales sepius nominati capituli Sepsyensis nobis presentavit. In quibus priusdictam possessionem Komlós, per ipsum magistrum Kokos, pro quingentis m[arcis . . . . . .] eidem magistro Johanni, filio Georgii de Sumus, patri dicti Petri sub premisso vinculo expeditorio, anno Domini M° ccc° decimo nono, comperimus perpetue vendicionis titulo collatam extitisse, petentes parcium procuratores iuxta tenorem suorum instrumentorum iusticia, dominis ipsorum, quorum procuraciones exercebant, iusticiam inpertiri iuris tramite observato. Verum, quia sepiusdictus magister Kokos, in premissis instrumentorum tenoribus ad soluciones pecuniarias sexaginta marcarum argenti et viginti septem marcarum, compoti Budensis, se ut superius in presentibus lucidius intuentibus declaratur, ymmo ipso migrato non soluta ipsa pecunia exac (sic!) luce, quoslibet in suis possessionibus sibi succedentes, ante premisse possessionis Komlous vendicionem et eiusdem racione expeditoriam obligacionem, priusdictis cruciferis et ecclesie ordinis ipsorum premissis, moderatis vinculis obligasse reperiebatur, et tandem post ipsam obligacionem premissis cruciferis compromissam et litterarum vigoribus roboratam et vallatam eandem possessionem Komlous vendidisse et ad ipsius expedicionem, vinculo obligationis, se innodasse reperiebatur, pretactique cruciferi judiciaria processu mediante, lite contestata, ad prememoratas pecuniarias soluciones, ymmo et possessionarias, pro pecuniariis premissis, tot et tantas causalibus processibus, eundem magistrum Rykolfum coarcarant, ut prememoratas possessionarias porciones dictum magistrum Kokos contingentes, regni consuetudinaria lege requirente, regali mensura mensurari et estimari, ac ipsis cruciferis statui facere pro eadem pecunia oportebat, sicque iamdictas possessionarias porciones magistri Kokos mensuratas et estimatas et pro ipsa pecunia in manus eorundem cruciferorum per formam iudiciariam devolutas et ab ipso magistro Rykolfo alienatas, non ipse magister Rykolfus, sed Ladislaus filius suus et Herricus, ac Johannes filii magistri Johannis, filii Rykolfi, condigno suo precio et valore ab ipsis cruciferis redemisse reperiebatur; agnoscentes quoslibet priores contractus et obligaciones posterioribus obviare, ymmo et posteriores prevalere cum de prioribus legitimis causis prior speculacio habeatur, nec racione earundem possessionum magistri Kokos pro suo debito, prescripto modo per formam iudiciariam ad manus eorundem cruciferorum devolutarum, per ipsosque filios magistrorum Rykolfi et Johannis, ab eisdem in condigna sua estimacione pro prefata pecunia redemptarum, ab eodem magistro Petro de Sumus ad ipsius possessionis Komlós, per ipsum magistrum Kokos sibi vendite expedicionem compelli posse et coartari debere perspicabili iudiciarie deliberacionis moderamine decernentes, una cum baronibus et nobilibus regni iudiciario pro tribunali considentibus, eorundem matura deliberacione prehabita, prememoratas possessiones Hewr et Hemburg ac medietatem possessionis Lumpnicha, in ea quantitate, qua ex ipsa redempcione eisdem dinoscuntur pertinere, prescriptis magistris Ladizlao, Herrico et Johanni, filiis Johannis, filii Rykolfi, auctoritate iudiciaria adiudicamus tenore presencium, perpetuo possidendas et habendas, absque preiudicio iuris alieni; eidem magistro Petro, filio Johannis, filii Georgii de Sumus, racione earundem possessionum a cruciferis modo prehabito redemptarum, perpetuum silencium imponentes. Si vero aliquas possessiones vel possessionarias porciones ipsius magistri Kokos, preter prenominatas possessessiones ab ipsis cruciferis redemptas, apud

1319.

ipsum magistrum Rykolfum vel, filios suos, aut fratres eorundem et proximos vel quoslibet alios, ipse magister Petrus de Sumus reperiri facere poterit, ad ipsius possessionis Komlos expedicionem eosdem in causam attrahendi liberam habere decrevimus facultatem. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem pre[sentes] concessimus litteras privilegiales, pendentis et autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum in *Wysegrad,* quintodecimo die termini prenotati, Anno Domini Millesimo trecentesimo quatragesimo (!) secundo.

Extus: manus Saec. XV. adnot.: Lompnicza, Ewr. Illa autem Saec. XVII.: Az Hamboki Szent Zophia kapolnaját két kőre való malmostul és hét jobbagyostul miképpen valtottak az mi eleink az Baratoktul kezekhez, arrul való adjudicata. — Sigillum marg. ext. fuit appr. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest. Arch. Fam. Berzeviczy. Fasc. 1. sub lit A. nr. 4.

629.

1342. Hidvég. 29. Oct. — Nicolaus, regni Hungariae palatinus, recensens et considerans varia privilegia regia, in congregatione comitatus Hontensis, per Stephanum praepositum de Ságh exhibita, libertates et privilegia eiusdem monasterii acceptat et publicat.

Ed. Fejér: *Cod.* Dipl. VIII.[4] p. 639.

630.

1342. (Szepeshely.) 9. Nov. — Capitulum Scepusiense, dominam Elisabetham, relictam Somor de Enerke, Nicolaum canonicum Scep. et plebanum de Buda, de dote et rebus parafernalibus suis, penitus expeditum reddidisse testatur.

Capitulum ecclesie beati Martini de *Scepus*, omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris, presencium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore. Quoniam ea, que aguntur in tempore, simul cum decursu temporis evanescunt, nisi literarum presidio aut fidelium testium amminiculo in statum solidum rediguntur, proinde ad universorum noticiam, tenore presencium volumus pervenire, quod constitutis coram nobis personaliter honorabili viro magistro Nicolao, filio comitis Andree de *Villa-Canis,* fratre et concanonico nostro ac *plebano de Buda* ab una; ac domina Elyzabeth, filia Pauli, relicta *Somor,* filii *Aryus de Enezke* parte ab altera; eadem domina Elyzabeth, ministerio vive vocis est confessa: quod idem magister Nicolaus, sibi racionem quarte filialis, ipsam jure successionis ex parte matris sue in quibuslibet possessionibus ipsius magistri Nicolai ubilibet existentibus contingente, plenam et omnimodam satisfaccionem inpendisset et inpendit, quas propter ipsum magistrum Nicolaum ac heredes seu successores ipsius, racione huiusmodi quarte filialis dimisisset et dimisit, coram nobis, penitus liberum seu liberos, ac perpetuo solutum et solutos. Ita, quod nec ipsa domina Elyzabeth, nec heredes aut successores ipsius, ipsum magistrum Nicolaum aut successores seu heredes ipsius, racione dicte quarte filialis ulloumquam tempore impedire, seu quomodolibet valeat aut valeant molestare. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes nostras litteras privilegiales concessimus, nostri sigilli pendentis munimine roboratas. Datum in crastino octavarum festi Omnium Sanctorum, anno Domini M° ccc° xl° secundo.

Sigillum e zona membr. pendebat. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest. Arch. Fam. Berzeviczy. Fasc. 4. sub lit. C. nr. 319.

631.

1342. Buda. 18. Nov. — Ludovicus I. rex, nobilibus de Marcelfalva, liberam plebanum eligendi facultatem, concedit.

Nos *Lodouicus*, Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium, quibus expedit significamus universis, quod Andreas, filius Marcel de *Marcelfalua,* in sua et aliorum nobilium, proximorum suorum, de eadem, nec non universorum populorum et iobagionum nostrorum, ad ecclesiam *beati Mychaelis* archangeli, in terra nostra regali *Lipche* vocata constructa spectare debencium personis, ad nostre serenitatis accedendo presenciam, nostre humiliter supplicavit maiestati, ut eis simul cum iobagionibus nostris predictis, plebanum seu sacerdotem parochialem, quem ex communi consensu pro curacione animarum (expunct.: ipsorum) suarum eligere vellent, specialiter autem nunc *Johannem sacerdotem*, qui iam per ipsos, communiter et unanimi voluntate, in plebanum dicte ecclesie sancti Mychaelis archangeli elective assumptus extitisset, de regia benignitate liberam in dictam ecclesiam eligendi, electumque in plebanum dicte ecclesie sancti Mychaelis assumpmendi, concedere dignaremur facultatem. Nos igitur, qui cunctorum nostrorum subiectorum moderativas postulaciones auribus regie pietatis admitti debemus, precibus eiusdem Andree, filii Marcel, humi*l*imis, regio cum favore acquiesscentes, eisdem de regie liberalitatis clemencia duximus annuendum, ut iidem nobiles de Marcelfalua, simul cum iobagionibus nostris supradictis, plebanum seu sacerdotem parochialem, qui eisdem pro idonea persona, et ecclesie iuris a*m*inistracione sufficiens fore videbitur, a modo semper per se et pro se, specialiter autem nunc prenominatum Johannem presbiterum, qui iam per ipsos communiter in plebaniam dicte ecclesie sancti Mychaelis archangeli elective assumptus fuisse asseritur, absque comitis parochialis comitatus *Lipthouiensis*, pro tempore constituti repugnacione, iuxta libitum sue voluntatis, ex presenti nostra annuencia, communiter et unanimi voluntate in dictam ecclesiam sancti Mychaelis archangeli et in eius pacificam (!) plebaniam elective assumpmendi, electumque, et sic per ipsos communiter assumptum, *archiepiscopo Strigoniensi* ad confirmandum presentandi plenam habeant facultatem, presencium patrocinio mediante. Igitur vobis comitibus, vel vicecomitibus dicti comitatus de Lipthouia, nunc et pro tempore constitutis, in futurumque constituendis, quibus presentes ostenduntur, firmo regio sub edicto precipiendo mandamus, quatenus eosdem nobiles et iobagiones nostros regales, super facto predicte plebanie nullatenus molestare, nec aliqualiter vos in eiusdem factum et ordinacionem, quovis temporis in curriculo, intromittere presumpmatis; aliud non facturi. Datum *Bude,* in octavis festi beati Martini confessoris, anno Domini M° ccc° xl^mo^ secundo.

E transsumpto Sigismundi regis de a. 1399. — Orig. membr., in Arch. Primat. Arch. Ecclesiast. Vet. nr. 38.

632.

1342. Visegrád. 22. Nov. — Paulus. iudex curiae regiae, Stephanum, filium Pauli, iuramentum adiudicatum rite deponentem, in causa per Cruciferos de Strigonio contra eum mota, reddit penitus expeditum.

Nos comes Paulus, iudex curie domini Lodouici, Dei gracia regis Hungarie, damus pro memoria, quod cum secundum continenciam priorum litte-

rarum nostrarum, modum et formam iudiciarie deliberacionis nostre exprimencium, Stephanus, filius Pauli de *Barakcha,* sola sua persona, in quindenis Omnium Sanctorum, nunc preteritis, in capella regia, coram capelle regie comitem, contra religiosum virum fratrem Paulum, magistrum cruciferorum ecclesie sancti regis Stephani *de Strigonio,* super eo, quod quidam iobagio, *Gyuge* nomine, semper iobagio suus de predicta Barakcha extitisset et nunc existeret, ac nunquam, recepta sua licencia ab eodem recessisset, nec octo marcas eiusdem abstulisset, neque eciam eundem potencialiter detinuisset, nec detineretur per eundem, neque ad possessionem magistri Pauli, *Thath* vocatam, accessisset moraturus, per quod factum possessionem dicti magistri Pauli non desolasset, et in hys omnibus ipse innocens sit penitus et immunis, sacramentum prestare et seriem eiusdem partes octavo die in litteris dictis comitis capelle regie, nobis reportare debuissent. Ipso termino reportacionis seriei premissorum [ad]veniente, predictus, filius Pauli, personaliter ad nostram accedendo presenciam, nobis litteras dicti comitis capelle regie demonstravit, in quibus ipsum iuramentum, per eundem Stephanum, filium Pauli, suo modo depositum, comperimus evidenter extitisse. Vnde nos eundem Stephanum, filium Pauli, super premissis reddimus expeditum, tenore presencium mediante. Datum, in *Wyssegrad,* octavo die termini prenotati, anno Domini M^mo^ ccc^mo^ xxxx^mo^ secundo. 1342. 15. Nov.

Extus: Pro Stephano, filio Pauli de Barakcha, contra religiosum virum fratrem Paulum, magistrum cruciferorum ecclesie sancti Stephani de Strigonio, super prestito sacramento expeditoria. — Sigillum marg. exter. fuit appressum. — Orig. membr., in Bibliotheca Mus. Nat. Budapest. nr. 55.

633.

1342. (Pozsony.) 2. Dec. — Capitulum Posoniense, Bartholomeum, exercitualem jobagionem archiepiscopalem, portionem suam in Sámoth habitam, octo marcis vendidisse perhibet.

A. B. C.

Universis Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis, salutem in Domino sempiternam. Cum ea, que in longevam sunt deducenda memoriam, sint scripture patrocinio fulcienda, ideo ad universorum, tam presencium, quam futurorum noticiam, harum serie volumus pervenire, quod Bartholomeus, filius Pauli de *Samoth, exercitualis iobagio* archiepiscopatus *Strigoniensis,* personaliter nostram adiens presenciam, vive vocis ministerio, totam porcionem suam possessionariam, in eadem possessione existentem, videlicet novem iugera terre arabilis et sessionem suam, cum aliis utilitatibus, ad eandem spectantibus universis, ex consensu et permissione omnium suorum amicorum et proximorum, Michaeli, filii Paulini de eadem, eciam personaliter astanti, proximo suo, et per eum eius heredibus, heredumque suorum successoribus et posteritatibus eius universis, pro octo marcis, seu octaginta pensis latorum denariorum Wyennensium, ab eodem Michaele plene habitis et receptis ex integro, iure perpetuo, irrevocabiliter dedit, tradidit et vendidit ad possidendum semper, tenendum et pariter habendum. Sic tamen, quod medietatem ipsius possessionarie porcionis, cum universis usibus et utilitatibus eius, idem Bartholomeus possidebit, quamdiu vita fuerit sibi comes. In cuius rei

memoriam presentes, appensione nostri sigilli consignatas, eidem Michaeli duximus concedendas. Datum, feria secunda proxima post festum beati Andree apostoli, anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo secundo.

Sigillum e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 17. nr. 25.

634.

1342. Visegrád. 6. Dec. — Ludovicus. rex, transsumit et confirmat literas divisionales capituli Strigoniensis, super possessione Csáth emanatas.

Nos *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium significamus quibus expedit universis, quod venerabilis in Christo pater, dominus *Mesko,* eadem et apostolica gracia episcopus ecclesie *Wesprimiensis,* dilectus et fidelis proximus noster, ad serenitatis nostre accedens presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras *capituli* ecclesie *Strigoniensis* rescripcionales, in facto divisionis et metarum ereccionis [cui]usdam possessionis *Chat* vocate, in comitatu *Tulnensi* existentis inclusive confectas, hunc tenorem continentes:

Excellentessimo domino suo, domino *Lodouico,* Dei gracia illustri regi Hungarie, capitulum ecclesie Strigoniensis oraciones [in] Domino, pro ipsius vita et salute. Litteras excellentis principis, domini *Karoli,* genitoris vestri, quondam regis Hungarie, felicis memorie, per *prepositum* de *Demes* nobis exhibitas, summo recepimus cum honore, in hec verb[a]: *Karolus,* Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis, capitulo ecclesie Strigoniensis, salutem et graciam. Noveritis, quod Matheo, filio Gregorii de *Ebes,* pro venerabile in Christo [pat]re domino Meskone, eadem et apostolica gracia episcopo Wesprimiensi, domino suo, cum procuratoriis reginalibus litteris ab una, item discreto viro magistro Martino preposito ecclesie Dymisiensis personaliter parte ab altera, coram nobis constitutis propositum extitit [. . . . . .] oraculo vive vocis et relatum: quod ipsi super facto possessionis Chaat vocate, in comitatu Tulnensi existentis, racione cuius predictus prepositus Dymisiensis, dictum dominum episcopum, ad presenciam comitis Pauli, curie nostre iu[dicis] in causam attraxisset, ipsaque causa diucius inter ipsos ventillata, coram eodem iudice curie [. . . . . .] extitisset, composicione proborum et nobilium virorum interveniente amicabili, visisque mutuo inter se instrumentis eorundem super dicta possessione confectis, concordassent et ad plene devenissent pacis unionem eo modo: quod idem dominus episcopus ec[clesie Wesprim]iensis, octo mansiones, seu fundos, septem scilicet populosas et octavam curiam videlicet Stephani officialis dicti domini episcopi de eadem a parte orientis, seu a parte fluvii *Fiuzygh* vocati, in eadem villa Chaat adiacentes et existentes [. . . . . .] rectas dimidietates omnium moncium ad eandem possessionem spectancium, moncium scilicet vinearum et aliorum, ac silvarum, nec non terciam partem terrarum arabilium omnium et pratorum cum omnibus utilitatibus, equali divisione ex parte [. . . . . .] ipsius prepositi, *Rauazod* vocate, ipsi preposito Dymisiensi et sue ecclesie perpetuo et irrevocabiliter possidendas remisisset et remisit coram nobis; nullum ius et dominum in ipsis octo sessionibus et rectis dimidietatibus moncium et silvarum ac terrarum arabilium et pratorum sibi et successoribus reservando; sed totum dominium et proprietatem earundem in eundem prepositum Dymisiensem et suam ecclesiam

plenarie transferendo. Aliis sessionibus in eadem villa Chaat habitis, item dimidietatibus moncium et silvarum earundem, ac duabus partibus terrarum arabilium et pratorum, ipsi domino episcopo Wesprimiensi et sue ecclesie similiter perpetualiter remanentibus. Ecclesiam autem in eadem villa Chaat constructam lapideam, item fluvium seu aquam Fyzegh nominatam ac pascua pecudum, ipsi communiter ad utendum committendo reliquerunt et esse voluerunt coram nobis. Ceterum retulerunt partes prenotate, ut comitem Paulum, iudicem scilicet eorum, communiter placare tenerentur. Unde cum partes predicte ad ipsam divisionem possessionariam videndam vestrum testimonium eisdem fore asserant necessarium, fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, videlicet unum ex vobis virum *y*doneum, pro testimonio fidedignum, quo presente Herbordus, filius Nicolai, filii Mykow, vel Dominicus, filius Mortunus de *Honor,* aut Nicolaus filius *Himch* de *Vochath,* aliis absentibus homo noster, quos ipsi communiter a*d*ucere assumpserunt, in octavis nativitatis (sic) festi beati Johannis baptiste nunc venturis, absque ulteriori dilacione, ad faciem prelibate possessionis Chaat nominate, convocatis vicinis et commetaneis suis et partibus, vel earum legitimis procuratoribus presentibus, accedendo, eodem modo superius explicato equaliter, Deo habito pre oculis, dividat et unicuique ut pretactum est, suam porcionem possessionariam statuat sine preiudicio iuris alieni, et post hec prout ibi actum fuerit, nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Damas,* sabbato proximo post octavas festi Corporis Christi, anno eiusdem M° ccc^mo^ xl^mo^ secundo. 1342. 1. Jul. 1342. 8. Jun.

Nos igitur preceptis ipsius excellentis principis domini *Karoli,* quondam regis Hungarie, genitoris vestri obedientes, cum predicto Herbordo, homine ipsius domini regis, misimus dominum *Georgium presbiterum,* prebendarium nostri chori pro testimonio, qui negocio diligenter peracto et ad nos redeundo, nobis concorditer tali modo retulerunt: quod in predictis octavis festi beati Johannis baptiste, ad faciem memorate possessionis Chaat, iuxta continenciam predictarum litterarum regalium accessissent et universos vicinos et commetaneos ipsius possessionis Chaat ibi convocassent et presentibus legitimis procuratoribus dictarum parcium et vicinis memorate possessionis, inter ipsas partes eandem possessionem Chaat eomodo divisissent, quo in tenore dictarum litterarum regalium superius explicantur, et unicuique parti suam porcionem distincte sub metis infrascriptis perpetuo possidere, absque aliquali difficultate reliquissent. Cuius mete, divisione inter ipsas possessiones erecte, sic incipiunt: quod primo a parte fluvii Fyuzegh egredientes, transsivissent ad partem meridionalem et ibidem iuxta ipsum fluvium erexissent duas metas, quarum una separaret a parte orientali eidem domino episcopo, ab alia vero parte ipsi preposito Dymisiensi. Inde eundo ad partem eandem inter duas arbores *Twl* dictas, unam metam erexissent, quam ad separacionem terrarum arabilium reliquissent; item ad distinccionem silvarum, moncium et vinearum erexissent duas metas, quarum una a parte orientali separat domino episcopo et alia vero preposito Dymisiensi. Item eundo ad meridiem sub una arbore Twl unam metam erexissent. Item prope vineas [du]as metas, item iuxta unam viam erexissent duas metas angulares, deinde asscendendo ad montem erexissent duas metas in eodem monte; abinde descendendo in latere ipsius montis similiter duas metas posuissent [. . . . . .] loco descendissent ad unum rivulum, circa quem unam metam

erexissent et ibi ipsum rivulum transseuntes ad unum montem ascendendo, in eodem monte duas metas elevassent. Exinde eundo ad partem ville *Zaktk* [. . . . . .] monte duas metas erexissent; dixerunt eciam, quod ad separacionem fenilium unam metam terream erexissent et pro alio signo unam veprem *Rakatya* dictam reliquissent. Datum, in octavis festi beati Jacobi apostoli, anno [Domini] ut supra. 1342. 1. Aug.

Petens idem dominus episcopus Wesprimiensis, proximus noster, nostram excellenciam humiliter precibus, ut dictas litteras capituli Strigoniensis ecclesie, premissam divisionis et metarum ereccionis formam explicantes, presentibus de verbo ad verbum inseri facientes, de benignitate regia confirmare dignaremus. Nos siquidem peticionibus eiusdem domini episcopi premissis, regio inclinati cum favore, prescriptas litteras capituli Strigoniensis memorati, de verbo ad verbum presentibus insertas, eatenus, quatenus premisse possessionis divisio, eiusdemque metalis ereccio ac ipsarum litterarum rescripcio per dictum capitulum Strigoniense rite et legitime facta et acta existit, presencium patrocinio perpetuo valere confirmamus, presentes tamen ad privilegiandum nobis reportentur. Datum, in *Wyssegrad*, in festo beati Nicolai confessoris, anno Domini M° ccc^mo^ XL^mo^ secundo.

Extus: Super metarum distinccione possessionis Chat nuncupate, inter episcopum Wesprimiensem et prepositum de Dy[mis]. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. memb., in Arch. Cap. Vesprimiensis Epp. Chat, nr. 3. Lad. nr. 86.

635.

1342. Visegrád. 7. Dec. — Nicolaus palatinus, particulam terrae inter possessiones Bessenyő et Óhaj adiacentem, ob quam nobiles de Ohaj et monasterium s. Benedicti de iuxta Gron litigabant, eisdem nobilibus adiudicat.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 287 et sqq.

636.

1342. Visegrád. 8. Dec. — Ludovicus I. rex, transsumit literas capituli Vesprimiensis, super restitutione nonnullorum possessionum abbatis de Almád, per castellanum Band facta Tenorem vide sub nr. 674.

637.

1342. — 19. Decemb. — Ludovicus I. rex, donationem possessionis Ófalu, Carthusianis de Lechnicz, per Wilhelmum Drugeth factam, confirmat.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX.[1] p. 55.

638.

1342. Visegrád. 22. Decemb. — Ludovicus I. rex, villam Ófalu, Carthusianis de Lechnicz restituit, eamque per Clementem Paulum, ad hoc transmissum, statuendam esse iubet.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 294.

639.

1342. — Ludovicus I. rex, possessiones Barth et Ölyved, archiepiscopo Strigoniensi confert, et incolis earumdem demandat, ut eidem archiepiscopo obtemperent.

Lodouicus, Dei gracia [rex] Hungarie, fidelibus suis villicis et universis hospitibus de *Borth* et de *Wlued,* salutem et graciam. Noveritis, quod nos [ob devocionem, quam] ad ecclesiam *sancti Adalberti de Strigonio* gerimus, et consideratis fidelitatibus et fidelium serviciorum [meritis, venerabilis] in Christo patris, domini *Chanadini* archiepiscopi eiusdem ecclesie Strigoniensis, locique eiusdem comitis [perpetui, qui]bus idem, prius excellentissimo principi domini Karulo, pie memorie quondam illustri regi [Hungarie], genitori nostro karissimo, et demum nobis in omnibus, specialiter in *sollempnitate coronacionis* [ex consilio et bene]placito omnium prelatorum, baronum, procerum et regnicolarum nostrorum, laudabiliter facte, ... utique reddere graciosum et acceptum, dictas possessiones seu villas nostras Borth et Wlued [vocatas, in comitatu] Borsiensi existentes, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, eidem ecclesie sancti [Adalberti et archiepiscopo] Strigoniensi, dedimus, donavimus et contulimus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendas, tenendas [pariter et habendas]. Quapropter fidelitati vestre firmiter et districte, regio edicto damus in mandatis, quatenus visis presen[tibus, eundem dominum] archiepiscopum, tamquam decet dominum vestrum, honorifice recipere in possessionem dictarum villarum [eundem admittere et preceptis] eiusdem in omnibus obedire debeatis; aliud sicut nostram graciam regalem offendere [formidatis, non facturi]. Cetera dicet Beke, frater domini Petri episcopi Syrimiensis, dilectus et fidelis [noster, per maiestatem nostr]am ad statuendum dictas possessiones transmissus, cuius verbis credulam fidem . . . . . et eciam vobis hoc idem in prioribus nostris litteris patentibus, minori sigillo nos[tro consignatis iniungendum duxi]mus et demandandum. Datum, in *Wyssegrad,* in vigilia N . . . . . millesimo trecentesimo quadragesimo secundo.

Sigillum tergo fuit appressum. — Originale humore valde corruptum, in Arch. Primat. Secul. Lad. K. nr. 5.

640.

1342. (Esztergom). — Capitulum Strigoniense, Marcum Cantorem, concanononicum suum, possessiones Kántorszász et Szász, Gekmino apothecario regis, pro vinea quandam in territorio Strigon. sita, in concambium dedisse, perhibet.

Capitulum ecclesie *Strigoniensis,* omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presens scriptum intuentibus, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod vir discretus magister *Markus, cantor* ecclesie nostre predicte ab una; et magister Gekmenus apotekarius domini nostri regis parte ab altera; coram nobis personaliter constituti, propositum extitit et relatum in hunc modum per eosdem: quod, quia quedam possessiones cantoratus ecclesie nostre, *Cantorzaz* vocata, et alia uno nomine *Vyslas* et alio nomine similiter *Zaz* dicta, vicina eiusdem, in comitatu Huntensi existentes, in vicinitate possessionis eiusdem magistri Gekmeni et propinquitate haberentur, et ex hoc eidem multum essent necessarie et utiles, nec

bono modo possessio ipsius magistri Gekmeni esse posset absque ipsis. Ideo, de voluntate et licencia ac permissione domini *Chanadini* archiepiscopi, prelati nostri, ipse magister Markus cantor ecclesie nostre, cum eodem magistro Gekmeno huiusmodi concambium seu permutacionem inter se fieri ordinassent et coram nobis ordinarunt: quod prefatus magister Markus cantor, prenominatas possessiones sui cantoratus, utrasque Zaz dictas, in predicto comitatu habitas, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, eo iure quo ad ipsum pertinere dinoscuntur, dedit et tradidit, ac contulit ipsi magistro Gekmeno apotekario domini regis, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendas, tenendas et habendas, salvis iuribus archiepiscopalibus, si qua essent remanentibus. Pro quibus quidem possessionibus, idem magister Gekmenus, quandam vineam suam e[m]pticiam, Petro dicto de Borsy, in nostro territorio a parte orientali, iuxta unam magnam viam adiacentem ad partem septemtrionalem, a parte meridiei circa vineam Ladislai filii Lodomerii, a parte occidentali iuxta vineam Johannis dicti Zekeres, et a parte aquilonis secus vineam Pauli dicti Tot existentem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis dedit, tradidit et contulit in concambium et permutacionem dictarum possessionum cantoratui pertinencium, eo quod propter propinquitatem magis esset necessaria et utilis cantoratui, dicto magistro Markus cantori ecclesie nostre et per eum cantoratui ecclesie nostre, perpetuo iure et irrevocabiliter possidendam, tenendam et habendam. Cuiusquidem vinee litteras e[m]pticionales, coram nobis, idem magister Gekmenus in defensum ipsius vinee prefato magistro Markus cantori assignavit; ipse vero magister Markus cantor super possessione *Vislas* eidem magistro Gekemeo (sic) in expedicionem ipsius possessionis litteras privilegiales domini Bele regis coram nobis dedit et assignavit; super alia vero possessione Zaz dicta ipsum magistrum Gekmenum et suos heredes, ipse magister cantor Markus et sui successores cantores, expedire tenebuntur propriis laboribus et expensis. In cuius permutacionis testimonium presentes litteras privilegiales eidem magistro Gekmeno duximus concedendas. Datum, per manus magistri Thome (expunct.: canonici), lectoris ecclesie nostre, anno Domini M° ccc° XL^mo secundo.

Extus manu med. aevi: Super Cantorfelde. Debent exhiberi valde caute ne periculum eveniat. — Sigillum e roseo et viridi serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest. — Arch. Fam. Kubinyi. Fasc. XXV. nr. 1479.

641.

1342. Visegrád. — Chanadinus archiepiscopus Strigoniensis, Marco cantori permittit, ut concambium cum Gekmino inire possit.

Chanadinus, Dei et apostolica gracia archyepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, honorabilibus et discretis viris capitulo dicte ecclesie sue, amicis suis in Christo reverendis, benediccionem paternam. Noveritis, quod nos discretum virum magistrum *Marchum* cantorem, vestrum socium et concanonicum, cum magistro Gekmen apotecario domini regis, ad concambiendam quandam particulam terre Kanturzaz vocatam, super quandam vineam eiusdem magistri Gekmen, salvis terris et possessionibus archyepiscopalibus, admisimus concambium faciendam. Super quo vestre discrecioni mandamus per presentes,

quatenus eidem magistro Gekmen, super ipso concambio vestras litteras faciatis emanari, salvis tamen terris, possessionibus et iuris archyepiscopalibus, integre remanentibus. Datum in *Wyssegrad.*

Extus: Honorabilibus et discretis viris capitulo ecclesie Strigoniensis, amicis suis in Christo reverendis. — Sigillum margin. exter. fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest. Arch. Fam. Kubinyi.

642.

1343. Visegrád. 2. Febr. — Ludovicus I. rex, transsumit literas patris sui Caroli I., in causa adoptionis Stephani castellani de Visegrád, per Mikocsa de Csév facta, concessas.

Nos Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium, significamus quibus expedit universis, quod magister Stephanus, dictus *Safar*, castellanus *Vyssegradiensis* et comes *Pilisiensis*, ad nostram accedendo presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras serenissimi principis, domini Karoli, quondam illustris regis Hungarie, pie recordacionis, genitoris nostri karissimi patentes, cum tercio et ultimo sigillo suo consignatas, hunc tenorem continentes:

[N]os Karolus, Dei gracia rex Hungarie, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod magister Stephanus castellanus de *Vyssegrad*, fidelis noster, exhibuit nobis quasdam litteras nostras, sub anuleo sigillo nostro emanatas patentes, tenorem infrascriptum continentes, petens, ut ad cautelam, seriem ipsarum, sub maiori sigillo nostro, transscribi faceremus. Quarum tenor talis est:

Tenorem vide sub nr. 366., ubi tota series adoptionis in ipso originali fusae narratur. 1329. 17. Jun.

Nos igitur, iustam ipsius peticionem annuentes, ipsas litteras diligenter examinatas, de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, et maiori sigillo nostro mandavimus consignari. Datum, in *Vyssegrad*, in die Purificacionis Beate Virginis, anno Domini M^{mo} ccc^{mo} xxxx^{mo} tercio.

Sigillum tergo fuit appressum, sub quo leg.: Relacio magistri Cykou. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 26. fasc. 2. nr. 11a).

643.

1343. (Nyitra.) 12. Febr. — Capitulum Nitriense, magistrum Sebes de Bazin, quandam inquisitionem, sub testimonio capituli ecclesiae Posoniensis contra se factam, pro suspecto habere ex eo, quod cum capitulo litem gravissimam haberet, per modum protestationis proposuisse, perhibet.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 300.

644.

1343. (Garamszentbenedek.) 1. Mart. — Conventus de iuxta Grón, filios Zanchuk possessiones suas haereditarias Fius, Ebedecz, Valkócz, Teld et Azna, inter se amicabiliter dividisse, perhibet.

Nos conventus monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium Goron, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis,

quod cum secundum continenciam litterarum memorialium, *Theuteus* magistri ianitorum domini regis et comitis Borsiensis, ac iudicum nobilium eiusdem comitatus, inter Rubinum, filium *Zanchuk* ab una: Nicolaum, Deseu et Johannem, filios eiusdem Zanchuk, fratres dicti Rubini, parte ab altera, feria sexta proxima ante dominicam Invocavit me, arbitrium sub obligacione decem marcarum, si qua pars non acceptasset, fieri debuisset coram nobis; ipso termino occurrente, predictis Rubino, Nicolao, Deseu et Johanne, filiis predicti Zanchuk, coram nobis presonaliter constitutis, et ipsorum arbitriis coram nobis hinc et inde statutis, renunciatis omnibus factis, causis, dampnis et quibuspiam iniuriis, inter ipsos usque modo qualitercunque suscitatis et exortis, composicione et ordinacione proborum et nobilium virorum interveniente, in possessionibus ipsorum, infra declarandis, cassata et retractata priori divisione, inter ipsos mediantibus litteris honorabilis capituli ecclesie Nitriensis facta, in predictis possessionibus, ad ipsos pertinentibus, non tamen in preiudicium iuris alieni et precipue iuris monasterii nostri, in terris et fructuum earum utilitatibus, universisque pertinenciis, intra terminos et metas monasterii existentibus, quovis nomine vocatis, sed salvis et illesis penitus, et per omnia permanentibus, talem fecissent divisionem et fecerunt coram nobis: quod possessio, *Fyus* vocata, in comitatu Borsiensi habita, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, cessisset prenominato Rubino, suisque heredibus, perpetuo possidenda; item possessiones *Ebedech, Walkaz, Teld* et *Azna,* similiter cum omnibus earum utilitatibus et pertinenciis quibuspiam, cessissent premoratis Nicolao, Deseu et Johanni, ac ipsorum heredibus, similiter perpetuo possidende; et quelibet pars de porcione, curia et domibus, parti altere, in predicta divisione devolutis, infra diem medii quadragesime, nunc venturum, sub pena incursionis decem marcarum, si qua pars secus facere attemptaret, se teneretur ad suam porcionem curias et domos, sibi devolutas, removere et transferre; et a die emanacionis presencium litterarum, aliquos reditus vel proventus, de porcione partis altere, quicquam recipere aut exigere possit vel presumat. Item, si qua pars, super facto sue porcionis, per quempiam iuris ordine conveniretur et inpeteretur, pars altera, eandem partem iuvare tenebitur, laboribus et expensis; et si quicquam de sua porcione moderamine iuris perderet, pars eadem sic iuris ordine dampnum paciens, ab altera parte, prout expediens fuerit, pro dampno sibi ordine iuris illato repetere possit et valeret. Si vero aliqua pars suis demeritis exigentibus quitquam de sua porcione contingeret perdere en (sic) suum dampnum proprium redundaret. Hoc eciam adiecto, quod si aliquis predictorum filiorum Zanchuk, aliquas possessiones, prope ipsos, vel alias adiacentes, precio valeret comparare, cum expensa comuni exolvere et inter se comuniter dividere tenerentur. Hoc non pretermisso, quod pretactus Rubinus, filius Zanchuk, presentibus prefatis Nicolao, Deseu et Johanne, fratribus suis, universas litteras, tam capituli ecclesie Nitriensis, quam alias, super facto predicte possessionis ipsorum, *Fyus* vocate, habitas et confectas, et eidem Rubino in divisione devolute, in octavis festi pasche Domini nunc venturis, in predictum capitulum ecclesie Nitriensis deferendo, et seriem earumdem de verbo ad verbum excipi faciendo, sub predicta pena decem marcarum, si secus facere attemptaret, dare et emanari facere, si ipsis placuerit teneretur. Et si ipsum

1343. 28. Febr.

1343. 19. Mart.

1343. 20. Apr.

Rubinum, absque heredum solacio sexus virilis, transmigrare contingeret, quod absit, eandem possessionem *Fyus* vocatam, nulli alteri legare aut donare valeret, sed in ius perpetuum ipso facto devolveretur fratribus suis prenotatis. Si autem, quempiam alium ex ipsis fratribus, absque heredum solacio sexus virilis decedere contingeret, extunc simili modo, eedem possessiones, corum hys qui superstites remanserint, dividi equaliter et comuniter debebunt. Iudicem vero, idem Rubinus et Deseu, comuniter placare tenebuntur, prout se partes ad omnia premissa et premissorum singula sponte, coram nobis, obligarunt. Datum, sabbato proximo post diem cinerum anno Domini M^mo^ ccc^mo^ XL^mo^ tercio.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Caps. 42. fasc. 10. nr. 12.

645.

1343. Visegrád. 2. Mart. — Ludovicus I. rex, donationales Mariae, viduae Vilhelmi Drugeth palatini, pro plebano de Visegrád, capellano regis spirituali datas, et a regina matre Elisabeth confirmatas, transcribit et ratificat.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX.[1] p. 102.

646.

1343. Avignon. 6. Mart. — Clemens VI. PP., motu proprio, de speciali gratia, providet Guillelmo de Iudicis, s. Marie in Cosmedin diacono cardinali, de ecclesia seu magisterio Cruciferorum s. Stephani regis de Strigonio.

Ed. Bossányi Á.: Regesta Supplicationum T. I. Suppl. Clementis VI. 1342—1352. p. 7.

647.

1343. (Esztergom) 10. Mart. — Capitulum Strigoniense, cives de Bors et Csütörtökhely, cum monasterio s. Benedicti de iuxta Grón, ratione longevae litis, super possessione Zengő inter ipsos agitatae, amicabiliter concordasse, testatur.

Nos capitulum ecclesie Strigoniensis, memorie commendantes tenore presencium, significamus quibus expedit universis, quod magister *Petrus litteratus,* nomine et vice abbatis et conventus de *Sanctobenedicto* de Gron, (sic) cum sufficientibus procuratoriis et plenis ab una; item Stephanus *Fudur,* cognomine de *Bors,* et Johannes, filius Both, iudex de *Chuturtukhel,* pro se et suis concivibus et convillanis eiusdem civitatis *Bors* et *Chuturtukhel,* similiter cum sufficientibus procuratoriis parte ex altera, coram nobis constituti; per eosdem propositum extitit et relatum, quod super causa cuiusdam terre, *Zengew* vocata in comitatu Borsiensi, prope villam Chuturtukhel existentem, diucius coram Thoma woyuoda, tamquam eorum iudice ventilata, ad talem pacis et concordie devenissent unionem: quod iidem cives de Bors et de Chuturtukhel, ad cor reversi, eandem terram Zengew vocatam, ut est dictum, sub metis et terminis, in litteris conventus de *Zobor* plenius expressis, ecclesie, abbati et conventui Sanctibenedicti de Goron, perpetuo et irrevocabiliter, pacifice et quiete reliquissent possidendam; item assumpserunt eciam predicti cives, pro laboribus et expensis in lite factis, abbati et conventui eiusdem dare et solvere quatuor marcas, decem pensas

latorum Wyenensium pro marca computando, in terminis infrascriptis, videlicet duas marcas in die medii quadragesime nunc ventura, alias autem duas marcas in festo beati Georgii martiris similiter nunc affuturo, pena hac adiecta, ut si aliquem terminorum assumptorum omitterent in solvendo, penam dupli incurrerent ipso facto. Item eedem partes, alternatim, universas litteras iudiciales, seu aliqua gravamina continentes, super eadem terra Zengew emanatas, reddiderunt cassas, inanes et penitus viribus carituras; et si aliquo colore quesito alique reservarentur, nec in iudicio, nec extra iudicium valere vel vires habere reliquerunt. Item ut hec composicio, seu ordinacio, stabilis et inconcussa permaneat, iidem cives de Bors et de Chuturtukhel, si ullo unquam tempore eandem causam et litem, super ipsa terra Zengew, sic sopitam et decisam, refricarent vel irrecidium (?) reducerent, vel in aliis iuribus abbatis et conventus memoratorum inpedirent, ipsis abbati et conventui Sancti-benedicti de Gron, ante litis ingressum, quinquaginta marcas solvere tenerentur, similiter cum decem pensis Wyenensibus marcam quamlibet computando. Item iidem cives de Bors et de Chuturtukhel assumpserunt, iudicem complacare et mitigare. Datum, feria secunda proxima post dominicam Reminiscere, anno Domini M° ccc° XL^mo tercio. 1343. 19. Mart. 24. Apr.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 19.

648.

1343. — 15. Mart. — Vicecomes Simigiensis, filios Sauli de Tóthi, cum Nicolao concordasse testatur.

Nos Endryo, vice comitis Bartholomei, comes Symigiensis, et quatuor iudices nobilium eiusdem comitatus, damus pro memoria, quod licet Stephanus et Petrus, filii Sauli de *Thoty,* Nicolaum filium Johannis, servientem magistri Nicolai, filii quondam (emans.: nomen,) coram nobis legitime in causam attraxissent, et ipsa causa a sabbato proximo ante dominicam Exsurgere, (emans.: ad) sabbatum proximum ante dominicam Oculi, per continuas prorogaciones fuisset prorogata, ad peremptoriam responsionem faciendam, ipso termino adveniente, partes obtenta a nobis prius licencia, in ipsa causa eorum concordarunt, reddentes se in eadem expeditos, adque absolutos. Datum sabbato predicto, anno Domini M° ccc° XL^mo tercio. 1343. 15. Febr. 1343. 15. Mart.

Extus: Pro Nicolao filio Johannis, contra filios Sauli de Thoty expeditoria.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Origin. chart., in Arch. Cap. Strigon. Publ. Capsa 1. fasc. 3. nr. 5.

649.

1343. (Pozsony) 4. Apr. — Capitulum Posoniense, Jacobum Hambath, cum filiis fratris sui Henrici, agros quosdam Joanni civi Posoniensi vendidisse, testatur.

Universis Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, capitulum ecclesie *Posoniensis* salutem, in vere salutis largitore. Ea, que in longevam sunt deducenda memoriam, scripture patrocinio fulciuntur; ideoque universorum noticie harum serie deducimus, quod providis viris et honestis iuvenibus Jacobo, filio Alberti

Hambathonis, simul cum domina Margareta, uxore sua, item Nicolao, Jenslino, filiis Henrici, fratris eiusdem Jacobi, ab una parte; ab altera vero Johanne, filio Jacobi, condam iudicis civitatis Posoniensis, nostri presenciam personaliter adeuntibus; idem Jacobus Hambath, simul cum domina consorte sua, totalem dimidietatem agri, qui wlgariter *Hambates Prayten* dicitur, secus viam de civitate versus *pulchram villam* ducentem, circa ortos olerum ab inferiori parte iacentis, que medietas ipsum Jacobum tantum hereditarie contingit, pro centum et duobus talentis denariorum Wyennensium, plene et ex integro iam habitos et receptos; ipsi vero Nicolaus et Jenslinus, filii Henrici, aliam dimidietatem eiusdem agri, Hambates Prayten dicti, eos videlicet similiter hereditarie contingentem et eciam integram medietatem agri, per dictum Albertum Hambath a *Peczone* condam comparati, qui ager Peczonis nunccupatur, que medietas eos dumtaxat contingit, pro centum ac novem talentis denariorum monete memorate, plene numeratim per eos habitis et receptis, Johanni filio Jacobi prenominato et per eum eius heredibus, seu successoribus universis, de consensu nichilominus et bona voluntate Deo amabilis viri, de *Myribel,* fratris Petri, *ordinis beati Anthonii* per totam *Sclauoniam* et *Hungariam* pro tunc magistri *hospitalis,* personaliter eciam coram nobis comparentis et premissa benivole admittentis, siquidem antique domui hospitalis in *Posonio* eadem condicione debende, *ymo* debite servitutis, qua ipsimet dinoscuntur possedisse, seu tenuisse, iure perpetuo irrevocabiliter dederunt, tradiderunt et vendiderunt ad possidendum, tenendum pariter et habendum, seu quomodolibet idem Johannes, filius Jacobi voluerit, quovis in tempore de eisdem disponendum, totum ius proprietatis et dominii dictorum agrorum, quod de eisdem singulariter singuli habere nosscebantur, in ipsum Johannem filium Jacobi et eius posteritatem per eum, penitus transferentes infundendo et infundentes conferendo. In cuius rei testimonium eidem Johanni, filio Jacobi, presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum, feria sexta proxima ante Dominicam Ramispalmarum, anno Domini M° ccc^mo^ quadragesimo tercio.

A. B. C.

Sigillum fractum e viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14, fasc. 8 nr. 1.

650.

1343. — 17. Apr. — Ludovicus Magnus rex, Chanadino archiepiscopo Strigoniensi et nepotibus eius villam Tárnok confert.

Lodouicus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps (emansit: Sallernitanus) et honoris montis Sancti Angeli dominus, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presencium noticiam habituris, salutem in largitore salutis. Celestis altitudo consilii supra cuncta tenens imperium in excelsis, ad hoc in orbe terrarum regum et principum constituit potestates, ut ipsi levatis in circuitu oculorum circumspectibus, illis sue munificencie dextram porrigant adiutricem, quos devocionis et fidei synceritas, ac alta sanguinis nobilitas merito recommendat. Proinde ad universorum, tam presencium, quam futurorum noticiam harum

serie volumus pervenire, quod venaribilis in Christo pater, dominus *Chanadinus,* suprascripta et apostolice sedis gracia archiepiscopus *Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, dilectus nobis et fidelis, ad nostre celsitudinis accedendo presenciam, fidelitates suas et fidelium obsequiorum suorum preclara merita, primum serenissimo principi, domino *Carolo,* quondam inclyto regi Hungarie laudande memorie, genitori nostro charissimo et demum vocacione altissimi creatoris, cui humana fragilitatis imbecilitas nequaquam valet resistere, eodem patre nostro charissimo de medio sublato et in requiescencium solacio aggregato, nobisque solium regiminis nostri regni Hungarie iure successionis paterne nobis debiti, feliciter conscendentibus, in continuis nostris et regni nostri negociis et serviciis, specialiter in solemnitate coronacionis et intronizacionis nostre, per ipsum de beneplacito concordi et unanimi voluntate omnium prelatorum, baronum, procerum et quorumlibet regnicolarum nostrorum laudabiliter facte, exhibitas et impensa, proponens et declarans, possessionem seu villam nostram *Tharnuk* vocatam, in comitatu *Chanadiensi* iuxta fluvium *Morosy* existentem et commetaneam possessionibus hereditariis eiusdem domini archiepiscopi et fratrum suorum, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis universis, ecclesia scilicet lapidea in eadem in honore beati Michaelis archangeli constructa et specialiter tributis, tam in terris, quam in dicto fluvio Morosy, a descendentibus scilicet et ascendentibus ab antiquo exigi consuetis, terris arabilibus et campestribus, sylvis, virgultis, pratis, nemoribus, aquis, rubetis undique adiacentibus, aquarum decursibus et aliis quibuslibet iuribus, quovis nominis vocabulo vocitatis, a nobis sibi, ac magistris Joanni et Thome, filiis Laurencii, Stephano, Georgio et Nicolao, filiis Nicolai, ac Clementi et Thome, filiis Pongrachy, nepotibus et filiis fratrum suorum, nobilibus *de genere Chanad,* fidelibus nostris, dari et conferri perpetuo postulavit. Nos itaque, qui ex suscepti regiminis officio, qui ex innata regibus benignitate, omnium benemeritorum peticiones, admissioni dignas, animo metiri debemus pietatis, propositis peticionibus eiusdem domini archiepiscopi regio inclinati cum favore, recordantesque, ac in memoriam nostre maiestatis revocantes multimoda ipsius domini archiepiscopi fidelium obsequiorum merita, quibus ipse nobis et *sacre regie corone* fideliter semper studuit complacere, ac in cunctis nostris et regni nostri negociis pro exaltacione nostri regiminis et honoris incrementum, specialiter in solemnitate intronizacionis et coronacionis nostre annotate, meruit se reddere graciosum et acceptum, quorum in recompensacionem, quamquam idem dominus archiepiscopus multo plura mereretur, tamen in aliqualem retribucionem mercedis tot et tantorum fidelium obsequiorum eiusdem domini archiepiscopi, prefatam possessionem, seu villam nostram Tarnuk vocatam, nostre de iure collacioni spectantem, cum predicta ecclesia lapidea in honore beati Michaelis archangeli in eadem constructa, tributis, tam in terris, quam in prescripto fluvio Morisy a descendentibus scilicet et ascendentibus ab antiquo exigi consuetis, terris arabilibus et campestribus, sylvis, virgultis, pratis, nemoribus, rubetis undique adiacentibus, aquis, aquarumque decursibus et aliis quibusvis utilitatibus et pertinenciis suis, quovis nominis vocabulo vocitatis, in superficie eiusdem existentibus, sub suis veris metis et antiquis, quibus ab antiquo eadem habita extitit et possessa, ac ea iuris plenitudine, *quibus* ipsam primum dictus pater noster et demum nos usque modo tenuimus et possedimus pacifice et quiete, ipsi domino Chanadino archiepiscopo

et magistris Joanni et Thome, filiis Laurencii, Stephano, Georgio et Nicolao filiis Nicolai, ac Clementi et Thome, filiis Pongrachy, nepotibus et filiis fratrum suorum supranominatis, ac heredum eorundem nepotum et filiorum fratrum suorum successoribus, authoritate regie potestatis, de consensu beneplacito serenissime principisse, domine Elizabeth, regine Hungarie, genitricis nostre charissime, prelatorum et baronum nostrorum consilio dedimus, donavimus, ac contulimus, pleno iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam. In cuius possessionis dominium et proprietatem per Nicolaum de *Chwta*, aule nostre militem, dilectum et fidelem hominem nostrum, legittime eosdem fecimus introduci, nullo penitus contradictore existente. Et ut huiusmodi nostre collacionis series processu temporis non vacillet, sed robur obtineat perpetue firmitatis, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, duplicis sigilli nostri authentici munimine roboratas. Datum per manus honorabilis et discreti viri, magistri Tatameri, Albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii, dilecti nobis et fidelis, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tercio, quinto X° Calendas Maii, regni autem nostri anno secundo; venerabilibus in Christo patribus, dominis eodem Chanadino archiepiscopo Strigoniensi, sede episcopatus (sic!), Colocensis vacante, Colmano Jauriensi, Ladislao Quinqueecclesiensi, Ladislao Zagrabiensi, Andrea Waradiensi, Andrea Transsiluano, Waciensi sede vacante, Nicolao Agriensi, Jacobo Chanadino (sic!), Meskone Wesprimiensi, aule dicte domine regine cancellario, fratre Vito Niterensi (sic!), comite capelle et secretario cancellario, Laurencio Bosnensi et Petro Sirmiensi ecclesiarum episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus; magnificis viris Nicolao palatino et iudice Comanorum, Stephano, filio Lachk, magistro thauernicorum nostrorum, comite Castriferrei et Supruniensi, Nicolao woiuoda Transsiluano et comite de Zonuuk, Paulo iudice curie nostre, Dominico bano de Machow, Nicolao bano tocius Sclauonie, Stephano bano de Zerino, Paulo magistro thauarnicorum antedicte domine regine, Dyonisio agazonum et Nicolao dapiferorum nostrorum magistris, Oliuerio iudice curie eiusdem domine regine et Nicolao comite Posoniensi, aliisque quam plurimis, regni nostri comitatus tenentibus et honores. 1343. 17. Apr.

E transsumpto Stephani Báthori voivode Transilvani a. 1572. in Arch. Reg. Hung. Regnic. R. R. A. fasc. 872 nr. 65. 79. E copia Ferd. Knauz.

651.

1343. Villanova. 6. Maii. — Clemens PP. VI., archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi mandat, ut Guillelmo Cardin. S. Mariae in Cosmedin, de rectoria seu magisterio domus Crucigerorum prope Strigonium, provideant.

Ed. Theiner: Monum. Hist. Eccl. T. I. p. 649.

652.

1343. — 7. Maii. — Ludovicus I. rex supplicat, quatenus Gregorio preposito, ambaxiatori sui apud sedem Apostolicam, canonicatus et praebenda in ecclesia Strigon. per electionem Michaelis ad sedem Vaciensem factam vacatura, conferetur.

Edid. Bossányi: Regest. Supplic. T. I. p. 13.

653.

1343. — 10. Maii. — Elisabeth regina suppl. Clementi VI., quatenus Nicolao, clerico Wratislavensis dioec., informatori, seu paedagogo Ludovici regis Hung., non obstante quod idem in Wesprim. et Jaurin. eccl. iam canonicatus et praebendas habere dignoscitur, canonicatum in eccl. Strigon. reservet.

Ed. Bossányi l. c. T. I. p. 16.

654.

1343. — 10. Maii. — Chanadinus archieppus Strigon., suppl. Clem. VI., quatenus confessor suus, possit sibi semel in mortis articulo peccatorum suorum omnium remissionem plenariam impertiri apostolica auctoritate.

Ed. Bossányi l. c. p. 18—19.

655.

1343. (Esztergom) 19. Maii. — Conventus Crucif. de Strigonio, magistrum Sebes de Bazin, capitulum Posoniense, contra se citari fecisse, Ludovico I. regi, rescribit.

Excellentissimo domino suo, domino Lodouico, Dei gracia regi Hungarie, domino ipsorum metuendo, conventus [cruciferorum], ecclesie sancti regis Stephani de *Strigonio,* oraciones in Domino, pro ipsius vita et salute. Litteras vestre excellencie, nobis per magistrum Thomam, canonicum *Posoniensem,* nobis presentatas, sumpmo recepimus cum honore, in quibus expresse habebatur, ut vestram maiestatem informaremus, si magister Sebus, filius Abrae*e* de *Bozyn,* mediantibus litteris citatoriis magnifici viri Nicolai, palatini regni vestri, per Andream de *Capulna,* hominem vestrum, in eisdem litteris contentum, in presencia nostri testimonii a dominica Invocavit, proxime transacta, ad octavas beati Michaelis archangeli nunc venturas, capitulum Posoniensis ecclesie contra se citari fecisset, ad presenciam palatini memorati. Super quo, vestre excellencie, taliter scribimus respondentes: quod idem magister Sebus, memoratum capitulum, a sabbato proximo ante predictam dominicam Invocavit, ad memoratas octavas beati Michaelis archangeli, in presencia nostri testimonii, contra se ad presenciam eiusdem domini palatini fecisset citari, et exinde partibus litteras vestras dedisse recordamur. Sed easdem litteras palatini citatorias, in nostra cam*a*ra non potuimus invenire, sed sicut homo noster, tunc ad citandum destinatus, nobis retulit, procurator eiusdem magistri Sebus, apud se reservasset easdem; tamen hoc pro certo scire nequivimus suo modo. Datum, feria secunda proxima ante festum Ascensionis Domini, anno eiusdem M° ccc^mo^ xxxx^mo^ tercio.

1343. 2. Mart.

1343. 6. Oct.

Extus: Excellentissimo domino suo, domino Lodouico, Dei gracia regi Hungarie, responsorie citacionis, per magistrum Sebus facte, pro capitulo Posoniensis ecclesie.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa R. fasc. 3. nr. 89

656.

1343. Visegrad. 21. Maii. — Elisabeth mater regina, tributum super fluvio Ipoly, iuxta donationales Belae IV. regis, monasterio B. Mariae Virg. de Ságh, per transeuntes dependi praecipit.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX. I. p. 111.

657.

1343. (Zobor) 24. Maii. — Conventus de Zobor, monasterium s. Benedicti de iuxta Gron, terram quandam in possessione Zengő, nonnullis hospitibus de Csütörtökhely., ad sex annos, elocasse testatur.

Nos conventus beati Ypoliti martiris, monasterii Zuburiensis, memorie commendantes significamus universis quibus expedit, presencium per tenorem, quod vir religiosus dominus, frater Jacobus, *prepositus* monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium Goron, pro se et pro domino abbate, ac conventu eiusdem monasterii ab una; item Nicolaus, filius Pauli, et Petrik, hospites de Chuturtukhel ante *Bors*, pro se similiter, et pro Nicolao, filio *Serethe*, Mykou, filio *Hebech*, *Ferench* ac Mylech, filio *Zaad*, cohospitibus suis, parte ab altera; coram nobis personaliter constituti; idem dominus frater Jacobus prepositus, possessionariam porcionem terre monasterii sancti Benedicti, in possessione *Sengeu* habitam, iuxta Chuturtukhel adiacentem, cum fructuum utilitatibus et suis pertinenciis universis, dictis hospitibus tradidit et donavit, nomine supradicto, ad colendum et utendum, a festo beati Michaelis archangeli proxime nunc venturo, per spacium sex annorum; ita videlicet, quod predicti hospites, singulis annis, in eodem festo beati Michaelis archangeli, singulas quin- 29. Sept.
decim pensas, denariorum latorum Wiennensium, item duos cappones, et duas tortas, pro munere quemlibet ipsorum, in festo prenotato; item duas tortas, duodecim ova, et unum caseum similiter quemlibet ipsorum; et unum agnum in comuni, pro munere paschali, et infra octavas eiusdem festi Pasche, predictis domino abbati et conventui, in ipsorum monasterio, dare et et solvere assumpserunt; penam dupli se incurrere obligantes, si quem terminorum predictorum obmitterent in solvendo. Insuper descensum eidem domino abbati, cum sua familia, vel in eius absencia domino preposito, vel fratri alteri de eodem monasterio, semel in anno, sub eadem condicionis pena dare assumpserunt, tali intermedio, si ipsas soluciones, cum pena dupli, terminos antedictos infra quindenas immediate subsequentes, solvere non curarent, extunc ante litis ingressum cuiuslibet iudicis, cum birsagio, solvere tenebuntur; libertate, si quam haberent, in hac parte eisdem non suffragante. Si vero unum, vel duos, seu plures, infra annos prenotatos, ab hoc seculo transmigrare, vel ab eadem possessione Chuturtukhel recedere contingeret, illi qui remanerent, predictam solucionem cum muneribus, pleno numero solvere assumpserunt; ut prenotati hospites, se ad omnia premissa et premissorum singula, spontanea coram nobis obligarunt voluntate. Et sepedicta possessionaria porcio terre, in possessione Sengeu, sine diminucione et omni contradiccionis obstaculo, sicut eciam finito sexto anno, in ius et proprietatem monasterii devolveretur eo facto. Datum, sabbato proximo post festum Ascensionis Domini, anno incarnacionis eiusdem M^{mo} ccc^{mo} quadragesimo tercio.

Extus manu med. aevi: Super locacione terre *Sengew*. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 20.

658.

1343. (Nyitra) 31. Maii. — Capit. Nitriens., monasterium s. Benedicti de iuxta Gron, contra Stephanum, castellanum de Ghimes, ob non redditam possessionem Szentmárton, eidem ad decem annos elocatam, protestasse, perhibet.

Nos capitulum ecclesie Nytriensis, damus pro memoria, quod vir religiosus, frater Jacobus prepositus monasterii sancti Benedicti, de iuxta fluvio Gron, coram nobis personaliter constitutus, protestatus est in hunc modum: quod fratres *Nicolaus,* quondam prior eiusdem monasterii, et Jacobus prefatus, quasdam terras videlicet *Beseneu* et *ScenthMartun* vocatas, prope *Oduord* adiacentes, prout in litteris nostris patentibus seriosius haberi reperimus, magistro Stephano, castellano de *Gymus,* cum omnibus earum utilitatibus, populorum habitaculis, aliisque utilitatibus, per eundem magistrum Stephanum decorandas, in spacium decem annorum; medio vero tempore, fructus et utilitates earumdem, eidem plene percipienti, contulissent coram nobis. Quo termino occurrente, unam possessionem earumdem, videlicet *Beseneu* vocatam, ut premittitur populis decoratam, dictus magister Stephanus, memorato monasterio resignasset ut debuisset, alteram vero scilicet *ScenthMartun* vocatam, nec populis, nec aliis utilitatibus decorasset, ymo per iobagiones domini Ch(anadini), archiepiscopi Strigoniensis, de Wduord, temporibus suis occupari permisisset, et sic ipsam dicto monasterio reddere non curasset. In cuius protestacionis testimonium, presentes eidem duximus concedendas. Datum, in vigilia festi Penthecostes, anno Domini M° ccc° xl^mo tercio.

Extus: Pro religioso viro domino Syfrido, abbate et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, contra magistrum Stephanum castellanum de *Gymus* protestatoria.

Sigillum marg. exter. fuit appressum. — Origin. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 3. fasc. 1. nr. 5.

659.

1343. Visegrád. 3. Jun. — Ludovicus I. rex, capitulo Strigoniensi, pro ablatis per Carolum I. regem possessionibus Izsép et Darázsi, possessionem Nána confert.

relacio fratris Dionisii lectoris.

Nos *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod quia olym excellentissimus princeps, dominus *Karolus,* rex Hungarie, pius genitor noster, felicis memorie, quasdam duas possessiones, honorabilis capituli ecclesie Strigoniensis, *Isep* et *Drasy* vocatas, in comitatu *Tolnensi* existentes, ab eodem capitulo auffe-rendo, quondam magistro Petro, dicto *Hercegh,* filio Herrici bani, *occasione districtus de Zaguria,* perpetue duxit conferendas. Interim vero, idem pater noster, vocacione divina de medio sublatus, dicto capitulo, pro eorum possessionibus predictis, nullam valuit facere reconpensam; ideo nos, qui decesso eodem patre nostro, in regni regiminis solium divinitus sumus immediate sublimati, sumpme caventes, ne anima eiusdem patris nostri exinde ante conspectum sumpmi iudicis diiudicaretur, quandam possessionem nostram, *Nana* vocatam, in comitatu *Strigoniensi* existentem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, de beneplacita voluntate et connivencia speciali serenissime principisse domine *Elizabet* regine, genitricis nostre karissime, prenotato capi-

tulo Strigoniensi in concambium, seu permutacionem dictarum possessionum ipsorum, per eundem patrem nostrum, modo quo supra ab eodem capitulo ablatarum, dedimus, donavimus, tradidimus et contulimus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam. In cuius possessionis corporalem dominium, dictum capitulum, per virum religiosum dominum fratrem *Dyonisium, lectorem* de ordine Minorum, capellanum nostrum, mandavimus introduci. Presentes autem privilegiari promittimus, dum nobis fuerint reportate. Datum, in *Vyssegrad,* feria tercia proxima post festum Penthecostes, anno Domini M° ccc° quatragesimo tercio.

Sigillum majest. tergo fuit appressum, sub quo leguntur voces in fronte expositae iteratim recurrentes. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strig. Priv. Lad. 31. fasc. 1. nr. 5.

660.

1343. Visegrád. 3. Jun. — Ludovicus I. rex, jobagionibus villae Nána, capitulo Strigon. collatae, iniungit, ut novis suis dominis obedientiam exhibeant.

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis villico et universis iobagionibus de villa *Nana,* salutem et graciam. Noveritis, quod nos dictam villam nostram Nana, contulimus ecclesie et capitulo Strigoniensi, pro possessione eorum, quam dominus rex, genitor noster, pie memorie, dedit Petro, filii Herrici. Quapropter, precipimus vobis firmiter et districte, quatenus ipsam ecclesiam et capitulum honorifice recipiatis, et eisdem a modo et in antea, sicut decet dominis vestris naturalibus obediatis et serviatis. Tributum vero, quod in ea exigebatur, informati super hoc, quod iniustum tributum fuit et indebite exigebatur, delevimus et destruximus; committentes, ut a modo et in antea, tributum in ipsa villa non exigatur aliquale. Cetera dicit honorabilis et religiosus vir, frater Dyonisius, lector de ordine Minorum, fidelis capellanus noster, ad statuendum ipsam villam, per nostram maiestatem deputatus et destinatus; cuius verbis, sicut decet homini regio, fidem credulam debeatis adhibere. Datum, in *Wysegrad,* feria tercia proxima post festum Penthecostes, anno Domini M° ccc° XL^mo tercio.

Fragmen sigilli parvi rotundi, cerae rubrae, tergo est appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strig. Priv. Lad. 31. fasc. 1. nr. 6.

661.

1343. — 9. Junii. — Johannes Dominici de Usa, Vesprimiensis dioec., lector Agriensis, capellanus G. tituli s. Mariae in Cosmedin Cardinalis, ac procurator eiusdem per Hungariam et Poloniam constitutus, baccalaureus in iure canonico, olim per annum rector studii Bononiensis, — suppl. Clem. VI., quatenus beneficium ecclesiasticum spectans ad collationem eppi Vesprimiens. donationi apostolice dignetur reservare. Cum acceptatione, quod lectoratum praedictum ac canonicatus et praebendas in eadem Agriensi, Strigoniensi et Vesprimiensi ecclesiis, nec non capellas, quae quartae appellantur, in Varad, Sarló, Gerund (Győrőd) et Gyarmat sine cura, Strigon. dioec. noscitur obtinere, cum dispensatione quod valeat obtinere lectoratum predictum cum beneficio, cum paratus erit dimittere capellas supradictas.

Ed. Bossányi: Regest. Suppl. T. I. p. 24—25.

662.

1343. Visegrad. 21. Jun. — Frater Vitus, episcopus Nitriensis, comes capellae regiae, capitulum Posoniense, contra magistrum Sebes de Bazin, citatum esse perhibet.

Nos frater Vytus, Dei et apostolice sedis gracia episcopus Nitriensis, comes capelle et secretarius cancellarius domini regis, damus pro memoria, quod Ladislaus de *Nek*, serviens et procurator magistri Sebus de *Bozyn* ab una, et discretus vir, magister *Thomas,* canonicus et procurator ecclesie *Posoniensis* parte ab altera, coram nobis personaliter constituti; per eundem Ladislaum de *Nek,* procuratorem magistri Sebus, confessum extitit et relatum: quod ipse, honorabile capitulum ecclesie Posoniensis, cum Nicolao, filio Benedicti de *Karcha,* homine regio, sub testimonio capituli Jauriensis, ad presenciam magnifici viri, domini Nicolai palatini fecisset citari, contra magistrum Sebus, dominum suum antedictum, octavas autem (expunct.: partibus) festi Nativitatis beati Johannis Baptiste, partibus coram ipso domino Nicolao palatino comparendi, pro termino fecisset assignari. Datum, in *Wyssegrad,* sabbato proximo ante festum Nativitatis beati Johannis Baptiste predictum, anno Domini M° ccc° xl^mo tercio. 1343. 1. Jul.

Extus: Pro honorabili capitulo ecclesie Posoniensis, contra magistrum Sebus *de Bozyn,* super indicacione serie cuiusdam citacionis memorialis. — Sigillum margini ext. fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Poson. Privat. Capsa Z. fasc. 15. nr. 331.

663.

1343. (Esztergom.) 24. Jun. — Magistratus civitatis Strigon., Pethő Slavum, civem Strigon., quamdam vineam suam, quindecim marcis argenti, filiis Stephani vendidisse testatur.

Comes Merclinus iudex, comes Stephanus filius Frank, Georgius filius Robini, comes Val*l*entinus, magister Leukus, Stephanus filius Hunricii, Geletus filius Geleti, magister Withul, Geletus dictus de *Boioth,* magister Ladislaus, filius Petheu quondam iudicis, Jacobus filius Robini, Geletus filius Endree, et Godinus filius Godini iurati, ceterique cives de Strigonio, universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam, tam presencium, quam futurorum, harum serie volumus (emans.: pervenire), quod Petheu *Sclauus,* noster socius, ab una parte, Johannes et Paulus; filii Stephani, ex altera, coram nobis personaliter constituti, idem Petheu Sclauus, quandam vineam suam, in *territorio Strigoniensi Balya* vocata sitam, in vicinitate vinearum comitis Pauli dicti de *Boiot* [et] Pauli dicti *Kualya,* a parte meridionali, Benedicti dicti *Burian,* a parte occidentis, et Petri a parte septemtrionis existentem et adiacentem, de bona voluntate et ex permissione domine consortis sue, et omnium aliorum cognatorum et proximorum suorum, necnon vicinorum superius expressorum et nominatorum, prout per nos diligenti inquisicione inquisiti et interrogati ac interrogate, huic vendicioni vinee consensum prebuerunt benivolum et assensum, cum omnibus utilitatibus, ad eandem pertinentibus et specialiter cum loco torcular*y*s, dixit, asseruit et confessus est oraculo vive vocis, dedisse, seu vendidisse prefatis Johanni et Paulo, filiis Stephani, quindecim marcis argenti mercimonialis, plene habitis et receptis ab eosdem, et per ipsos, ipsorum heredibus, heredumque ipsorum successoribus,

iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam, necnon pariter et habendam, contradictore nullo penitus apparente, seu existente nostri in presencia. Assumpsit eciam Petheu Sclauus, ut litteras, si quas super ipsam vineam confectas et emanatas pallam vel oculte penes se haberet reservatas, ubicunque, quandocunque et coram quovis iudice exhiberentur et presentarentur, preter istas, reddidissent cassatas et per omnia viribus caturituras (sic!). Preterea idem Petheu Sclauus, tam per se, quam per suos proximos et cognatos assumpsit firmiter et districte, ut si qui processu temporum, prefatos Johannem et Paulum et ipsorum heredes ac successores, racione premisse vinee et attinencium ad eandem, inquietare et molestare niterentur seu conarentur, ab omnibus hys et talibus expedire et liberare, suis laboribus propriis et expensis. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad instantes peticiones parcium premissarum, presentes ipsis Johanni et Paulo, concessimus duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in festo beati Johannis Baptiste, anno Domini M° ccc° xl^mo tercio.

In inferiori margine reflexo coaeva manus adnotavit: Item post festum Epiphanie Domini secunda dei (sic!) aligavi vineam meam, terciam partem vine(e) mee Paulo, filio Blasio de Zob, in septem pensis denariorum et media gerate brosii (sic!). — Sigillum e flavo et violaceo serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strig. Publ. Capsa 1. fasc. 4. nr. 9.

664.

1343. Buda. 5. Julii. — Ludovicus I. rex, magistro tavarnicorum, et eidem assidentibus prelatis et baronibus mandat, ut inquirent: utrum literae prorogatoriae, fratri Paulo magistro cruciferorum concessae, ast iudicibus civitatis Pestiensis, post consuetum terminum et horam praesentatae, valebant causam prorogari, nec-ne.

Nos Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, damus pro memoria, quod cum nos de venacione quam in *Pwkus* fecimus, in civitatem nostram Budensem redissemus, cives et hospites nostri Budenses, ad nostram accedentes presenciam dixerunt, quod libertas eorum esset, ut citati ad eorum presenciam, in illo die ad quem citati erunt et instrumenta eorum coram ipsis exhibere et respondere assumpmunt, inter duas missas comparere tenentur; et quicunque, usque celebracionem et finem magne et ultime misse non comparent coram ipsis in tribunali eorum iudiciali, illi postquam iudex ipsorum surgeret de tribunali, secundum consuetudinem et libertatem civitatis nostre, remanerent. Nunc vero unum par litterarum nostrarum generalium, quibus mediantibus generaliter omnes causas fratris *Pauli*, magistri cruciferorum sancti regis Stephani de *Strigonio*, et sancte Trinitatis de *Calidis Aquis* prorogari iusseramus, in causa quam idem magister cruciferorum, contra Kenclinum, condam iudicem, Ladizlaum filium Ladizlai, Nicolaum generum Wluingii, et Petrum dictum Reynis, concives eorum, coram ipsis habet, non in illa hora et termino, quo ipsa causa iudicari debuit, sed post magnam et ultimam missam, et post prandium ac meridiem, quando nullus iudicum in tribunali fuisset, sicut eciam fueri non debuisset, postquam in ipsa causa finem sentencialiter decernendo, secundum libertatem ipsorum, in presencia hominis nostri, testimonio capituli Vachiensis fecissent, fuissent exhibite solummodo iudici ipsorum et aliquibus iuratis, non insimul et in tribunali eorum, sed in domibus ipsorum existentibus. Aliud quoque par litterarum nos-

trarum, quo mediante specialiter prenominatam causam prorogari iussemus, fuisset exhibitum die altera ipsius termini et die subsequenti, et sic iudicium eorum factum, ut premissum est in prenotato termino et hora inter duas missas, secundum eorum libertatem ab antiquo aprobatam; cum predictus magister cruciferorum, hora in eadem inter duas missas et ante prandium non venisset, nec misisset, nec eciam dictas litteras nostras per aliquem curasset destinare et presentare, exposscente sepius nominata libertate eorum, non valuissent nec potuissent revocare. Nos igitur, volentes ipsam civitatem nostram in suis libertatibus conservare, commisimus, ut utraque parcium in octavis sancti Mychaelis archangeli nunc venturis, coram magistro tauarnicoram nostrorum compareat, et ipse magister cruciferorum exhibeat illas litteras nostras, quibus mediantibus ipsam causam suam prorogari iussimus. Ipsi vero Kenclinus, condam iudex, et alii cives nostri, exhibeant litteras civitatis super eo, quod littere nostre ipsam causam prorogari volentes, in die et termino ut premissum est, inter duas missas, quo exhiberi debuissent coram ipsis in tribunali eorum, exhibite secundum libertatem civitatis prenotate non fuissent et ostense. Tunc magister tauarnicorum nostrorum, cum prelatis et barronibus nostris, visis predictis litteris, coram eo exhibitis, finalem decisionem inponet in causa prenotata, iuris ordine observato, ita videlicet, quod predicti prelati et barrones nostri, una cum eo, sepedictas litteras nostras prorogatoriales, requirente libertate civitatis nostre prenotate, pro eo, quod in predicto termino et hora iuxta libertatem eorum non fuerunt exhibite, sed post iudicium et finem per ipsos in predicta causa impositum decreverint: ipsam causam non potuisse prorogari, extunc predictum iudicium eorum, in premissis factum, secundum libertatem ipsorum, pro rato et firmo acceptando confirmetur. Si vero ipsam causam, cum eo toto, ut prediximus, quod post iudicium et finem iuxta eorum libertatem, per ipsos in predicta causa impositum, prememorate littere nostre exhibite fuerunt decreverint: debuisse et potuisse prorogari, tunc causa eadem, exposscente pluries dicta libertate eorum, ad examen iudici ipsorum seu iudicatui, de nuvo (sic!) per magistrum tauarnicorum nostrorum transmittatur. Qui quidem iudex et iurati, secundum Deum et iusticiam, ac libertatem eorum, inter partes iusticie faciant complementum. Datum *Bude,* sabbato proximo ante octavas festi beatorum Petri et Pauli apostolorum, anno Domini M° CCC° XL^mo^ tercio. 1343. 6. Oct.

Extus: Pro Kenclino, condam iudice et aliis quibusdam civibus Budensibus, contra fratrem Paulum, magistrum cruciferorum sancti regis Stephani de Strigonio et sancte Trinitatis de Calidis Aquis, ad octavas sancti Mychaelis archangeli nunc venturas prorogatoria. — Sigill. rotundum cerae rubrae impressum in marg. ext. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Fundationalia nr. l. f.

665.

1343. Visegrád. 8. Jul. — Nicolaus palatinus, causam magisti Sebes de Bazin, contra capitulum Posoniense prorogat.

Nos [Nicolaus, regni] Hungarie palatinus et iudex Cumanorum, [. . . . . .] quod causam, quam magister Sebus de *Bozyn,* pro quo Ladislaus filius Mauricii, cum procuratoriis literis nostris asstitit, contra capitulum ecclesie Posoniensis, pro quo assumptor termini comparendo, terminum super [. . . . . .] iuxta continenciam

litterarum citatoriarum capituli ecclesie *Jauriensis,* in octavis festi Nativitatis beati Johannis baptiste movere habebat coram nobis, racione prioritatis termini, ad octavas festi beati regis Stephani, nunc venturas, peremptorie duximus prorogandam; presentes autem propter absenciam sigilli nostri maioris, minori sigillo nostro fecimus consignari. Datum in *Wyssegrad,* octavo die termini prenotati, anno Domini M° ccc^mo^ XL^mo^ tercio. 1343. 1. Jul. 27. Aug.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. charta., humore exesum, in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 28, fasc. 1. nr. 8.

666.

1343. Visegrád. 16. Julii. — Mandatum comitis Pauli, iudicis curiae regiae, capitulo Budensi datum, ut edocto per Chanadinum, archieppum Strigon. iure, per privilegium Belae IV. regis, ad portiones Vonuntotelek, Mokafölde et Lukafölde, velut ad possessionem archieppalem Vadkert pertinentes, eundem archiepiscopum, cum erectione simul metarum, statui faciat.

Nos comes Paulus, index curie domini Lodouici, Dei gracia regis Hungarie, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod cum Thomas, quondam woyuoda Transsiluanus, accepto Martino, filio Mychaelis de *Herman,* homine regio, presente magistro Thoma succentore, et testimonio honorabilis capituli ecclesie Budensis, quasdam possessionarias porciones *Vonuntoutheluk, Mokafeulde* et *Lukafeulde* vocatas, in comitatu Neugradiensi existentes, nomine sui iuris recaptivasset, et sibi perpetua stabilitate statui facere voluisset, venerabilis in Christo pater, dominus *Chanadinus,* Dei et apostolica providencia *archiepiscopus Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, in statucione earumdem perpetua, eo quod predicte sancte Strigoniensis ecclesie, omni veritatis tramite easdem pertinere allegasset, contradiccionis velamine obviasset. Ob quam contradictoriam prohibicionem, legitime citacionis modum observando, ad octavas festi Nativitatis Virginis gloriose, anno Dominice Incarnacionis M° ccc° xxxx^mo^ primo preteritas, eundem dominum Chanadinum archyepiscopum, per eundem hominem domini regis, presente testimonio dicti capituli *Budensis,* in presenciam serenissimi principis domini *Karoli,* Dei gracia quondam illustris regis Hungarie, laudande memorie, patris predicti domini *Lodouici* regis, contra se fecisset evocari. Et cum ipsa causa, a predictarum octavarum Nativitatis Beate Virginis termino, tum racione prioritatis termini, tum sub forma faciende concordie, parili voto parcium, iuxta complurium litterarum nostrarum prorogatoriarum, in diutina ventilacione dicte cause in diversis terminis confectarum, continencias, quindenas vigesimi secundi diei festi beati Georgii martiris, anno in presenti elapsas accinxisset, ipso termino adveniente, idem Thomas woyuoda, actor existendo, non venit, neque misit, et sic se *h*onere regalis iudicii, ipso domino Chanadino archyepiscopo, a dictis quindenis sedecim diebus continuis personaliter coram nobis eundem expectante, commisit agravari. Quarum quidenarum termino exspirato, idem dominus archyepiscopus, universis suis premissis litteris causalibus et instrumento privilegiali domini *Bele,* olym sceptra regiminis dicti regni Hungarie in memoria felici inportantis, anno Domini M° cc^mo^ quinquagesimo quinto, in facto dictarum possessionariarum 1341. 15. Sept. 1343. 29. Maii. 1255.

porcionum confecto, in ipsius domini Lodouici regis, prelatorum et baronum regni sui productis presenciam, sue cause finem congruum postulavit inpertiri. In cuius privilegialis instrumenti, dicti domini Bele regis, tenore reperiebatur expresse contineri: quod, cum prefatus dominus Bela rex, post insultus Tartharorum, statum regni sui deformatum in melius reformare volens, et unicuique quod suum esset restituere, occupatoresque possessionum, per diram necem Thartharorum herede carencium, iuris ordine reintegrare, *congregacionem in Vacia, tribus comitatibus*, videlicet *Neugradiensi, Huntensi* et *Gumuriensi*, de consilio regni sui fecisset proclamari, et in ipsa congregacione, tam de possessionibus occupatis, quam de iniuriis illatis satisfacere voluisset, inter cetera dominus *Benedictus*, archyepiscopus Strigoniensis, per modum querimonie eidem domino Bele regi significare curasset, quod quidam nobiles iobagiones ecclesie Strigoniensis exercituantes, et alii condicionarii eiusdem, a servicio ipsius ecclesie fugientes, liberis nobilibus regni se conformassent, petiissetque idem dominus archyepiscopus prelibatum dominum Belam regem Hungarie humiliter et devote, ut huiusmodi servitores ecclesie sue, ad officia eis a sancto rege ordinata, redire compelleret. Cuius precibus, idem dominus Bela rex inclinatus, deliberacione prelatorum et baronum regni sui deliberans decrevisset, ut comes *Tekus*, Folkus de *Zechen*, et Lorandus de *Zyhygh*, dilecti et fideles sui de comitatu Neugradiensi, ad eorum fidelitatem scirent et inquirerent in dicto comitatu Neugradiensi, qui et quales essent servitores dicte ecclesie Strigoniensis, a sanctis regibus ordinati, qui se a servicio dicte ecclesie retraxissent. Tandem memorati fideles sui, ad ipsum dominum Belam regem post plurima tempora venientes, eidem taliter redixissent: quod Lukam, filium *Echem*, *Halad* cum filio suo *Moka*, *Vonuntou* cum filio suo *Bulchu*, ac *Donkus* filium Dominici, de servicio dicte ecclesie fuisse reperissent, quorum servicia in eodem privilegiali instrumento dicti domini Bele regis plenius distinguntur, qui propter malam conservacionem de suis terris recessissent, qui se in *Wodkerth* propriam terram habere dixissent. Quos ipsi comites Tekus, Folkus et Lorandus, ad propriam terram eorum Wodkerth ad utendum et ipsi ecclesie serviendum in servicio consueto reduxissent; quibus, ipsam terram, sub metis in eodem privilegiali instrumento ipsius domini Bele regis expresse contentis, divisissent. Cuius privilegialis instrumenti visis continenciis, quia predicte possessionarie porciones: *Vonuntouteluk*, *Mokafeulde* et *Lukafeulde* vocate, ipsis Luka filio Echem, Halad et Moka filio suo, Vonuntou et Bulchu filio suo, ac Donkus filio Dominici, condicionario iugo servitutis predicte sancte Strigoniensis ecclesie, modo pretacto annexis et subiectis, per ipsum dominum Belam regem restitute ipsi ecclesie Strigoniensi et per eam suo archyepiscopatui, omni equitatis tramite, per ipsum dominum Lodouicum regem et sui regni prelatos ac barones, ab antiquo pertinuisse et nunc debere pertinere reperiebantur, ideo idem dominus rex, prout ex officio sui suscepti regiminis de iure ad hoc tenetur, volens iusticie factor et ecclesie amator existere, predictas possessionarias porciones eo iure et ea plenitudinis quantitate, ac sub eisdem metis et terminis, quibus per eorum incolas et habitatores possesse et habite extiterunt, ipsi sancte Strigoniensi ecclesie et per eam suo archyepiscopatui, perpetuo commisit possidere. Unde, quia predictus dominus archyepiscopus, in dominium predictarum possessionariarum porcionum, habita premissa recaptivacione et prohibicione, per ipsum Thomam

woyuodam lite pendente inter ipsos, ut idem dominus archyepiscopus per modum grandis querulose protestacionis ipsum dominum Lodouicum regem, et suos prelatos ac baroncs oretenus informabat, occupatarum, per homines regium, et Stephani magistri tawarnicorum domini regis et nostrum, presente testimonio capituli ipsius *ecclesie Budensis* legitime voluit introduci, ideo ipsa regalis pietas, matura deliberacione prehabita decrevit iudicando, ut magistri Pangracius, aule regie miles, Demetrius, prothonotarius eiusdem magistri Stephani, et Johannes, frater Morus, homines regius dicti magistri Stephani, et noster ad hoc de curia regia specialiter transmissi, presente testimonio iam dicti capituli ecclesie Budensis, quod per ipsum capitulum, presencium testimonio ad infrascripta peragenda idem dominus rex iussit destinari, feria quarta proxima post festum beati Jacobi apostoli nunc proxime venturum, 1343. 30. Jul. ad facies predictarum possessionariarum porcionum Vonuntouteluk, Mokafeulde et Lukafeulde vocatarum, quas idem dominus archyepiscopus, ex vigore predicti privilegii dicti domini Bele regis, ad eandem possessionem *Wodkerth* pertinere asserebat, accedant, et ipso privilegio dicti domini Bele regis, ibidem in specie per ipsum dominum archyepiscopum, vel suum legitimum procuratorem exhibito, easdem a primis metis usque ad finales metas, in eodem privilegio contentis et habitis reambulent, reambulatasque, si predicte mete bono modo et apparenter reperte fuerint novis metis iuxta veteres erectis, ad predictam possessionem Wodkerth applicando, ipsi ecclesie Strigoniensi et per eam suo archyepiscopatui statuant, perpetuo possidendas, si non fuerit per quospiam contradictum; contradictores vero, si qui fuerint, iidem regii et eiusdem magistri Stephani homines, presente testimonio sepedicti capituli Budensis, ad quindenas eiusdem festi beati Jacobi apostoli nunc venturas, racionem contradiccionis eorum reddituros, contra ipsum dominum (expunct.: Chanadinum) archyepiscopum, in presenciam citent ipsius regie maiestatis. Particulam enim possessionariam, per quempiam prohibitam, signis pro metis positis consignando et regali mensura, si mensurari potest, mensurando, vel visu considerando, una cum aliis probis viris estiment, regni consuetudine exigente. Et post hec, tocius facti seriem, cum cursibus metarum et statucione dictarum possessionariarum porcionum, nominibus contradictorum et citatorum, ac estimacione particule terre litigiose, per ipsum capitulum Budense, in eorum litteris fideliter et seriatim predicto domino nostro regi volumus remandari. Datum in *Wyssegrad,* secundo die festi Divisionis Apostolorum, anno Domini M° ccc^mo^ xxxx^mo^ tercio. 1343. 8. Aug.

Extus: Amicis suis reverendis, capitulo ecclesie Budensis, pro domino Chanadino archyepiscopo Strigoniensi, super statucione quarumdam possessionariarum porcionum *Vonuntotheluk, Mokafeulde* et *Lukafeulde* vocatarum, feria quarta proxima post festum beati Jacobi apostoli facienda. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. F. nr. 155.

667.

1343. Villanova. 17. Julii. — Frater Daniel dictus Rors, abbas monasterii s. Andreae apostoli iuxta Visegrád, ordinis s. Benedicti, prius professus fratrum praedicatorum, supplicat Clementi VI., quatenus cum eo dispenset, ut abbatiam possit retinere, regimenque illius libere exercere.

Ed. Bossányi: Regest. Supplic. T. I. p. 26—27.

668.

1343. (Vác.) 21. Julii. — Capitulum ecclesiae Vaciensis, seriem reambulationis metarum possessionis Szentalbert, in comitatu Borsodiensi sitae et ad capit. Strigon. pertinentis, e parte possess. Kerencs factae, Ludovico I. regi rescribit.

Nos capitulum ecclesie Wachiensis, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod cum iuxta continenciam litterarum excellentissimi principis, domini *Lodouici,* illustris regis Hungarie reambulatoriarum, una cum homine ipsius domini regis Petew *de Osgyat*, nostrum destinassemus hominem, videlicet *Paulum presbiterum* de choro nostro, pro testimonio fidedignum; qui tandem ad nos premissa reambulacione facta reversi, nobis taliter retulerunt: quod in festo beate Margarete virginis et martiris proxime preterito, ad faciem possessionis *Scenthalberth* vocate, *capituli* ecclesie *Strigoniensis,* in comitatu *Borsodiensi* accessissent, vicinis et commetaneis dicte possessionis ad faciem eiusdem legittime convocassent et presentibus, a parte possessionis *Kerench* reambulare, juxta litteras ipsius domini regis voluissent, propter in undacionem (sic) aque, predictam possessionem reambulare nequivissent; et ipsis presentibus Georgius de eadem Kerench, in facie eiusdem possessionis, cum discreto viro magistro *Ladislao, preposito sancti Georgii* martiris, procuratore eiusdem capituli Strigoniensis, taliter concordassent: quod quandocumque capitulum ecclesie Strigoniensis aliquem ad ponendas metas destinaret, ex parte ipsius possessionis Kerench, dimidietatem insule sue, cum omnibus utilitatibus suis, in comitatu *Zemlen* existentis, secundum conscienciam suam, predicto capitulo Strigoniensi per metas legittimas assignaret, ita tamen, quod molendinum ipsius Georgii, ex parte comitatus Borsodiensis, nunquam capitulum sepedictum deberet inpedire, sed semper in perpetuum ipsi Georgio pacifice committeretur possidendum, nisi ipsi capitulo videretur per se molendinum edificare, quo casu capitulum sepiusdictum, partem insule prenotatam, ipsi Georgio restituere teneretur et pro meta habetur fluvium *Sayo.* In cuius rei memoriam presentes litteras sigilli nostri munimine duximus concedendas. Datum, feria secunda proxima ante festum beati Jacobi apostoli, anno Domini M° ccc^mo^ XL^mo^ tercio. 1343. 18. Jul.

Sigillum marg. exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Museo Nation. Hung. Arch. fam. Dancs.

669.

1343. (Vác.) 21. Julii. — Capitulum Vaciense, seriem reambulationis et statutionis possess. Szentalbert, capitulo eccl. Strigoniensis factae, Ludovico I. regi rescribit.

Nos capitulum ecclesie Wachiensis, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod cum iuxta continanciam litterarum excellentissimi principis domini *Lodouici,* illustris regis Hungarie reambulatoriarum, in quibus precipiebatur, ut mitteremus hominem nostrum pro testimonio fide dignum, quo presente Paulus *de Pescere,* vel Martinus *de Kysfalu,* aut Peteu de *Osgyat,* aliis absentibus homo ipsius domini regis, ad faciem possessionis *Scenthalbert* vocate, capituli ecclesie Strigoniensis, in comitatu Borsodiensi, vicinis et commetaneis suis legittime convocatis et presentibus accedendo,

reambulacionem ipsam per veras suas metas et antiquas, novas iuxta veteres ubi necesse fuerit erigendo, reambulatamque et ab aliorum possessionibus distinctam et separatam, relinqueret ipsam eidem capitulo Strigoniensi, iure quo ad ipsum pertinere dinossceretur perpetuo possidendam, si non fieret contradictum; contradictores vero si qui fierent, citaret contra ipsum capitulum ad presenciam excellentissimi principis, ad terminum competentem; et post hec diem et locum citacionis, nomina citatorum cum termino assignato et cursibus metarum ipsi domini regi fideliter rescriberemus. Nos vero ipsius domini regis preceptis et mandatis obedientes, ut tenemur, cum eodem Peto (sic), homine ipsius domini regis, nostrum misimus hominem *Paulum* sacerdotem chori nostri, pro testimonio fidedignum; qui tandem, premissa reambulacione facta, ad nos redeundo nobis taliter retulerunt: quod in festo beate Margarete virginis et martiris ad faciem predicte possessionis accessissent et universos vicinos et commetaneos dicte possessionis ad faciem eiusdem legittime convocassent, in quorum presenciis memoratam possessionem, absque quorumlibet contradiccione tribus diebus continuando reambulassent et facta legittima reambulacione et renovacione metarum, ipsam possessionem ab aliorum possessionibus separatam, sub metis infrascriptis, ipsi capitulo Strigoniensi reliquissent perpetuo possidendam. Cuisquidem mete hoc ordine distinguntur: quod prima meta incipit a parte ville *Chech,* circa fluvium *Sayo,* in quodam loco ubi in littore ipsius fluvii incipiunt esse virgulte salicis et ibi sunt due mete terree, inter quas transit una una (sic bis) via non multum, circa quarum (sic) quidem metarum una est possessionis Scenthalbert, alia possessionis Chech; deinde per eandem viam tendendo versus quendam locum *Laposhalm* vocatum, sunt due mete terree et hinc ulterius modicum sunt alie due; deinde superius tendendo directe ad predictum locum Lapushalm sunt in pluribus locis duplicate mete terree et tandem pervenit ad unum rubum spinarum et ibi eciam sunt due mete terree; ab hinc procedendo pervenit ad terram nobilium de *Igrici* et ibi sunt tres mete terree, quarum una separat possessioni Scenthalbert, alia possessioni Chech, tercia possessioni de Igrici et ibi mete possessionis Chech terminantur. In cuius rei memoriam presentes litteras concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum, feria secunda proxima ante festum beati Jacobi apostoli, anno Domini M° ccc^mo^ xl° tercio.

1343. 13. Jul.

Sigillum margini ext. fuit appressum. — Orig. membr., in Museo Nation. Hung. Budapest. Arch. fam. Melczer.

670.

1343. — 26. Julii. — Testamentum magistri Thomae, canonici Posoniensis et plebani de Püspöki.

In nomine Domini Amen. Ego, magister *Thomas, canonicus* ecclesie sancti Martini in *Posonio,* et plebanus de *Pyspuky,* iacens in lecto egritudinis, licet eger corpore, tamen compos per omnia sane mentis, coram discretis viris domino Petro custode ecclesie Jauriensis, Nicolao archidiacono Mosoniensi, magistro Nicolao, notario capituli eiusdem predicte ecclesie Jauriensis, et Luca plebano civium in castro Jauriensi existencium, confessore, modo de rebus meis tam

mobilibus, quam immobilius, a Deo collatis, et gracioso domino meo, venerabili in Christo patre et domino, domino *Chanadino,* archiepiscopo *Strigoniensi,* michi donatis, tale condo et facio testamentum: quod vineam meam empticiam, in *Reche* existentem, Mychaeli fratri meo lego; item aliam vineam meam, in *Sancto Georgio* existentem, similiter empticiam, eidem Mychaeli fratri meo lego, ita videlicet, quod singulis annis unum vas vini ternarium, pro ob remedio (sic!) anime mee, de vino eiusdem vinee expendere debeat pauperibus. Item unum *pannum de Ipra,* domine matri mee lego. Item septem talenta, apud relictam Bulchu, pro necessariis et colleccione vinearum predictarum, eidem Mychaeli lego. Item quadraginta talenta, apud Demetrium de Posonio deposita, de quibus viginti talenta, filiabus Nicolai fratris mei lego; item alia viginti Nicolao fratri meo, de quibus unum talentum domine sorori mee *de Batha* lego. Item unam marcam pueris Abraae fratris mei dono. Item duas pelles, sive mastrucas de variis fialibus (sic!) Nicolai fratris mei (sic!) lego. Item quatuor talenta, apud Dyonisium de Sancto Georgio, de quibus unum talentum Petro presbitero lego. Item, apud Mychaelem *de Scunug,* duo talenta, que expendere pro celebracionibus missarum in Posonio, simul cum aliis tribus talentis committo. Item sedecim ul*l*nas et mediam de panno levi, medietatem Nicolao et aliam medietatem Mychaeli fratribus meis lego. Item unam tabardam, cum capucio de Ganthi, Petro presbitero capellano meo. Item octo boves Nicolao et Mychaeli fratribus meis lego. Item fruges meas, in allodio *Popfolwa,* capitulo Posoniensi medietatem, et aliam medietatem Mychaeli fratri meo. Item oves meas, de quibus quindecim Pethus servienti meo; item decem filio Thome servienti meo Nicul dicto; item Nicolao clerico quindecim numero de ovibus et agnellis lego. Item tres vaccas, in predicto allodio, unam vaccam et thaurum Egidio et fratri suo lego; item unam vaccam Johanni famulo meo et unum equum *rih* (sic!) coloris cum freno et sella (expunct.: committo et super script.) lego. Item alias oves meas committo vendicioni, et pro celebracionibus missarum et elemosinis expendi. Item unum vas vini antiqui in *Pyspuk,* sacerdotibus de choro Posoniensi lego. Item viginti duas pensas, apud Johannem Chymir *de Duburgazyg,* de quibus unam marcam Johanni famulo meo et duodecim pensas dari ad hospitalia in Posonio lego. Item undecim equas indomitas Nicolao et Mychaeli fratribus meis. Item de predictis octo bobus duos boves Abrae fratri meo. Item *librum* meum *manuele* (sic!) capelle sancti regis Ladizlai de Posonio lego. Item librum meum missalem ecclesie sancti Nicolai de Pyspuky lego. Item de precio ovium cementum ecclesie de Pyspuk persolvi lego. Item de una marca, quam domina relicta Stephani *de Wayka* habet, quatuor pensas eidem et unum talentum Nicolao *de Samut* committo. Item in *Zumpa* et *Bagdanch,* ac aliis villis, iuxta decimas domino archyepiscopo de pecunia mea prius persolutas, lego eidem domino archyepiscopo domino meo (expunct.: exigendas). Item de sex bobus unum domine sorori mee de Batha lego. Item Paulo sacerdoti de *Sancto Vito* unam tabardam cum capucio. Item unam *tunicam Garnaciam,* Luce plebano confessori meo, cum capucio lego. Item fruges meas in Pyspuky, de quibus unum iuger Pethus filio Pascha de tritico, alias fruges ecclesie sancti Nicolai, pro *fusione campane* committo. Item sepulturam eligo sub gremio ecclesie Matris Misericordie in Jaurino. Item lectisternia et superlectilia domus mee, Mychaeli fratri meo; item tres baltheos meos, de quibus unum Mychaeli fratri meo, et duos vendicioni exponere, et pro elemosinis expendi committo. Item

Jacobus *de Tharnauia* decem talentis tenetur, de quibus iuxta conscienciam suam debitum suum recipiat, cetera reddere fratribus meis committo. Item unum equum meum plaustralem, *peg* coloris, Petro de Zala famulo meo lego. Item duos equos plaustrales Nicolao et Mychaeli fratribus meis lego, dono et committo. Datum, feria quinta proxima ante festum sancti regis Ladislai, anno Domini M° ccc° xl^mo tercio. Item *breviarium* meum, cum funere meo deferri lego. Item rogo et supplico domino et benefactori meo domino archyepiscopo Strigoniensi, ut fratres et orphanos meos, sub proteccionem gracie sue recipere dignetur. Exsecutores autem constituo Nicolaum et Michaelem fratres meos uterinos.

Extus: Testamentum magistri Thome canonici Posonyensis et plebani de Pyspuk.

Sigilla sex marg. exteriori fuerunt appressa. Orig. membr., in Archiv. Primat. Arch. Ecclesiast. Vet. nr. 26/2.

671.

1343. (Buda) 5. Aug. — Capitulum Budense, archiepiscopum Strigoniensem, in portionibus Vonuntótelek, Mokafölde et Lukafölde, ad possessionem Vadkert pertinentibus, facta metarum reambulatione, statutum esse, Paulo iudici curiae rescribit.

Nos capitulum ecclesie Budensis, memorie commendamus per presentes, quod litteras manifici viri, comitis Pauli iudicis curie excellentissimi principis domini Lodouici, Dei gracia regis Hungarie, recepimus hunc tenorem continentes:

Sequitur mandatum Pauli comitis, ex ipso originali superius sub nr. 666. editum. 1343. 16. Jul.

Nos igitur peticionibus ipsius comitis Pauli, iudicis curie regie annuentes, ut tenemur, una cum predictis magistris Pangracio, aule regie milite, Demetrio prothonotario, Stephani magistri thauarnicorum domini regis, et Johanne fratre *Morus,* hominibus regio (sic!) et magistri thauarnicorum, ac comitis Pauli de curia regia, specialiter transmissis, magistrum *Ladislaum* socium et *concanonicum,* ac hominem nostrum, pro testimonio fidedignum, ad premissa fideliter exsequenda duximus transmittendum. Qui quidem regius, et magistri thauarnicorum, ac comitis Pauli homines, una cum eodem nostro testimonio, ad nos demum reversi, nobis communiter et concorditer, absque variacione aliquali retulerunt: quod ipsi, in predicta feria quarta proxima post festum beati Jacobi apostoli proxime preteritum, ad facies predictarum possessionariarum porcionum, *Vonunthotheluk, Mokafeulde* et *Lukafeulde* vocatarum, vicinis et commetaneis suis, et specialiter populis de villa *Schenhleurench* convocatis, accessissent et predicto privilegio domini *Bele* regis, in specie per magistrum *Johannem notarium,* et legitimum procuratorem prelibati domini archyepiscopi Strigoniensis, ibidem exhibito, easdem per metas in eodem privilegio domini Bele regis contentas reambulassent; et facta reambulacione, predictas possessionarias porciones Vonunthoteluk, Mokafeulde et Lukafeulde vocatas, intra ipsas metas, in dicto privilegio domini Bele regis contentas et manifeste repertas adiacere invenissent, et easdem iuxta continenciam et vigorem ipsius privilegii domini Bele regis, sine preiudicio iuris alieni, statuissent ipsi domino archyepiscopo, et suo archyepiscopatui, ac ecclesie Strigoniensi perpetuo possidendas, nemine contradictore existente. Et quia eedem antique mete dicte possessionis *Vodkerth,* in predicto privilegio domini Bele regis contente, amplio- 1343. 30. Jul.

rem terram cum silva, quondam per Donkus decimatorem possessam, iuxta predictam terram Lukafeulde vocatam, ex parte dicte terre Scenthleurench nominate adiacentem conprehendissent et circumdedissent, ipsam autem terram Donkus decimatoris, tenor dictarum litterarum comitis Pauli iudicis curie regie, in nullo tetigisset, ideo ipsi tenorum ipsarum litterarum excedere non valentes, nec ipsam terram Donkus decimatoris ipsi domino archyepiscopo ad presens statuere, nec ipsas antiquas metas renovare valuissent, pro eo eciam, quia capitales et principales mete dicte possessionis Vodkerth, ex parte predicte terre Scenthleurench inciperentur et currerent, secundum formam privilegii domini Bele regis pretaxati. Datum, feria tercia proxima ante festum beati Laurencii martiris, anno Domini M° ccc^mo xxxx^mo tercio.

Extus: Pro domino archyepiscopo Strigoniensi, super statutis quibusdam possessionariis porcionibus Vonunthoteluk, Mokafeulde et Lukafeulde vocatis, memorialis ad quindenas beati Jacobi apostoli. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Archiv. Primat. Secul. Lad. F. nr. 156.

672.

1343. Visegrád. 16. Aug. — Paulus iudex curie regie causam super Vonuntótelek et pertinentiis exortam, capitulo Budensi investigandam, committit.

Tenorem vide sub nr. 676.

673.

1343. Pilis. 20. Aug. — Conventus de Pilis, Tótós magistro ianitorum et comiti Barsiensi, qua suo tutori, pro viginti marcis denariorum Budensium, fundum curiae ecclesiae suae in Visegrád existentem, vendidit.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX. I. p. 161.

674.

1343. (Veszprém) 22. Aug. — Capitulum Vesprimiense, transsumit literas super remissione possessionum: Apáti, Győr; Felső- et Alsóatak abbati de Almád, per castellanum Bánd facta, emanatas.

Nos capitulum ecclesie Wesprimiensis notum fieri volumus, quibus expedit tenore presencium universis, quod religiosus vir frater *Mychael,* abbas monasterii beate Virginis de *Almad,* suo et conventus sui nomine ad nostram propria sua in persona accedens presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras patentes excellentis principis domini *Lodouici,* Dei gracia illustris regis Hungarie domini nostri, petens nos humili precum instancia, ut quia easdem quarum tenor presentibus declaratur, propter infortuitos eventus ad omnia ea loca quibus debentur exhiberi semper, in specie secum ferre non valeret, ideo tenorem earumdem nostris litteris transscribi facere et nostro sigillo consignare dignaremur. Quarum tenor talis est:

Nos *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium, significamus quibus expedit universis, quod vir religiosus frater Mychael, abbas monasterii Beate Virginis de *Almad,* ad serenitatis nostre accedendo presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras capituli ecclesie Wesprimiensis rescripcionales, hunc tenorem continentes:

Excellentissimo principi domino Lodouico, Dei gracia illustri regi Hungarie,

domino ipsorum, capitulum ecclesie Wesprimiensis, oraciones in Domino debitas et devotas. Vestra noverit regia serenitas, litteras vestras anulari sigillo confectas, honore quo decuit nos recepisse, hunc tenorem continentes:

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis discretis viris capitulo *ecclesie Wesprimiensis* salutem et graciam. Fidelitati vestre firmiter et districte precipiendo mandamus, quatenus alias litteras nostras magistro *Band,* castellano de *Hegesd,* super facto abbatis de *Almad* transmissas, per unum ex vobis virum *y*doneum eidem magistro Band exhibere faciatis et quicquid *y*dem visis ipsis litteris nostris fecerit vel responderit, nobis fideliter rescribatis. Datum in *Wysegrad,* sabbato proximo ante festum beati Mychaelis archangeli, anno Domini M° ccc° XL^mo^ secundo. 1342. 28. Sept.

Nos itaque regio edicto vestre maiestatis obedire, ut tenemur, cupientes, discretum virum magistrum *Georgium* prepositum *Wrsiensem,* socium et concanonicum nostrum, ad exhibendas predictas litteras vestras alias, ipsi magistro Band duximus transmittendum. Qui demum ad nos reversus nobis recitavit, quod cum ipse litteras serenitatis vestre eidem magistro Band porreccione exhibuisset discretiva, eisdem ibidem perlectis, continencia earumdem litterarum intellectualis eidem magistro Band lucide demonstrasset, ut idem magister Band quatuor villas, seu possessiones monasterii beate Virginis de eadem *Almad,* ad usum predicti castri *Hegesd,* per eundem magistrum Band hucusque servatas, videlicet *Apati, Geur, Atak superiorem* et *Atak inferiorem* nominatas, vestra regia celsitudo, presente magistro Johanne dicto *Nemet,* aule vestre iuvene, reddere et restituere predicto monasterio de *Almad,* pro sui iuris restauracione ipsi magistro Band demandasset preceptive; quarum quidem litterarum continenciam idem magister Band sibi expositam *vulgari eloquio* mox ut audisset, maximo cum honore easdem litteras acceptas, humiliter vestre regie maiestatis iussioni obediendo, predictas quatuor villas seu possessiones superius nominatas, in quibus triginta et sex hominum incolatus seu mansiones, exceptis condicionariis et servitoribus eiusdem monasterii fuissent reperti et invente, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis ad easdem: videlicet silvis, pratis, rubetis, vineis, terris firmatis et arabilibus, cultis et incultis, molendinis et locis molendinorum, in presencia eiusdem magistri Johannis, hominis vestre maiestatis et predicto magistro Georgio preposito *Wrsiensi,* qui litteras vestras pro facto eiusdem domini abbatis de *Almad* ad exhibendum ipsi magistro Band detulerat asistente; eidem domino abbati et suo monasterio prenotato, sine contradiccione reddidisset aliquali. Pateat eciam vestre regie maiestati, quod quatuor molendina et quedam hominum mansiones, que infra metas dictarum quatuor villarum seu possessionum eidem domino abbati et ecclesie suc, per vestram regiam benignitatem redditarum includuntur, ut iidem homines vestre excellencie et noster nobis retulerunt, quatuor homines: videlicet Karachinus, Fata, Stephanus et Johannes litteratus nominati, singuli horum singulum molendinum de predictis quatuor molendinis, cum quibusdam sessionibus iobagionum nunc habentes, eiusdem monasterii dicta molendina et predictas hominum sessiones fore asseruissent et sub nomine iobagionatus nobilis eiusdem ecclesie, vigore efficacium instrumentorum, tenerent monasterio ab eodem. Datum, feria quarta proxima post octavas festi beati Mychaelis archangeli, anno Domini M° ccc° XL^mo^ secundo. 1342. 9. Okt.

Petens nostram excellenciam humiliter et devote ut easdem transscribendo confirmari facere dignaremur. Ad cuius nos humilem peticionem, dictas litteras ipsius capituli *Wesprimiensis*, de verbo ad verbum presentibus transscribi et prout eedem possessiones ad prefatam ecclesiam pertinent et debent pertinere, eatenus eciam, quatenus prescripte littere dicti capituli super statucione earumdem rite et legitime emanate fore dignoscuntur, fecimus confirmare; presentes tamen ad privilegiandum nobis volumus reportare per eundem. Datum in *Wysegrad*, in festo Concepcionis beate Virginis, anno Domini M° ccc° xl^mo secundo. 1342. 8. Dec.

Nos igitur iustis et legitimis peticionibus predicti domini abbatis favorabiliter inclinati, tenorem predictarum litterarum domini nostri regis de verbo ad verbum presentibus transscribi fecimus et sigillo nostro pedenti et autentico consignari. Datum, in octavis Assumpcionis Virginis gloriose, anno Domini M° ccc° xl^mo tercio.

Extus manus med. aevi adnotat: Super restitucione quatuor possessionum ecclesie *Almad: Gewre Atak Apati*. — Sigillum e zona membr. pendebat. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 9. fasc. 4. nr. 24.

675.

1343. Villanova. 25. Aug. — Clemens PP. VI., Martino Vellini de Kapronca, canonico Zagrabiensi, canonic. et praebendam in ecclesia Strigoniensi reservat.

Ed. Bossányi: Regest. Supplic. T. I. p. 29.

676.

1343. (ÓBuda) 28. Aug. — Relatio capituli Budensis, de iterum peracta reambulatione, portionum Vonuntótelek, Mokafölde et Lukafölde, ad possessionem archiepiscopalem Vadkert, pertinentium.

Excellentissimo principi, domino eorum, domino Lodouico, Dei gracia inclito regi Hungarie, capitulum Budensis ecclesie, oracionum suffragia devotarum. Litteras magnifici viri, comitis Pauli, iudicis curie vestre, honore quo decuit recepimus, in hec verba:

Honorabilibus viris et discretis, capitulo ecclesie Budensis, comes Paulus, iudex curie excellentissimi principis, domini Lodouici, Dei gracia regis Hungarie, paratam amiciciam cum honore. Vestre amicicie, presencium serie intendimus declarare, quod cum magister Pangracius, aule regie miles, Demetrius, prothonotarius Stephani magistri tauarnicorum domini regis, et Johannes frater Morus regii, et iam dicti magistri Stephani homines, de curia regia transmissi, feria quarta proxima post festum beati Jacobi apostoli, ad facies quarumdam possessionariarum porcionum *Vonuntothelek, Mokafelde,* et *Lukafelde* vocatarum, quas venerabilis in Christo pater, dominus Chanadinus archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, ex vigore privilegii serenissimi principis, domini Bele olym regis Hungarie, laudande memorie, ad possessionem archiepiscopalem *Wodkerth* nominatam pertinere et intra antiquas metas eiusdem existere, predicto domini regi asseruerat, presente vestro testimonio accedere et ipso privilegio domini Bele regis, per ipsum dominum archiepiscopum, vel eius legitimum procuratorem ibidem in specie exhibito, 1343. 30. Jul.

easdem a primis et certis metis, in eodem privilegio contentis incipiendo, usque ad finales metas reambulare, reambulatasque, si predicte mete bono modo et aparenter reperte fierent, novis metis iuxta veteres erectis, ad predictam possessionem Wodkerth applicaret et ipsi ecclesie Strigoniensi, ac per eam suo archiepiscopatui, dummodo contradiccio cuiuspiam eisdem non obviaret, perpetuo possidendam statuere, contradictores vero, si qui fierent, racionem contradiccionis eorum reddituros, legitima citacione mediante, contra ipsum dominum archiepiscopum, in regie maiestatis presenciam, ad quindenas eiusdem festi beati Jacobi invitare. Particulam enim possessionariam, per quempiam prohibitam, signis pro metis positis consignando, et regali mensura si mensurari posset mensurando, vel visu considerando, una cum aliis probis viris, regni consuetudine exigente, estimare et post hec tocius facti seriem cum cursibus metarum et statucione dictarum possessionariarum porcionum, nominibus contradictorum et citatorum, ac estimacione particule terre litigiose, ad dictas quindenas beati Jacobi, in vestris litteris idem dominus archiepiscopus domino regi reportare debuisset. Demum ipsarum quindenarum termino occurrente, idem dominus archiepiscopus, una cum eisdem magistris Pangracio, Demetrio et Johanne fratre Morus regiis, et ipsius magistri Stephani hominibus et infrascripta seriatim, sine variacione aliquali nobis referentibus, ad nostram iudiciariam (sic) litteras vestras nobis presentavit, in quarum tenoribus manifeste habebatur: quod, cum predicta feria quarta proxima post festum beati Jacobi apostoli, memorati magistri Pangracius, Demetrius et Johannes frater Morus regius [et ipsius magistri Stephani ac noster homines, una cum magistro Ladislao socio et concanonico vestro in eorum] testimonium per vos dato, ad facies predictarum possessionariarum porcionum Vonunthotheluk, Mokafelde, et Lukafelde vocatarum, vicin[is et commetaneis] suis et specialiter [populis de villa Scenthleurench convocatis accessissent, et predicto privilegio domini Bele regis in specie] per magistrum Johannem notarium, et legitimum procuratorem prelibati domini archiepiscopi Strigoniensis, ibidem exhibito, easdam [metas in eodem privilegio domini Bele regis contentas reambulassent, et facta reambulacione predictas possessionarias porciones Vonuntotheluk, Mokafelde et Lukafelde vocatas], intra ipsas metas in dicto privilegio domini Bele regis contentas et manifeste repertas [adiacere invenissent, et easdem iuxta continenciam et vigorem ipsius privilegii domini Bele regis, sine preiudicio iuris alieni, statuissent ipsi domini archiepiscopo et suo archiepiscopatui ac ecclesie] Strigoniensi, perpetuo possidendas, nemine contradictore existente. Et quia eedem mete [dicte possessionis Wodkerth, in predicto privilegio domini Bele regis contente, ampliorem terram cum quadam silva, quondam per Donkus decimatorem possessam, iuxta predictam terram] Lukafelde vocatam, ex parte dicte terre Scenthleurench nominate adiacentem [conprehendissent et circumdedissent, ipsam autem terram Donkus decimatoris tenor dictarum litterarum nostrarum in nullo tetigisset, ideo ipsi tenorem ipsarum litterarum excedere non valentes, nec ipsam terram Donkus] decimatoris, ipsi domino archiepiscopo ad presens statuere, nec [ipsas antiquas metas renovare valuissent, pro eo eciam, quia capitales et principales mete dicte possessionis Wodkerth, ex parte predicte terre Scenthleurench inciperentur et currerent secundum] formam privilegii domini Bele regis pretaxati. Unde, quia [predictam terram Donkus decimatoris,

1343. 8. Aug.

cum predicta silva, tenor predictarum litterarum vestrarum rescripcionalium, sub inclusione metarum in dicto privilegio domini Bele regis expressarum repertam fuisse et intra] metas dicte possessionis Wodketh adiacere [decantabat, et ex eo iura possessionaria sanctis ecclesiis, pro Dei nomine data et collata, sine diminucione aliquali debent conservari, ideo vestram amiciciam petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, qui cum eodem magistro Pangracio, Demetrio et Johanne fratre Morus regio, ac ipsius magistri Stephani, ac nostro hominibus feria tercia] proxima post festum Assumpcionis Beate [Virginis, ad facies dictarum trium possessionariarum porcionum Vonunthotheluk, Mokafelde et Lukafelde nominatarum, et quarte Donkus decimatoris ac silve prenotate, convocatis commetaneis et vicinis earum universis accederent], et ipso privilegio domini Bele regis, [per ipsum dominum archiepiscopum, vel suum legitimum procuratorem ibidem in specie exhibito, iuxta cursus metarum, in ipso privilegio contentarum, a primis veris et antiquis metis usque ad finales metas, easdem possessionarias porciones] Vonunthoteluk, [Mokafelde et Lukafelde, ac terram Donkus decimatoris et silvam prenominatam, Deum et eius iusticiam pre oculis habendo reambularent, reambulatasque, si sub inclusione metarum, in ipso privilegio domini Bele regis expressarum, bono modo et apparenter] reperte fuerint, et [contradiccio cuiuspiam sibi non obviaret, ipsi ecclesie Strigoniensi, et per eam suo archiepiscopatui statuerent, perpetuo possidenda. Contradictores vero, si qui fierent, citarent contra prelibatum dominum archiepiscopum Strigoniensem, racionem contradiccionis eorum reddituros, in] presenciam regie maiestatis; [particulam enim possessionariam, per quempiam prohibitam, signis pro metis positis consignando, et regali mensura si mensurari posset mensurando, vel visu considerando, una cum aliis probis viris estimarent, regni consuetudine exigente, et post hec] tocius facti seriem cum [cursibus metarum, nominibus contradictorum et citatorum, ac statucione dictarum possessionariarum porcionum et estimacione particule terre litigiose, idem dominus archiepiscopus in litteris vestris domino nostro regi debet reportare. Datum, in] *Wisegrad*, nono die quindenarum [festi beati Jacobi apostoli, anno domini M. CCC. XL. tercio. 1343. 19. Aug. 1343. 16. Aug.

Nos igitur, mandatis magnifici viri, comitis Pauli, obedire cupientes, una cum magistris Demetrio, Pangracio] milite et Johanne fratre Morus [hominibus regio et ipsius magistri Stephani ac vestro, magistrum Ladislaum, socium et concanonicum nostrum duximus] transmittendum. Qui quidem, ad nos demum reversi, [nobis concorditer retulerunt eo modo, quomodo ipsi feria tercia proxima post festum Assumpcionis Beate Virginis, ad facies predictarum possessionariarum porcionum Vonunthoteluk, Mokafel] de, et Lukafelde nominatarum et quarte Donkus decimatoris [et silve, convocatis commetaneis et vicinis earum universis, et specialiter populis de Scenthleurench, et predicto privilegio domini Bele regis, in specie per magistrum Johannem notarium, et] legitimum procuratorem, prelibati domini archiepiscopi Strigoniensis, [ibidem exhibito, easdem vice iterata et specialiter terram Donkus decimatoris, iuxta cursus metarum in predicto privilegio domini Bele regis contentarum, reambulassent in hunc modum]: quod primo et principaliter incepissent a parte septemtrionis, ubi invenissent tres metas antiquas, [quarum una esset pertinens 1343. 19. Aug.

ad ipsam Wodkerth, secunda ad villam *Dehter,* et tercia ad villam Schenthleurench; deinde procedendo versus orientem] usque quandam magnam viam et usque ipsam viam essent sex mete antique [cursuales, circa quas singulas metas, singula signa nova, pro metis posuissent; et deinde transiret ipsam magnam viam versus eandem plagam, eundo modicum spacium] flecteretur et iret usque ad anticum pontem, et sic incipiendo a dicta magna via usque ad *Lulkus* [seu usque ad ipsum anticum pontem, novem signa nova pro metis posuissent; et inde transiret ipsum Lulkus, ascenderet ad quendam] montem, ubi in quadam parva planicie tria signa metalia posuissent; et inde currendo per tres antiquas [metas ad montem, circa quas singula signa nova posuissent, et per easdem contiguaretur metis possessionis *Cheztue.* Et sic sub] iustis metis et signis metalibus preassignatis, predicta terra Donkus decimatoris, intra metas possessionis Vodkerth, iuxta tenorem privilegii domini Bele regis, manifeste includeretur. Sed, quia vicini et commetanei, ipsius possessionarie porcionis Donkus decimatoris, in exercitu regali fore dignosscebantur, ideo ipsam possessionariam porcionem Donkus decimatoris, propter ipsorum commetaneorum suorum absenciam, perpetuo predicte ecclesie Strigoniensi et eius archiepiscopatui statuere non potuissent. Ac tamen, Georgius, filius Pauli, famulus magistri Andree, filii Lakch, in festo beati Augustini confessoris, ante quam littere nostre super premissa emanate extitissent, coram nobis personaliter comparendo, in persona domini regis et predicti domini sui, predictam possessionariam porcionem Donkus decimatoris, non a reambulacione, sed a statucione prohibuit, et ipsi homines vestri eodem die et loco, ipsum magistrum Andream, filium Lakch, contra predictum dominum archiepiscopum, ad octavas Nativitatis Virginis gloriose proxime futuras, ad presenciam vestre maiestatis citaverunt. Datum in festo beati Augustini confessoris, anno Domini prenotato. 1343. 15. Sept.

Extus: Domini regi, pro domino Chanadino [archiepiscopo] Strigoniensi, super facto possessionarie porcionis Vonunthoteluk, Mokafelde et Lukafelde, ac terre Donkus decimatoris et silve . . . . . feria tercia proxima post festum Assumpcionis Virginis gloriose facte, et contra magistrum Andream, filium Lakch, ad octavas Nativitatis beate Virginis citatoria. — Sigilla margini exteriori fuerunt appressa. — Orig. chart. humore valdopere exesum, maxima e parte illegibile, in Arch. Primat. Secul. Lad. F. nr. 179. Phrases intra parenthes. positas, e nr. 680. explevimus.

677.

1343. (Buda-Hévviz). 4. Sept. — Conventus Cruciferorum Budensium, omni actioni quoad praedium Nyék, comitis Kunklini renunciat, ita tamen, ut idem anno singulo, titulo decimae, florenum unum persolvat.

[O]mnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presens scriptum inspecturis, frater Bortholomeus prior, et conventus cruciferorum ecclesie sancte Trinitatis de Calidis Aquis, salutem in Domino sempiternam. Quoniam ea hys, que scripti carent autentico, oblivionis caligo solet novercari, hoc singulare remedium humana sollercia adinvenit, ut quod dignum memorie creditur, litterarum testimonio commendatur. Proinde, ad universorum, tam presencium, quam futurorum noticiam, harum serie volumus pervenire, quod licet frater *Paulus Latinus,* seu Gallicus, quondam magister domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani de *Strigonio,* specialis *phisicus* domini *regis,* magister et dominus

noster, pie recordacionis predecessor fratris Pauli, moderni magistri ordinis nostri, comitem Kunchlinum, filium Johannis, filii Kunch, iuratum civem Budensem, super maierio, terris arabilibus, ac pratis ad eundem maierium pertinentibus, inter dictam *civitatem Budensem* et *villam Nyek,* in valle, inter decimas dicte ecclesie nostre et nostras existenti, ad presenciam quondam illustris regis Hungarie, domini *Karoli,* recolende memorie, legitime citacionis modum observando, in causam attraxerat, et demum idem pius rex Karolus, dominus noster, visis libertatibus dicte Budensis civitatis ipsam causam iurisdiccioni, seu moderamini iudicis, iuratorum et civium eiusdem Budensis civitatis submittendum decreverat, et posthec, Deo volente, mortuo ipso fratre Paulo Latino, magistro nostro, tempore prescripti alterius fratris Pauli, moderni seu presentis magistri nostri, eadem causa inter eundem et dictum Kunchlinum civem Budensem, de termino ad terminum prorogata et diucius fuisset ventillata, tandem scita rei veritate, quia ipsum maierium, cum suis attinenciis, quo supra, in medio decimarum vini dicte ecclesie nostre et nostrarum existens, a multis temporibus semper predecessores eiusdem comitis Kunchlini, et per consequens idem Kunchlinus usque hodie possiderunt et tenuerunt, et in quolibet anno sepedicte ecclesie nostre et nobis unum fertonem persolvissent, tum pro eo, tum ex eo, ut omnis rancor et invidie fomes et discolositatis materia de medio nostri funditus evelli et eradicari possit, ac eterno pacis favore amplecti possimus et falce succideremur, propter bonum ipsius pacis et concordie unionem, per ordinacionem et amicabilem composicionem proborum virorum, pacem parcium zelatorum et se inter nos ponencium, de consensu et voluntate sepe nominati fratris Pauli, moderni magistri ordinis nostri, prosecutoris ipsius cause, cum eodem comite Kunchlino, in talem devenimus pacis et concordie unionem: quod sepe dictum maierium, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis universis, commisimus et contulimus comiti Kunchlino sepe dicto, et per eum suis (emansit: heredibus,) heredibusque suorum successoribus, iure perpetuo, pacifice et quiete possidendum, tenendum et utendum; tali tamen condicione mediante, quod idem comes Kunchlinus et sui successores, in quolibet anno, in octavis festi beati Michaelis archangeli, nobis et ecclesie nostre sepe dicte, unum florenum dare et solvere tenebitur, dilacionibus et occassionibus quibuslibet relegatis. In cuius rei seu composicionis testimonium, presentes eidem concessimus, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum, feria quinta proxima ante festum Nativitatis beate Virginis, anno Domini M*y*llesimo ccc^mo^ xl^mo^ tercio. 6. Oct.

Sigillum e rubro serico pendebat. — Orig. membr., pulchre exaratum, in Arch. Capit. Strigon. Priv. Fundationalia nr. 1. d. — Aliud par ibidem sub nr. 1. e. Simplex copia in charta saec. XV. vero ibid. Lad. 37. fasc. 2. nr. 5.

Hanc transactionem fusius describit idem Bartholomaeus prior, ut sequitur:

Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presentem paginam inspecturis, frater Bartholomeus prior, et conventus cruciferorum ecclesie sancte Trinitatis de Calidis Aquis, salutem in largitoris salute (sic!). Ut ea, que per modum concordie, seu composicionis terminantur, salva, illesa et illibata consistant, et ne irrecidive contempcionis scrupulum relabantur, solent et debent

scripti patrocinio perempnari. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod cum causa inter virum discretum *Paulum Latinum*, quondam magistrum cruciferorum domus hospitalis ecclesiarum sancti Stephani regis de *Strigonio*, et sancte Trinitatis de *Calidis Aquis* prenotate, bone memorie, pro se et pro nostra universitate ab una et comitem *Kunclinum*, filium Johannis, iuratum et civem castri Budensis, racione predii seu allogii eiusdem comitis Kunclini videlicet inter villam Nyek et predictum castrum in valle in medio decimarum prefate ecclesie sancte Trinitatis existentis, nec non terrarum arabilium et universarum utilitatum ad idem pertinencium per prenotatum magistrum Paulum una nobiscum iuxta regni consuetudinem recaptivatarum, in quindenis festi conversionis beati Pauli apostoli anno in presenti, coram Thoma quondam woyuoda, tunc magistratus tawarnicorum regie celsitudinis gubernante, parte ab altera mota, visis litteralibus instrumentis super libertatibus seu immunitatibus civium prefati castri confectis, per eundem Thomam woyuodam mediantibus suis litteris ad quindenas diei Cynerum nunc preteritas, ad examen iudicii eorundem civium transmisa extitisset, ipsisque quindenis occurrentibus *Gobul* litteratus legitimus procurator predicti magistri Pauli, in presencia dictorum civium pro eodem domino suo et pro nobis, cum sufficienti procuratorio personaliter comparendo, quasdam litteras transcripcionales capituli ecclesie Budensis, tria paria litterarum privilegialium de verbo ad verbum transcripta exprimentes, in figura iudicii iamdictorum civium contra prelibatum comitem Kunclinum presentasset, predicti itaque cives iuris ordine edocente, cum prenominatus comes Kunclinus originale predictarum litterarum transcripcionalium postulando, ad instanciam et peticionem predicti Gobul litterati, quindenas diei eiusdem ad exhibicionem earundem litterarum privilegialium perhemptorie assignassent; advenientibus quoque ipsis quindenis, quia preallegatus magister Paulus infirmitate prepeditus, coram ipsis civibus comparere nequeundo, causa eadem racione sue egritudinis, per mandatum regium, ad quindenas festi beati Georgii martiris nunc elapsis fuisset prorogata, dehinc memorato magistro Paulo, nutu divine pietatis, cui humane imbecillitatis racio non novit obviare, debitum universe carnis litis inter medio exsolvente pro eo, quod ipsa regia benignitas factum prefeccionis magistratus cruciferorum predictarum ecclesiarum, propter absenciam baronum regni, ad deliberacionem eorundem distulerat, sepedictamque causam statu in eadem permanentem ad octavas festi Nativitatis beati Johannis baptiste proxime preteritas precepisset dilatari. (emansit: Ad) predictorum namque cruciferorum annotatarum ecclesiarum magistratus, personam viri honorabilis alterius magistri Pauli, specialis capellani regie maiestatis, pietatis (sic!) salvatoris sublimante, licet tempore eiusdem eadem causa inter ipsum magistrum Paulum modernum et supradictum comitem Kunclinum diucius fuisset ventilata et aliquibus prorogacionum cautelis ad plures terminos protelata (sic!), tamen idem magister Paulus et nos unacum ipso, tamquam zelatores pacis et quietitudinum, nolentes rancorem nutrire, cognita veritate et iusticia, nec non vigorosis instrumentis ipsius comitis Kunclini plenarie visis et intellectis, quia pretactum predium seu maierium simul cum pratis, fenetis, terris arabilibus, cultis et incultis, pomeriis, nec non universis utilitatibus spectan-

1343. 8. Febr.

1343. 12. Mart.

1343. 26. Mart.

1343. 8. Maii.

1343. 1. Jul.

tibus ad ipsum, quo supra in medio decimarum vini memorate ecclesie sancte Trinitatis habitum, a multis temporibus per predecessores prelibati comitis Kunclini et per consequens per ipsum usque hodiernum diem pacifice et quiete tenuisse et possedisse dinoscuntur, salvo tamen uno fertone de eodem persoluto, quem racione decime singulis annis prenotate ecclesie solvere tenerentur ab antiquo et expedire cognovissemus, tum pro eo, tum eciam ex eo, ut omnis rancor et invidie fomes, ac discolositatis materia de medio nostri funditus evelli et eradicari possit, ac eterne pacis favorem amplecti valeamus, propter bonum ipsius pacis per ordinacionem et amicabilem composicionem proborum virorum, de consensu et bona voluntate universorum fratrum ordinis nostri, in tale perpetue pacis et concordie devenimus unionem: quod prescriptum predium seu maierium simul cum pratis, fenetis, terris arabilibus, cultis et incultis, pomeriis, ac universis utilitatibus suis, prout prius et semper, ut premissum est, per predecessores sepedicti comitis Kunclini et per eundem pacifice et absque molestacione scintillaria (sic!) extitit possesum, sic et nunc, pure et simpliciter resignantes, reliquimus iamdicto comiti Kunclino et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter pacifice possidendum, tenendum pariter et habendum, renunciando omni liti et accioni, quam contra prius dictum comitem Kunclinum usque nunc movissemus, vel contra ipsum, aut suos superstites conaremur excitare in futurum. Ita tamen, quod idem Kunclinus vel sui posteritates, pro decima prelibati predii, unum florenum supradicte ecclesie sancte Trinitatis in octavis beati Michaelis archangeli inclusive, singulis annis perpetuo dare et solvere teneantur, dilacione et occasione qualibet non obstante. In cuius composicionis et ordinacionis memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes eidem Kunclino comiti et suis heredibus concessimus litteras, sigilli nostri pendentis munimine roboratas. Datum feria quinta proxima ante festum Nativitatis Virginis gloriose, anno Domini M° ccc° xl^mo tercio.

Sigillum bene conservatum, e rubro serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. Fund. Nr. 1.

678.

1343. Villanova. 13. Sept. — Clemens PP. VI., archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi, collectionem fructuum pro camera apostolica, in suis provinciis, committit.

Ed. Theiner: Mon. Hist. Eccl. Hung. T. I. p. 655.

679.

1343. Esztergom. 23. Sept. — Chanadinus archiepiscopus Strigoniensis, contra rusticos quosdam, praepositum de Garáb violenter aggressos, per parochos de Szécsény, Rimócz, Lócz et Várallya, inquiri iubet.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 370.

680.

1343. Visegrád. 24. Sept. — Comes Paulus, iudex curiae regiae, terras Vonuntótelek, Mokafölde et Lukafölde, archiepiscopo Strigoniensi per Ludovicum I. regem revindicatas, attestatur.

Nos comes Paulus, iudex curie serenissimi principis domini Lodouici, Dei gracia illustris regis Hungarie, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod cum Thomas, quondam woyuoda Trannsiluanus, accepto Martino, filio Mychaelis de *Herman,* homine regio, presente magistro Thoma succentore, testimonio honorabilis capituli ecclesie Budensis, quasdam possessionarias porciones *Vonuntotheluk, Mokafeulde* et *Lukafeulde* vocatas, in comitatu Neugradiensi existentes, nomine sui iuris recaptivasset, et sibi perpetua stabilitate statui facere voluisset, venerabilis in Christo pater dominus Chanadinus, Dei et apostolica providencia archyepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, in statucione earumdem perpetua, ex eo, quod predicte sancte Strigoniensis ecclesie, omni veritatis tramite, easdem pertinere allegasset, contradiccionis velamine obviasset. Ob quam contradictoriam prohibicionem, legitime citacionis modum observando, ad octavas festi Nativitatis Virginis gloriose, anno Dominice Incarnacionis Millesimo cccº xlmo primo preteritas, eundem dominum Chanadinum archyepiscopum, per eundem hominem regium, presente testimonio dicti capituli Budensis, in presenciam serenissimi principis domini *Karoli,* Dei gracia quondam illustris regis Hungarie, laudande memorie, patris predicti domini Lodouici regis, contra se fecisset evocari. Et cum ipsa causa a predictarum octavarum Nativitatis beate Virginis termino, tum racione prioritatis termini, tum sub forma faciende concordie, parili voto parcium, iuxta complurium litterarum nostrarum prorogatoriarum, in diutina ventilacione dicte cause in diversis terminis confectarum, continencias, quindenas vigesimi secundi diei festi beati Georgii martiris, anno in presenti elapsas accinxisset, et ipsa lite inter partes ventilante (sic!), predictus inclitus princeps, dominus Karolus, olym rex Hungarie felicis memorie, suum diem claudens extremum, volente Domino, debitum exsolvisset omnis carnis, ac predictus dominus *Lodouicus* rex, in patrimonium regni Vngarici, *iure et ordine geniture sibi debitum succedens, unanimi prelatorum, baronum et nobilium regni sui voto et intencione,* in *Alba Regali,* suo loco kathedrali, *die dominico proximo ante festum beati Jacobi apostoli,* anno Domini Mº cccº xlmo secundo preterita, favente Salvatoris clemencia, *corona beatissimo Stephano, primo regi Hungarorum, divinitus data, solempniter et honorifice fuisset coronatus,* et nobis, prout sui patris, sic et suo tempore honore iudicatus curie regie prefulgentibus, idem Thomas woyuoda actor existendo, ad dictas quindenas vigesimi secundi diei festi beati Georgii martiris non venit, neque misit, et sic se honere regalis iudicii, ipso domino Chanadino archyepiscopo, a dictis quindenis sedecim diebus continuis personaliter coram nobis eundem expectante, commisit agravari. Quarum quindenarum termino exspirato, idem dominus archyepiscopus, universis suis premissis litteris causalibus et instrumento privilegiali domini Bele, olym sceptra regiminis dicti regni Hungarie in memoria felici importantis, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, in facto dictarum possessionariarum porcionum confecto, in ipsius domini Lodouici regis, prelatorum et baronum regni sui productis presenciam, sue premisse cause finem congruum postulavit inpertiri. In cuius privilegialis instrumenti, dicti domini Bele regis tenore reperiebatur expresse contineri: quod cum prefatus dominus Bela rex, post insultus Thartharorum, statum regni sui defor-

1341. 15. Sept.

1343. 29. Maii.

1343. 21. Jul.

1343. 2º. Maii.

1255.

matum in melius reformare volens et unicuique quod suum esset restituere, occupacionesque possessionum, per diram necem Thartharorum hominum herede carencium iuris ordine reintegrare, congregacionem in *Wacia,* tribus comitatibus videlicet Neugradiensi, Huntensi et Gumuriensi, de consilio regni sui fecisset proclamari, et in ipsa congregacione tam de possessionibus occupatis, quam de iniuriis illatis satisfacere voluisset, inter cetera dominus *Benedictus,* archyepiscopus Strigoniensis, per modum querimonie eidem domino Bele regni significare currasset, quod quidam nobiles iobagiones ecclesie Strigoniensis exercituantes, et alii condicionarii eiusdem, a servicio ipsius ecclesie fugientes, liberis nobilibus regni se conformassent, peciissetque idem dominus archyepiscopus, prelibatum dominum Belam regem Hungarie humiliter et devote, ut huiusmodi servitores ecclesie sue, ad officia eis a sancto rege ordinata, redire compelleret. Cuius precibus idem dominus Bela rex inclinatus, deliberacione prelatorum et baronum regni sui deliberans decrevisset, ut comes Tekus, Folkus de *Zechen,* et Lorandus de *Zyhygh;* dilecti et fideles sui, de comitatu Neugradiensi, ad eorum fidelitatem scirent et inquirerent in dicto comitatu Neugradiensi, qui et quales essent servitores dicte ecclesie Strigoniensis, a sanctis regibus ordinati, qui se a servicio dicte ecclesie retraxissent. Tandem memorati fideles sui, ad ipsum dominum Belam regem, post plurima tempora venientes, eidem taliter redixissent: quod Lukam, filium Echem, Halad, cum filio suo Moka, Vonuntou, cum filio suo Bulchu, ac Donkus filium Dominici, de servicio dicte ecclesie fuisse reperissent, quorum servicia, in eodem privilegiali instrumento dicti domini Bele regis, plenius distinguntur; qui propter malam conservacionem de suis terris recedentes, se in Wodkerth propriam terram habere asseruissent. Quos ipsi comites Tekus, Folkus et Lorandus, ad propriam terram eorum Wodkerth, ad utendum et ipsi ecclesie serviendum in servicio consueto reduxissent. Quibus ipsam terram, sub metis, in eodem privilegiali instrumento ipsius domini Bele regis expresse contentis, divisissent. Cuius privilegialis instrumenti visis continenciis, quia predicte possessionarie porciones Vonuntotheluk, Mokafeulde et Lukafeulde vocate, ipsis Luka filio Echem, Halad et Moka filio suo, Vonunto*w* et Bulchu filio suo, ac Donkus filio Dominici, condicionario iugo servitutis, predicte sancte Strigoniensis ecclesie, modo pretacto annexis et subiectis, per ipsum dominum Belam regem restitute ipsi ecclesie Strigoniensi, et per eam suo archyepiscopatui, omni equitatis tramite, per ipsum dominum Lodouicum regem et sui regni prelatos ac barones, ab antiquo pertinuisse et tunc debere pertinere reperiebantur; ideo idem dominus Lodouicus rex, prout ex officio sui suscepti regiminis de iure ad hoc tenetur, volens iusticie factor et ecclesie amator existere, predictas possessionarias porciones eo iure et ea plenitudinis quantitate, ac sub eisdem metis et terminis, quibus per eorum incolas et habitatores possesse et habite extitissent, ipsi sancte Strigoniensi ecclesie et per eam suo archyepiscopatui perpetuo commiserat possidere. Unde, quia predictus dominus archyepiscopus, in dominium predictarum possessionariarum porcionum, habita premissa recaptivacione et prohibicione per ipsum Thomam woyuodam, lite pendente inter ipsos, ut idem dominus archyepiscopus per modum grandis querulose protestacionis ipsum dominum Lodouicum regem et suos prelatos, ac barones oretenus informarat occupatarum, per homines regium magistri tawarnicorum eiusdem domini

regis et nostri, presente testimonio ipsius ecclesie Budensis, legitime postularat se introduci. Ideo ipsa regalis pietas, matura deliberacione prehabita, decreverat iudicando, ut magistri Pangracius aule sue regie miles; Demetrius pothonotarius Stephani magistri tawarnicorum, eiusdem domini regis; et Johannes, frater Morus, regius et ipsius magistri Stephani, ac noster homines, ad hoc de curia regia specialiter transmissi, presente testimonio iam dicti capituli ecclesie Budensis, quod per ipsum capitulum ad infrascripta peragenda idem dominus rex iusserat destinari, feria quarta proxima post festum beati Jacobi apostoli, anno in presenti preteritum, ad facies predictarum possessionariarum porcionum Vonuntotheluk, Mokafeulde et Lukafeulde vocatarum, quas idem dominus archyepiscopus ex vigore predicti privilegii dicti domini Bele regis, ad eandem possessionem *Wodkerth* pertinere asseruerat, accederent et ipso privilegio dicti domini Bele regis ibidem in specie, per ipsum dominum archyepiscopum, vel suum legitimum procuratorem exhibito, easdem a primis metis usque ad finales metas, in eodem privilegio contentis et habitis reambularent, reambulatasque, si predicte mete bono modo et apparenter reperte fierent, novis metis iuxta veteres erectis, ad predictam possessionem *Wodkerth* applicando, ipsi ecclesie Strigoniensi et per eam suo archyepiscopatui statuerent, perpetuo possidendas, si non fieret per quempiam contradictum; contradictores vero, si qui fierent, iidem regius et eiusdem magistri Stephani ac noster homines, presente testimonio sepedicti capituli Budensis, ad quindenas eiusdem festi beati Jacobi apostoli de novo anno in presenti elapsas, racionem contradiccionis eorum reddituros, contra ipsum dominum archyepiscopum, in presenciam citarent ipsius regie maiestatis; particulam enim possessionariam, per quempiam prohibitam, signis pro metis positis consignando, et regali mensura si mensurari posset mensurando, vel visu considerando, una cum aliis probis viris estimarent, regni consuetudine exigente; et post hec, tocius facti seriem, cum cursibus metarum et statucione dictarum possessionariarum porcionum, nominibus contradictorum et citatorum, ac estimacione particule terre litigiose, idem dominus archyepiscopus, ad quindenas festi beati Jacobi apostoli supradictas, in litteris eiusdem capituli Budensis domino regi teneretur reportare. Tandem ipsarum quindenarum termino occurrente, idem dominus archyepiscopus, una cum eisdem magistris Pangracio, Demetrio et Johanne fratre Morus, regio et ipsius magistri Stephani ac nôstro hominibus, et infrascripta seriatim sine variacione aliquali nobis referentibus, ad nostram iudiciariam accedens presenciam, litteras ipsius capituli Budensis nobis presentarat, in quarum tenoribus manifeste habebatur: quod cum in predicta feria quarta proxima post festum beati Jacobi apostoli, memorati magistri Pangracius, Demetrius et Johannes frater Morus, regius et ipsius magistri Stephani, ac noster homines, una cum magistro Ladislao, socio et concanonico dicti capituli Budensis, in eorum testimonium per idem capitulum dato, ad facies predictarum possessionariarum porcionum Vonuntotheluk Mokafeulde et Lukafeulde vocatarum, vicinis et commetaneis suis et specialiter populis de villa *Scenthleurench* convocatis accessissent, et predicto privilegio domini Bele regis, in specie per magistrum Johannem, notarium et legitimum procuratorem prelibati domini archyepiscopi Strigoniensis, ibidem exhibito, easdem per metas in eodem privilegio domini Bele regis contentas reambulas-

1343. 30. Jul.

1343. 8. Aug.

1343. 30. Jul.

sent, et facta reambulacione predictas possessionarias porciones Vonuntotheluk, Mokafeulde et Lukafeulde vocatas, intra ipsas metas, in dicto privilegio domini Bele regis contentas et manifeste repertas, adiacere invenissent et easdem iuxta continenciam et vigorem ipsius privilegii domini Bele regis, sine preiudicio iuris alieni statuissent ipsi domino archyepiscopo et suo archyepiscopatui, ac ecclesie Strigoniensi, perpetuo possidendas, nemine contradictore existente. Et quia eedem antique mete, dicte possessionis Wodkerth, in predicto privilegio domini Bele regis contente, ampliorem terram, cum quadam silva, quondam per Donkus decimatorem possessam, iuxta predictam terram Lukafeulde vocatam, ex parte dicte terre Scenthleurench nominate adiacentem, comprehendissent et circumdedissent, ipsam autem terram Donkus decimatoris tenor dictarum litterarum nostrarum in nullo tetigisset, ipsi tenorem ipsarum litterarum nostrarum excedere non valentes, nec ipsam terram Donkus decimatoris ipsi domino archyepiscopo, tunc ad presens statuere, nec ipsas antiquas metas renovare valuissent, pro eo eciam, quia capitales et principales mete dicte possessionis Wodkerth, ex parte predicte terre Scenthleurench inciperentur et currerent, secundum formam privilegii domini Bele regis pretaxati; unde, quia predictam terram Donkus decimatoris, cum predicta silva, tenor predictarum litterarum ipsius capituli Budensis rescripcionalium, sub inclusione metarum in dicto privilegio domini Bele regis expressarum repertam fuisse et intra metas dicte possessionis Wodkerth adiacere decantabat, et ex eo iura possessionaria sanctis ecclesiis, pro Dei nomine data et collata, sine diminucione aliquali debent conservari, ideo dicto honorabili capitulo ecclesie Budensis, litteratorie scripseramus eorum amiciciam postulantes, ut ipsi eorum mitterent (emans.: hominem) pro testimonio fide dignum, quo presente iidem magistri Pangracius, Demetrius et Johannes frater Morus, regius ac ipsius magistri Stephani, ac noster homines, feria tercia proxima post festum Assumpcionis Beate Virginis, ad facies dictarum trium possessionariarum porcionum Vonuntotheluk, Mokafeulde et Lukafeulde nominatarum, et quarte Donkus decimatoris ac silve prenotate, convocatis commetaneis et vicinis earum universis accederent, et ipso privilegio domini Bele regis, per ipsum dominum archyepiscopum, vel suum legitimum procuratorem ibidem in specie exhibito, iuxta cursus metarum in ipso privilegio contentarum, a primis veris et antiquis metis usque ad finales metas, easdem possessionarias porciones Vonuntotheluk, Mokafeulde et Lukafeulde, ac terram Donkus decimatoris et silvam prenominatam, Deum et eius iusticiam pre oculis habendo reambularent, reambulatasque, si sub inclusione metarum in ipso privilegio domini Bele regis expressarum, bono modo et apparenter reperte fierent, et contradiccio cuiuspiam sibi non obviaret, ipsi ecclesie Strigoniensi et per eam suo archyepiscopatui statuerent, perpetuo possidendas; contradictores vero, si qui fierent, citarent contra prelibatum dominum archyepiscopum Strigoniensem, racionem contradiccionis eorum reddituros, in presenciam regie maiestatis. Particulam enim possessionariam, per quempiam prohibitam, signis pro metis positis consignando, et regali mensura si mensurari posset mensurando, vel visu considerando, una cum aliis probis viris estimarent, regni consuetudine exigente; et post hec, tocius facti seriem, cum cursibus metarum, nominibus contradictorum et citatorum, ac statucione dictarum possessionariarum porcionum et estimacione particule terre litigiose, idem dominus archyepiscopus in litteris dicti

1343. 19. Aug.

capituli Budensis, domino nostro regi deberet reportare. Tandem, prefatus dominus archyepiscopus, ad nostrum iudiciarium accedendo conspectum, litteras memorati capituli Budensis nobis demonstravit, in quarum tenoribus expresse vidimus contineri: quod in predicta feria tercia proxima post festum Assumpcionis Beate Virginis nunc proxime preteritum, prelibati magistri Pangracius, Demetrius et Johannes frater Morus, regius et ipsius magistri Stephani, ac noster homines, una cum predicto magistro Ladislao socio et concanonico, ac testimonio iam dicti capituli Budensis, accessissent ad facies predictarum possessionariarum porcionum Vonuntotheluk, Mokafeulde et Lukafeulde nominatarum, ac quarte Donkus decimatoris et silve prenotate, convocatis commetaneis et vicinis earum universis, et specialiter populis de Scenthleurench, et predicto privilegio domini Bele regis, in specie per magistrum Johannem notarium et legitimum procuratorem, prelibati domini archyepiscopi ibidem exhibito, easdem vice iterata, et specialiter terram Donkus decimatoris, iuxta cursus metarum in predicto privilegio domini Bele regis contentarum reambulassent, in hunc modum: quod primo et principaliter incepissent a parte septemtrionis, ubi invenissent tres metas antiquas, quarum una esset pertinens ad ipsam Wodkerth, secunda ad villam *Dehter* et tercia ad villam Scenthleurench; deinde procedendo versus orientem, usque ad quandam magnam viam et usque ipsam viam essent sex mete antique cursuales, circa quas singulas metas, singula signa nova posuissent; et deinde transiret ipsam magnam viam versus eandem plagam eundo modicum spacium, flecteretur et iret ad antiquum pontem, et sic incipiendo a dicta magna via usque ad *Lulkus*, seu usque ad ipsum antiquum pontem, novem signa nova pro metis posuissent; et inde transiret ipsum Lulkus, asscenderet ad quendam montem, ubi in quadam parva planicie tria signa metalia posuissent; et inde currendo per tres antiquas metas ad montem, circa quas singula signa nova posuissent et per easdem contiguaretur metis possessionis *Cheztue*. Et sic, sub istis metis et signis metalibus preassignatis, predicta terra Donkus decimatoris, intra metas possessionis Wodkerth, iuxta tenorem privilegii predicti domini Bele regis, manifeste includi reperta extitisset. Attamen Georgius, filius Pauli, famulus magistri Andree, filii Lachk, in festo beati Augustini confessoris, antequam littere dicti capituli Budensis super premissa emanate extitissent, coram dicto capitulo Budensi comparendo, in persona ipsius domini Lodouici regis et predicti domini sui, predictam possessionariam porcionem Donkus decimatoris, non a reambulacione, sed a statucione prohibuisset, et ipsi homines regius et ipsius magistri Stephani, ac noster, eodem die et loco, ipsum magistrum Andream, filium Lachk, contra predictum dominum archyepiscopum, ad octavas Nativitatis Virginis gloriose, tunc proxime affuturas, ad presenciam regie maiestatis citavissent. Quarum octavarum festi Nativitatis beate Virginis termino occurrente, et ipso domino archyepiscopo coram nobis personaliter astante, predictus Stephanus, magister tawarnicorum ipsius domini Lodouici regis, pro eodem domino nostro rege, cum procuratoriis litteris eiusdem, ad nostrum iudiciarium personaliter accedens conspectum, in persona dicti domini nostri regis confessus extitit ministerio vive vocis, ut quia idem dominus noster rex, predictas possessionarias porciones Vonuntotheluk, Mokafeulde et Lukafeulde nominatas, ac terram Donkus decimatoris simul cum predicta silva, tum ex vigore predicti

1343. 19. Aug.

1343. 15. Sept.

privilegii domini Bele regis, tum eciam ex predictarum litterarum rescripcionalium dicti capituli ecclesie Budensis serie, intra metas dicte possessionis Wodkerth nominate adiacere, omni veritatis tramite agnovisset, ideo pretactus dominus noster rex, predictas possessionarias porciones Vonuntotheluk, Mokafeulde et Lukafeulde vocatas, ac predictam terram Donkus decimatoris, simul cum predicta silva, eidem ecclesie Strigoniensi, et per eam ipsi domino Chanadino archyepiscopo et suo archyepiscopatui remisisset, restituisset et resignasset, *y*mo idem magister Stephanus, nomine predicto procuratorio, in persona regia remisit, restituit et resignavit, coram nobis, eo iure et ea plenitudinis quantitate, quemadmodum eedem ipsi ecclesie Strigoniensi, et suo archyepiscopatui, ex vigore predicti privilegii domini Bele regis pertinere dinoscuntur, perpetuo possidendas, tenendas pariter et habendas. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ne causa tam debito fine terminata tractu temporis queat in irritum revocari, eidem domino Chanadino archyepiscopo et suo archyepiscopatui, super per*h*empnali o*p*tencione et resignacione dictarum possessionariarum porcionum, et silve prenotate, presentes concessimus litteras nostras privilegiales, pendentis sigilli nostri aut*t*entici munimine roboratas. Datum, in *Wyssegrad,* decimo die octavarum festi Nativitatis Virginis gloriose predictarum, anno Domino millesimo trecentesimo quadragesimo tercio.

Extus manus saec. XV. adnotat: Super possessione *Vodkert* adiudicatum comitis Pauli iudicis curie regie. — Et illa saec. XVI.: Littere comitis Pauli, iudicis curie Lodouici regis, continentes adiudicationem quarundam porcionum possessionariarum *Wonuukothelek, Mokafewlde* et *Lwkafewlde* vocatarum, in comitatu Nemgradiensi, ecclesie Strigoniensi eo, quia intra metas *Wadkerth* comperte fuissent. — Sigillum sat bene conservatum, e viridi et flavo serico pendens, aquilam aperto rostro, sinistram versus respicientem ac caput duabus crucibus cinctum exhibet, cum perigrapho: † S. COMITIS PAULI IUDICIS CURIE REGIS. — Vide Pray: Synt. de Sigillis. Tabl. VI. fig. 1. — Orig. membran., in Archiv. Primat. Sec. Lad. F. nr. 157. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX.[1] p. 168 et sqq.

681.

1343. Villanova. 30. Sept. — Clemens PP. VI., archiepiscopo Strigoniensi, eiusque suffraganeis mandat, ut triennalem omnium beneficiorum decimam, in suis provinciis colligi et in subsidium exercitus, contra Turcos converti, curent.

Ed. Theiner: Monumenta T. I. p. 660.

682.

1343. Hidvég. 8. Octob. — Petrus plebanus de Egegh, Petrum dictum Korom et eius filios, ratione rerum paraphernalium et quartae puellaris dominae relictae Kathus, ac filiarum Bogár et Csupor, satis fecisse testatur.

Nos *Petrus,* plebanus de *Egeeg* et viceарchydiaconus Hontensis, necnon vicevicarius discreti viri, magistri *Jacobi,* generalis vicarii domini *Chanadini,* Dei et apostolic*a* sedis gracia archiepiscopi Strigoniensis, in spiritualibus constitutus, memorie commendantes significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem, quod cum causa, que vertebatur inter dominam Kathus, scilicet relictam Laurencii de *Chytar,* racione dotis et rerum para*ff*ernalium eiusdem, necnon super facto quarta parte puellarie *Bwgur* et *Chupor,* filiarum ipsius domine, quam quidem causam super premisso facto Petrus, filius Farcasii de *Teryen,*

cum legittimo procuratorio patris ipsius domine Kathus, coram nobis prosequebatur, contra Petrum, dictum *Korom,* Stephanum et Johannem, filios eiusdem de Chytar, movere habebant nostri in presencia; tandem ipsa causa inter partes diucius coram nobis ventilata, per nos, una cum discretis viris in iudicio et sede nostra consedentibus, taliter extitisset iudicata: ut idem Petrus, dictus Korom, Stephanus et Johannes filii sui, predicte domine Kathus et filiabus suis antedictis, pro dote et rerum paraffernalium (sic), ac pro quarta parte puellari earumdem, de possessione Laurencii prenotati, ex parte ipsorum, duas marcas et dimidium fertonem, feria quarta proxima post octavas festi beati Mikhlis (sic) archangeli, coram nobis solvere et dare debuissent. Quas quidem duas marcas et dimidium fertonem, cum promptis denariis, predicte domine et filiabus suis plenarie et integre, nostri in presencia persolverunt, ipsaque domina et filie sue, ac predictus Petrus procurator earumdem, ipsum Petrum dictum Korom, Stephanum et Johannem filios suos, ipsos et ipsorum successessores, super premissa (expunct.: et qua) dote et quarta parte puellarie, reddiderunt expeditos et per omnia absolutos. Datum, in villa *Hydueg,* feria quarta antedicta, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tercio. 1343. 8. Oct.

E transsumpto Petri de Perény, iudicis curiae regiae, anno 1416. 21. Febr. emanato. — Orig. membr., in Archiv. Primat. Secul. Lad. F. nr. 44.

683.

1343. (Eger) 10. Octobr. — Farkasius et Petrus de Honva (Hanva), ratione debiti viginti marcarum, per Chanadinum archiepiscopum Strigon. eisdem relaxati, coram capitulo Agriensi, ad servitia militaria se obligant.

Nos capitulum ecclesie Agriensis, significamus universis, quorum interest, presencium per tenorem memorie commendantes, quod cum iuxta continenciam litterarum magnifici viri comitis Pauli, iudicis curie regie composicionalium et obligatoriarum, Farkasius, filius Johannis, filii Hunch de *Honua,* et Petrus, filius Alexandri de eadem, venerabili in Christo patri *Chanadino,* Dei et apostolica gracia archiepiscopo sancte Strigoniensis ecclesie, locique eiusdem comiti perpetuo, in octavis sancti Mychaelis archangeli, coram nobis, viginti marcas computi Budensis solvere debuissent, tandem dictis octavis sancti Mychaelis archangeli occurrentibus, magistro Mychaele, famulo et procuratore eiusdem domini archiepiscopi, cum litteris procuratoriis ipsius domini archiepiscopi, pro eodem domino archiepiscopo ex una, et predicto Farkasio et Petro personaliter parte ab altera, coram nobis comparentibus, per eosdem Farkasium et Petrum, vive vocis ministerio propositum extitit et relatum; quod, quia preallegatus dominus archiepiscopus, graciose cum eisdem agendo, memoratas viginti marcas, sub pacto infra specificato, eisdem relaxasset, super debitoque ipsarum viginti marcarum eosdem expeditos reliquisset, et idem Mychael, in persona prelibati domini archiepiscopi, actoritate procuratoria, nostri in presencia reliquit, idcirco ipsi, pro relaxacione dictorum debitorum, hoc assumpsissent et sponte assumpserunt coram nobis, quod quam primum idem dominus archiepiscopus, in aliquam expedicionem domini nostri regis et regni, vel personaliter proficissceretur vel suos bellatores et armigeros, ac alios clientes in ipsam expedicionem domini regis et regni destinaret, ipsosque in dictam expedicionem 1343. 6. Oct.

pro sibi serviendum transsire iuberet, ipsi tunc omni occasione procul mota, quarto se armatis hominibus, ad hoc etatem habentibus, in perfectis et plenis armis, ad sepedictam expedicionem, pro parte ipsius domini archiepiscopi et cum suis clientibus ire, seu transsire, pretextu dictarum viginti marcarum, deberent et tenerentur tali modo, quod si ipsi tunc secus in hys facere attemptarent, et presens pactum refutare indenderent, extunc capita et persone ipsorum vinculum facti potencialis succubitus duelli incurrerent, et universe possessiones, ac porciones sue possessionarie, ubilibet existentes, non obstante contradiccione quorumlibet consanguineorum et proximorum suorum, in manus et dominium devolverentur eo facto domini archiepiscopi prenotati. Ita tamen, quod preallegatam assumpcionem ipsorum, et in dictam expedicionem profeccionem, nec litteris regalibus, nec reginalibus, nec quorumlibet baronum intercessionibus, et ut brevius concludi possit, nulla racione et occasione adinventa ad ulteriorem terminum possint prorogare; ad quod se faciendum iidem Farkasius et Petrus spontanea, coram nobis, obligarunt voluntate. Datum, quinto die octavarum sancti Mychaelis archangeli predictarum, anno Domini M° ccc^mo xl.^mo tercio.

Sigill. tergo fuit appressum. — Orig. membran., in Arch. Primat. Secul. Lad. P. nr. 1.

684.

1343. Visegrád. 17. Oct. — Stephanus, magister tavarnicorum regalium, Cruciferos de Strigonio et de Calidis Aquis, cum Kunchlino cive Pestiensi, amicabilem compositionem inivisse, perhibet.

Nos Stephanus, magister tawarnicorum excellentissimi principis, domini *Lodouici,* Dei gracia illustris regis Hungarie, comes Castriferrei et Supruniensis, memorie commendantes, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod *Mychaele,* filio Andree, nobile de *Paznan,* pro religioso viro fratre Paulo, magistro cruciferorum ecclesiarum sancti regis Stephani *de Strigonio* et sancte Trinitatis *de Calidis Aquis,* domino suo, cum sufficientibus procuratoriis litteris eiusdem magistri cruciferorum, coram nobis astante; Blasius, filius Benche, pro comite Kunchlino, filio Johannis, iurato cive Budensi domino suo, cum procuratoriis litteris conventus cruciferorum dicte ecclesie sancte Trinitatis, de Calidis Aquis, ad nostram, dum in octavis festi beati Mychaelis archangeli, uniuscuiusque causantis lites et iurgia equo moderamine panderemus, accedens presenciam, nobis complures litteras, videlicet unam *capituli Budensis* citatoriam, possessionarie recaptivacionis modum continentem; secundam *Thome* woyuode, quondam magistri tawarnicorum domini regis, comitis de *Scepus* et de *Wywar,* memorialem; terciam magistri *Nicolai, rectoris castri novi montis Pestiensis,* iuratorum et universorum civium de eodem, patentem, modum et formam iudiciarie sentencie eorumdem exprimentem; quartam predicti domini *Lodouici* regis, domini nostri, sub anulari sigillo suo emanatam prorogatoriam; et quintam predicti *conventus cruciferorum,* ecclesie sancte Trinitatis de Calidis Aquis, sub pedenti sigillo eiusdem conventus emanatam composicionalem, nobis demonstravit. In quibus, processum cause dictarum parcium, vidimus hoc ordine explanari: quod, cum religiosus vir frater Paulus Gallicus, fisicus domini regis, quondam magister cruciferorum dictarum ecclesiarum sancti regis Stephani de Strigonio et sancte Trinitatis de Calidis Aquis, inter cetera, prefatum comitem

Kunchlinum, filium Johannis, civem Budensem pro eo, quia in statucione cuiusdam allodii seu mayerii, cum pallacio, orto et fenilibus, prope ipsum maierium, inter dictam civitatem Budensem et possessionem *Nyek* existentibus, et terris arabilibus, in quampluribus locis habitis, ad idem maierium pertinentibus, nomine iuris dicte ecclesie sancte Trinitatis recaptivati, eidem ecclesie sancte Trinitat*i* facienda, homini domini regis et testimonio dicti capituli Budensis contradiccionis velamine obviasset, ad quindenas festi conversionis beati Pauli apostoli nunc preteritas, contra se ad regiam presenciam, mediantibus dictis litteris capituli Budensis citatoriis, in causam attraxisset, et ipsam causam prefatus Thomas, tunc magister tawarnicorum domini regis, comes de Scepus et de Wywar, visis litteralibus instrumentis, super libertate dicte civitatis Budensis confectis, ad presenciam iudicis et iuratorum eiusdem civitatis Budensis, ad quindenas diei Cynerum, tunc venturas, transmisisset iudicandam. Tandem ipsis quindenis diei Cynerum occurentibus, Geubul litteratus, legit*t*imus procurator predicti magistri Pauli, in presencia dictorum iudicis, iuratorum et civium civitatis Budensis, pro eodem magistro Paulo, cum sufficienti procuratorio comparendo, quasdam litteras transcripcionales dicti capituli Budensis ecclesie, tria paria litterarum privilegialium de verbo ad verbum transcripta exprimentes, in figura ipsorum iudicii, inter cetera, contra prememoratum comitem Kunchlinum presentasset. Quibus visis, prenominatus comes Kunchlinus, propria sua in persona, coram eisdem iudice, iuratis et civibus civitatis Budensis astando, ab eodem Geubul, iam dicta tria paria litterarum privilegialium, videlicet originale predictarum litterarum transcripcionalium postulasset exhiberi. Et cum iidem iudex, iurati et cives civitatis Budensis, ad peticionem predicti Geubul litterati, legit*t*imi procuratoris ipsius magistri Pauli, iuris ordine edocente, ad exhibicionem earumdem litterarum privilegialium, quindenas diei eiusdem pro termino, ut idem magister Paulus, vel procurator eiusdem in ipsis quindenis, predicta tria paria litterarum privilegialium, coram ipsis exhibere deberet et teneretur peremptorie assignassent, adveniente quoque ipso termino, quia preallegatus magister Paulus, infirmitate prepeditus, coram eisdem iudice, iuratis et civibus comparere nequeundo, causa eadem racione sue egritudinis, per mandatum regium ad quindenas festi beati Georgii martiris, tunc venturas, fuisset prorogata. Et dehinc, volente Deo celi, ipso magistro Paulo debitum universe carnis, litis intermedio, exsolvente, licet sepedictus comes Kunchlinus litteras regie celsitudinis super eo, ut eadem causa inter partes ulterius dilatari non debuisset, termino in prefixo, in presencia eorumdem iudicis, iuratorum et civium presentaverit, tamen quia ipsa regia benignitas, factum prefeccionis magistratus cruciferorum predictarum ecclesiarum, propter absenciam baronum regni, ad deliberacionem eorumdem distulisset, ob hoc pluries dicta causa, statu in eodem permanente, ad octavas festi Nativitatis beati Johannis Baptiste, proxime tunc sequentes, precepisset prorogari. Predictorum itaque cruciferorum, preallegatarum ecclesiarum magistratu, personam viri honorabilis, alterius magistri Pauli, pietate Salvatoris sublimante, cum iidem iudex, iurati et cives civitatis Budensis, iuxta consuetudinem et legem dicte eorum civitatis, iudiciarii tribunalis apicem consedentes, in predictis octavis festi Nativitatis beati Johannis Baptiste, iura et

1343. 8. Febr.

1343. 12. Mart.

1343. 26. Mart.

1343. 8. Maii.

1343. 1. Jul.

causales processus quorumlibet litigancium, iusto deliberacionis moderamine pensarent, inter cetera annotatus comes Kunchlinus, propria sua in persona, ad dictorum iudicis, iuratorum et civium civitatis Budensis iudiciarium accedendo conspectum, et partis adverse absenciam et contumaciam legittime accusando, super huiusmodi negligencia et contumacia, ab eisdem iudice, iuratis et civibus, sibi exhiberi debitam iusticiam postulasset, iuxta consuetudinariam legem eorumdem, usque prandium, seu expiracionem iudicatus diei eiusdem expectando. Qui quidem magister Paulus, ad exhibendum prenominatas litteras, originale videlicet predictarum litterarum capituli Budensis transcripcionalium, prout sepedictus Geubul litteratus, ligittimus procurator eiusdem assumpsisset, non venisset, nec aliquem pro se curavisset destinare. Unde, quia ab antiquo approbata consuetudinaria lege et libertate dicte civitatis requirente, quilibet actor seu querelans, termino in peremptorio, per eosdem iudicem, iuratos et cives sibi iudiciario ordine assignato, per eundemque sponte assumpto, si instrumenta sua negligendo non curaverit coram eis exhibere, contra partem adversam, legittime ut pretactum est expectantem, convici (sic!) debet, ideo iidem iudex, iurati et cives Budenses, de consilio universorum concivium ipsorum, in examine dicti iudicii, cum eisdem assidencium, iuris tramite et predicte eorum libertatis edocente, tum propter obmissionem peremptorii termini eiusdem, tum eciam eiusdem magistri Pauli, vel sui procuratoris, in exhibicione predictarum litterarum, per ipsum exhiberi assumptarum ob defectum, adiudicassent sentencionaliter decernendo: prefatum predium seu allodium, simul cum pretactis universis utilitatibus eiusdem, prenotato comiti Kunchlino, prout prius per eum possessum extitisset, perpetualiter in filios filiorum et heredum per heredes possidendum, sepenotato magistro Paulo et suis successoribus, iudiciaria autoritate, perpetuum silencium imponentes ab eodem. Post hec autem, cum predictus dominus Lodouicus rex, sabbato proximo ante octavas festi beatorum Petri et Pauli apostolorum, de venacione quam in *Pokus* fecisset, in predictam civitatem suam Budensem rediisset, cives et hospites sui Budenses, ad sue regie maiestatis accedentes presenciam dixissent, quod libertas eorum esset, ut citati ad eorum presenciam, in illo die ad quem citati erunt, et instrumenta eorum coram ipsis exhibere et respondere assumpmunt, inter duas missas comparere tenerentur, et quicunque, usque celebracionem et finem magne et ultime misse non comparerent coram ipsis in tribunali eorum iudiciali, illi postquam iudex ipsorum surgeret de tribunali, secundum consuetudinem et libertatem civitatis sue, remanerent; nunc vero unum par litterarum ipsius domini regis generalium, quo mediante ipse dominus rex, generaliter omnes causas dicti fratris Pauli, magistri cruciferorum sancti regis Stephani de Strigonio et sancte Trinitatis de Calidis Aquis prorogari iussisset, in causa quam idem magister cruciferorum, contra prefatum comitem Kunchlinum, quondam iudicem, (sic) et alios concives ipsorum, coram ipsius habuisset, non in illa hora et termino, quo ipsa causa iudicari debuisset, sed post magnam et ultimam missam et post prandium, ac meridiem, quando nullus iudicum in tribunali fuisset, sicut eciam non debuisset, postquam in ipsa causa finem sentencialiter decernendo secundum libertatem ipsorum, in presencia hominis ipsius domini regis et testimonii capituli Waciensis fecissent, fuisset exhibitum solummodo iudici ipsorum, et aliquibus iuratis, non insimul in tribunali eorum, sed in domibus

1343. 5. Jul.

ipsorum existentibus; aliud quoque par earumdem litterarum domini regis, quo mediante idem dominus rex specialiter prenominatam causam prorogari iussisset, fuisset exhibitum die altera ipsius termini, et die subsequenti. Et sic iudicium eorum factum, ut premissum est, in prenotato termino et hora inter duas missas secundum eorum libertatem, ab antiquo approbatam, cum predictus magister cruciferorum hora in eadem inter duas missas et ante prandium non venisset, nec misisset, nec eciam dictas litteras domini regis per aliquem curasset destinare et presentare, exposscente sepius nominata libertate eorum, non valuissent, nec potuissent revocare. Ipse igitur dominus noster rex, volens ipsam civitatem suam in suis libertatibus conservare commisisset, ut utraque parcium in octavis sancti Mychaelis archangeli tunc venturis, coram magistro tawarnicorum suorum compareret, et ipse magister cruciferorum exhiberet illas litteras ipsius domini regis, quibus mediantibus ipsam causam suam, idem dominus rex prorogari iussisset; ipse vero Kunchlinus, quondam iudex, et alii cives exhiberent litteras civitatis super eo, quod littere ipsius domini regis, ipsam causam prorogari volentes, in die et termino, ut premissum est, inter duas missas, quo exhiberi debuissent coram ipsis in tribunali eorum, exhibite secundum libertatem civitatis prenotate non fuissent et ostense. Tunc magister tawarnicorum suorum, cum prelatis et baronibus regni, visis predictis litteris coram eo exhibitis, finalem decisionem imponeret in causa prenotata, iuris ordine observato ita videlicet, quod predicti prelati et barones regni, una cum eo, sepedictas litteras ipsius domini regis prorogatoriales, requirente libertate civitatis prenotate, pro eo, quod in predicto termino et hora iuxta libertatem eorum non fuissent exhibite, sed post iudicium et finem per ipsos, in predicta causa impositum, decernerent, ipsam causam non potuisse prorogari: extunc predictum iudicium eorum, in premissis factum, secundum libertatem eorum, pro rato et firmo acceptando, confirmaretur. Si vero ipsam causam, cum eo toto (sic!) ut prediximus, quod post iudicium et finem, iuxta eorum libertatem per ipsos in predicta causa impositum, prememorate littere ipsius domini regis exhibite fuerunt decernerent: debuisse et potuisse prorogari, tunc causa eadem, exposscente pluries dicta libertate eorum, ad examen iudicii ipsorum seu iudicatui denuo per magistrum tawarnicorum ipsius domini regis transmitteretur; qui quidem iudex, et iurati, secundum Deum et iusticiam, ac libertatem eorum, inter partes iusticie facerent complementum. Tandem tamen, idem frater Paulus, modernus magister cruciferorum, et dictus conventus ecclesie sancte Trinitatis una cum ipso, ut in predictis litteris eorum privilegialibus composicionalibus, feria quinta proxima ante festum nativitatis Virginis gloriose nunc preteritum confectis reperiebatur, tamquam zelatores pacis et quietitudinum, nolentes rancorem nutrire, cognita veritate et iusticia, necnon vigorosis instrumentis ipsius comitis Kunchlini plenarie visis et intellectis, quia pretactum predium seu mayerium, simul cum pratis, fenetis, terris arabilibus, cultis et incultis, pomeriis, necnon universis utilitatibus spectantibus ad ipsum, quo supra, in medio decimarum vini memorate ecclesie sancte Trinitatis habitum, a multis temporibus per predecessores prelibati comitis Kunchlini, et per consequens per ipsum, usque diem emanacionis dictarum litterarum composicionalium, pacifice et quiete tenuisse et possedisse dinosscerentur, salvo tamen uno fertone de eodem persoluto, quem

1343. 6. Oct.

1343. 4. Sept.

racione decime singulis annis prenotate ecclesie solvere tenerentur ab antiquo et expedire cognovissent; tum pro eo, tum eciam ex eo, ut omnis rancor et invidie fomes, ac discolositatis materia de medio ipsorum funditus evelli et eradicari possit, ac eterno pacis favore amplecti valeant, propter bonum ipsius pacis, per ordinacionem et amicabilem composicionem proborum virorum, de consensu et bona voluntate universorum fratrum ordinis ipsorum, in talem perpetue pacis et concordie devenissent unionem: quod prescriptum predium, seu mayerium, simul cum pratis, fenetis, terris arabilibus, cultis et incultis, pomeriis, ac universis utilitatibus suis, prout prius et semper, ut premissum est, per predecessores sepedicti comitis Kunchlini, et per eundem pacifice et absque molestacione scintillaria extitisset possessum, sic et nunc, pure et simpliciter resignantes, reliquissent iamdicto comiti Kunchlino, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter, pacifice possidendum, tenendum pariter et habendum; renunciando omni liti et accioni, quam contra prius dictum comitem Kunchlinum usque nunc movissent, vel contra ipsum, ac suos superstites conarentur excitare in futurum, ita tamen: quod idem Kunchlinus, vel sui posteritates, pro decima prelibati predii, unum florenum supradicte ecclesie sancte Trinitatis, in octavis beati Mychaelis archangeli inclusive, singulis annis, perpetuo dare et solvere tenerentur, dilacione et occasione qualibet non obstante. Quarum litterarum causalium et composicionalium visis et perlectis continenciis, prefati Mychael, filius Andree, legittimus procurator predicti fratris Pauli, magistri cruciferorum, et Blasius filius Benche, legittimus procurator prenotati comitis Kunchlini, nos instantisse (sic!) pecierunt, ut super processu dicte cause et composicione prenotata, ad uberiorem rei cautelam, litteras nostras privilegiales faceremus emanari, eo quod, eedem partes, premissam composicionem et ordinacionem, perpetuo et irrevocabiliter observare vellent et assumpsissent observare. Nos igitur, quia dicta causa ex regie maiestatis commissione ad nostram presenciam, seu ad examen nostri iudicii, ut premittitur, devenerat, ideo ad peticionem procuratorum dictarum parcium, in huiusmodi composicionis memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes litteras nostras concessimus privilegiales, pendentis sigilli nostri autentici munimine roboratas. Datum, in *Wyssegrad*, duodecimo die octavarum festi beati Mychaelis archangeli predictarum, anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo tercio.

Extus manus med. aevi adnotat.: Ista littera sonat contra conventum de Aquis Calidis superioribus Budensibus. — Sigillum e rubro et viridi serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strig. Priv. Fundationalia nr. 1. a.

685.

1343. Pozsony. 7. Nov. — Nicolaus palatinus, Dominicum et Lukacsium, ab usurpatione et exsecatione possessionis eorum Récse vocatae, vicinos et commetaneos prohibuisse perhibet.

Nos *Nicolaus,* regni Hungarie palatinus, et iudex Comanorum, memorie commendamus, quod in nostra congregacione generali, universitati nobilium comitatus Posoniensis, feria secunda proxima post festum beatorum Symonis et Jude apostolorum, in civitate *Posoniensi* celebrata, Dominicus filius Petri, et Lukachyus filius Mathyus de *Vzur,* personaliter 1343. 3. Nov.

exurgentes, proposuerunt tali modo: quod vicini et commetanei sui, possessionem eorumdem *Reche* vocatam, contra ipsorum voluntatem uterentur, silvam et fenetum mactari et defalcari faciendo, unde universos ipsorum vicinos et commetaneos et alios quoslibet, ab usu et utilitatum dicte posessionis eorum percepcione, specialiter exsecacione nemoris et silve, ac defalcacione feneti, prohibuerunt coram nobis et interdixerunt. In cuius prohibicionis testimonium, presentes eisdem duximus concedendas. Datum, quinto die congregacionis nostre predicte, in loco prenotato, anno Domini M° ccc° XL^mo tercio.

Extus: solvit IIII d. — Item in margine exter. manu saec. XVI. ineuntis adnotatur: *Posoniakat tiltothak rettel erdetel.* — Sigillum tergo fuit impressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. R. nr. 25.

686.

1343. Ó-Komárom. 19. Nov. — Nicolaus palatinus, Conradum de Tárkány, pro perpetrata in Füzes violentia, cum Petro de Boszteh concordasse testatur.

Nos Nicolaus, regni Hungarie palatinus, et iudex Comanorum, memorie commendamus, quod in causa, quam Petrus, filius Johannis de *Baztyh,* in congregacione nostra generali, universitati nobilium comitatus Kamariniensis, feria sexta proxima post festum beati Martini confessoris, prope villam *Ókamarum* celebrata, contra Corardum de *Tarkan,* personaliter astantem, in eo, ut idem Corardus, feria tercia proxima post dominicam Ramispalmarum, cuius vigesima preterisset revolucio annualis, ad possessionem suam, *Fyzes* vocatam, potencialiter accesserit et eandem destruxerit, ac centum marcarum dampna sibi intulerit, susscitarat, et testimonio comprobare assumpserat; nostra iudiciaria licencia prius optenta, per composicionem proborum virorum, taliter coram nobis concordarunt, quod predictus Corrardus assumpsit et obligavit se, prefato Petro dare et solvere, quatuor marcas latorum Vyennensium, marcam quamlibet decem pensis computando, in duobus terminis infrascriptis, videlicet duas in octavis Epiphanyarum Domini nunc venturis, et alias duas marcas in octavis purificacionis Virginis gloriose, similiter nunc affuturis, coram conventu cruciferorum ecclesie sancti regis Stephani de *Strigonio.* Tali obligacione mediante, et per ipsum Corardum sponte in se assumpta, quod si memoratas quatuor marcas, in terminis prenotatis, eidem Petro non solveret vel solvere non posset, extunc in duplo earumdem remaneret eo facto. Nos vero de tercia parte iudicii pacis, quinque marcarum, idem Petrus, de duabus vero partibus memoratus Corardus placare assumpserunt, quam scilicet terciam partem dicti iudicii, eidem Petro duximus relaxandum, reddendo super ipsa tercia parte iudicii pacis expeditum. Dictas vero duas partes ipsius iudicii, eidem Corardo, in duabus marcis relaxavimus, quas in octavis sancti Andree apostoli nobis solvere assumpsit. Datum, sexto die congregacionis nostre predicte, in loco memorato, anno Domini M° ccc° XL^mo tercio.

1343. 14. Nov. 1323. 22. Mart. 1344. 13. Jan. 1344. 9. Febr. 1343. 7. Dec.

Sigillum parvum rotundum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Publ. Capsa 42. fasc. 10. nr. 20.

687.

1343. — 23. Novemb. — Daniel, abbas monasterii s. Andreae Apost. iuxta Visegrád, supplicat Clement. VI., quatenus:

1. abbas et conventus de terris, quas propriis laboribus et expensis excolunt, seu excoli faciunt, cum terrae ad monasterium pertinentes valde sunt desolatae, — nulli ad solutionem decimarum teneantur;

2. domino Ludovico, regi Hungariae, literas pro ipso monasterio et reformatione eiusdem et personis degentibus in eodem et recuperatione bonorum, ac iurium et iurisdictionum, post devastationem monasterii per Tartaros amissorum et desolatorum, hortatorias efficaces, sub bulla dignetur destinare;

3. omnibus vere poenitentibus et confessis, qui dictum monasterium et eius ecclesiam visitaverint indulgentias concedat;

4. abbati et conventui ac monasterio conservatores ad plures annos concedere dignetur in forma concilii Viennensis;

5. confessor suus semel in articulo mortis peccatorum suorum plenariam remissionem ei impertiri valeat.

Ed. Bossányi: Regesta Suppl. T. I. p. 37. et sq.

688.

1343. (Eger.) 29. Nov. — Capitulum Agriense, Cruciferos de Landek, ac filios Georgii de Somos, in eo convenisse, ut quidquid e iuribus ad possessionem Keresztes-Komlós pertinentibus, mutuo revindicare possent, ad familiam de Somos spectet, testatur.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX.[1] p. 130. et sq.

689.

1343. Avignon. 1. Dec. — Clemens PP. VI., archiepiscopo Strigoniensi, ac eius suffrageneis mandat, ut contra Turcos, verbum crucis publice proponant, eiusque signum suscipientibus, indulgentias consuetas elargiantur.

Ed. Theiner: Monumenta T. I. p. 658 et sq.

690.

1344. Visegrád. 24. Jan. — Ludovicus I. rex dat in mandatis conventui de Jászó, ut per anni circulum quoties a praeposito s. Martini in Szepes et eius capitulo, pro aliquali inquisitione requisiti fuerint, hominem suum exmittent.

Tenorem vide sub nr. 707.

691.

1344. — 12. Febr. — Comes Paulus de Nagymarton, iudex curiae regiae, supplicat Clem. VI., quatenus:

1. examinatio *Benedicti, de Folkus,* clerici eccl. Vesprimiensis, ad canonic. et praebendam Varadiens. propositi, episcopo Vesprimiensi vel praeposito Strigoniensi committetur.

2. *Johanni Ponch,* dicto de *Gyékényes,* clerico Strigoniens. dioec., de canonicatu et praebenda in Scepusiensi ecclesia provideatur.

Ed. Bossányi: Regest. Suppl. T. I. p. 43 et 44.

692.

1344. Visegrád. 12. Febr. — Ludovicus I. rex, filios Zuka et Berew, qui eum nocte de Túr usque ad Kócs perduxerunt, in suam assumpsit regiam protectionem.

Nos Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, significamus presencium per tenorem, quibus expedit universis, memorie commendantes, quod quia tunc, quando nos venientes *de Lyptua, ad Gyosgewr* causa venacionis transsiebamus, Blasius, filius *Berew* et *Komar,* filius Pauli dicti *Zuka,* in nocte, de *Tuur* usque *Kouch* nobiscum eundo, viam ostenderunt, ideo pro serviciis eorum de benignitate et liberalitate regia, ipsos Paulum dictum Zuka et filios suos, videlicet predictum Komar, item Hench, Emericum, Georgium, Ladislaum et Michaelem, item *Berew,* ac filios eiusdem, scilicet prefatum Blasium, Gehan, Johannem, Benedictum, Stephanum, in nostrum conotatum (sic!) et nostram proteccionem recepimus ita, quod nec palatinus, nec capitaneus Comanorum, *generacionis Olas,* nec quisquam alter iudex regni nostri, nunc et pro tempore constitutus, eosdem iudicandi habeat facultatem et aliquam exaccionem excipere possit super ipsis, sed sub nostro conotatu et nostra proteccione pacifice perseverent nostre maiestati servituri. Et, si qui, aliquid accionis, vel quaestionis, contra ipsos habent vel habuerint, coram nostra maiestate exsequantur, et nos omnibus querelantibus, ex parte eorumdem, iusticie faciemus complementum iuris ordine observato. Datum, in *Wyssegrad,* sexta feria proxima ante dominicam Carnisprivii, anno Domini M° ccc° XL^mo^ quarto.

Sigillum anul. cerae fuit rubrae impressum, sub quo leg.: Relacio Nicolai Cyconis. — Origin. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. X. nr. 196.

693.

1344. — 13. Febr. — Frater Vitus episcopus Nitriensis, supplicat Clem. VI., quatenus:

1. nepoti suo *Petro Stephani,* clerico eccl. Zagrabiens., de parochiali ecclesia in *Patak,* dioec. Strig., vacante per mortem *Stephani plebani,* qui diem supremum in Curia Romana clausit, providere dignetur.

2. *Nicolao* custodi seu thesaurario Nitriensi, canonicatum et praebendam Strigon. conferre dign.;

3. *Dominico Michaelis,* presbitero et capellano suo, Strigoniens. dioec., de ecclesiastico beneficio, ad collationem archiepiscopi spectante, in civitate vel in dioec. Strig. reservare dignetur.

Edid: Bossányi: l. c. T. I. p. 48. 51.

694.

1344. 14. Febr. — Thomas, comes Liptoviensis, supplicat Clement. PP. VI., quatenus:

1. ecclesiae beati Thomae apostoli *de Surány,* Strigoniens. dioecesis, ad VI. diem Octobris et in die dedicationis et peregrinationibus cum corpore Christi, aliquas indulgentias impertiri dign.;

2. *Nicolao* Demetrii, clerico Strigoniensis dioecesis, de canonicatu ecclesiae beatae Mariae de Alba regali, providere dign.;

3. *Nicolao,* Bere, *Petro* Johannis, *Nicolao* Demetrii, *Petro* Stephani ac *Johanni* Dominici, qui absentes sunt de Romana Curia et in Hungaria existunt, dign. examen remittere, aut in partibus illis committere *praeposito sancti Thomae* in Promonthorio Strigoniensi . . . .

Ed. Bossányi: l. c. T. I. p. 58—59.

695.

1344. — 15. Febr. — Thomas Aladarii, comes de Ujvár, Strig. dioec., ambaxiator Ludovici regis Ungariae, supplicat Clem. PP. VI., quatenus: nepoti suo, *Gregorio* Nicolai, clerico Jauriensis dioecesis, ad canonicatum Jauriense promovendo, examen remittere, aut committere praeposito Strigoniensis, vel praeposito Agriensis ecclesiarum, dign.

Ed. Bossányi: l. c. T. I. p. 61.

696.

1344. Villanova. 16. Febr. — Clemens PP. VI. Thomae, comiti de Ujvár, Strigoniensis dioecesis concedit, ut cum decem hominibus sepulchrum Dominicum visitare, vel eos suis sumptibus ad visitandum mittere possit.

Ed. Theiner: Monum. Hist. Eccl. Hung. T. I. p. 663.

697.

1344. — 17. Febr. — Nicolaus praepositus eccl. Strigon., ambaxiator regis Hung., supplicat Clem. PP. VI., quatenus:

1. *Paulo* Pauli, in iure canonico provecto, canonico Strigoniensi, non obstante hac praebenda, adhuc de canonicatu in eccl. Varadiensi, providere dign.;

2. *Petro* Nicolai, scolari in iure canonico, non obstante canonicatu et praebenda Strigon. quas habet, de canonicatu eccl. Agriensis provid. dign.

Ed. Bossányi: l. c. T. I. p. 65—66.

698.

1344. — 7. Mart. — Supplicant comes Paulus de Nagymarton, Nicolaus praepositus Strigoniensis et frater Dyonisius ordinis minorum, ambaxiatores Ludovici I. regis, Clement. PP. VI., quatenus *Ladislao, nato Nicolai* comitis, *palatini* regni Hung., dignitatem seu personatum, ad collationem archiepiscopi Strigon. pertinentem, reservare dign.

Ed. Bossányi: l. c. T. I. p. 69.

699.

1344. (Surány) Villanova. 9. Mart. — Ecclesiam b. Thomae in Suray (Surány), dioc. Strig., devote visitantibus dantur indulgentiae.

Ed. Theiner l. c. p. 666.

700.

1344. (Ságh) 9. Mart. — Conventus Sághiensis, possessionem Sipék, inter Lucam et Paulum de eadem, medio compromissi divisam esse, testatur.

Nos Stephanus prepositus, et conventus fratrum ordinis Premonstratensis, monasterii beate Virginis Marie de *Saag,* memorie commendantes significamus universis quibus expedit, presencium per tenorem, quod Lucasius, filius Boka, nobilis de *Sypyth* ab una parte, item Paulus, filius Petri, similiter de Sypyth, sponsus predicti Boka, parte ex altera, coram nobis personaliter constituti, sunt confessi oraculo et ministeryo vive vocis: quod, cum nobiles domine, nomine Anna consors *Moynolth,* et alia nomine *Mochk,* filia eiusdem domine Anna, consors Petri, filii Jacobi quondam de Sypyth, possessionem earumdem, Sypyth

vocatam, in facto ac in perpetracione latrocinii predicti Petri filii Jacobi, et in hospitalitate earumdem dominarum, quam amisissent, et ipsa possessio eorumdem Sypyth vocata, ad manus serenissimi principis domini Kâruli, Dei gracia illustris regis Hungarie, quondam pye memorie extitisset devoluta, idemque Paulus regio ex favore, propria sua cum pecunia, a predicto domino rege, litteris eiusdem mediantibus, dimidietatem ipsius possessionis sibi, et aliam dimidietatem eiusdem possessionis predicto Lucasio, filio Boka, redemisset; et quia pax et concordia inter ipsos perpetuo durari debeat, predicti Paulus et Lucasius, propria ipsorum voluntate, ex ordinacione proborum virorum et specialiter Petheu, filio Iuance de Sypyth, similiter personaliter coram nobis astanti et predicte possessionis divisionem (sic) consencienti, ipsamque possessionem antedictam, in tres partes cum omnibus utilitatibus et pertinenciis universis, equali divisione facta, divisissent atque dividi se (sic!) partes affirmabant. Cuiusquidem possessionis duas partes, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis universis, a parte orientali, ex permissione predicti Petheu, cum locis et fundis curiarum ab una sessione, et fundo curie circa sessionem, et fundum curie sacerdotis, ibidem existentis, usque ad sessiones et fundos curiarum predicti Petheu, ac cum totali prato ipsius possessionis, idem Paulus et sui successores, tam pro pecunia ipsius, quam pro redempcione predicte possessionis dedisset, quam eciam pro quarta parte puellarie domine *Aagas,* consortis eiusdem, sororis eiusdem Lucasii, ex donacione antedicti Lucasi perpetuo possiderent; terciam vero partem possessionis antedicte, idem Lucasyus et sui successores, similiter cum omni plenitudine sui iuris, perpetuo possiderent. Asumendo predictus Lucasius, ipsum Paulum et suos posteros in lineam generacionis in suam possessionem; hoc adiecto, quod predictus Lucasius se ipsum firmiter obligavit, ut quandocunque temporis in processu Nicolaus et Jacobus, filii Iuanka et alii quocunque nomine censcantur, predictum Paulum et suos successores, racione predicte possessionis ac divisione inter ipsos facta impedire, vel quocunque modo molestare voluerint, extunc idem Lucasius et sui successores, de filiis Iuanka de *Wosyan* et de eorum successoribus, ipsum Paulum et suos successores, propriis ipsorum laboribus et expensis tenerentur defensare et in eadem possessione conservare. In cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam, ad peticionem parcium, litteras nostras patentes eisdem duximus concedendas, sigillo nostri conventus sigillando; et cum presentes ad nos, vel ad quodcunque capitulum, vel conventum per aliquam partem portabuntur, extunc nos nostro privilegio tenebimur, et ipsum capitulum, vel conventus ipsorum privilegiis, vel litteris digneantur confirmare. Datum, feria tercia proxima post dominicam Oculi, anno Domini M° ccc° xxxx^mo^ quarto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strig. Publ. Capsa 69. fasc. 14. nr. 1.

701.

1344. (Pécsvárad.) 10. Mart. — Conventus Varadiensis, divisionem in possessione Boldogasszonyfalva, inter comitem Nicolaum et filios eius peractam esse, testatur.

Nos conventus monasterii Waradyensis, memorie commendamus per presentes, quod comes Nicolaus, filius Pauli de *Bodugazunfalua,* una cum Nicolao,

Johanne et Georgio, filiis suis, coram nobis personaliter constituti, sunt confessi viva voce, quod ipsi possessionariam porcionem eorum totam, in comitatu de *Baranya,* de *Selizio,* in eadem Bodugazunfalua, ipsos iure hereditario attingentem, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis, inter se, per modum pacificum et concordem, in quatuor partes divisissent quoequales (sic). Ita videlicet, quod unicuique ipsorum, pars seu porcio sua de eadem, per formam divisionis cessisset et provenisset, iure perpetuo et irrevocabiliter possidenda, tenenda pariter et habenda. Super quo eciam, presentibus nobis reportatis, nostrum privilegium concedemus. Datum, in die medii XL^me^, anno Domini M° CCC° XL^mo^ quarto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Publ. Capsa 1. fasc. 14. nr. 12.

702.

1344. (Óbuda.) 13. Mart. — Capitulum Budense, litteras super cambio possessionis Nyárhid, transscribit.

Nos capitulum ecclesie Budensis, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod religiosus vir, frater Johannes prepositus ecclesie beati Michaelis Archangeli de Insula Leporum, ad nostram personaliter accedendo presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras privilegiales honorabilis capituli ecclesie Strigoniensis, super facto infra declarando, petens nos humili precum instancia, ut tenorem et formam earumdem presentibus litteris nostris transscribi, sigillique nostri munimine roborari; propter rei maiorem cautelam, facere dignaremur. Quarum quidem tenor per omnia talis est:

Sequitur privilegium cap. Strig. a 1295, super cambio inter archieppum Strig., eppum Vesprim. et prepositum de Csúth inito, ex ipso orig. edit. T. II. p. 370. nr. 368. 1295. 15. Maii.

Nos igitur iustis, congruis et honestis peticionibus eiusdem fratris Johannis prepositi diligenter annuentes, maxime quia predictas litteras privilegiales dicti capituli Strigoniensis non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua parte sui viciatas, sed omnino perfectas et iustas comperimus, tenorem et formam earumdem, de verbo ad verbum, nichil adendo, nichil diminuendo, presentibus litteris nostris transscribi, sigillique nostri pendentis munimine fecimus roborari. Datum, sabbato ante dominicam Letare, anno Domini M° CCC^mo^ XL^mo^ quarto.

Sigillum e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Prim. Sec. Lad. M. nr. 16. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX^1^. p. 248. — Sig. edit. Batthyányi: Leges Ecclesiast. I. 208. et Jerney: Magy. Tört. Tár II. fig. 10.

703.

1344. Villanova. 18. Mart. — Siffridus, abbas monasterii s. Benedicti de iuxta Gron, describens miserabilem et desolatum statum abbatiae s. Demetrii, in Colocensi dioec. sitae, et inde ab decem annis abbate carentis, supplicat quatenus ad reformationem ipsius monasterii, tam in spiritualibus, quam in temporalibus facienda, fratri *Vito episcopo Nitriensi,* comiti capellae et secretario cancellario regis Ungariae, provido et discreto, in rebus dicti regni multo experto, magnumque apud regem et regales favorem habenti, commendare dign. ad ipsius episcopi vitam.

Ed. Bossányi: Regest. Suppl. T. I. p. 73.

704.

1344. — 18. Mart. — Siffridus, abbas monast. s. Benedicti de iuxta Gron, petit a pontifice Clemente VI., ut nonnulla monasteria ordin. s. Benedicti in Hungaria, quae ab eo tempore, quo Tartari prefatum regnum hostiliter devastarunt, desolata existunt, reformare et sub protectione archiepiscoporum Strigon. et Coloc. ecclesiae, in pristinum suum statum redigere demandet.

Item, cum universa monasteria ordinis s. Benedicti in Hung. unam constituunt provinciam, dignetur auctoritate apostolica statuere et mandare, quod universi abbates, abbatissae ipsorumque conventus, ad reformandum et restaurandum alienata monasteria ac possessiones, bona et iura et ad quaevis alia negotia ad haec opportuna, communibus sumptibus teneantur.

Ed. Bossányi: Regest. Suppl. T. I. p. 75. et sq.

705.

1344. Villanova. 18. Mart. — Clemens PP. VI., monasterium s. Demetrii, in Coloc. dioec. situm, graeci ritus, Siffrido abbati de iuxta Gron, committit.

Tenorem vide sub nr. 717.

706.

1344. (Zobor.) 19. Mart. — Conventus de Zobor, monasterium de iuxta Gron, terram Szölény, Sente de Bors, ad spatium sex annorum elocasse, testatur.

Nos conventus beati Ypoliti martiris, monasterii Zuburiensis, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis; quod dominus frater Jacobus, nomine proprio, vice et nomine domini Syffridi abbatis, et conventus monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium Goron ab una parte, et Sente de *Bors,* famulus magistri Ipoliti, comitis de *Cremnychbanya,* parte ab altera, coram nobis personaliter constituti, idem frater Jacobus, nomine proprio, vice et nomine domini Syffridi abbatis et conventus predictorum, retulit se locasse et dedisse, *y*mmo locavit coram nobis, possessionariam terram monasterii sancti Benedicti prope *Bors* adiacentem, *Seulen* nominatam, cum omnibus suis utilitatibus, dicto Sente de Bors, a festo beati Georgii martiris nunc venturo, per sex annos, pro censu annuali ita videlicet, quod singulis annis predictus Sente, duas marcas latorum denariorum Wyennensium, decem pensas pro marca computando, domino Syffrido abbati et conventui sancti Benedicti, in ipsorum monasterio solvere debebit, et assumpsit in terminis infrascriptis: in festo beati Georgii martiris, vel in octavis eiusdem, sine procrastinacione unam marcam; et in festo beati Michaelis archangeli, vel in octavis eiusdem simili modo, sine procrastinacione unam marcam; penam dupli se obligans incursurum, si quem terminorum predictorum obmitteret in solvendo. Et si ipsam solucionem principalem, cum pena dupli, infra quindenas termini obmissi immediate subsequentes, coram nobis, solvere non curaret, extunc ante litis ingressum cuiuslibet iudicis, prenotatam solucionem, cum pena dupli, plenarie et ex integro, cum birsagio, persolvere tenebitur et debebit; libertate, si quam magister Ipolitus pro familia sua specialiter haberet, vel eciam hospites de Bors, eidem Sente penitus et per omnia, pro antedictis solucionibus, non suffragante. Ut ad omnia premissa et singula premissorum, Sente prenotatus, in nostri presencia se spontanea voluntate obligavit, et sepe-

24. Apr.
1. Maii.
29. Sept.
6. Oct.

dicta terra possessionaria *Seulen,* sine diminucione et omni contradiccionis obstaculo, cum novalibus et fructuum utilitatibus universis, non obstante regni consuetudine, sicut eciam finito sexto anno, in ius et proprietatem monasterii sancti Benedicti, pluries iam nominati, devolvetur eo facto. Datum, feria sexta proxima post octavas medii XL^me^, anno Domini M^mo^ CCC^mo^ XL^mo^ quarto.

Extus manu med. aevi adnot.: Locacio terre *Sewlen.* — Et alia manu: vel *Zwlen* dicta. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strig. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 24.

707.

1344. (Jászó.) **21. Mart.** — Conventus b. Joannis de Jászov, se inquisitionem demandatam., super cancellatione instrumentorum privilegialium capit. Scepusiensis, tempore regis Ladislai IV. per schismaticos illata, perfecisse, Ludovico I. regi rescribit.

Excellentissimo domino ipsorum *Lodouico,* Dei gracia illustri regi Hungarie, *Paulus prepositus* et conventus monasterii beati Johannis baptiste de *Jazow,* oraciones in filio Virginis gloriose. Litteras vestre serenitatis honore, quo decet, recepimus in hec verba:

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis, conventui de Jazow, salutem et graciam. Quia cause ecclesiarum per morosas citaciones plerumque periclitari contingunt, ideo fidelitati vestre firmiter precipientes mandamus per presentes, qualenus quandocumque et quocienscumque a data presencium per anni circulum ad citaciones, inquisiciones, prohibiciones, possessionum reambulaciones et recaptivaciones, necnon metarum erecciones, ac ad omnia alia, que secundum regni consuetudinem in talibus processibus fieri consueverunt, per honorabilem et discretum virum, magistrum Johannem, prepositum ecclesie beati Martini de Scepus et suum capitulum, vel procuratores, aut officiales eorundem, exhibitores videlicet presencium, fueritis requisiti, vestrum detis hominem pro testimonio fide dignum, quo presente, Dominicus filius Jekul vel Andreas filius Petri de *Wytkfolua,* aut Paulus filius Nicolai de *Kurtuelus,* vel Andreas filius Mychaelis de *Bety,* aliis absentibus, homo noster, omnia premissa et singula premissorum exequatur, iuris ordine observato, et post hec tociens, quociens expediens fuerit, tocius facti seriem nobis fideliter rescribatis.
Datum in *Wyssegrad,* sabbato proximo ante festum Conversionis beati Pauli apostoli, anno Domini M° CCC° XL^mo^ quarto. 1344. Jan. 24.

Nos igitur vestris preceptis humiliter obedire cupientes, ut tenemur, una cum Andrea, filio Petri, homine vestro annotato, unum ex nobis *y*doneum, videlicet fratrem Johannem, cantorem ecclesie nostre, ad quandam inquisicionem infra declarandam transmisimus; qui demum ad nos redeuntes, concorditer retulerunt, quod in comitatu Scepsyensi ab omnibus nobilibus et ignobilibus, viris ecclesiasticis, ac ab aliis cuiusvis status et condicionis hominibus, diligenti habita inquisicione, talem scivissent veritatem: quod cum rex Ladizlaus, pie recordacionis, terram Scepsyensem intrasset et in suburbio castri de eadem descensum habuisset, timore Dei postposito, *gens Bulgarorum, Comanorum et aliorum scismaticorum,* ecclesiam beati Martini invadentes et eandem, ac sacristiam armatis manibus potencialiter debellantes, multa privilegialia instrumenta eiusdem ecclesie cancellassent et cum equis conculcassent et eciam quamplurimorum nobilium instrumenta litteralia simili modo condempnata extitissent, in

grande preiudicium eiusdem ecclesie sancti Martini et gravamen; et omnes premisse rei recitatores a suis predecessoribus eciam sic fuisse percepissent. Datum in dominica iudica, anno supradicto.

Extus: Excellentissimo domino ipsorum, Lodouico, Dei gracia illustri regi Hungarie pro domino Johanne, preposito ecclesie sancti Martini de Scepus., super cancellacione instrumentorum privilegialium, tempore regis Ladislai pie recordacionis, per scismaticos illata, inquisitorie.

Sigillum plicaturae fuit appressum. — Orig. chart., valde exesum, in Arch. Cap. Scepusiensis. Priv. Scrin. 1. fasc. 2. nr. 5. Fragmenta eius publicarunt Wagner: Analecta Scepus. P. III. p. 14. et Katona: Hist. Crit. T. VI. p. 972.

708.

1344. Avignon. 12. Apr. — Joannes Beke, archidiaconus de Zólyom, in ecclesia Strigoniensi, supplicat Clem. PP. VI., quatenus sibi de canonicatu et praebenda vacantibus in eccl. Strigon., per munus consecrationis apud apostolicam sedem impensum, tempore et mandato Joannis PP. XXII., Laurentio Bosnensi, olim ecclesiae praedictae canonico, providere dign.

Ed. Bossányi: Reg. Suppl. T. I. p. 77.

709.

1344. (Pozsony,) 16. Apr. — Capitulum Posoniense, Tyboldum concanicum suum, domum suam retro claustrum monialium existentem, dominae Katharinae vendidisse testatur.

A. B. C.

Universis Christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, capitulum ecclesie *Posoniensis* salutem, in vere salutis largitore. Lubrici temporis prolixitas, seriei geste rei, pro tempore oblivionem invitat et inducit, nisi stili officio fulciatur, et ideo ad labentem hominum memoriam renovandam, acta in tempore, scripture patrocinio, per*hemp*nantur. Ad universorum itaque noticiam, presencium duximus deducendum: quod vir honorabilis et discretus, magister *Tyboldus, concanonicus* et frater in Christo noster karissimus, nostram personaliter adiens presenciam, domum suam, seu curiam duntaxat, agris et orto olerum quibuslibet, si quos habuit exceptis, intra muros civitatis Posoniensis, in *platea Hungarorum* existentem, retro claustrum sanctimonialium feminarum ordinis beate Clare, et eidem contiguam seu vicinam, nobili domine, domine Katherine, magistri Johannis, filii Viti de *Spacza* coniugi seu consorti, venerabilis patris domini *Chanadini,* sancte Strigoniensis ecclesie archyepiscopi sororis, domine videlicet Margarete, per comitem Chuka, filium Johannis, filie procreate seu genite, que coram nobis eciam presencialiter astitit, ei inquam, domine Katherine, et per eam suis heredibus vel heredi, per ipsum magistrum Johannem, nunc dominum et consortem suum genitis vel gignendis, seu genito vel gignendo, quibus inquam, vel cui inter eosdem pueros magistri Johannis, ipsa post suam mortem disponendam ipsam curiam duxerit vel legandam, pro centum et viginti quinque marcis denariorum, usualis monete Wyennensis, marcis singulis decem pensis computatis, ex rebus suis parafernalibus, suarum videlicet tempore nupciarum secum adductis vel allatis, per ipsam eidem magistro Tyboldo, coram nobis integraliter expeditis, et per eundem magistrum Tyboldum plene

numeratim habitis et receptis, nullo penitus contradictore apparente, ymo grato nostro ad hoc favore accedente dedit, tradidit et vendidit, iure perpetuo, irrevocabiliter semper possidendam, tenendam pariter et habendam; totum siquidem ius proprietatis et dominii, quod ad ipsam curiam seu domum solummodo habuit et habere debuit, agris enim et orto olerum, si quos habuisset exceptis, ut dictum est universis, in personam eiusdem domine et per eam in prenotatos heredes, prelibati magistri Johannis, ex ipsa utriusque sexus iam genitos vel gignendos, cui vel quibus heredibus ex eisdem ipsa domina Katherina dare vel disponere, ut predictum est, censuerit, penitus transferens convertendo, et convertens conferendo. In cuius vendicionis testimonium presentes, appensione nostri sigilli consignatas, eidem nobili domine Katherine duximus concedendas. Datum, feria sexta proxima ante dominicam Mysericordia Domini, anno eiusdem millesimo trecentesimo quadragesimo quarto.

In plicatura manus coeva adnot.: Posoniensis. — Extus vero: Super I. domo, retro claustrum monialium. — Sigillum e roseo et flavo serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Capit. Poson. Priv. Capsa F. fasc. 2. nr. 50.

710.

1344. Buda. 6. Maii. — Ludovicus rex, ad preces comitis Kunchlini iurati civis Budensis, transscribit et confirmat nrum. 684.

Nos Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod comes Kunchlynus, filius Johannis, iuratus civis Budensis, fidelis noster, ad nostre serenitatis accedendo presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras magnifici viri Stephani, magistri tauarnicorum nostrorum, comitis castriferrei et Supruniensis, privilegiales, tenoris infrascripti, petens nostram excellenciam humiliter et devote, ut easdem litteras privilegiales dicti magistri Stephani, de verbo ad verbum, nostris litteris patentibus de benignitate regia transsumpmi et transscribi facere dignaremur, quarum tenor talis est:

Sequuntur lit. Stephani magistri tavarn. anno 1343. 17. Oct. datae, et ex ipso origin. sub. nr. 684. edit. 1343. 17. Oct.

Nos igitur peticionibus eiusdem comitis Kunchlini, iurati civis Budensis, fidelis nostri, maiestati nostre porrectis, iure annuente, communique consuetudinaria lege regia nostri requirente, inclinati, dictas litteras prefati magistri Stephani, tauarnicorum nostrorum magistri privilegiales, sentencialiter emanatas, nostris litteris patentibus presentibus, de verbo ad verbum insertas, eatenus, quatenus dicta sentencia, per ipsum prolata, ac eedem privilegiales littere sentenciales, emanate, vero et iusto modo fore dinoscuntur, ipsi comiti Kunchlyno et suis successoribus, ac heredibus in perpetuum valere confirmamus, presencium litterarum nostrarum patencium patrocinio mediante. Presentes autem in formam nostri privilegii redigi facere promittimus, dum nobis fuerint reportate. Datum *Bude,* in festo beati Johannis apostoli ante portam latinam, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ quarto.

Sigillum maiest. tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Publ. Capsa 12. fasc. 7. nr. 1.

711.

1344. (Nyitra.) 7. Maii. — Capit. Nitriense, Blasium vicecastellanum de Saskő, possessiones Kétvedrice, Kaltrin et Nadéfalva, ad monasterium de iuxta Gron pertinentes, potentialiter occupasse, Ludovico I. regi rescribit.

Excellentissimo principi et domino, domino Lodouico, Dei gracia regi Hungarie illustri, domino eorum metuendo, capitulum ecclesie Nitriensis, oracionum suffragia devotarum. Literas vestre excellencie generalibus inquisitoriis, pro religioso viro fratre Syffrido abbate, et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, per anni circulum graciose datis et concessis, honorifice ac reverenter receptis, cum Salomone de *Hynd,* homine vestre maiestatis, Jacobum sacerdotem chori nostri, ad faciendam inquisicionem infrascriptam, pro testimonio duximus transmittendum. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt istomodo: quod, sicut a nobilibus et ignobilibus, ac aliis communibus hominibus, in comitiatu Borsyensi constitutis, scire veridice et inquirere potuissent, Blasyus, quondam vicecastellanus de *Saskew,* religiosum virum fratrem Martinum, prepositum monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron et ad ipsum pertinentes, de quibusdam possessionibus eiusdem monasterii (expunct.: Ket) de duabus villis videlicet *Ketwydriche,* item *Calthrin* et *Nadeyfolua* vocatas, in *Zuzol* existentes, quas excellentissimus dominus *Karolus,* quondam rex Hungarie felicis recordacionis, ipsi monasterio, de sua regia benignitate restituerat ad eandem ecclesiam, per quemdam famulum suum Anthonium nomine, aule sue iuvenem, mediantibus suis litteris, in easdem introducendo intronizarat, potencialiter eiecisset, predictas possessiones, sive villas, ad antedictum castrum Saskew, in grande preiudicium eiusdem monasterii, dampnum et iacturam applicando. Datum, feria sexta proxima ante diem Rogacionum, anno Domini M° ccc° XL^mo quarto.

Extus: Excellentissimo principi et domino, domino Lodouico, Dei gracia regi Hungarie illustri, domino eorum metuendo, pro fratre Syffrido abbate et conventu monasterii sancti Benedicti, super eieccione potenciali de possessionibus *Ketwydrich* et aliis, interius specificatis, et de earumdem possessionum potenciali occupacione, inquisitorie. — Sigillum margini ext. fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 9. fasc. 3. nr. 7.

712.

1344. (Zobor.) 7. Maii. — Conventus de Zobor, Nicolao palatino seriem inquisitionis, super alienatione iuris in tertia parte tributorum monasterii s. Benedicti de iuxta Gron, contra Emericum de Becse, quondam castellanum de Léva peractae, rescribit.

Magnifico principi domino Nicolao, regni Hungarie palatino, et iudici Comanorum, amico eorum honorando, conventus monasterii *Zuburiensis,* sincere amicicie continuum incrementum. Litteris vestris generalibus inquisitoriis, pro religioso viro fratre Syffrido abbate et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium *Goron,* per anni circulum concessis, honorifice ac reverenter receptis, cum Stephano de *Hynd,* homine vestro, fratrem Laurencium sacerdotem unum ex nobis ad inquisicionem infrascriptam faciendum, pro testimonio dùximus destinandum. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt isto modo: quod sicut a nobilibus et ignobilibus, ac aliis communibus hominibus, in comitatu Borsiensi constitutis, scire veridice et inquirere potuissent, Emericus

de *Beche,* quondam castellanus de *Leua,* quoddam tributum supra aquam Goron, in villa *Gozancha* exigi consuetum, in quo monasterium sancti Benedicti de iuxta Goron ius in tercia parte eiusdem tributi habuisset, sua propria auctoritate nequiciose, ut predictum ius ipsius ecclesie sancti Benedicti, in ipsa tercia porcione posset suffocare, in locum alium, in villam scilicet *Sernouch;* item aliud tributum super eandem aquam *Goron,* in villa *Geledneк* prius exigi consuetum, similiter in alium locum, videlicet *Lodomer,* ubi versus *Sanctam Crucem* transitur, in quo eciam eadem ecclesia terciam partem habuisset, premissa calliditate et nequicia, po[tencialiter] transtulisset, in grave preiudicium dicti monasterii, dampnum et iacturam. Datum feria sexta proxima a[nte festum san]cti Stanyzlai martiris, anno Domini M^{mo} ccc^{mo} xl^{mo} quarto.

Extus: Magnifico principi, domino Nicolao, regni Hungarie palatino et iudici Comanorum, pro fratre Syffrido abbate et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium Goron, contra Emericum de *Beche,* super alienacione iuris in tercia parte tributorum inquisitoria, de *Gozoncha* et *Geledneк.* — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., e parte detritum, in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 33.

713.

1344. (Zobor.) 15. Maii. — Conventus de Zobor, Nicolao palatino, seriem inquisitionis in Kétvedricze, Kaltrin et Nadéfalva, pro conventu de iuxta Grón peractae, rescribit.

Magnifico principi, domino Nicolao, regni Hungarie palatino et iudici Comanorum, amico eorum honorando, conventus monasterii *Zuburiensis,* sincere amicicie continuum incrementum. Litteris vestris inquisitoriis, pro religioso fratre Syffrido abbate et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium Goron, per anni circulum concessis, honorifice ac reverenter receptis, cum Stephano de *Hynd* homine vestro, fratrem Laurencium, unum ex nobis, ad inquisicionem infrascriptam faciendum, pro testimonio duximus destinandum. Qui demum ad nos reversi nobis concorditer retulerunt isto modo: quod sicut a nobilibus et ignobilibus, ac aliis communibus hominibus in comitatu Borsiensi constitutis, scire veridice (expunct.: et inqui) et inquirere potuissent, Blasius quondam vicecastellanus de *Saaskuu,* religiosum virum fratrem *Martinum, prepositum* monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium *Goron,* et ad ipsum pertinentes, de quibusdam possessionibus eiusdem monasterii, de duabus villis videlicet *Ket Wydricze,* item *Caltryn* et *Nadeyfalua* vocatas, in *Zusol* existentes, quas excellentissimus dominus *Karolus* (expunct.: rex) quondam rex Hungarie, felicis recommendacionis (sic!), ipsi monasterio de sua regia benignitate restituerat ad eandem ecclesiam, per quemdam famulum suum Antonium nomine, aule sue iuvenem, mediantibus suis litteris in easdem introducendo intronizarat, potencialiter eiecisset, predictas possessiones, sive villas, ad antedictum castrum Saaskw, in grande preiudicium prenotati monasterii dampnum et iacturam, applicando. Datum, sabbato proximo post octavas apostolorum Philippi et Jacobi, anno Domini M° ccc° xl^{mo} quarto.

Extus: Magnifico principi domino Nicolao, regni Hungarie palatino et iudici Comanorum, pro fratre Syffrido abbate et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium Goron, super eieccione potenciali de possessionibus Ket Wydricze, Kaltryn et Nadeyfalua, et earumdem possessionum potenciali occupacione, per Blasium vicecastellanum de Saaskw inquisitoria. — Sigillum ext. marg. fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 1. fasc. 5. nr. 30.

714.

1344. (Pozsony.) 24. Jun. — Capitulum Poson., Cunegundam partem navigii in Wödricz et vineam Poson. sorori sue Eysal, vendidisse testatur.

A. B. C.

Universis Christi fidelibus, presencium no[ticiam habituris] capitulum ecclesie *Posoniensis,* salutem in Domino sempiternam. Ea, que in in longevam sunt deducenda memoriam, scripture patrocinio fulciuntur. Igitur ad universorum noticiam harum serie duximus deducendum, quod domina Genegundis (sic!) in *Posonio,* relicta condam Petri, dicti Albi, personaliter nostri presenciam adiens, partem seu porcionem suam in navigio, seu in portu circa domum [. . . . . .] portus videlicet Posoniensis, partem, per mortem dicti sui condam mariti se contingentem, cum universis eiusdem predict*is* portus utilitatibus, si quas habet, item unam vineam in monte *Scharlahperg* dicto, in vicinitate vinearum Cristani Schephman et Barthol(omei) sitam seu iacentem, eciam per eundem suum maritum sibi devolutam de iure, domine Eysal, sorori sue germane, relicte Gerung*j* condam, que similiter presens astitit et per eam eius pueris, per ipsum Gerungum genitis, pro triginta sex talentis, que a Hortung, filio eiusdem [domin]e Eysal, dixit se numeratim ex integro recepisse et habere, iure perpetuo et irrevocabiliter dedit, tradidit et vendidit ad possidendum semper, tenendum pariter et habendum. Omni nichilominus iure proprietatis et dominii, quod [tam in] ipsam vineam, quam partem navigii prelibatam habere de iure debuit et potuit, per [omnia] renunci[ans et to] tum in [prefatam] dominam Eysal et dictos eius pueros conferens et convertens, nil omnino sibi iuris retinens ex eisdem. In cuius rei memoriam presentes, appensione nostri sigilli communitas, eidem domine Eysal duximus concedendas. Datum, feria quinta in festo Nativitatis beati Johannis baptiste, anno Domini M° ccc° quadragesimo quarto.

Extus: super porcione navigii in *Waydricia.*

Sigillum integrum e rubro et viridi serico pendet. — Orig., situ maculatum, in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 2. nr. 29.

715.

1344. (Vácz.) 13. Jul. — Capitulum Vaciense, Chanadinum archiepiscopum et capitulum Strigoniense, magistrum Stephanum, castellanum de Visegrád, ab emptione possessionis Nyir, ratione vicinitatis prohibuisse, perhibet.

Nos capitulum ecclesie Wachiensis, damus pro memoria, quod Benedictus, procurator et nunccius venerabilis in Christo patris, domini *Chanadini* archiepiscopi Strigoniensis, vice et nomine eiusdem, ac capituli ecclesie sue, ad nostram personaliter accedens presenciam, dixit nobis protestando: quod *Petruch,* una cum Johanne, filio *Aladarii,* quandam possessionem suam, *Nyr* vocatam, in Strigoniensi comitatu existentem, vicinam et contiguam possessioni eorum *Keztuelch* vocate, vendere et impignorare, seu alienare, dolosa caucione inventa, magistro Stephano, castellano de *Wysegrad* conaretur; dicens, quod dicta possessio *Nyr,* racione vicinitatis et commetaneitatis nulli de iure ad emendum, impignorandum, seu quolibet modo legittimo t*y*tulo usurpandum competeret, nisi dicto domino archiepiscopo et capitulo ecclesie sue et quod ad emendum eandem

et optinendum, quocumque modo legittimo, prompti essent et parati. Unde, ne idem magister Stephanus, ea consideracione, ut possessionem ipsius capituli posset occupare et devastare, ut alias consuevit, ipsam possessionem *Nyr* possit emere, vel occupare, ab empcione eiusdem ipsum, [(et alia manu alioque attramento: et quoslibet alios)] prohibuit, et prohibendo ipsi |empcioni contradixit. In cuius prohibicionis testimonium presentes concessimus, iusticia suadente. Datum, in festo beate Margarethe virginis et martiris, anno Domini M^mo ccc^mo xl^mo quarto.

Extus: Pro venerabili in Christo patre, domino Chanadino archiepiscopo Strigoniensi et capitulo ecclesie sue, contra magistrum Stephanum castellanum de *Wysegrad*, super empcione et occupacione possessionis *Nyr*, in comitatu Strigoniensi existentis, prohibitoria. — Sigillum marg. ext. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 29. fasc. 1. nr. 10.

716.

1344. (Eger.) 13. Jul. — Capitulum Agriense, villam Somos, inter nobiles de eadem divisam esse, testatur.

[O]mnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presens scriptum inspecturis, capitulum ecclesie Agriensis salutem . . . . . Ad universorum noticiam, tenore presencium, volumus pervenire, quod magister Thomas filius Nicolai de *Sumus*, pro se et pro Stephano, Lukasio (sic), Johanne . . . . . Petrus, Demetrius, ac Nicolaus, filii *Kayul*, filii eiusdem Nicolai, nobiles de dicta Sumus parte ab altera, coram nobis personaliter constituti, in ca . . . . . rum hereditariis, infra nominandis, pary voto et per modum pacificum, ac ob fraternalem dileccionem, talem inter se divisionem, perpetuo duraturam, ... due particule in locis sessionalibus iobagionum suorum, in predicta villa Sumus, una videlicet a fundo curie, seu loco sessionali ipsius magistri [Thome inci]piendo, et versus plagam occidentalem usque ad finem se extendendo, in platea *Toothzeghucha* vocata existens, alia vero particula seu porcio . . . . . nali a domo, seu curia Nicolai, filii Mathe incipiendo et versus plagam orientalem usque ad finem in giro se extendendo, simul cum duabus integris . . . . . *oithemreh* et *Bibouch* vocatis, nec non dimidietatibus aliarum duarum possessionum, *Bolyar* a plaga septemtrionali et *Lyterch* vocatis, similiter ab eadem plaga [septemtr]ionali, ut dixerunt, adiacentibus, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis earumdem, utpote terris arabilibus, pratis et nemoribus, sub distinccionibus et terminorum limitibus . . . . infra specificandis, facta ipsa divisione, cessisset eisdem magistro Thome et filiis suis, ac ipsorum heredibus, perempnaliter possidendas. Item alia pars, seu porcio . . . . possessionaria in eadem Sumus, quo supra habita, a curia Johannis filii Hench, simul cum dicta curia ipsius Nicolai, filii Mathe inclusive incipiendo, ad plagam occidentalem finaliter se extendendo, una cum duabus integris possessionibus *Obus* et *Zuhadabna* nuncupatis, ac residuis duabus partibus preallegatarum duarum possessionum, Bolyar et Literch vocatarum, similiter cum omnibus utilitatibus et pertinenciis earumdem, devolute extitissent in ius et proprietatem preallegatorum filiorum Kayul, et ipsorum heredum, iure perpetuo et irrevocabiliter possidende, tenende pariter et habende. Que quidem possessiones et porciones possessionarie, ut partes retulerunt, hys signis ab invicem distinguntur: primo enim cursus

eorumdem signorum, seu limitum, egreditur a plaga occidentali de fluvyo *Zeuyne* nuncupato, et eundo ad locum castri ipsorum communis, regirat ad partem orientalem et in una via ad eandem plagam, de ipso loco castri, per largum spacium currendo exit de eadem via, et cadit ad caput cuiusdam ryvuli, et in ipso ryvulo infra currendo, transit per longitudinem prefate possessionis Lyterch, et directe eundo cadit in fluvium *Tarcha* nuncupatum, et ibi terminantur. Flumina autem per dictas possessiones suas discurrencia, tributum fori, quod in ipsa villa Sumus exhigitur, item silvas et patronatus ecclesiarum in dictis possessionibus Sumus et Bolyar, ut reffertur, constructarum, ad communem usum reliquissent et coram nobis reliquerunt ipse partes, in filios filiorum s[uorum et] heredes. In cuius rei testimonium, perpetuamque firmitatem, presentes contulimus, sigilli nostri autentici munimine roboratas. Presentibus tamen Nicolao preposito, Johanne lectore, Martino cantore, Johanne custode, dominis Johanne de *Borsod,* David de *Zabouch,* Johanne de *Patha,* Petro de *Heues,* Dominico de *Borsua,* Andrea de *Wyuar* archydiaconis, et aliis multis vitam ducentibus (sic!) et in ecclesia prenotata iugiter Deo famulantibus. Datum, in festo beate Margarethe virginis, anno Domini M° ccc^mo^ xxxx^mo^ quarto. Regnante *Lodouico,* Dei gracia illustri rege Hungarie, *Chanadino* Strigoniensi, *Ladislao* Colocyensi archyepiscopis, domino nostro venerabili in Christo patre N[icolao], Dei et apostolica gracia episcopo Agriensi, existentibus.

A. B. C.

Sigillum e roseo et flavio serico pendet. — Orig. membr., valde lacerum, in Arch. Cap. Strig. Publ. Capsa 18. fasc. 1. nr. 4.

717.

1344. Avignon. 13. Aug. — Transsumptum bullae Clementis PP. VI., de abbatia s. Demetrii, graeci rit., collata Siffrido, abbati monast. s. Benedicti, de iuxta Grón.

In nomine Domini amen. Noverint universi, presentes litteras seu transumptum inspecturi, quod coram nobis *Stephano,* Dei et apostolice sedis gracia *Wesprimiensis,* et *Laurencio Bosnensis* ecclesiarum episcopis, venerabilis in Christo pater dominus *Siffridus,* abbas monasterii sancti Benedicti iuxta Gron, ordinis eiusdem sancti, Strigoniensis diocesis, presencialiter constitutus, quasdam litteras sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini *Clementis,* divina providencia pape sexti, vera ipsius bulla plumbea cum filis sericis bullatas, non viciatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni suspicione carentes, quarum tenor inferius describitur, exhibuit, petens easdem transcribi et exemplari, ac eciam publicari, et in publicam formam redigi, ac nostrorum sigillorum appensione muniri, ad perpetuam rei memoriam, ne ipsarum copia casu fortuito amittatur. Nosque Stephanus et Laurencius episcopi memorati, visis et diligenter inspectis eisdem litteris, et ipsis veris et absque suspicione aliqua, ut premittitur, inventis et reputatis, advertentes eciam, quod originalia privilegia seu instrumenta, ubique locorum de facili nequeant exhiberi, et eiusdem domini abbatis peticionibus, utpote racionabilibus, licitis et honestis annuere cupientes, prefatas litteras apostolicas transcribi et exemplari, ac eciam publicari et in formam publici redigi documenti, commisimus et mandavimus, per

Nicolaum Arnoldi de *Strelicz,* notarium publicum infrascriptum, et nostrorum sigillorum appensione muniri. Tenor vero predictarum litterarum apostolicarum talis est:

Clemens, episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri *Vito,* episcopo *Nitriensi,* administratori in spiritualibus et temporalibus *monasterii Grecorum,* sancti Demetrii, Colocensis diocesis, salutem et apostolicam benediccionem. Suscepte servitutis officium, quo disposicione divina sumus universis orbis ecclesiis et monasteriis obligati, continue solicitat mentem nostram, ut circa statum ipsorum salubriter dirigendum totis studiis intendamus, et ut illa, que graviter sunt collapsa, per utilis gubernatoris presidium reformentur, celere ac oportunum remedium apponamus. Nuper siquidem ad noticiam apostolatus nostri pervenit, quod in confinibus regni Vngarie, iuxta scismaticos regni Rassie, versus Greciam, in diocesi Colocensi, quoddam monasterium sancti Demetrii nuncupatum, in quo ex primaria institucione ipsius, Greci, Vngari et Slaui servire debebant, et cuilibet nacionum huiusmodi fuerunt inibi distincte ac disposite mansiones, et ibi ponebatur abbas Grecus, per patriarcham Grecorum; qui abbas non obediebat in regno Vngarie alicui prelatorum, sed solum patriarche predicto; quodque ultimo abbate Freco, monasterii predicti, defuncto, prefatus patriarcha extunc abbatem non posuit in monasterio memorato, nec de abbacia ipsius monasterii se prelatus aliquis intromisit; et sic, dictum monasterium, per decem annos vel circa vacavit et vacat, eiusque bona dissipavit et occupavit potencia laicalis, et cultus divinus in ipso monasterio, iuxta tamen Grecorum ritum, interim est non modicum diminutus. Nos igitur cupientes dictum monasterium, de personis catholicis et fidelibus reformari, eiusque bona recuperari et eripi de manibus laicorum, considerantes quoque, quod tu illud poteris spiritualiter et temporaliter ad statum reducere salutarem, ac propter ea gerentes in hac parte de tue fidelitatis et circumspeccionis industria fiduciam in Domino specialem, monasterium ipsum, cum omnibus membris, ecclesiis et locis sibi subiectis, ceterisque bonis, iuribus, iurisdiccionibus et pertinenciis eorumdem, sicut ea abbates, qui pro tempore dicto monasterio prefuerunt obtinebant, in spiritualibus et temporalibus, fraternitati tue auctoritate apostolica commendamus, curam et administracionem plenam generalem et liberam monasterii, membrorum, ecclesiarum et locorum omnium, iurisdiccionum et iurium predictorum in eisdem spiritual*ibus* et temporal*ibus,* per te vel alium seu alios, quoad vixeris, libere gerendas et exercendas, prout ad abbates predictos pertinuit, tibi tenore presencium committentes ita, quod de fructibus, redditibus et proventibus eiusdem monasterii, ordines et disponas, prout tuis et eiusdem monasterii commoditatibus noveris expedire, et abbates predicti disponere et ordinare consueverunt et debebant, alienacione bonorum immobilium dicti monasterii membrorum, ecclesiarum et locorum predictorum, necnon paramentorum et ornamentorum in eis ad cultus divini nominis deputatorum, tibi penitus interdicta. Volumus tamen, quod tu prefatum monasterium, de monachis nigris, latinis, catholicis, ordinis sancti Benedicti professoribus reformare, ac in eo certum ipsorum monachorum numerum, iuxta ipsius monasterii facultatum exigenciam, super quo tuam oneramus conscienciam, ponere et tenere ad divinum ibidem celebrandum officium, et perpetuum famulatum altissimo impendendum, eisque in necessariis providere congrue de bonis dicti monasterii, continue tenearis. Quodque ipsi mo-

nachi, post obitum tuum et eorum posteri, in perpetuum personam *y*doneam, eiusdem ordinis sancti Benedicti, iuxta canonica instituta, in abbatem dicti monasterii eligant, per loci ordinarium confirmandum, non obstantibus quibuscunque constitucionibus apostolicis, ac statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum contrariis, iuramento, confirmacione apostolica, vel quacunque firmitate alia roboratis. Tu igitur curam et administracionem huiusmodi sic geras solicite, fideliter et prudenter, et circa recuperacionem et defensionem bonorum et iurium ipsius monasterii studium attente solicitudinis adhibere procures, quod a retributore bonorum omnium, eterne retribucionis premium assequi merearis, nosque fidelitatem et devocionem tuam possimus per effectum operis, propter hoc, dignis in Domino laudibus commendare. Datum apud *Villamnovam*, Avinionensis diocesis, XV. kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno secundo. 1344. 18. Mart.

Quibus litteris, sic exhibitis et perlectis, prefatus venerabilis pater dominus Siffridus, abbas monasterii sancti Benedicti, peciit, per me notarium infrascriptum, sibi fieri ad maiorem cautelam, cum insercione dictarum litterarum apostolicarum tenore, duo consimilia publicari instrumenta. Actum *Auinione*, in monasterio ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto; indiccione XII., die XIII. mensis Augusti, hora quasi prima, pontificatus prefati domini Clementis pape VI. anno sexto (sic!)*, presentibus honorabilibus viris et discretis dominis Luca lectore Zagrabiensi, Petro archidiacono Bosnensi, Johanne cantore Cypsensi, Johanne Demetrii Agriensis et Wesprimiensis ecclesiarum canonico, et aliis pluribus testibus fidedignis ad premissa vocatis, specialiter et rogatis. 1344. 13. Aug.

(Signum notarii.) Et ego Nicolaus, natus Arnoldi de *Strelicz*, clericus Wratislauiensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius, exhibicioni et presentacioni dictarum litterarum apostolicarum et peticioni prefati domini Siffridi abbatis, monasterii sancti Benedicti abbatis, ac omnibus et singulis premissis, una cum testibus prenotatis, presens interfui et ea de mandato prefatorum venerabilium patrum dominorum episcoporum, et ad peticionem predicti domini abbatis scripsi et exemplavi, nil addens vel minuens quod sensum mutet, vel variet intellectum, et una cum predicto domino Bosnensi episcopo similiter ascultavi; et quia predictum transumptum cum prefatis originalibus litteris concordare inveni, ideo illud in publicam formam redegi, meoque nomine proprio et signo solitis consignavi, in testimonium omnium premissorum.

Sigilla epporum Vespr. et Bosn. e violaceis sericis pendent. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 21.

* In transsumpto, lapsu calami, pro „anno secundo“ anno „sexto“ scribitur. Annum secundum indicat nr. 763.

718.

1344. (Esztergom.) 11. Sept. — Capitulum Strigoniense, Emericum de Becse, castellanum quondam de Léva, ius tributi in fluvio Garam, cuius tertia pars monast. s. Benedicti proprium erat, nequitiose occupasse, Nicolao palatino rescribit.

Magnifico viro Nicolao, palatino et iudici Comanorum, amico ipsorum reverendo, capitulum ecclesie Strigoniensis, amiciciam paratam cum honore. Litteris vestre magnificencie, pro abbate et conventu sancti Benedicti *de iuxta Gron* generalibus, citaciones, inquisiciones et alios legitimos processus concernentibus,

nobis directis, reverenter receptis, cum Michaele de *Heymd,* homine regio, misimus Georgium sacerdotem prebendarium chori nostri, pro testimonio ad inquisicionem infrascriptam faciendam. Qui demum ad [nos] reversi, nobis in hunc modum retulerunt: quod sicut a nobilibus et innobilibus, et aliis communibus hominibus, in comitatu [Bor]syensi constitutis, [scire et inquirere] potuissent, magister Emericus dictus de *Bechen,* castellanus quondam de *Lewa,* quoddam tributum super fluvio *Gron,* in villa *Gozoncha* exigi consuetum, cuius tercia pars ad monasterium sancti Benedicti de iure pertinuisset, nequiciose et potencialiter ad alium locum exigendum, videlicet in Scer[nocha] transtulisset, ut ius ipsius monasterii, quod in eodem habuisset usurpare valuisset; et quod aliud tributum super eodem fluvio, in villa *Gelenuk* exigi consuetum, similiter in alium locum, videlicet in villam *Lodomer* transtulisset exigendum, ubi idem monasterium similiter terciam habuisset partem et porcionem, eoque ipsam terciam partem, quam idem monasterium habuisset de eodem, valuisset occupare et alienare ab eodem. Datum, in quarto die festi Nativitatis beate Virginis Marie, anno Domini M° ccc° xl.mo quarto.

Extus: Domino Nicolao palatino, super translacione tributi in villa *Gazancha* exigendi, in villam *Scernocha* et alterius exigendi in villa *Gellednek,* in villam *Lodomer,* quorum tercia pars ad monasterium sancti Benedicti de iuxta Gron provenit. — Sigillum ext. margini fuit appressum. — Orig. chart., humore depravatum, in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 22.

719.

1344. Visegrád. 22. Sept. — Ludovicus rex, vineam ecclesie de Szempcz, per capitulum Posoniense recaptivari mandat.

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis, capitulo ecclesie *Posoniensis* salutem et graciam. Dicit nobis *Petrus plebanus* de *Scemch,* capellanus noster specialis, quod quedam vinea in territorio dicte civitatis nostre Scemch seu ville in monte Pyzcha (expunct.: Pycha Szeg) vocato, habita, per quosdam nunc indebite occupata, ad ipsam suam ecclesiam omni iure pertinens, recaptivacione indigeret; quare fidelitati vestre firmiter precipimus per presentes, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo presente Johannes filius *Sebeuk,* officialis de eadem, homo noster, ad faciem ipsius vinee accedendo, presentibus vicinis et commetaneis suis universis legitime convocatis et ab ipsis scita prius de ipsa vinea omnimoda veritate, utrum ipsa vinea (exp.: prefata vinea) ipsius ecclesie sit, et ad ipsam ecclesiam pertineat nec-ne, recaptivet et reambulet per suas (emansit: veras) metas et antiquas, recaptivatamque et reambulatam, ac ab aliorum vineis [metali] distinccione separatam, statuat prefato Petro plebano et sue ecclesie perpetuo possidendam; si non fuerit contradictum; contradictores vero si qui fuerint, contra ipsum Petrum plebanum ad nostram (exp.: evocet) citet presenciam, ad terminum competentem et post hec, diem et locum citacionis, nomina (exp.: evo) citatorum et terminum assignatam . . . et seriem tocius facti nobis fideliter rescribatis. Datum in *Wyssegrad,* secundo die festi beati Mathei apostoli et evangeliste, anno Domini M° ccc.mo xl.mo quarto.

Extus: Fidelibus suis capitulo ecclesie Posoniensis, pro Petro plebano de Scemch recaptivatoria. — Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig., evanidum et negligenter exaratum, in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 28. fasc. 1. nr. 9.

720.

1344. Visegrád. 15. Oct. — Nicolaus palatinus, causam inter conventum de Landek et Nicolaum, filium Denk, ratione possessionum Meggyes, Erdőfalva et Hanusfalva exortam, prorogat.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 455.

721.

1344. Visegrád. 21. Oct. — Laurentius, magister tavarnicorum, Chanadino archiepiscopo Strig. et filiis Dominici Bebek, quoad territorium et privilegia civitatis Szomolnokbánya, quia debito tempore iuribus suis non prospexerunt, perpetuum silentium imponit.

Tenorem vide sub nr. 724.

722.

1344. (Óbuda.) 26. Oct. — Capitulum Budense, monasterium s. Benedicti de iuxta Gron, piscinas Nándortó et Osztra vocatas, ad possessionem eiusdem monasterii Cson pertinentes, pro quadraginta marcis, Egidio Fugas et sociis, ad duos annos elocasse, testatur.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 461.

723.

1344. Avignon. 17. Nov. — Clemens PP. VI., archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi, ac episcopis Quinqueeccl. et Agrien. mandat, ut praesentent regi Ludovico I. litteras eius, quibus reprobatur definitio iustitiae per pugilem in duello, ad quam praelati et loca ecclesiastica compellantur.

Ed. Theiner: Mon. Hist. Eccl. Hung. T. I. p. 677.

724.

1344. (Bács.) 25. Nov. — Capitulum Bacsiense, transsumit literas Laurentii magistri tavarnicorum, civitati Szomolnokbánya, contra Chanadinum archieppum Strig. et filios Bebek, concessas.

Nos capitulum ecclesie Bachyensis, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod Martinus litteratus, famulus et procurator comitis Nicolai, iudicis de *Sitmulnuchbanya,* ac tocius communitatis de eadem, ad nostram accedendo presenciam, exhibuit nobis quoddam privilegium magnifici viri Laurentii, magistri thauarnicorum domini *Lodouici,* Dei gracia illustris regis Hungarie, petens nos precum cum instancia, ut dictum privilegium de verbo ad verbum transscribi et nostro cum sigillo faceremus consignari. Cuius quidem tenor talis est:

Nos *Laurencius,* magister thauarnicorum domini Lodouici, Dei gracia illustris regis Hungarie, et comes *Nitriensis,* memorie commendantes, significamus quibus expedit universis, presencium per tenorem, quod iudex, iurati et universi hospites de Sitmulnuchbanya ab una, item venerabilis in Christo pater dominus *Chanadinus,* Dei et apostolica gracia archiepiscopus *Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, item Stephanus et Georgius, filii Dominici dicti *Bebek,* parte ab altera, in octavis festi beati Michaelis archangeli, iuxta continenciam litterarum excelentissimi et magnifici principis, domini Lodouici, Dei gracia illustris regis Hungarie, domini nostri anuleo sigillo suo isto modo con- 1344. 6. Oct.

fectarum, quod si qua parcium predictarum coram sui regi (sic!) culminis conspectu, in iam dictis octavis beati Michaelis archangeli comparere, et queque ipsorum instrumenta, super quadam nova montana seu aurifodina in vulgari *Lassyupatak,* in Thewtonico vero *Stilbah* vocata exhibere non curaret, extunc illa parcium ius suum, quod in eadem montana habere se speraret, amiteret eo facto, debebant comparere coram regia maiestate. Tandem ipsis octavis ocurentibus, comes Nicolaus iudex et magister Nicolaus notarius, dicte civitatis de Sitmulnuchbanya, sua et tocius communitatis in persona, cum sufficientibus litteris procuratoriis dicte civitatis ab una, item dominus Chanadinus, archiepiscopus ecclesie Strigoniensis prenotate, propria sua in persona, et Stephanus similiter, tam pro se personaliter, quam cum procuratoriis litteris sufficientibus et legittimis pro Georgio fratre suo annotato, coram nobis constituti, idem comes Nicolaus iudex, et Nicolaus notarius de Sitmulnuchbanya, exhibuerunt nobis privilegium serenissimi principis domini Karoli, condam illustris regis Hungarie, bone memorie, octavo kalandas (sic!) Iunii, in anno Domini millesimo ccc^mo^ xxx^mo^ octavo confectum,* confirmans litteras eiusdem domini Karoli, feria tercia proxima post dominicam, quo cantatur Reminiscere,** patenter confectas, super reambulacione trium possessionum *Swedler,* et quarte possessionis *Remethe* vocatarum, ac metarum distinccione earumdem et statucione, eisdem hospitibus de Sitmulnuch facta continentes, ac quasdam litteras patentes ipsius domini *Lodouici* regis, que confirmabant privilegium eorumdem hospitum supradictum, et quasdam litteras honorabilis capituli ecclesie beati Martini de Sepes (sic!) super reambulacione et statucione nove montane, dictis hospitibus facte, patenter confectas, quarum series nos informabat eo modo: quod dictus dominus rex Karolus ex innata regali pietate, que in multitudine populorum decoratur, predicte civitati Sitmulnuchbanya, more aliarum civitatum, eadem libertate fruencium, pro commoditatibus, usibus et utilitatibus universorum hospitum, in ipsa civitate commorancium et congregandorum, terram in circuitu ipsius civitatis ad duo miliaria se extendentem, a quibuslibet qualicunque titulo possidentibus auferendo, eisdem hospitibus perpetuo contulisset, quam Farkasius, filius *Fay* de *Wygnyan,* homo regius, sub testimonio domini Thome, hominis videlicet ipsius capituli de Sepes, cui ipsa regalis benignitas, aprobata regni sui consuetudine requirente, super hoc scripserat, convocatis vicinis et commetaneis eiusdem universis, reambulasset, reambulatamque et undique per spacium duorum miliarium, metis a vicin*ariis* possessionibus distinctam et separatam, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis suis universis, que ipsam terram seu territorium in circuitu dicte civitatis, ad duo miliaria se extensum contingerent, perpetuo possidendum, contradiccione cuiuspiam non obstante. Ita, ut illis, qui aliquid iuris intra huiusmodi teritorium dicte civitatis se habere allegarent, terminum coram regia maiestate comparendi, idem regius et capituli homines asignarent, ut ipsis hominibus, iura sua evidenti racione demonstrantibus, recompensacione condigna prius facta, terras meliores, vel pares ipsorum terris, per modum concambii, in aliis partibus regni sui condonaret et conferret possidere. Et quia ad octavas beati Georgii martiris, tunc venturas, quibuslibet ad alegandum sua iura in predicto teritorio, si que essent, assignatas, nemo venisset, ex eo ipsa regalis celsitudo preallegatum teritorium, sine aliquo intermedio, suo regio iuri agnoscens

1344. 6. Oct.

1338. 25. Maii.

1332. 10. Mart.

1332. 1. Maii.

pertinere, eisdem hospitibus suis prenotatum teritorium, metis in dicto privilegio per ordinem contentis separatum et distinctum, cum predictis quatuor possessionibus Swedler et Remethe vocatis, intra metas dicti territorii Sitmulnuchbanya et eciam Gylnychbanya vocatarum existentibus, quas dominus Paulus plebanus de *Zewles,* homo regius, sub testimonio domini Beke, hominis predicti capituli de Sepus, in octavis Nativitatis beati Johannis Baptiste in anno Domini Millesimo ccc^mo^ xxx^mo^ octavo, vicinorum et commetaneorum eorumdem legittime convocacione facta, secunda vice reambularat et predictis civibus de Sitmulnichbanya et de Gylnychbanya statuerat, perpetuo possidendas confirmasset. Adhuc iidem comes Nicolaus iudex et Nicolaus notarius, ad conservacionem iuris ipsius civitatis Sitmulnichbanya supradicti firmiorem, exhibuerunt nobis litteras dicti capituli de Sepus patenter confectas, per quarum tenorem nos edocebamur eo modo: quod Jacobus, filius Petri, iuvenis aule serenissime principisse domine *Elizabeth,* Dei gracia regine Hungarie, domine nostre, et Thomas litteratus, homo magistri thauarnicorum regalium, sub testimonio discreti viri, magistri Philippi canonici ecclesie de Sepus et hominis ipsius capituli, iuxta continenciarum (sic!) litterarum regalium, super reambulacione montane infrascripte, in octavis festi Nativitatis beati Johannis Baptiste, in anno Domini Millesimo ccc^mo^ xl^mo^ quarto proxime preteritis, ad faciem ipsius nove montane, Stylbach vocate, accedendo, ipsam intra cursus metarum in prememorato privilegio ipsorum hospitum de Sitmulnichbanya contentarum reperientes, cum terris montosis, planis, ac silvis eidem monti novo et ipsi civitati Sitmulnich, cum quibuslibet aliis utilitatibus suis, statuissent possidendam, tenendam et habendam. Item aduc (sic!) exhibuerunt litteras eiusdem domini Lodouici regis patentes, feria secunda proxima post octavas beatorum Philippi et Jacobi apostolorum, anno Domini Millesimo ccc^mo^ xl^mo^ tercio, sub anullari sigillo suo confectas, huiusmodi ipsius domini regis preceptum explicantes, quod universi barones, comites, castellani, nobiles, officiales et quilibet alii iusticiarii regni sui, ymmo civitates, ville, ac earum rectores, iudices et villici, pro tempore constituti, litteras ipsorum civium et hospitum de Sitmulnichbanya privilegiales, super libertatibus eorum confectas, quandocunque et quocienscunque idem hospites eisdem exhiberent, acceptarent et contra ipsas litteras eos agravare, molestare et perturbare non auderent. Quibus visis et perlectis seriatim, licet ipse venerabilis pater, dominus archiepiscopus Strigoniensis, et dictus Stephanus suo et ipsius Georgii fratris sui nomine procuratorio, sua privilegia exhibuerint coram nobis, et sibi iusticiam iuxta tenorem earumdem impartiri pecierint, tamen, quia tempore prime reambulacionis et statucionis dicti territorii, eiusdem civitatis Sitmulnich vocate, ab ipso excellentissimo domino rege Karolo, cuius semper memoria sit in benediccione, in spacio duorum miliarium undique collati; demum in secunda reambulacione ipsarum trium possessionum Swedler et quarte Remethe vocatarum, et statucione eisdem hospitibus facta; et tercie reambulacioni et statucioni, mediantibus litteris reginalibus, nuper adhuc eisdem hospitibus de Sitmulnuch, et de novo monete (sic!) facte, ipsi venerabilis pater dominus archiepiscopus, et Stephanus, filius Dominici, sua et ipsius Georgii fratris sui in persona, prohibicionem et contradiccionem, tam in facie ipsius territorii, quam post modum in termino, quibuslibet ius se habere in eodem territorio sperantibus legittime

1338. 1. Jul.

1344. 1. Jul.

1343. 12. Maii.

assignato, nec eciam ante et post dictam statucionem, per contradiccionis, protestacionis et inquisicionis formam, quarum vigore cuiuslibet ius consuevit illesum permanere, per nos in termino ternario et pluries, ut moris est requisiti, se fecisse, procurasse et suum ius inibi, quod haberent, isto modo defendisse non valebant, nec in antea demonstrare assumpmebat, — ideo nos cum nobilibus regni, nobiscum pro tribunali sedentibus, dicta ipsorum domini archiepiscopi, Stephani et Georgii privilegia, contra disposicionem, ordinacionem et collacionem privilegiatam ipsius domini regis Karoli, confirmacionemque prememorati domini Lodouici regis, iudicando non vidimus admittenda; sed ipsum privilegium dicti domini regis Karoli, super collacione territorii duorum miliarium hospitibus suis de Sitmulnuch hinc et inde facta, et prenotatis vicibus legittime statuti, demum per dominum regem Lodouicum, dominum nostrum, confirmatum, cum omni sui parte et continencia gratanter acceptando, nostra iudiciaria auctoritate mediante aprobamus perpetuo valiturum, dictum territorium, sub metis supradictis, eisdem hospitibus relinquendo, et tam ipsis domino archiepiscopo, et Stephano, ac Georgio sua preallegata privilegia exhibentibus, iuxta continenciam privilegii supradicti, et promissionem in eisdem contentam, quam quibuslibet aliis, qui ius suum, si quid in eodem territorio haberent, non veniendo, nec suas litteras et queque munimenta exhibendo, iuxta prenotatam domini Lodouici regis commissionem amiserunt, silencium perpetuum inponendo, testimonio presencium mediante; sine tamen preiudicio iuris alieni. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, eisdem hospitibus de Sitmulnuch, presentes concessimus litteras privilegiales, pendentis sigilli nostri munimine roboratas.

Datum, in *Wysegrad,* sedecimo die octavarum beati Michaelis archangeli predictarum, anno Domini Millesimo ccc^mo^ xl^mo^ quarto. 1344. 21. Oct.

Nos igitur, iustis et legittimis peticionibus, eiusdem Martini litterati annuentes, ut tenemur, dictum privilegium non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte viciatum, sed omnino rite et legittime emanatum fore agnovimus, de verbo ad verbum transscribi, ac nostro sigillo cum pendenti fecimus consignari. Datum, in festo beate Katherine virginis et martiris, anno Domini quo ut supra Millesimo ccc^mo^ xl^mo^ quarto.

Ex transsumpto Simonis de Rozgony, iudicis curiae Sigismundi regis a. 1414. emanato. — Orig. chart., in Arch. Primat. Secul. Lad. T. nr. 42. — Ediderunt: Wagner: Analecta Scepus. P. I. p. 204. et sqq. — Fejér: Cod. Dipl. IX[1]. p. 257. et sq.

* Vide lit. has apud Fejér: Cod. Dipl. VIII[4]. p. 299. et 308.

** Literae hae datae sunt a. 1322. feria tercia proxima post *Dominicam Circumdederunt* (18. Febr.). Literae autem statutionales capit. Scepus. datae sunt feria tertia proxima post *Dominicam Reminiscere* (17. Mart.). Duo ergo haec data diploma nostrum confundit. Cf. Fejér: Cod. Dipl. VIII[3]. p. 577. et 644.

725.

1344. Visegrád. 29. Nov. — Nicolaus palatinus, discussionem causae, inter magistrum Sebes de Bazin et capitulum Posoniense exortae, ad novum terminum prorogat.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 468.

726.

1344. (Eger.) 5. Decemb. — Capitulum Agriense, seriem reambulacionis possessionum Arnoldi de Tóthfalu, Ztragar et Feketeerdő vocatarum; item Lechnicz, Ujvágás et Ófalu, ad monast. Carth. de Lapide Refugii pertinentium, per metas has possessiones ab invicem distinguentes, peractae, Ludovico I. regi rescribit.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 471—476.

727.

1344. — 7. Decemb. — Chanadinus, archiepiscopus Strigon. transsumit literas Bartholomaei, prioris Cruciferorum de Aquis Calidis Budens., actioni contra Kunchlinum, civem Budens. renunciantes.

Chanadynus, Dei et apostolica gracia archiepiscopus *Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, [o]mnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presens scriptum inspecturis, salutem cum benediccione paterna. Ea, que in humano cordis hospicio et labili hominis memoria memoriter nequit retineri, solent scripturarum patrocinio perhenniter stabiliri. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod vir providus et honestus comes Kunclinus, filius Johannis, iuratus et civis *castri Budensis,* ad nostram personaliter accedendo presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras fratris Bartholomei, prioris et conventus cruciferorum ecclesie sancte Trinitatis *de Calidis Aquis,* tenoris infrascripti: petens nos cum instancia, ut tenorem earumdem privilegialibus litteris nostris redigi facere dignaremur, propter maiorem iuris conservacionem et uberiorem ad cautelam, quarum tenor talis est:

Sequitur privilegium ex ipso orig. superius sub nr. 677. loco poster. exhib. 1343. 4. Sept.

Nos itaque non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte viciatas, sed omni suspicione carentes easdem litteras reperientes, et omnia premissa esse suomodo et fuisse, ac plenam veritatem contineri considerates, iustis peticionibus eiusdem comitis Kunclini et condignis annuentes, tenorem earumdem litteris nostris privilegialibus, propter maiorem iuris et iusticie conservacionem, uberioremque ad cautelam redigi faciendo, presentibus sigillum nostrum duximus apponendum, premissa omnia ratificantes et confirmantes. Datum, secundo die festi beati Nicolai confessoris, anno Domini M° ccc° xl^mo quarto.

Sigillum e violaceo serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Publ. Capsa 14. fasc. 3. nr. 24.

728.

1344. (Nyitra.) 27. Dec. — Capitulum Nitriense, Emericum de Becse, quondam castellanum de Léva, tributum monast. s. Benedicti de iuxta Gron, in villa Gozoncha et Geletnek usurpasse testatur.

Inclito regi Hungarie, domino suo reverendo, capitulum ecclesie *Nitriensis,* oracionum suffragia devotarum. Litteris vestre [excellencie] *Syffrido* abbati et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta *Gron,* per anni circulum graciose datis et concessis honorifice . . . . . [homin]e vestre maiestatis, *Jacobum* sacerdotem chori nostri, ad inquisicionem infrascriptam faciendum, pro testimonio duximus destinandum; qui . . . . . retulerunt

istomodo: quod sicut a nobilibus et ignobilibus, ac aliis communibus hominibus, in comitatu Borsiensi constitutis . . . . . [Emeric]us de *Beche,* quondam castellanus de *Leua,* quoddam tributum super aquam *Grom* (sic!) in villa *Gozoncha* exigi . . . . . ius in tercia parte eiusdem tributi habuisset, sua propria auctoritate nequiciose, ut predictum, ius ipsius ecclesie . . . . . locum alium in villa scilicet *Shernowche.* Item aliud tributum super eandem aquam Gron, in villa *Gelednek* . . . . . videlicet *Lodomer,* ubi versus *Sanctam Crucem* transitur, in quo eciam eadem ecclesia terciam partem habuisset in premissa . . . . . preiudicium dicti monasterii dampnum et iacturam. Datum, in festo beati Johannis apostoli et ewangeliste, [anno Domini M°] ccc° xl^mo quarto.

Extus: Excellentissimo principi et domino, domino Lodouico, Dei gracia inclito regi Hungarie metuendo, pro fratre (expunct. Voco) Syffrido abbate et conventu monasterii sancti Benedicti, contra Emericum de Beche, super alienacione iuris in tercia parte tributi inquisitorie. — Orig. chart., valde exesum, in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 1. fasc. 8. nr. 24.

729.

1344. (Esztergom.) — —. — Capitulum Strigoniense, cambium cum comite Aegidio olim initum, revocat.

A. B. C.

Capitulum ecclesie *Strigoniensis,* omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris, presens scriptum inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Universorum noticie tenore presencium volumus declarari, quod licet per antecessores nostros, videlicet capitulum dicte Strigoniensis ecclesie, iuxta formam litterarum capituli ecclesie Waci*h*ensis, in possessione nostra, *Saag* vocata, in comitatu *Huntensi* existenti, cum comite Egidio, patre magistri Bede Rufi, cambium fecissent perennale; tamen, quia ipsa particula possessionis nostre *Saag* vocate, nunc utilior est nobis et fertilior, quam terra per predictum comitem Egidium in concambium assignata, volentes nostram possessionem pro nobis retinere, ideo de voluntate et beneplacito ipsius magistri Bede, ipsum concambium, iam dudum inter nostros antecessores et ipsum comitem Egidium vigore litterarum solidatum revocavimus, perpetuo cassantes, relinquendo in riritum. Ita nichilominus, quod ipsam terram, cum suis utilitatibus, inter rivulos *Felkewpataka* et *Banapataka* existentem eo modo, quo ad nos in ipso concambio devenerat, ipsi magistro Bede, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendam et tenendam restituimus et reddidimus pleno iure. Ita nichilominus, quod in nostris possessionibus pacifice, iuxta regales collaciones, volumus remanere, nec ex ipsa restitucione in nostris iuribus, regio titulo nobis donatis, diminui volumus vel defici modo aliquali, sed ut ipsum magistrum Bede, et suos, in particula terre, per nos sibi restituta pacifice gratulari, ita et nos in nostris possessionibus, *Saag* nominatis, iuxta regiam collacionem uti volumus, absque defectu aliquali. In cuius rei memoriam et perpetue stabilitatis firmitatem, presens nostrum privilegium, eidem magistro Bede et suis heredibus duximus concedendum. Datum, per manus discreti viri magistri *Thome, lectoris* ecclesie nostre, et per alphabeto intercisas (sic). Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quarto.

Extus manus coeva adnotat.: Pro capitulo Strigoniensi, contra Bede Rufum, super retractacione concambii inter ipsum et nos facta, in possessione *Saagh* nominata, ne vigore aliarum litterarum nostrarum, ex ignorancia earumdem tenoris, contra nos valeant malignari. — Fragmen sigilli minoris e rubro serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 66. fasc. 8. nr. 2.

730.

1345. (Esztergom.) 5. Januarii. — Conventus Cruciferorum Strigon. Joannem, filium Aladari, medietatem possessionis Nyir, pro triginta quinque marcis capitulo Strigon. oppignorasse testatur.

Nos conventus cruciferorum, domus hospitalis ecclesie sancti Stephani regis de Strigonio, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod Johannes, filius Aladari de *Nyr,* una cum domina matre sua, ad nostram personaliter accedendo presenciam, dixit nobis in hunc modum: quod, propter quasdam necessitates suas inevitabiles, medietatem predicte possessionis sue *Nyr,* in comitatu Strigoniensi, in vicinitate possessionum Strigoniensis ecclesie capituli existentis, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, videlicet censibus vinearum, pratis, nemoribus et terris arabilibus, de permissione et voluntate Luce, filii *Moch,* fratris sui, pro quo Blasius, filius Nicolai, cum litteris procuratoriis conventus de *Sag* consensum prebuit, inpignorasset honorabili capitulo ecclesie Strigoniensis, pro triginta quinque marcis, et coram nobis impignoravit, latorum Vyennensium, coram nobis plene persolutorum; tamdyu, quousque cum predictis triginta quinque marcis, ad *racionem Budensem,* idem Johannes redimere poterit ab eodem. Ita tamen, quod medio tempore, utilitates medietatis dicte possessionis Nyr idem capitulum percipi faciet pleno iure; medietatem eciam sessionis retinebit, qualem sibi apciorem, de voluntate ipsius Johannis, dictum capitulum duxerit eligendum in possessione supradicta. Obligavit eciam se idem Johannes, quod ipsam medietatem, quam pro se retinuit, nulli alii nisi eidem capitulo inpignorare, vel vendere debebit; si autem alicui dolose, aut nequiciose vendere aut alienare conaretur, tunc in pena privacionis sue possessionis, seu porcionis convinceretur eo facto: nichilominus tamen, idem capitulum, pro valore suo habere debebit possessionem supradictam. Datum, in vigilia Epiphanie Domini, anno eiusdem M° ccc° xxxx^mo quinto.

Extus manu med. aevi adnot.: Super inpignoracione possessionis *Nyr* vocate. — Sigillum e zona membran. pendet. — Orig membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 29. fasc. 1. nr. 11.

731.

1345. Visegrád. 8. Jan. — Paulus, iudex curiae regiae, nobiles de Köbölkút, sacerdotem de Üztörfalu, ad ipsum altare invadentes, iuramento 50 testium, coram capitulo Nitriensi, se purgare decernit.

„Nicolaus sacerdos de Uzteurfalu — — — — in octavis festi Beati Michaëlis Archangeli, ad nostram accedens praesentiam, contra Johannem et Petrum, filios Ladislai de Kubulkuth, in figura nostri Judicii, quasdam duas litteras inquisitionales: unam videlicet venerabilis in Christo Patris Domini Chanadini, Archiepiscopi Strigoniensis, et aliam Conventus Cruciferorum Ecclesiae Sancti Regis Stephani de Strigonio, seriem suae propositionis, 1344. 6. Oct.

ut asserebat, explicantes, nobis praesentauit continentes: — — — ut feria quinta proxima post Festum Beati Laurentii Martiris, nunc proxime praeteritum, Johannes et Petrus, filii Ladislai de Kubulkuth, contra praefatum Nicolaum Plebanum de Uzteurfalu antedictum, tempore celebrationis suae Missae, in sua Capella manibus armatis irruendo, ornamentis ipsius altaris, super quo eo tempore Missam celebrasset destructis, corporalia super terram praecipitassent et viaticum ipsius altaris potentialiter asportassent, et eundem Nicolaum Sacerdotem interficere voluissent, nisi quidam homines de eadem Uztuerfalu eiusdem defensores extitissent; quibus sic pertractatis praenominatus Petrus — — — se et dictum fratrem suum, in praemissa totali accusatione — — innocentes fore allegarunt penitus et immunes; unde quia praemissae duae litterae inquisitionales, ad comprobationem dictae causae, loco humani testimonii faciendum — — insufficientes fore existebant, idemque Nicolaus Sacerdos, praemissam suam accusationem nullo euidenti ampliori litterali vel humano testimonio — comprobationem assignabat, et — — — ipsa causa satis ardua existebat — — — praenominati Johannes et Petrus — — — quinquagesimo Nobilibus sibi consimilibus se inclusis — — — in octavis die Strenarum, nunc proxime venturis, in Capitulo Ecclesiae Nitriensi in eo, ut in praemissa totali accusatione — — — innocentes sint penitus et immunes, sacramentum praestare — teneantur."

Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX. 1. p. 338.

732.

1345. Visegrád. 11. Jan. — Ludovicus I. rex, causam capituli Strig., contra Siculos de Felvincz habitam, prorogat.

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, damus pro memoria, quod causam, quam honorabile capitulum ecclesie Strigoniensis in presentibus [octavis] diei Strennarum, iuxta continenciam litterarum magnifici viri Stephani wayuode Transiluani et comitis de Zolnuk, contra Siculos de *Fuluinch* habebat coram nobis, propter cause arduitatem, et examin[acionem] instrumentorum, pro eo, quod eo tempore in factis nostris propriis in partibus alienis fuimus occupati, iuxta voluntatem et consensum domine regine genitricis nostre karissime, ad octavas festi beati Georgii martiris duximus prorogandam, statu priori permanente. Datum in *Wyssegrad*, feria tercia intra octavas Epiphanie, anno Domini M° c[cc] XL^mo quinto. 1345. 8. Jan.

Extus: Pro capitulo ecclesie Strigoniensis, contra Siculos de *Fuluinch*, ad octavas festi beati Georgii martiris prorogatoria. — Sub sigillo: commissio regine et baronum. Sigillum marg. exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 18. fasc. 4. nr. 4.

733.

1345. Visegrád. 11. Jan. — Elisabeth regina mater, causam capituli Strig., contra Siculos de Felvincz, ad novum terminum prorogat.

Elizabeth, Dei gracia regina Hungarie, damus pro memoria, quod causam quam honorabile capitulum ecclesie Strigoniensis, in presentibus octavis diei Strennarum, iuxta continenciam litterarum magnifici viri Stephani voyuode Transiluani et comitis de Zonuk, contra Siculos de *Feluincz* habebat coram nobis,

propter cause arduitatem et examinacionem instrumentorum, pro eo, quod eo tempore in factis nostris propriis fuimus occupate, iuxta voluntatem et consensum domini regis, filii nostri karissimi, ad octavas festi beati Georgii martiris, duximus prorogandam, statu priori permanente. Datum, in *Wyssegrad*, feria tercia intra octavas Epiphanye Domini, anno eiusdem M° ccc^mo^ XL^mo^ quinto. 1345. 1. Maii.

Extus: Pro honorabile capitulo ecclesie Strigoniensis, contra Siculos de Feluincz, ad octavas festi beati Georgii martiris prorogatoria.

Fragmen sigill. anul. literam K exhibens, cerae rubrae impressum in margin. exter. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strig. Publ. Capsa 18. fasc. 4. nr. 3.

734.

1345. Visegrád, 28. Febr. — Ludovicus I. rex, mandat capitulo Nitriensi, ut in facto violentiae, per Antonium de Óhaj et complices suos, in possessione monasterii s. Benedicti de iuxta Gron, Bessenyő vocata patratae, inquiret.

Seriem vide sub nr. 736.

735.

1345. Avignon. 4. Mart. — Joannes episcopus Portuensis, supplicat Clementi PP. VI., quatenus praeposituram Strigoniensem, Ladislao, filio comitis Nicolai, regni Hung. palatini, conferre dignetur.

Ed. Bossányi: Reg. Suppl. T. I. p. 90.

736.

1345. (Nyitra.) 7. Mart. — Capitulum Nitriense, seriem inquisitionis in possessione Bessenyő, contra Antonium de Óhaj et socios eius habitae, Ludovico I. regi, rescribit.

Excellentissimo principi, domino suo, domino *Lodouico,* Dei gracia regi Hungarie illustri, capitulum *Nitriensis* ecclesie, oracionum suffragia devotarum. Litteras vestre excellencie summo (emans.: honore) recepimus, in hec verba:

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo ecclesie Nitriensis, salutem et graciam. Dicit nobis religiosus vir frater Syffridus, abbas monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gron,* quod Antonius *de Ohay,* et Petrus filius Jacobi de eadem, cum ad se pertinentibus; ac cum famulis Michaele, et Stephano, filiorum eiusdem Jacobi, feria tercia proxima post dominicam Reminiscere, proxime preteritam, super possessionem dicti monasterii et per consequens suam, *Besseneu* vocatam, in comitatu Borsiensi existentem, armatis manibus potencialiter veniendo, utriusque sexus homines in eadem, quam plurimos, enormiter verberassent, *Paulum sacerdotem* ecclesie beate Virginis de eadem, cum Budor officiali eiusdem ville, ad dictam ecclesiam effugassent, super quos, ecclesie prenotate hostium confrangere et excutere voluissent; ubi eciam boves simul cum aliis pecoribus octo in numero demactassent; et in hoc idem Anthonius non contentus, alio die scilicet in crastino diei predicti ad prefatam villam *Besseneu* veniendo, in medio ipsius ville astando, populis seu hominibus de eadem minas intulissent 1345. 22. Febr. 1345. 23. Febr.

eo modo, quod si quis ex eisdem agros colere transsirent, pedes eorundem super aratra ipsorum, in preiudicium dicti monasterii non modicum, abbatis prefati ac fratrum suorum in ipso monasterio commorancium, facerent demactare. Super quo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente, Michael frater Syke de *Hymd,* vel Stephanus filius Dyonisii, aut Iwan dictus *Vrdug* de eadem *Hymd,* aliis absentibus homo noster, ab omnibus quibus decet et licet, sciat et inquirat de premissis omnimodam veritatem, et post hec prout vobis veritas constiterit premissorum nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Wissegrad,* feria secunda proxima post dominicam Oculi, anno Domini M° ccc° xl^mo quinto. 1345. 28. Febr.

Nos igitur, vestre excellencie mandatis obedientes, ut tenemur, cum eodem Stephano filio Dyonisii de *Hymd,* homine vestro, Stephanum sacerdotem prebendarium chori nostri, ad exequendum premissa pro testimonio destinavimus. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer in hunc modum retulerunt: quod sabbato proximo ante dominicam Letare, accessissent ad predictam villam *Besseneu*, et ibidem a circumstantibus nobilibus, sacerdotibus et clericis, ac aliis communibus hominibus, a quibus expedire videbatur, de premissa inquisicione talem scivissent veritatem, quod prenominatus Petrus, cum suis complicibus et familiaribus, et specialiter famulis dicti Anthonii, in predicta (expunct. Be) feria tercia, ad memoratam possessionem *Besseneu,* manu armata accessissent, et ibidem officialem dicti abbatis, Bodor nomine, in propria curia ipsius abbatis, ibidem existenti, occidere voluissent (expunct.: nisi frater ipsius,) nisi sacerdos ipsius ville, in ecclesiam effugatum, defendisset; ubi eciam hostium ipsius ecclesie super ipsum confrangere voluissent, plures ex iobagionibus eiusdem abbatis utriusque sexus enormiter verberari faciendo; et hys non contentus, octo animalia, VII boves, in medio ipsius ville dimembrare faciens, vel letaliter vulnerari, ex quibus duo mortui extitissent et eciam minas eisdem iobagionibus predicti abbatis inposuissent, ut si qui ex ipsis ad colendum agros transsirent, super aratrum eorundem, pedes demactare faceret, in preiudicium abbatis prenotati; item predictum Paulum sacerdotem, plebanum de eadem *Besseneu,* ad predictam ecclesiam beate Virginis effugassent. Datum, feria secunda proxima post dominicam Letare, anno Domini ut supra.

Extus: Excellentissimo principi, domino Lodouico, Dei gracia regi Hungarie illustri, domino suo, pro religioso viro fratre Seffrido, abbate sancti Benedicti de iuxta Gron, contra Petrum filium Jacobi de *Ohay* inquisitoria. — Sigillum margini exter. fuit appressum. — Origin. chart., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 3. fasc. 1. nr. 3.

737.

1345. Villanova. 9. Mart. — Stephanus Andreae, clericus Quinqueeccl. supplicat, ut cantoria ecclesiae Scepusien., per translationem Joannis Nicolai ad archidiaconatum de Marchia vacans, sibi conferetur.

Ed. Bossányi: Reg. Suppl. T. 1. p. 92.

738.

1345. Visegrád. 25. Mart. — Ludovicus I. rex, cameram Sirmiensem et Quinqueecclesiensem elocans, de reformatione et cambio monetae, de modo item pendendi lucrum camerae, decretum edit.

[N]os *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod nos considerata industria magistri *Nicolai* de *Zathmar,* civis Budensis, fidelis nostri, comitatus camerarum nostrarum *Syrimiensis* et *Quinqueecclesiensis,* prelatorum et baronum regni nostri consilio prematuro, cum omnibus comitatibus et districtibus, civitatibus et villis, que ab antiquo ad easdem cameras pertinuisse dinosscuntur, scilicet cum comitatibus *Syrimiensi, Bachyensi,* de *Wolko* et de *Bodrug,* item de *Baranya, Symigiensi Tholnensi,* et *Zaladiensi,* eidem magistro Nicolao, dicto de Zathmar, pro tribus milibus et trecentis marcis, partim in florenis seu aureis denariis camere nostre, *Bude* cusis et cudendis, partim vero in grossis novis camere nostre, anno in presenti fabricandis, nobis in terminis infrascriptis persolvendis, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ quinto, a data presencium per anni circulum, simul cum decimis archiepiscopalibus locavimus, procurandum isto modo: quod idem comes camerarum nostrarum, prout alii comites camerarum nostrarum, faciet fabricari denarios integros vere combustionis tercie in forma, combustione et valitudine, ac pondere denariorum anni preteriti, *Bude,* per magistrum *Lorandum,* civem iuratum de eadem, tunc comitem camerarum nostrarum per totum regnum nostrum, nunc vero comitem camerarum nostrarum *Budensis* et *Strigoniensis* cusorum, in solitis et consuetis locis camerarum suarum innovando et ampliando eosdem, in toto regno nostro perpetuo et uniformiter discurendos. Ex quibus octo pense cum dimidia unam marcam ponderabunt in statera, et octo pense ac sedecim denarii ex eisdem, pro una marca fini argenti current in montanis; in aliis vero partibus regni totidem current pro marca mercimoniali. Item sex, pro uno grosso novo, et sex ex eisdem, pro septem *Wyenensibus,* in omnibus locis et foris publicis, preterquam in solucione lucri camere, in qua octo *Wyenenses,* pro sex novis denariis integris camere nostre solventur, ut inferius patebit. Item octuaginta quatuor pro uno floreno ex eisdem cambientur; pro aliis autem monetis antiquis, cuiuscunque forme sint, cambiuntur in statera, recuperata combustione, libertate camere requirente.

Preterea, idem comes camerarum nostrarum, pro utiliori comodo status regni, faciet fabricari dimidios denarios eiusdem combustionis, ex quibus duo pro uno integro denario in toto regno nostro current, modo superius ordinato. Ut autem dicti denarii nostri novi ampliandi per totum regnum nostrum, postpositis omnibus aliis antiquis monetis, potenter discurant, statuimus: ut per comites camere nostre, vel suos officiales, in foris et locis publicis, coram hominibus dominorum archiepiscopi Strigoniensis, et magistri tauarnicorum nostrorum, ac testimonio alicuius capituli, in officio camere in testimonium destinatis, iidem nostri denarii, ad cambiendum exponantur, ut unusquisque forum facere debeat cum eisdem. Si qui autem mercatorum, vel quorumlibet hominum forum faciencium, preter comites camerarum nostrarum et suos officiales, antiquos denarios cambserint, vel cum eisdem forum fecerint, pene perdicionis bonorum suorum, vendicioni et empcioni appositorum, puniantur. Item, pro ampliacione

et perpetuacione dictorum denariorum, camere nostre comittimus, ut in quolibet comitatu usque ad suos terminos, de singulis portis, per quas currus cum feno et frugibus honeratus intrare consuevit, licet sub ipsa porta plures sint residentes homines, vel solum unus commoretur, nisi tante sit paupertatis, ut solvere non possit, quos predicti testes iuxta suam conscienciam solvere posse noverint vel-ne, ac domini terre, seu officiales, sibi solucionem facere posse, vel non posse, iuramento suo dixerint, exceptis condicionariis regalium, reginalium, ecclesiarum, ac aliorum quorumlibet, necnon exercituantibus servientibus, quos domini sui iuramento eorum exceperint, iidem testes scire poterint; exceptis eciam ecclesiis, civitatibus et aliis privilegiata libertate fultis, — facta dicacione, infra quintumdecimum diem tres novos grossos, vel decem et octo denarios integros novos, dicte camere in vero pondere, aut viginti quatuor Wyenenses latos, pro lucro camere ipsi comiti camere dare et solvere, absque contradiccione aliquali, salvis libertatibus predictis remanentibus, teneantur. Ubi vero porte non habentur, ibi predictum lucrum camere, secundum quod in aliis temporibus, iuxta disposicionem predictorum trium testium, infra idem tempus, persolvantur. Civitatenses autem et alii regnicole nostri, predictam libertatem habentes, a solucione lucri camere taliter sint exempti, si dictas monetas camere nostre, inter eos et in tenutis, ac possessionibus ipsorum discurrere fecerint potenter et cambiri; sin autem, libertatem ipsorum non nos, sed ipsi soli infringent, et sic solvere eundem (sic!) lucrum camere, sicut alii nostri regnicole, si contra eos per testificaciones predictorum trium testium possit comprobare.

Solventibus autem in quibuslibet comitatibus unus locus congruus, pro predicto solucione assignetur. Et si qui presentes, pre multitudine solvencium, aut aliquo alio impedimento prepediti, die assignato solvere non possent, absque aliquo gravamine, quatuor diebus continuis expectentur. Qui vero negligenter solvere non curarent, tunc iidem tres testes ad possessionem, de qua ipsum lucrum camere non est persolutum, accedant et tamdiu ibi commorentur, in expensa moderata eiusdem possessionis non solventis, absque destruccione tamen aliquali, donec ipsum lucrum camere, cum iudicio trium marcarum, persolvatur. Si vero populi, vel domini villarum non solvencium lucrum camere prenotate, preterito termino solucionis, dictis hominibus in officio camere procedentibus, cum pecunia debita extra villam placaturi obviarent, extunc ipsi executores negociorum camere, in talibus villis descensum facere nequeant aliqualem et sic liberi a predicta descensione et byrsagio habeantur. Item homines de dicta solucione defendentes, vel quoquo modo contra nostram ordinacionem procedentes, dummodo contra ipsos hoc evidenter possit comprobari, penis non solvencium decrevimus puniendos.

Item volumus, quod dicti testes in negociis camere, videlicet in comitatibus peragendis, utpote in dicacionibus lucri camere, personaliter procedant; nec officiales comitum camere nostre, absque ipsis testibus, possint dicari. Si vero ausu temerario contra hoc procederent, et in hoc malum aliquod paterentur, merito sustinebunt.

Preterea, nullus mercator extraneus, vel huius regni, aurum vel argentum in specie exportare presumpmant et si qui exportantes ipsum aurum et argentum in specie, preter denarios nostros aureos et argenteos inventi fuerint, ablacione eorumdem et dehonestacione personarum suarum puniantur. Ymo si

camerarii huiusmodi aurum vel argentum, quoquam extra regnum de*f*e*r*i facerent sub signis et sigillis ipsorum, vel alios ad exportandum admitterent, iidem comites quorum sigilla, vel signa in ipso auro vel argento apposita invenirentur, tanquam falsarii infideles regni, et transgressores mandatorum regalium puniantur.

Item, sub cuiuscunque comitis camerarum comitatu, vel in provinciis, presens nostra moneta, ex mala procuracione falsicata (sic!) fuerit, et *h*abundari ceperit, ipse comes camere eandem falsam monetam captivare et ani*ch*ilare non procuraverit, ipsi comiti camerarum sic inputabitur, ac si idem comes camere ipsam monetam fecisset fabricari. Si autem ipse comes camere ad compesscendum eosdem falsarios, de eorum maliciosis operibus propriam a*l*yubi non habuerint facultatem, extunc sub testimonio dictorum trium testium veritate de eorum falsariorum maleficiis indagata, eosdem falsarios nobis et nostris baronibus, ac regno nominatim debebit declarare, et nos pro extirpacione eorumdem sollicite tenebitur incitare.

Civitatentes vero, sub iurisdiccione dictarum camerarum nostrarum existentes, iuxta presentem taxacionem nostram et baronum nostrorum, certam sumpmam de predictis monetis camere nostre, infra pretacti temporis spacium, pro argento cambire, vel finacionem eiusdem monete in eisdem denariis camere dare et solvere teneantur; videlicet civitas *Zalankemen* ducentas et quadraginta; item *Zemlen* quindecim; item *Zenthdemeter* quinquaginta; item *Engh* sexaginta; item *Nogolaz* viginti quinque; item *Eztyan* triginta; item *Segusd, Aranyas, Labaad, Chehy,* cum suis pertinenciis, centum; item *Peech* quadraginta marcas cambire teneantur. Quod autem ipsi civitatenses, receptis ipsis quantitatibus pecunie nove monete camere nostre integre, pro qualibet marca octo pensas cum dimidia in statera ponderantis, unam marcam fini argenti, vel saltim nichil recipiendo, pro combustione singularum marcarum singulas quatuor pensas, cum decem denariis ipsorum integrorum denariorum, dictis comitibus camere dare debe*a*t. Si que autem civitatum negligens fuer*i*t in solvendo, predicti executores negociorum camere, in medio talis civitatis, in expensa moderata eiusdem, cum subsidio iudicis et iuratorum ipsius civitatis, tamdiu permanebunt, donec solucionem taxacionis lucri camere, cum iudicio duodecim marcarum, facient ex integro. Si vero iidem iudices et iurati, subsidium prestare et dictam pecuniam taxatam pro lucro camere persolvi, cum dicto iudicio facere recusarent, extunc ipsi soli de ipsorum bonis propriis, premissa solvere teneantur.

Item statuimus, quod in quibuslibet solitis locis camere, in montanis, in civitatibus, debeat fieri domus regalis, ad quam omnes homines aurum et argentum ad vendendum, comburendum et cambiendum deferre teneantur. Et si palam, vel occulte combur*r*erent, venderent et commutarent et in hoc reprehenderentur, per eosdem comites camerarum, omnia bona sua, presentibus dictis testibus, auferantur et ut infideles puniantur. Item volumus, ut in montanis nullus alias, preter quam in domo regali, aurum quot karatorum fiat probare debeat, sed camerarius debeat examinare in domo regali et ponere karatos, ac signum regium super ipsum. Contra hoc autem presumpmentes, per eosdem comites camerarum predicta pena duximus puniendos.

Ceterum volumus, ut ipsi comites camerarum monetarios, ubicunque in civitatibus, vel villis invenire poterint, et eosdem captivare voluerint, iudex, iurati et universitas civitatis et ville, in qua invenirentur, ad requisicionem

ipsorum comitum camerarum, vel officialium ipsorum, eosdem captivare et ad iudicium comitum camerarum teneantur assignare. Contra hoc facientes eadem pena, qua monetarii contuma (sic!) sunt plectendi, puniantur.

Item antiqua libertate camerarum nostrarum requirente, statuimus, ut omnes servientes et officiales, ac monetarios suos, ipsi comites camere nostre debeant iudicare, et si ipsi ex parte suorum iusticiam dare neglexerint, magister tauarnicorum nostrorum iusticiam dare tenebuntur (sic!), quibuscunque querelantibus de eisdem.

Item, pro ampliacione earumdem monetarum camerarum nostrarum, statuimus, ut universi ecclesiarum prelati decimas et debita, ac quosvis reditus, et barones, ac nobiles regni, aliique cuiusvis status homines, ipsorum proventus universos, scilicet tributa, terragia et quasvis collectas, a quibuscunque ipsorum debitoribus et iobagionibus, tributariis et officialibus, cum ipsis monetis camere nostre recipere teneantur. Nos autem promittentes assumpsimus, universas nostras collectas regales et reginales, per totum regnum nostrum, specialiter tributa et tricesimas nostras, exigi facere et recipere cum eisdem.

Item, si qui, contra ipsos comites camerarum nostrarum, racione iniuriarum, seu dampnorum, ac nocumentorum, personis camerariorum nostrorum, in officio procedentibus illatorum, ad nostram, vel magistri tauarnicorum presenciam citati fuerint, in primo termino absque ulteriori dilacione, dante iusticia, ipsa causa finaliter debeat terminari. Quicunque autem comites camere nostre predictos, ordine iudiciario, in causam attraxerint, prefatus magister tauarnicorum nostrorum, ex parte eiusdem, iusticiam faciet auctoritate nostra mediante.

Hoc eciam ordinavimus, ut de quibuslibet rebus et bonis ipsarum camerarum nostrarum, ubicunque in terra et in aquis, per eorumdem officiales deferendis, nullum tributum exigantur.

Preterea de qualibet marca unum pondus, ad racionem denariorum in pondere, racione conservacionis ferramentorum, homini eiusdem domini archiepiscopi, omni die operis, et dimidius ferto homini eiusdem magistri tauarnicorum, preter sumpmam convencionis nostre regalis, persolvatur. Si vero ipse comes camere nostre, quolibet die operis, de singulis marcis cusis, singula pondera denariorum et dictos dimidios fertones, premisso modo persolvere recusaverit, vel dilacionem facere voluerit, homines ipsius domini archiepiscopi et magistri tauarnicorum, ferramenta formalia includendi habeant facultatem. Item aule nostre vicecancellario, iidem comites camerarum nostrarum, proventus ab antiquo consuetos, videlicet triginta marcas, in terminis solucionis subscriptarum, (sic!) salvis laboribus notariorum remanentibus, plene dare et solvere teneantur. Hoc eciam adiecto, quod iniurias et dampna officialibus camerarum, per quospiam irrogata, prefatus magister tauarnicorum prosequatur et emendet. De falsariis autem et eorum fautoribus, antiquam regni consuetudinem volumus observari. Item statuimus, ut comites parochyales, una cum iudicibus nobilium, quorumlibet comitatuum, non plus quam tres marcas novorum denariorum nostrorum a comitibus camerarum nostrarum petere et recipere presumpmant, ex quibus unam marcam comes parochyalis, et duas iudices nobilium habeant. Ceteri autem nobiles, et cuiusvis status homines, fora habentes, pretextu fororum ipsorum, ab eisdem camerariis quitquam petere, vel recipere non presumpmant.

Preterea idem dominus archiepiscopus, et magister tauarnicorum, tales homines in prosequendis negociorum (sic!) camerarum transmittant, qui possessiones habent, et si demerita eorum requirerent, perdere habeant.

Item comites camerarum, qui anno sequenti cameras nostras conducere voluerint, in die Strennarum venturo, de predictis suis debitis racionem nobis personaliter reddendo, conducant.

Preterea volumus, quod quecunque res et bona, racione non observacionis aliquorum articulorum premissorum et transgressionis mandati nostri regalis, seu violacionis statute camere, a quibuscunque personis hominum, et in quibuslibet locis aufferentur, in tres partes debent dividi coequales, quarum una pars ipsi comiti camerarum, secunda autem comiti parochyali et iudicibus nobilium, tercia vero pars in manus predictorum hominum domini archiepiscopi et magistri tauarnicorum, debent provenire. Item, de quibuscunque marcis, pro lucro camere in quibuslibet comitatibus dicatis et exactis, unum grossum seu unum pondus homini domini archiepiscopi, alium vero grossum seu pondus homini magistri tauarnicorum, dare et solvere tenebuntur comites camerarum predictarum.

Ut autem, idem comes camerarum nostrarum, memoratam sumpmam tria milia et trecentarum marcarum, nobis facilius persolvere possit, ordinantes decrevimus: quod in octavis festi Nativitatis beati Johannis Baptiste octingentas et viginti quinque marcas; item in octavis festi Nativitatis beate Virginis similiter octingentas et viginti quinque marcas; item modo simili octingentas et viginti quinque marcas in octavis festi Martini confessoris; et iterum octingentas et viginti quinque marcas in octavis diei Strennarum nunc venturis, ultimam solucionem faciendo, in terminis sese subsequentibus, hic in *Wyssegrad* nobis solvere tenebitur; penam dupli incurreret, si aliquem terminorum prescriptorum obmiserit insolutum. Datum, in *Wyssegrad,* in festo Annunciacionis beate Virginis, anno Domini M° ccc° xl^mo quinto.

1345. 1. Jul. 1345. 5. Sept. 1345. 18. Nov. 1346. 8. Jan.

Sigillum maiestat. tergo fuit appressum. — Origin. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. B. nr. 116. — Paucis commem. Fejér: Cod. Dipl. IX.[7] p. 55.

739.

1345. — 6. Apr. — Magistratus comitatus Neogradiensis, Ambrosium praepositum de Garáb, vicinos et commetaneos suos, mediantibus hominibus eiusdem comitatus, a perceptione fructuum possessionum suarum, prohibuisse testatur.

Ed. Cod. Andegav. T. IV. p. 495.

740.

1345. Visegrád. 29. Maii. — Comes Paulus, iudex curiae regiae, causam Siffridi abbatis, contra nobiles de Óhaj motam, prorogat.

Nos comes *Paulus*, iudex curie domini *Lodouici,* Dei gracia regis Hungarie, damus pro memoria, quod causam quam dominus pater Seiffridus, abbas monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gron,* locique eiusdem conventus, contra Petrum, Michaelem et Stephanum, filios Jacobi de *Ohey,* ac Anthonium et

Andream dictum *Horuath,* famulum eiusdem, sibi statuere commissum, iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum, in octavis festi Penthecostes, coram nobis movere habebat, de regio mandato, ad vigesimum secundum diem *residencie exercitus regii, proxime nunc movendi,* peremptorie sub priori statu duximus prorogandam. Datum, in *Wyssegrad,* octavo die (exp.: die) termini prenotati, anno Domini M° ccc° xL^mo quinto. 1345. 22. Maii.

In parte infima: ad b. ob regium. — Extus: Pro domino fratre Seiffrido, abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, contra filios Jacobi de Ohey et alios interius nominatos, ad XX secundum diem residencie exercitus regii prorogatoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Origin. chart., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 1. fasc. 3. nr. 23.

741.

1345. Visegrád. 1. Junii. — Ludovicus I. rex, causam capituli Strig., contra Siculos de Felvincz, iterum prorogat.

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, damus pro memoria, quod causam quam honorabile capitulum ecclesie Strigoniensis, in octavis beati Georgii martiris proxime preteritis, iuxta continenciam litterarum nostrarum, atque domine regine genitricis nostre karissime, contra Siculos de *Fulwynch* habebat, coram [nobis], propter cause arduitatem et examinacionem instrumentorum pro eo, quod ad partes Transsiluanas personaliter sumus prof[ecturi], nostrum ad profectum partes in illas, duximus prorogandam, statu priori permanentem. Datum, in *Wyssegrad,* [feria] quarta proxima post festum Corporis Christi, anno eiusdem M° ccc^mo xL^mo quinto. 1345. 1. Maii.

Extus: Pro capitulo ecclesie Strigoniensis, contra Siculos de Felwynch prorogatoria. — Sigillum margini exter. fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 66. fasc. 1. nr. 10.

742.

1345. Visegrád. 23. Jun. — Comes Paulus iudex curiae, Stephanum Taró et Georgium de Alfalu, per capitulum Posoniense peremptorie citari petit.

Amicis suis reverendis, capitulo ecclesie Posoniensis, comes *Paulus,* iudex curie domini *Lodouici,* Dei gracia regis Hungarie, debite amicicie incrementum et honoris. Cum domina nostra regina inter Thomam filium Folkus, Jacobum filium Stephani, Petrum filium *Demes* et Lukachyum filium Budur, nobiles de *Hydegheth,* quondam (sic) actores, ab una, et inter Stephanum dictum *Tarov* de *Farystar,* ac Georgium filium Jacobi de *Olfalu,* in causam attractos, parte ex altera, in facto cuiusdam terre *Heech* vocate, inter easdem partes litigiose, iudicium decisivum, iuxta earundem parcium litterarum causalium continencias, nobis indilate facere preceperit et iidem Stephanus dictus Tarow, ac Georgius filius Jacobi, ad ipsius cause finalem decisionem . . . legitime debeant vocari necessario; eapropter discrecionis vestre amiciciam requirimus diligenter, per presentes, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo presente Nicolaus filius Benedicti filii *Hegun,* vel Nicolaus filius Sauli de *Karcha,* aut, de (sic) Stephanus de eadem, sive Omodeus, filius Johannis, filii Gothardi *de Warkun,* aliis absentibus, homo regius, predictos Stephanum dictum Tarow

et Georgium filium Jacobi de Olfalu, ubicumque personaliter reperiri poterunt, ad premisse cause decisionem et determinacionem finalem, evocet in presenciam regie maiestatis, vigesimum secundum diem festi Nativitatis beati Johannis baptiste nunc proxime venturum, eisdem coram regia maiestate pro termino comparendi indilate assignando. Et post hec seriem ipsius evocacionis, cum tocius facti processu, ad eundem vigesimum secundum diem festi Nativitatis beati Johannis baptiste domino regi, in vestris litteris fideliter rescribatis. Datum in *Wyssegrad,* in vigilia festi Nativitatis beati Johannis baptiste prenotati, anno Domini M° ccc° xl.^mo^ quinto. 1345. 15. Jul.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 36, fasc. 1. nr. 5.

743.

1345. Szepesvárallya. 4. Jul. — Magistratus comitatus Scepusiensis, de iudiciis, nobiles de Kanta, expeditos esse perhibet.

Nos magister Bogus, [vi]cecomes et castellanus de *Scepus,* ac quatuor iudices nobilium de eodem, damus pro memoria, quod de iudiciis comitis Blasii, filii Cantha, Egydii filii Lad(islai) et Andree filii Mychaelis, nobi[les] de *Villa Cantha,* quibus iudiciis contra dominum Johannem, plebanum de *Bussundorph,* exactorem decimarum honorabilis viri, magistri *Johannis,* prepositi *Scepusyensis,* coram nobis fuissent devicti (expunct.: nobis) racione decimarum nobis, comiti et quatuor iudicibus, ac predicto domino Johanni, ipsorum adversario, de sua parte satisfecerunt plene et integre, unde eosdem vigore nostrarum literarum dimisimus expeditos. Datum in *Suburbio castri Scepus,* feria secunda proxima post octavas festi beati Johannis baptiste, anno Domini M° ccc^mo^ xxxx^mo^ quinto.

Extus: Pro comite Blasyo, Egidio et Andrea, nobilibus de villa Cantha, contra dominum Johannem, plebanum de Bussundorph iudiciale expeditoria. — Sigill. quatuor marg. ext. fuerunt appressa. Orig. chart., valde exesum et detritum, in Arch. Mus. Nation. Hung. Bpest. — Sigillum mag. Bogus, sat bene conservatum, medietatem lunae et stellam monstrat cum perigraphe: † S. MAGISTRI BOGUS COMITIS DE SCEPS.

744.

1345. (Zobor). 12. Aug. — Conventus de Zobor, universos populos in novis aurifodinis et in Scsevnyicze, pro Siffrido abbate monasterii s. Benedicti, a territorio monasterii prohibitos esse, perhibet.

Excellentissimo domino, [Lodouico Dei graci]a regi Hungarie, domino suo illustri, conventus monasterii beati Ipoliti martiris de Zubur, [oraciones in] domino sinceras et devotas. Litteris vestre excellencie generalibus prohibitoriis, pro domino Syf[frido], abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium *Goron* et suo conventu, reverenter receptis, c[um] Salomone de *Hynd,* homine vestre serenitatis, Benedictum presbiterum nostrum capellanum pre[dicta]m prohibicionem faciendum, pro testimonio nostrum hominem duximus transmittendum. Qui negocio bene intenti, et ad nos reversi, concorditer retulerunt, quod universos populos in novis aurifodinis congregatis, (sic!) et de villa *Seunyche,* et alios quoslibet, de silvis, agris, pratis, aquarum decursibus et

fractura lapidum, ac utilitatum proventibus universis, intra terminos in possessione monasterii ipsorum contentis, videlicet a monte, unde exit aqua *Fenyewseunyche,* deinde ipse rivulus aque *Fenyewseunyche* decurrens, usque in fluvium Goron, postea ipse fluvius Goron, descendendo usque ad monasterium, regni consuetudine, prohibuissent. Datum, feria sexta proxima ante festum Assumpcionis beate Virginis, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ quinto.

Extus: Excellentissimo domino suo, Lodo[uico], Dei gracia regi Hungarie, pro [domino] Syffrido abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium Goron et suo conventu, contra universos populos in novis aurifodinis et de villa *Seungche* et alios quoslibet, prohibitoria. — Sigillum margini ext. fuit appressum. — Orig. chart., humore corruptum, in Arch. Capit. Strig. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 25.

745.

1345. 16. Aug. — Kadoldus urburarius de Bakabánya, suo et concivium suorum nomine, cum monasterio s. Benedicti de iuxta Gron, super loca molendinorum in Scsevnyicze, amicabilem compositionem, inivit.

Nos Kadoldus, urbararius domini regis, civis de *Bakabanya,* item *Dycusch* iudex, et iurati, tunc pro tempore constituti, ac universitas civium de eadem, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod nos, ac quidam ceteri concives et concultores nostri nove montanie, *Schewnycze* nominate, per nos super territorio domini regis noviter nunc invente et exorte, cum honorabilibus, Deoque devotis viris, domino Syfrido abbate et cum toto conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium Gron, super facto cuiusdam fluvii eiusdem supradicti conventus, *Bykschewnycze* nominati, in nomine Domini, in talem devenimus amicabilem unionem: ita, quod idem totus conventus, predictum fluvium ipsorum, super terragio eiusdem monasterii sancti Benedicti habitum, *Bykschewnycze* vocatum, ob nostra servicia et maxime ob promocionem eiusdem nove montanye regis, loca molendinorum ac molendina super eodem fluvio per nos construenda, pro determinato censu, nobis ex nunc locantes et concedentes, perpetuo contulerunt possidendum; exceptis quatuor locis molendinorum, ab inferiori parte aque, per ipsum conventum pro eodem monasterio reservatorum, ita videlicet, quod quilibet nostrum, racione sui molendini, pro censu de una quavis rota, singulis annis, unum fertonem fini argenti, et tria pondera, eidem conventui in octavis Ascensionis Domini, in ipso monasterio, pro munere loci molendini solvere ex debito teneamur. Tali vinculo mediante, quod si quicunque ex nobis, predicti census solucionis terminum obmitteret censum non solvendo, extunc pene dupli subiacebit confestim, post quindenas subsequentes. Quem quidem censum, una cum duplo, nos Kadoldus et predicti concives, in eodem fluvio molendina possidentes, eidem conventui assumpsimus et tenebimur expedire. Preterea nos, singulariter singuli et generaliter universi, eadem molendina possidentes, tenebimur et assumpsimus ipsa molendina servare et possidere mediantibus litteris conventus monasterii sancti Benedicti, iam sepius dicti, et si quicunque ex nobis eadem conventus littera caruerit, extunc a possessione sui molendini iure sit exclusus, a data presencium, usque ad festum Annunciacionis Virginis gloriose proxime nunc venturum, statim eo facto, et ipsum molendinum protinus devolvetur ad manus

1345. 25. Mart.

eiusdem conventus iure possidendum, prout nos ad hoc obligavimus gratanter, sponte, liberaliter et libenter. Ut igitur huius unionis nostre series robur obtineat perpetue firmitatis, nec processu temporis per quempiam in irritum valeat revocari, eidem conventui ex parte nostri, eisdem ob cautelam, dedimus presentes litteras nostras, pendentis et autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in crastino festi Assumpcionis Virginis gloriose, anno Domini M° ccc° XL^mo quinto.

Extus manus med. aevi adnotavit: Super molendinis in civitate *Schewnycze*, alias *Kwnigisperg* vel *Mons Regis* dicta, in fluvio *Bykschewnycze* et *Fenywschewnicze* constructis, in quo fluvio cives de *Bakabanya* habebant molendina. — Sigillum civitatis, bene conservatum, de rubro et viridi serico pendet. Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 27.

746.

1345. Visegrád. *4.* Sept. — Ludovicus I. rex, possessiones Zenyér, Edde et Mikófalva, magistro Nicolao, vicedapifero suo, confert.

Nicolai Laurencii Tot.

Nos *Lodouicus*, Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod magister Nicolaus, filius Ladislai, vicedapifer noster, ad nostre maiestatis accedendo presenciam, suas fidelitates et servicia nostre celsitudini sumpma sollicitudine exhibitas et inpensa, proponens et declarans, ac in memoriam reducens nostre maiestatis, quasdam possessiones nostras regias, *Zynyer*, *Edde* et *Mykofolua* vocatas, in comitatu *Symigiensi* existentes, cum ad se pertinentibus, asserens ipsas nostre regie collacioni de iure pertinentes, a nobis sibi dari et conferri perpetuo postulavit. Itaque nos, fidelitatibus et serviciis eiusdem Nicolai, filii Ladislai, primo per eundem excellentisimi principis, domini *Karoli*, olym incliti regis Hungarie, nostri genitoris karissimi, laudande memorie, et demum nostris temporibus sollerti cura, in diversis negociis et expedicionibus nostris, atque nostri regni exhibitis et impensis, recordatis (sic!) et recensitis, in aliqualem recompensacionem suorum serviciorum et fidelitatum, licet a nobis pro eisdem plura antidotum premia mereretur, dictas possessiones nostras regias, Zynyer, Edde et Mykofolua vocatas, in dicto comitatu Symigiensi existentes, cum ad se pertinentibus, et cum omnibus utilitatibus et pertinenciis quibuslibet, in superficie earumdem et pertinencium ad easdem existentibus, sub suis veris metis et antiquis, quibus per priores suos possessores habite extiterunt et possesse, eidem Nicolao, filio Ladislai, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus eo iure, quo ad nostram collacionem pertinere dinoscuntur dedimus, donavimus et contulimus, perpetuo et irrevocabiliter possidendas, tenendas pariter et habendas, sine preiudicio iuris alieni. Presentes autem in formam nostri privilegii redigi faciemus, dum nobis fuerint reportate. Datum, in *Wyssegrad*, die dominico proximo ante festum Nativitatis beate Virginis, anno Domini M° ccc° XL^mo quinto.

In fronte et ima parte legitur: Nicolaus Laurencii Tot; sub sigillo autem, quod tergo appressum fuit: Nicolai, filii Laurencii Tot. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. 26. fasc. 6. nr. 8.

747.

1345. Visegrád. 7. Sept. — Ludovicus I. rex, Thomam quondam vajvodam Transilvanum, possessionem suam Kürth, in comitatu Hont. iacentem, ecclesiae b. Adalberti Mart. de Strigon., donasse testatur.

Nos *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod magnificus vir Thomas, condam woyuoda Transsiluanus, fidelis noster, in nostri presencia personaliter constitutus, fassus extitit viva voce, ut quandam possessionem suam, *Kyurt* vocatam, in comitatu *Huntensi* existentem, quam excellentissimus princeps, dominus *Karolus,* eadem gracia condam illustrissimus rex Hungarie, felicis memorie, karissimus genitor noster, propter fidelia serviciorum suorum merita, nomine possessionis fratricidarum sine herede decidencium, eidem perpetuo contulerat possidendam, eandem possessionem, propter salutem sui anime et domine *Anne* consortis eiusdem, atque natorum suorum, ac eciam nasscencium, ad perpetuam elemosinam dedisset, donasset, ac contulisset *ecclesie beati Adalberti* martiris de *Strigonio,* perpetuo iure possidendam, tenendam et habendam, sine preiudicio iuris alieni. Datum, in *Wyssegrad,* in vigilia Nativitatis Virginis gloriose, anno Domini M° ccc° xL^mo^ quinto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 44. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX.[1] p. 278.

748.

1345. Visegrád. 8. Sept. — Ludovicus I. rex, hospites de nova montana Szemnicz, ab usurpatione terrarum monasterii de iuxta Gron, arcet.

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis iudicibus, iuratis, civibus et universis hospitibus, ac montanis in nova montana *Schennych* vocata nunc constitutis, et eciam ad eandem in posterum venientibus, salutem et graciam. Fidelitati vestre firmiter precipimus et districte, quatenus terras, silvas, aquas et alias possessionarias utilitates, ecclesie seu abbacie sancti Benedicti de *iuxta Gron,* indebite sine iusticia occupare non audeatis, nisi ex permissione domini abbatis et sui conventus. Datum, in *Wyssegrad,* in festo Nativitatis Virginis gloriose, anno Domini M° ccc° xL^mo^ quinto.

Sigillum anulare tergo fuit appressum, sub quo legitur: relacio domine regine. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strig. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 36.

749.

1345. Buda. 11. Sept. — Thomas quondam vajvoda Transilvanus, possessionem suam Kürth vocatam, archiepiscopatui Strigon., donat.

Nos Thomas, quondam woyuoda Transiluanus, memorie commendantes significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod nos ob devocionem salutis nostre et nostrorum successorum, quam ad beatissimum Adalbertum martirem, patronum nostrum, gerimus, quandam possessionem nostram aquisiticiam, *Kyurth* vocatam, in comitatu Huntensi habitam, in perpetuam elemosinam *ad ecclesiam* ipsius *beati Adalberti* martiris, et per consequens archiepiscopo et

suo archiepiscopatui, perpetuo et irrevocabiliter, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis quibuslibet, sub eisdem metis et terminorum distinccionibus, sub quibus habuimus et tenuimus, duximus conferendam; promittimus eciam, ut universas litteras nostras, super eadem possessione nos optentas et habitas, dum divina clemencia de presenti nostro itinere domum duxerit, ipsi domino archiepiscopo Strigoniensi reddemus et resignabimus. In cuius rei donacionis (sic) testimonium, presentes concessimus litteras patentes, sigillo nostro anulari consignatas et munitas. Datum, *Bude,* dominico die proximo post festum Nativitatis beate Virginis gloriose, anno Domini M° ccc° xL^mo quinto.

Sigillum anulare tergo appressum est. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 43

750.

1345. Avignon. 12. Sept. — Michael episcopus Vaciensis supplicat, quatenus Nicolao Joannis de Szala, educatori suo, de canonicatu in ecclesia Strigoniensi provideatur.

Ed. Bossányi: Regest. Suppl. T. I. p. 100.

751.

1345. (Eger.) 13. Sept. — Capitulum Agriense, viduam Demetrii de Patak, possesionem controversam, Kacsun vocatam, capitulo Scepusiensi reliquisse, testatur.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX¹. p. 309.

752.

1345. — 14. Sept. — Thomas Aladari, comes Novi Castri, ambassador Ludovici regis Hung. petit, ut Nicolao Clementis de Werbo, clerico Strigoniensi, beneficium ecclesiasticum reservetur.

Ed. Bossányi: l. c. T. I. p. 106.

753.

1345. Visegrád. 14. Sept. — Comes Paulus, iudex curiae regiae, terminum exhibitionis instrumentorum, in causa possessionis Hetény, prorogat.

Sigillum tergo fuit appressum. — Originale situ et humore exesum, maiori in parte penitus illegibile, in Arch. Primat. Secul. Lad. C. nr. 15. — Tenorem tamen literarum harum prorogatorialium vide per extensum in nr. 766.

754.

1345. (Zobor.) 19. Sept. — Conventus de Zobor, rivulum Fejnosevnice (Fenyősevnice) vocatum, ab antiquo semper metam monasterii de iuxta Gron fuisse, Ludovico I. regi rescribit.

Excellentissimo domino *Lodowico,* Dei gracia regi Hungarie inclito, domino suo, conventus beati Ypoliti martiris, monasterii *Zuburiensis,* oraciones in Domino continuas et devotas. Litteris vestre celsitudinis inquisitoriis generalibus, pro domino Syffrido abbate et conventu, monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium *Goron,* reverenter receptis, cum Nicolao filio Iwanka de *Saary,* homine vestre excellencie, *Benedictum sacerdotem* capellanum nostrum, ad inquisicionem infrascriptam faciendum, pro testimonio nostrum hominem duximus transmittendum.

Qui negocio bene intenti, et demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt: quod sicut a nobilibus, et a sacerdotibus, item a communibus hominibus, in comitatu Borsiensi, item a vicinis et a commetaneis monasterii sancti Benedicti, diligenter investigando, scire et inquirere, Deum pre oculis habendo, veridice potuissent, rivulus *Feyno Sewniche,* a monte unde exit usque decurrendo in fluvium *Gron,* ex antiquo semper fuisset meta monasterii sancti Benedicti, et universas fructuum utilitates, infra ipsam metam conclusas, in terris arabilibus, fenetis, silvis, aquarum decursibus, ipsum monasterium sancti Benedicti, semper pacifice possedisset. Datum, feria secunda proxima post festum exaltacionis sancte Crucis, anno Domini M^mo^ ccc^mo^ quadragesimo quinto.

Extus: Excellentissimo domino suo Lodowico, Dei gracia regi Hungarie, pro domino Syffrido abbate et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium Goron, super meta *Feyno Sewniche* nominata ipsius monasterii sancti Benedicti, inquisitoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 26.

755.

1345. Damás. 20. Sept. — Ludovicus I. rex, per capitulum Albense, magistrum Nicolaum in possessionem Zenyér statui iubet.

Tenorem vide nr. subsequenti.

756.

1345. (Székesfehérvár.) 29. Sept. — Capitulum Albense, Nicolao magistr. possessionem Zenyér statutam esse, Ludovico I. regi rescribit.

Nos capitulum ecclesie Albensis, memorie commendantes tenore presencium, significamus quibus expedit universis, quod cum serenissimus dominus *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, litteris suis mediantibus, maiori sigillo suo consignatis, infrascriptum tenorem continentibus, nobis dederit firmis in preceptis et mandatis, ut nos cum Beke, aule regie tauarnico, homine ipsius domini regis, magistro Nicolao, filio Ladislai, vicedapifero dicti domini regis, ad statuendum et introducendum ad possessionem *Zynier,* cum suis pertinenciis, in comitatu *Symigiensi* existentem dato, hominem nostrum pro testimonio nostro transmittere debuissemus. Tenor autem litterarum ipsius domini nostri regis talis est:

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo ecclesie Albensis, salutem et graciam. Cum magister Nicolaus, filius Ladislai, in possessionem Zynier, cum suis pertinenciis, in comitatu Symigiensi existentem, nuper per nos sibi in perpetuum datam et collatam, legitime, mediante homine nostro et vestro testimonio, velit introire, fidelitati vestre firmiter precipientes mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente Beke, aule nostre tauarnicus, de aula nostra specialiter ad hoc transmissus, homo noster, ad faciem dicte possessionis *Zynier* et pertinencium ad eandem, convocatis vicinis et commetaneis legitime et presentibus, accedendo et ipsam reambulando, ipsum magistrum Nicolaum, filium Ladislai, introducat in eandem, et ipsam cum suis pertinenciis eidem statuat, titulo nostre donacionis perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum; contradictores autem, si qui fierent, contra eundem ad nostram citet presenciam, ad terminum competentem et tan-

dem tocius facti seriem cum assumpcione, quam idem magister Nicolaus, filius Ladislai, comiti Ladislao, quem in dicta possessione usque tempus vite sue conservari volumus, et eidem magistro Nicolao commisimus faciet et responsionem eiusdem comitis Ladislai, nobis fideliter, cum cursibus metarum, rescribatis. Datum, in *Damas*, in vigilia beati Mathei apostoli et ewangelice (sic!), anno Domini M° ccc° XL^mo quinto. 1345. 20. Sept.

Nos igitur, semper mandatis et preceptis pretacti domini regis obtemperare cupientes, ut tenemur, cum predicto Beke, homine regio, *Blasium presbiterum* chori ecclesie nostre, hominem nostrum fidedignum, ad exequendum premissa, pro testimonio duximus transmittendum. Qui postmodum ad nos reversi, nobis communiter retulerunt: quod ipsi dominico die, proximo ante festum beatorum Cosme et Damiani martirum, primo convocatis commetaneis et vicinis dicte possessionis Zynier, qui domi fuissent, *exceptis hys qui in presenti exercito* (sic!) regio essent, ad faciem eiusdem accessissent et presentibus ipsis commetaneis et vicinis, ac comite Ladislao, dicto *Tenyn*, nunc in eadem residenti et commoranti, ex donacione quondam domini *Karoli*, eadem gracia regis Hungarie, felicis recordacionis, prefatam possessionem reambulassent, reambulatamque, cum omni plenitudine sui iuris, et cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis, quovis nomine vocitatis ad eandem possessionem Zynier spectantibus et pertinentibus, prefatum magistrum Nicolaum, filium Ladislai, in eandem introduxissent; et eandem, cum universis suis attinenciis, ipso magistro Nicolao, ut premisimus, titulo donacionis sepedicti domini regis statuissent, perpetuo possidendam; ipso comite Ladislao consenciente et admittente. Retulerunt eciam iidem homines regius et noster, quod in ipso die reambulacionis et statucionis, sub fide*y* iuramento, in ecclesia beati Petri apostoli, in eadem possessione constructa, facto, magister Nicolaus, filius Ladislai, pretitulatem comitem Ladislaum, recepisset in patrem tamquam carnalem, et usque ad finem vite sue in eadem possessione conservare et tenere assumpsit. E converso autem sepedictus comes Ladislaus, sub iuramento fide*y* eundem magistrum Nicolaum, in filium recepisset adoptivum et ipsi donacioni regalis maiestatis benivolum consensum prebuisset et annuisset, in facto possessionis pretitulate, dicendo: quod dominus rex, de iure et de facto, sepefatam possessionem potuisset ipsi magistro Nicolao statuere et perpetuare. Datum, in festo beati Michaelis archangeli, anno Domini supradicto. 1345. 25. Sept.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 26. fasc. 6. nr. 10.

757.

1345. (Szentbenedek.) 6. Oct. — Conventus de iuxta Grón fundum unum, super rivulum Werencze, Nicolao et Deitel in feudum contulit.

A. B. C.

Nos *Syffridus* abbas, et conventus monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium *Goron*, memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod nos ex communi voluntate, in possessione nostri monasterii, super rivulum *Werencze* nominatum, unum fundum seu locum, pro molendino construendo, sextum ab inferiori parte, sursum numerando, discretis

viris Nicolao, filio Leonis, et Dytel, dicto *Moder,* et eorum heredibus, contulimus et concessimus tenendum, habendum, et sub censu annuali, pro suis utilitatibus pacifice possedendum eo modo, quod die dominico proximo ante festum Penthecostes anni presentis et singulis annis subsequentibus, termino prenotato, de qualibet rota molendini unum fertonem puri argenti nobis persolvere, in nostro monasterio, tenebuntur, sicut et ceteri constructores molendinorum in predicto ryvulo communiter assumpserunt; penam dupli incursuri, si ipsum terminum obmitterent, seu negligerent in solvendo. Et si, ipsam principalem solucionem, cum pena dupli, infra quindenas terminum antedictum immediate subsequentes, solvere non curarent, extunc memoratus fundus vel locus, seu molendinum constructum, cum suis utilitatibus universis, nullo contradiccionis obstaculo impediente, in ius et dominium nostri monasterii, pleno iure devolveretur eo facto. Datum, feria quinta in octavis festi beati Michaelis archangeli, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 29.

758.

1345. Visegrád. 6. Octob. — Ludovicus I. rex, causam sanctimonialium de Posonio, ordinis sanctae Clarae, super quadam vinea, comiti Jacobo, iudici Poson., ordinandam submisit.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX.[1] p. 285.

759.

1345. Avignon. 6. Oct. — Clemens PP. VI. canonicatum Strigoniensem, a Gregorio ad episcopatum Csanadiensem promoto, habitum, Joanni Pauli confert.

Ed. Fejér l. c. p. 306.

760.

1345. Avignon. 9. Oct. — Joannes archidiaconus de Osinach, petit sibi canonicatum et praebendam in eccl. Strigon. conferri.

Ed. Bossányi: l. c. T. I. p. 119.

761.

1345. Avignon. 11. Oct. — Paulus de Nagymarton, iudex curiae, ambassador regis Hung. petit, ut Joanni Wigandi, clerico Pataviensis dioec., canonicatus ecclesiae s. Martini in Posonio, — Michaeli Cynke canonico Posoniensi, canonicatus et praebenda in eccl. Vesprimiensi, conferatur.

Ed. Bossányi: l. c. p. 120 et 122.

762.

1345. — 12. Oct. — Guillelmus, sanctae Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis supplicat, quatenus omnibus vere poenitentibus et confessis, ecclesias suas: sancti Stephani regis de Strigonio, et sanctae Trinitatis de Calidis Aquis, ac sancti Andreae de Tarsalh (?), praedictae eccl. s. Stephani annexas visitantibus, indulgentiae concedantur.

Ed. Bossányi ut supr. p. 120.

763.

1345. Esztergom. 12. Oct. — Jacobus decretorum doctor, praepositus sancti Thomae de promontorio Strigoniensi, necnon Chanadini archiepiscopi vicarius in spiritualibus generalis, causam relictae Nicolai dicti Forgách, contra filios Ladislai de Csetnek motam, prorogat.

Ed. Cod. Andegav T. IV. p. 546.

764.

1345. Avignon. 18. Oct. — Guillelmus de Pusterla, praepositus Poson., pro pace reconciliauda, vel treugis inter ipsos ineundis, ad Bohemiae et Poloniae reges, a pontifice Clemente VI. mittitur.

Ed. Theiner: Mon. Hist. Hung. T. I. p. 691.

765.

1345. Visegrád. 18. Oct. — Comes Paulus, iudex curiae regiae, transsumit donationales Belae IV. regis super terra Hetény, anno 1266. concessas.

[N]os comes *Paulus*, iudex curie domini Lodouici, Dei gracia regis Hungarie, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod venerabile in Christo patre, domino *Chanadino*, Dei et apostolica gracia archyepiscopo *Strigoniensi*, locique eiusdem comite perpetuo ab una, et Petro, filio *Opor*, filii comitis *Ompod*, parte ex altera, coram nobis personaliter constitutis, per eundem Petrum, filium Opor, propositum extitit et relatum, ministerio vive vocis, quod licet discretus vir, magister *Sixtus*, quondam archydiaconus *Kamaruniensis*, frater uterinus (expunct.: uterinus) predicti comitis Ompod, avi sui, quasdam possessionarias particulas, condicionariis titulis regali et reginali maiestatibus, ut in sequentibus declaratur, olim annexas, in possessione *Heten*, in comitatu Kamaruniensi existenti, habitas, per serenissimum principem, dominum *Belam*, quondam illustrem regem Hungarie, laudande memorie, pro suis fidelitatibus et serviciorum meritis perpetua stabilitate, ex vigore sui privilegialis instrumenti sibi collatas, tempore progressivo, in presencia inclíti principis domini *Ladislai*, olim regis Hungarie, pie recordacionis, personaliter comparendo, mediantibus suis privilegialibus instrumentis, sancte metropolitane sedis, ecclesie Strigoniensi et per eam archyepiscopatui eiusdem, iure perpetuo et irrevocabiliter contulerit; tamen quia quedam particula illius terre *Heten*, iure hereditario ipsi Sixto archydiacono, et predicto comiti Ompod fratri suo attinens extitisset, et nunc hereditarie successionis titulo ad ipsum et suos fratres esset devoluta et deberet de iure devolvi, ideo memoratum privilegium domini Bele regis, pro perhempnali conservacione ipsius particule terre, iure hereditario ipsis Sixto archydiacono et Ompod avo suo decedentibus, sibi pertinere debentis, manibus memorati domini archyepiscopi Strigoniensis assignare nequivisset; postulans nos humili precum instancia, ut ipsum privilegium, nostri in presencia in specie exhibitum, ad perhempnalem conservacionem iurium dicte ecclesie Strigoniensis, sine variacione aliquali, de verbo ad verbum, transscribi et ipsi domino archyepiscopo Strigoniensi assignari facere dignaremur. Cuius tenor talis est:

Sequitur privilegium Belae IV. regis, a 1266. 9. Maii super donatione terrae Hetény concessum, ex hoc ipso transsumto T. I. p. 534. nr. 697. edit. 1266. 9. Maii.

Nos igitur iustis et iuri consonis peticionibus eiusdem Petri, filii Opor, favorabiliter inclinati, predictum privilegium Bele regis, ut pretactum in specie nobis exhibitum, diligenti examinacionc prehabita, de verbo ad verbum ad perhempnalem iurium conservacionem predicte ecclesie Strigoniensis transscribi, et pendentis sigilli nostri autentici (emans.: munimine) roborari, ac ad manus ipsius domini archyepiscopi Strigoniensis, uberiorem ad cautelam, fecimus assignari. Datum in *Wysegrad,* feria tercia proxima post quindenas festi beati Mychaelis archangeli, anno Domini Millesimo ccc^mo^ xl^mo^ quinto.

Sigillum e viridi et albo serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Prim. Secul. Lad. C. nr. 13. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. IV^2^. p. 371.

766.

1345. (Győr). 19. Oct. — **Capitulum Jaurinense, terram Hetény Petro, filio Apor et Chanadino archiepiscopo Strigon. statutam esse, testatur.**

Magnifico viro et honesto comiti *Paulo,* iudicis (sic!) curie domini *Lodouici,* regis Hungarie, amico ipsorum reverendo, capitulum *Jauriensis* ecclesie, sincere amicicie debitum, et honoris continuum incrementum. Vestre magnificencie litteras clausas, super diffinitivam sentenciam, una cum baronibus et regni nobilibus, iuxta modum et formam predictarum litterarum vestrarum iudiciariorum processuum directas nobis exprimencium, inter cetera, noveritis nos recepisse reverenter, ut nostrum hominem mitteremus, pro testimonio fidedignum, quo presente Elbinus, filius Dominici de *Wgol,* homo regius, de sua regia curia ad hoc specialiter transmissus, ad faciem premorate possessionis *Hethen* nominate, in ipso comitatu *Kamaruniensi* existentis, vicinis et commetaneis eiusdem universis legittime convocatis accederet, eandemque iuxta metarum, in presentibus litteris nostris lucide contentarum, cursus et limitaciones reambularet, reambulatamque novis metis iuxta veteres, ubi necesse fieret, erigeret, ipsamque terre particulam Petro, filio Opor, hereditarii iuris titulo, in predictis vestris litteris contentam, in eadem pertinere debentem, secundum predictarum metarum distincionem, a predictis terrarum particulis condicionariorum regalium et reginalium, per magistrum *Sixtum,* quondam *lectorem* Strigoniensem, et per eundem ipsi ecclesie Strigoniensi et suo archyepiscopatui datis, donatis et legatis, ac a predicta terra ipsius domini archyepiscopi, duorum aratrorum separaret, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, ipsi Petro, filio Opor, et suis successoribus. In prememoratas enim terrarum particulas, in quibus olym agasones, precones, castrenses *Kamarunienses* et de *Bana,* regales et reginales homines, ut in vestris litteris pretactum est, fuissent commorati, iuxta ipsius magistri lectoris donacionem et testamentariam legacionem, ex benovolencia ipsius domini *Ladislai* regis admissione facta, ipsi ecclesie Strigoniensi et suo archyepiscopatui in eadem pertinere repertas, simul cum predictis terris suis propriis duorum aratrorum, iuxta metarum in eisdem litteris vestris rescriptarum, ipsas terre particulas separencium (sic) cursus ab invicem distingetur, quas similiter cum omnibus suis utilitatibus, fructibus, usibus et utilitatum integritatibus, domino *Chanadino* archyepiscopo, et suc ecclesie Strigoniensi, eiusdemque archiepiscopatui, eo iure, quo eis pertinere dignoscerentur, contradiccionibus

Nicolai, filii Nicolai, et magistri Thome, ac aliorum quorumlibet eo, quod in tota ipsius litis ventilacione nullius alterius contradiccio partibus obviasset non obstante, sine preiudicio iuris alieni, statueret perpetuo possidendas. Facta autem ipsa possessionaria statucione, idem magister Thomas, vel alii, excepto ipso Nicolao, filio Nicolai, aliquo modo et tytulo ius aliquod se habere sperarent in eisdem, liberam dum voluerint haberent prosequendi facultatem, iuris moderamine requirente. Et post hec, seriem premisse possessionarie statucionis, cum cursibus metarum et tocius facti processu ad octavas festi Omnium Sanctorum nunc venturas, regie fideliter rescriberemus maiestati. 1345. 8. Nov.

Nos igitur, cupientes vestre magnificencie amicicie peticioni, moderamine iuris regni requirente obtemperare, discretum virum magistrum *Demetrium, concanonicum* et sublectorem nostrum, pro testimonio fidedignum, una cum predicto Elblino, filio Dominici de *Wgod*, (sic) homine regio, ad premissa vestra mandata duximus transmittendum. Qui quidem homines regius et noster ad nos reversi, concorditer et unanimi voce nobis retulerunt, quod ipsi ad faciem prememorate possessionis, Hethen vocate, vicinis et commetaneis eiusdem universis legittime convocatis et presentibus eisdem, accessissent et eandem possessionem Hethen, iuxta tenorem litterarum privilegialium domini *Bele*, quondam regis Hungarie, beate recordacionis, in vestris litteris insertum, ac secundum vestrum iudiciarium processum in hunc modum reambulassent: quod, quia predictum privilegium domini Bele regis, metas predicte tocius terre Hethen, in medium per longitudinem a flumine *Sythua* incipere et sic a predictarum quinque par[ticulis terrarum] condicionariarum, videlicet agasonum, preconum, castrensium Kamaruniensium et de *Banawar* (sic) regalium et eciam reginalium hominum, usque terram ville *Zeleus* separare asserebat, ob hoc ab eodem flumine Zythua, a parte septemtrionali incipiendo, directe ad quendam montem vulgariter *Holm* dictum, in fine ipsius ville Hethen existentem venissent, ubi unam metam antiquam invenissent, quam ipsi vicini et commetanei pro vera meta retulissent, circa quam unam novam erexissent, ubi et in eodem loco homines stare permisissent, per quorum cerciorem aspectum, ab ipso flumine Zythua, per directas metas valerent separacionem facere inter terras antedictas, et sic vice iterata ad ipsum fluvium Szythua (sic) redissent; et ab eodem flumine incipiendo, circa rippam eiusdem, unam novam metam erexissent; et dehinc per eundem cursum, ad iactum quatuor sagittarum, iterum unam novam metam, et preterea per aliquod spacium terciam, et adhuc in eodem cursu directo unam antiquam metam, de metis antiquis invenissent, quam similiter ipsi vicini et commetanei pro vera meta retulissent, circa quam novam erexissent; et dehinc per modicum spacium cundo quintam metam erexissent, et sic directe ad ipsum montem Holm nominatum, ubi prius ipsam novam metam erexerant, pervenissent; dehinc vero versus ipsam terram Zculcus et locum ville procedendo, inter terras cultas et incultas, ad iactum decem vel octo sagittarum, duas metas terreas antiquas invenissent, iuxta quas unam novam erexissent; et abhinc usque ad ipsam terram Zeuleus, in ipsis metis, in quatuor locis in eodem cursu et linea, singulas duas metas antiquas invenissent, circa quas singulas novas metas erexissent; et adhuc in eodem cursu unam antiquam metam terream invenissent, circa quam aliam novam erexissent; et abhinc parvum declinando versus orientem, singulas metas antiquas duas vel tres invenissent; dehinc vero

versus meridiem girando, per triplicatas metas antiquas et duplicatas, usque ad terram *Chepani Parui* vocatam circuissent, quas metas antiquas, ab ipsa terra Zeuleus usque terram ipsius Chepani Parui, absque novis metis erectis stare permisissent, quia Martinus, filius Opor, propter suam paupertatem ipsarum metarum erecciones facere non posse allegasset. Et sic peractis premissis, una cum predictis vicinis et commetaneis, ac aliis nobilibus illic ad hoc convocatis, (expunct.: presentibus) ad villam Hethen accessissent, Nicolaum famulum predicti magistri Thome Ruphi, ac villicum et (expunct.: iobagiones suos ab) populos de eadem Hethen convocantes, coram quibus predictas quinque terrarum particulas, prius nominatas, ipsorum condicionariorum a parte septemtrionali existentes, et cum novis metis separatas, ipsi domino Chanadino, archyepiscopo Strigoniensi, et per eum suo archyepiscopatui, simul cum ipsis terris suis propriis duorum aratrorum, perpetuo, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, sine preiudicio iuris alieni, statuissent possidendas; aliam vero partem predicte terre Hethen a parte meridionali, *cum ecclesia in honorem Beate Virginis* in eadem fundata, existentem, predicto Petro, filio Opor, et per eum suis heredibus similiter perpetuo statuissent possidendam. Datum, feria quarta proxima post festum beati Galli confessoris, anno Domini M° ccc° xl.mo quinto [(Et in continuo, ast pallidiore attramento)]: Et licet *Bartholomeus* tributarius, magistrorum Ladislai, Stephani, et Nicolai, filiorum magistri *Donch*, in personis eorumdem, terras ad castrum Kamaruniense pertinentes, a statucione illic in facie predictarum terrarum statutarum, non specificando, quam particulam terre prohiberet, prohibuisset; quia tamen vestrum mandatum continebat, quod non obstante cuiuslibet prohibicione, predictis domino archyepiscopo et sue ecclesie, ac predicto Petro filio Opor, statuerentur, ideo predicti homo vester et noster, non obstante contradiccione predictorum filiorum Donch, et famuli magistri Thome Ruphi, qui eciam prohibuerat, possessiones predictas domino archyepiscopo et Petro predicto s[tatuissent]. Datum ut supra. 1345. 19. Oct.

Extus: Magnifico viro et honesto, comiti Paulo, iudicis (sic!) curie domini Lodouici, Dei gracia regis Hungarie, amico ipsorum reverendo, pro domino Chanadino archyepiscopo Strigoniensi, super statucione quarumdam particularum terrarum, interius nominatarum (expunct.: Hethen), ad octavas Omnium Sanctorum ad iudicem reportande. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Primat. Secul. Lad. C. nr. 14. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX[1]. p. 319 et sqq.

767.

1345. — 3. Nov. — Gregorius episcopus Chanadiensis, ambassador Ludovici regis Hung. supplicat, quatenus:

1. Nicolao Theodoris, clerico Strigoniensi, sublectori ecclesiae s. Martini Scepus., in dicta ecclesia dignitas vel personatus;

2. Paulo Jacobi, clerico Strigon. dioecesis, canonicatus et praebenda in ecclesia Agriensi conferetur.

Ed. Bossányi l. c. T. I. p. 138. — Idem Paulus filius Jacobi, de dat. 10. Nov., canonicatum in Scepus sibi conferri petit.

768.

1345. — 11. Novemb. — Magister Sebus, comes de Szentgyörgy, Conradum sacerdotem de Buda, capellae suae in castro Bazin praeficit, capellamque hanc dotat.

In nomine Domini Amen. Ut ne opera salutaria per processiones temporum a memoria labantur hominum, igitur ego magister *Sebus*, comes de *sancto Georgio*, notum facio per presentes, quibus expedit universis, quod ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei et gloriose Virginis Marie, sancti Ladizlai regis, sancti Johannis ewangeliste, sancti Johannis Baptiste, sancti Andree apostoli, nec non omnium sanctorum et pro remedio animarum predecessorum meorum et eciam pro augmento salutis mei et successorum meorum, dominum *Conradum*, sacerdotem *de Buda*, constitui capellanum capelle mee, que est in castro meo in *Bozingo*, in honore sancti Ladizlai regis dedicata et bona deliberacione prehabita et pro dotacione eiusdem capelle provi*d*i eidem domino Conrado in necessariis, videlicet dando sibi unam vineam, que *w*lgariter *Lyetin* nuncupatur et molendinum Leonis *Margirlini*, de quo molendino predictus dominus Conradus, plebano sancte Marie in Bozingo, quinquaginta metretas tritici, singulis annis debet porrigere. Insuper assignavi sepedicto capellano meo quinque libras Wyennenses in reditibus, scilicet tres libras de tractura vasorum, reliquas vero duas de censu vasorum, qui w*l*gariter *Kusingobe* vocatur. In cuius rei testimonium presentes sigilli mei munimine duxi roborandas. Factum et actum, anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, in festo sancti Martini episcopi et confessoris.

Sigillum, sat bene conservatum, in scuto stellam exhibens, e zona membr. pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 63. fasc. 4. nr. 1. — Ed. Knauz: Magyar Sion T. III. p. 709.

769.

1345. Avignon. 13. Nov. — Clemens PP. VI., archiepiscopo Strigoniensi, eiusque suffraganeis committit, ut literas apostolicas, pro pace impetranda, in suis dioecesibus promulgari curent.

Ed. Theiner: Mon. Hist. Hung. T. I. p. 695.

770.

1345. (Pozsony.) 18. Novemb. — Capitulum Posoniense, Nicolaum de Churle, laneum suum in Récse, cuidam Lucae commisisse, perhibet.

Capitulum ecclesie *Posoniensis*, significamus quibus expedit universis, quod Nicolaus, filius *Sandur* de *Churle*, personaliter in nostri presenciam constitutus, unum integrum laneum, in parte sua possessionaria in *Reche*, scilicet curiam Petri de *Scondorf* dicti, pro tribus quartalibus, que videlicet curia quondam *Kyther* extitit, item unum quartalem penes curiam Luce, filii Mathei de eadem Churle, cum suis utilitatibus universis, eidem Luce, filio Mathei, qui eciam presens aderat, pro quinque talentis denariorum Wyennesium, ab eodem Luca plene numeratim habitis et receptis, a data presencium per quinquennium et non ultra, si pro eisdem quinque talentis redimere tunc poterit ab eodem, alio-

quin ultra ipsum quinquennium tamdiu, donec ipsa quinque talenta sibi plene reddet, ad possidendum, tenendum pariter et habendum commisit et locavit; deffensurus nichilominus propriis suis laboribus et expensis eundem Lucam, si qui forte occasione eiusdem lanei, medio tempore eum molirentur aliquatenus molestare. Datum, feria sexta proxima ante festum beate Elyzabeth, anno Domini M° ccc° xl^mo quinto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 16. nr. 18.

771.

1345. Visegrád. 18. Nov. — Comes Paulus, iudex curiae regiae, partem terrae Hetény Petro, filio Apor, aliam autem partem Chanadino, archiepiscopo Strigoniensi adiudicat, tum Nicolao, filio Nicolai, perpetuum silentium imponit.

Nos comes *Paulus*, iudex curie serenissimi et magnifici principis, domini *Lodouici*, Dei gracia incliti regis Hungarie, memorie commendantes tenore presencium, quibus expedit significamus universis, quod cum nos, in quindenis festi Nativitatis beati Johannis baptiste nunc proxime preteritis, in sede nostra iudiciaria sedissemus et causales processus quorumlibet causidicorum, de diversis partibus regni, in nostram presenciam confluencium, equo moderamine in statera equitatis pandere cepissemus, Petrus, filius *Apor*, quasdam quatuor litteras: unam nostram, modum iudicii nostri denotantem; et aliam conventus ecclesie sancti Benedicti de iuxta Goron citatoriam; et duas similiter nostras iudiciales, in diversis terminis, sub variis formis confectas, nobis presentarat. In quarum serie expresse videramus contineri, quod cum nos in die medii xl^me, similiter proxime transacto, iudiciario pro tribunali sedissemus et causales processus quorumlibet litigancium, in statera equitatis equo moderamine partiri cepissemus, Petrus, filius Apor, quedam septem paria litterarum, tres videlicet conventus sancti Stephani regis de *Strigonio*, unam citatoriam, et duas modum reambulacionis cuiusdam possessionis *Heten* vocate, in comitatu *Kamaruniensi* existentis, et quatuor nostras: unam prorogatoriam, et alias tres iudiciales, in diversis terminis, sub diversis formis confectas, nobis presentarat. In quibus videramus contineri manifeste quod cum idem Petrus, filius Apor, magistrum Thomam Rufum, castellanum de *Chehte*, mediantibus litteris citatoriis eiusdem conventus sancti regis Stephani, super facto possessionis Heten, contra se in presenciam regiam, ad quindenas festi Nativitatis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° ccc° xl^mo quarto preteritas, attraxisset in causam, et ipsa causa racione prioritatis termini, ad octavas Nativitatis beate Virginis eodem anno transactas prorogata extitisset; tandem idem magister Thomas Rufus, ad ipsas octavas beate Virginis non venisset, nec misisset, et sic se in iudicio trium marcarum innodari permisisset. Demum idem Petrus, filius Apor, feria secunda proxima ante festum beatorum Symonis et Jude apostolorum, regium adiens conspectum, eidem dixisset, quod quedam possessio sua Heten vocata, in comitatu Kamaruniensi, apud manus Nicolai, filii Nicolai, filii Laurencii habita, recaptivacione et reambulacione plurimum indigeret. Super quo,

1345. 8. Jul.

1345. 2. Mart.

1344. 8. Jul.

1344. 15. Sept.

1344. 25. Oct.

idem dominus rex, eidem conventui sancti regis Stephani de Strigonio firmius dedisset in preceptis, quatenus ipsorum mitterent hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente Jacobus de *Machala,* vel Egidius, filius Stephani, aut Ladislaus frater suus, aliis absentibus homo regius, ad faciem dicte possessionis Heten accedendo, vicinis et commetaneis suis universis legitime convocatis et presentibus, reambularet ipsam per veras suas metas et antiquas, novas iuxta veteres, ubi necesse fieret, erigendo, reambulatamque et ab aliorum possessionibus metali distinccione separatam, relinqueret et statueret prefato Petro, eo iure, quo ad ipsum dinosceretur pertinere, si non fieret contradictum; contradictores autem, si qui fierent, contra eundem citaret ad regiam presenciam ad terminum competentem, et post hec diem et locum citacionis, nomina citatorum et terminum assignatum, cum cursibus metarum, ac serie tocius facti, domino regi fideliter rescriberet conventus sancti Stephanis regis de Strigonio antedictus. Qui quidem conventus, mandatis regie excellencie obedire cupiens, ut tenetur, una cum ipso Egidio, homine regio, *Emericum* chori ipsorum *clericum,* pro testimonio duxisset destinandum. Qui post modum ad ipsos reversi, eisdem concorditer retulissent: quod cum ipsi feria tercia proxima post festum Omnium Sanctorum, ad faciem dicte possessionis Heten accedendo, universis vicinis et commetaneis eiusdem legitime convocatis, reambulando eidem Petro statuere voluissent, predictus Nicolaus, filius Nicolai, filii Laurencii, premisse possessionarie statucioni contradixisset, quem ibidem in facie eiusdem possessionis, contra eundem Petrum, filium Apor, ad regie maiestatis presenciam citavissent, et quindenas eiusdem diei citacionis partibus pro termino assignassent. Ad quas quidem quindenas, idem Nicolaus venire, vel aliquem pro se mittere non curasset, et sic se in iudicio trium marcarum *h*onerari permisisset. Postremo cum idem Petrus, filius Apor, mediantibus Egidio, filio Stephani, homine regio, et *Wyda* clerico, testimonio eiusdem conventus, in vigilia festi Purificacionis beate Virginis nunc preteritis (sic!), ad faciem predicte possessionis Heten accessisset, predictum Nicolaum, filium Nicolai, ibidem in facie eiusdem, contra ipsum Petrum, filium Apor, ad regiam presenciam citavissent, et quindenas festi Purificacionis beate Virginis, partibus pro termino assignassent; ad quas eciam quindenas Purificacionis beate Virginis, idem Nicolaus similiter non venisset, nec misisset, et sic modo simili se in iudicio trium marcarum convinci seu honerari permisisset. Et quia idem Petrus, filius Apor, in dominium dicte possessionis Heten legitime volebat introire, ideo honorabili capitulo ecclesie Strigoniensis, amicis nostris, litteratorie scribentes, eorum amiciciam postularamus diligenter, ut ipsorum mitterent hominem, pro testimonio fide dignum, quo presente Egidius, filius Johannis de Machala, aut Jacobus filius Nicolai, aliis absentibus homo domini regis, in octavis festi Passce Domini nunc preteritis, ad faciem dicte possessionis Heten vocate, vicinis et commetaneis suis universis, et specialiter prefato Nicolao, legitime convocatis, accederet et eandem iuxta veteres metas et antiquas, novas ubi necesse fieret erigendo, reambularet et recaperet, reambulatamque et recaptivatam, ac ab aliorum possessionibus separatam et distinctam, eo iure, quo ad ipsum Petrum, filium Apor, dinossceretur pertinere, eidem statueret perpetuo possidendam, si per ipsum Nicolaum, aut alios non fieret contradictum; contra-

1344. 2. Nov.

1344. 16. Nov.

1345. 1. Febr.

1345. 16. Febr.

1345. 3. Apr.

dictores vero, si qui fierent, in regiam evocaret presenciam, ad quindenas octavarum eiusdem festi Passce Domini, racionem contradiccionis eorum reddituros. Possessionem autem, vel particulam possessionariam, per quempiam prohibitam, signis pro metis positis consignando, et regali mensura si mensurari posset mensurando, vel visu considerando, una cum aliis probis viris estimaret, regni consuetudine exigente. Et post hec, seriem ipsius possessionarie recaptivacionis, reambulacionis et statucionis, cum cursibus metarum, nominibus contradictorum et citatorum, ac estimacione possessionis, vel particule terre litigiose, necnon tocius facti processu, ad quindenas octavarum eiusdem festi Passce Domini, in eorum litteris, capitulum ecclesie Strigoniensis annotatum, regie fideliter rescriberet maiestati. Tandem ipsis quindenis octavarum festi Passce Domini advenientibus, predictus Petrus, filius Apor, personaliter ad nostram accedendo presenciam, litteras iam dicti capituli ecclesie Strigoniensis domini regi rescriptas, nobis presentarat, huiusmodi formam continentes: quod, cum idem capitulum ecclesie Strigoniensis, iuxta continenciam litterarum nostrarum, seriem iudicii nostri exprimencium, cum eodem Ladislao de Machala, homine regio, ad requisicionem nostram, *Symonem sacerdotem* chori ecclesie ipsorum, ad reambulandam eandem possessionem Heten vocatam, in comitatu Kamaruniensi existentem, pro testimonio transmisissent, qui tandem ad idem capitulum reversi, eidem concorditer retulissent; quod feria quarta proxima post festum Dominice Resurreccionis, presentibus vicinis et commetaneis, iuxta formam litterarum nostrarum, eandem possessionem Heten reambulare, reambulatamque predicto Petro, filio Apor, statuere voluissent, Nicolaus, filius Nicolai, nec reambulare, nec statuere permisisset. Quem quidem Nicolaum, racione sue contradiccionis, contra eundem Petrum, ad reddendam racionem sue contradiccionis, ad quindenas octavarum Dominice Resurreccionis nunc preteritas, ad regiam presenciam evocassent. Quarum litterarum perlectis continenciis, idem Petrus, filius Apor, se racione prohibicionis prenotate informari postularat per Nicolaum, filium Nicolai supradictum, iure exposscente. Quo audito, Mykow, cum procuratoriis litteris comitis capelle regie, pro eodem Nicolao, filio Nicolai, exsurgens, eundem Nicolaum, super ipsa possessione Heten nominata, efficacia habere instrumenta, eademque in termino, per nos sibi dando, exhibere posse et ob hoc eundem fecisse prohibicionem prenotatam, in instanti allegarat. Unde nos commiseramus decernentes: quod prenominatus Nicolaus, filius Nicolai, preassumpta sua instrumenta, super facto ipsius possessionis Heten confecta, in octavis festi Penthecostes, nunc proxime transactis, exhibere teneretur coram nobis, quibus visis, iudicium et iusticiam facere et de prohibicione reambulacionis ipsius possessionis, discutere valeremus inter partes supradictas in premissis, moderamine iuris requirente. Qui quidem Nicolaus, filius Nicolai, premissa sua instrumenta, super facto dicte possessionis Heten confecta exhibiturus, ad predictas octavas festi Penthecostes proxime preteritas, ipso Petro, filio Apor, sedecim diebus continuis legitime coram nobis expectante, non venisset, nec misisset, et sic se in iudicio trium marcarum innodari permisisset. Demum prefatus Nicolaus, filius Nicolai, filii Laurencii, mediantibus homine regio et testimonio dicti conventus sancti Benedicti de iuxta Goron, iuxta continenciam litterarum citatoriarum eiusdem conventus, contra ipsum Petrum, filium Apor,

1345. 17. Apr.

1345. 30. Mart.

1345. 22. Maii.

1345. 22. Maii.

ad octavas festi Nativitatis beati Johannis Baptiste, nunc proxime preteritas, in regiam presenciam legitime citatus, non venisset, nec misisset, et sic se similiter in iudicio trium marcarum agravari commisisset. 1345. 1. Jul. Et quia idem Petrus, filius Apor, in dominium dicte possessionis Heten legitime voluit introire, ideo predicto conventui ecclesie sancti Benedicti de iuxta Goron, amicis nostris, litteratorie scribentes eorum amiciciam petiveramus diligenter, ut eorum mitterent hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente Dominicus de *Baluan*, vel Nicolaus, filius Benedicti, aut Albertus de eadem, aliis absentibus homo domini regis, ad faciem dicte possessionis Heten vocate, in comitatu Kamaruniensi existentis, vicinis et commetaneis suis universis et specialiter ipso Nicolao, filio Nicolai, legitime inibi convocatis et presentibus, accederet, eandemque per veras suas metas et antiquas, novas iuxta veteres ubi necesse fieret erigendo, reambularet et recaperet, reambulatamque et recaptivatam, ab aliorumque possessionibus novarum metarum posicionibus separatam eo iure, quo ad ipsum Petrum pertinere dinosceretur, eidem statueret perpetuo possidendam, si per ipsum Nicolaum, vel alios non fieret contradictum; contradictores vero, si qui fierent, contra ipsum Petrum, filium Apor, in regiam evocaret presenciam ad terminum competentem, racionem contradiccionis eorum reddituros. Possessionem autem, vel possessionariam particulam, per quempiam prohibitam, signis pro metis positis consignando, et regali mensura si mensurari posset mensurando, vel visu considerando, una cum aliis probis viris estimaret, regni consuetudine exigente et post hec, seriem ipsius possessionarie reaptivacionis (sic!), reambulacionis et statucionis, cum cursibus metarum, nominibus contradictorum et citatorum, ac estimacione possessionis, vel particule terre litigiose, nec non tocius facti processu, domino regi fideliter rescriberet, conventus sancti Benedicti prenotatus. Demum, dum universorum nobilium causas, in quindenis diei sabbati proximi ante festum ad vincula beati Petri apostoli, in sede nostra iudiciaria consedendo discutere cepissemus, prenominatus Petrus, filius Apor, quasdam litteras citatorias simul et reambulatorias predicti conventus sancti Benedicti de iuxta Goron, seriem litterarum nostrarum continentes, nobis presentarat, in quarum tenoribus reperiebatur; quod cum idem Petrus, filius Apor, accepto Dominico de Balwan, homine regio, presente fratre Jacobo, per ipsum conventum in testimonium dato, sabbato proximo ante festum ad vincula beati Petri apostoli nunc proxime transactum, ad iteratam reambulacionem cuiusdam possessionis Heten vocate, in comitatu Kamaruniensi existentis, per ipsum a Nicolao, filio Nicolai, filii Laurencii, prius recaptivate, super cuius facto cum eodem Nicolao satis diutt*i*ne in lite processerat, eandem recaptivando per ipsum hominem regium et testimonium dicti conventus, nomine sui iuris, perpetuo possidendam sibi statui facere voluisset, quidam ex servientibus Nicolai, filii Nicolai, filii Laurencii, cum populis ipsius ville Heten, manu violenta contra ipsos insurgentes, eosdem interficere voluissent, et tam hominem regium, et testimonium dicti conventus, quam eciam Ladislaum uterinum fratrem et legitimum procuratorem pretacti Petri, filii Apor, de predicta possessione Heten, extractis gladiis eorum a*f*fugassent, et tamdiu ipsos per prata insecuti extitissent, quod captos iterum in ipsam possessionem Heten, ad presenciam Nicolai, filii Nicolai reduxissent, verbis vituperosis et enormibus eosdem turpiter pertractando; 1345. 13. Aug. 1345. 30. Jul.

et cum per prefatum Nicolaum, filium Nicolai, satis turpiter pertractati extitissent, idem Nicolaus usque sero eosdem captos retinendo, prius minas mortis predicto Petro, filio Apor, et Ladislao fratri et procuratori eiusdem imponendo, post modum respondisset, quod ipse in reambulacionem et statucionem prememorate possessionis Heten vocate, eidem Petro faciendam, se in nullo intromitteret, quia sibi in nullo attineret, si magister Thomas Rufus, castellanus de Chehte, consensum adhiberet; et mox quidam homo, Mykow nomine, villicus predicte ville Heten, de medio ipsorum populorum exsurgens, vice et nomine ipsius magistri Thome Rufi, castellani de Chehte, eosdem regium et dicti conventus homines non in reambulacione, sed statucione ipsius possessionis Heten nominate, predicto Petro, filio Apor, facienda, contradicendo prohibuisset, asserendo eandem possessionem prefato magistro Thome de iure pertinere. Quem quidem magistrum Thomam, castellanum de Chehte, eodem die et in facie eiusdem possessionis, racione predicte prohibicionis assignandam, contra ipsum Petrum, filium Apor, ad quindenas predicte diei reambulacionis, idem homo regius et testimonium dicti conventus, ad regie serenitatis presenciam citavissent. Tandem ipso termino occurrente, prenominatus magister Thomas Rufus, racionem premisse contradiccionis redditurus, ipso Petro, filio Apor, decem et octo diebus continuis legitime coram nobis expectante, non venerat, neque miserat, et sic se in iudicio trium marcarum commiserat agravari. De premisso autem iniurioso, seu potenciali facto, per predictum Nicolaum, filium Nicolai, et suos servientes eisdem regio et dicti conventus hominibus, ac procuratori dicti Petri, filii Apor, modo quo supra, tempore premisse possessionarie reambulacionis iniuriose irrogato, commiseramus, ut dum idem Nicolaus, filius Nicolai, racione pro premissa, per ipsum Petrum, filium Apor, coram nobis in causam attractus fieret, quid gravaminis ipsum Nicolaum, filium Nicolai, pro premisso facto incurrere oporteret, deliberaremus iuris moderamine requirente. Peractis siquidem premissorum singulis, tandem cum predictus Petrus, filius Apor, universas suas litteras, contra ipsum Nicolaum, filium Nicolai, filii Laurencii, feria quarta, videlicet in vigilia festi Nativitatis Virginis gloriose proxime preterita, coram regni baronibus et nobis, super facto quarumdam terrarum Heten vocatarum, in comitatu de Kamarun existencium, litigionario processu mediante emanatas presentasset, et finem sue cause, prout iuri consonum videretur, iuxta seriem litterarum suarum, per nos imponi postulasset, nosque et predicti regni barones, nobiscum in iudicio consedentes, volentes quo iure et iuris titulo predicte terre Heten sibi pertinere dinoscantur veridice experiri, instrumenta sua, quorum vigoribus ipsas terras acquirere et suo dominio de iure applicare valeret, in ipsorum baronum et nostri presencia, per ipsum Petrum exhiberi petivissemus, idem Petrus, *Ompud* avum suum, quendam *archydiaconum Kamaruniensem, Syxtum* nomine, fratrem uterinum habuisse, et iuxta terram suam et ipsius Ompud fratris sui hereditariam, in dicta Heten existentem, quasdam terrarum particulas in eadem Heten, mediantibus suis fidelibus serviciis, a domino *Bela*, quondam rege Hungarie, acquisivisse, ut in eiusdem Bele regis privilegialibus litteris claresceret manifeste, affirmarat; ubi et ibidem in momento quoddam privilegium ipsius domini Bele regis, in anno Domini M° cc° sexagesimo sexto confectum,* ipsis baronibus et nobis presentarat. In cuius tenore reperiebatur manifeste:

1345. 15. Aug.

1345. 7. Sept.

1266. 2. Maii.

quod cum discretus vir, magister Sixtus, archydiaconus Kamaruniensis, Geuriensis dyocesis, dilectus et fidelis clericus ipsius Bele regis, quem fratrem uterinum ipsius Ompud avi sui idem Petrus asserebat, per ipsum dominum Belam regem *ad curiam Romanam destinatus* fuisset, *ibique* pro regio dignitatis honore et bono statu regni, *per multos annos subeundo, laboriosum iurgiorum certamen, iura regalia fideliter et prudenter defendisset,* licet idem Bela rex, pro huiusmodi gravissimis laboribus et ingentibus meritis, maioribus et alcioribus remuneracionum stipendiis ipsum Sixtum archydiaconum, respectu suorum meritorum attollere debuisset; tamen in aliquantulam retribucionem suorum serviciorum, quasdam terras suas regales, nomine Heten, terre hereditarie eiusdem magistri Sixti ibidem pro indiviso mixtas, in quibus agasones et precones, ac castrenses de *Kamarun* et de *Bana,* regales et homines reginales tunc inhabitabant, dicto magistro Sixto dedisset et contulisset, ab eo perpetuo, irrevocabiliter possidendas. Ita, ut idem magister Sixtus, memoratas terras Heten, tamquam verus dominus ex regali donacione effectus, possideret perhempniter, pleno iure vendendi et donandi, inter vivos vel in morte relinquendi cuicunque vellet, liberam semper haberet facultatem. In quarum terrarum corporalem possessionem idem magister Sixtus, per discretum virum magistrum *Abram, prepositum* ecclesie sancti Georgii martiris de *Strigonio,* sub testimonio capituli ecclesie Strigoniensis, presentibus *Donk,* comite filio Pauli, et *Gyurgus,* ac Johanne officialibus archyepiscopi Strigoniensis, et dictis agasonibus ac iobagionibus agasonum, castrensibus, preconibus et populis reginalibus, in ipso privilegio nominatim insertis, ac aliis vicinis et commetaneis inibi convocatis, nullis penitus contradicentibus, fuisset introductus. Et quia idem magister Sixtus, in dicta villa Heten, terram hereditariam, quam ante tempus premisse donacionis cum dictis hominibus condicionariis pro indiviso et mixtim, ut pretactum est, possidebat, ut inter terram suam hereditariam et illas terras, que ex regali munificencia sibi date essent et collate, distinccio haberetur, dictam terram suam hereditariam, a dictis terris condicionariorum regalium et reginalium, sibi perhempniter collatis, de voluntate domine regine, que eciam similiter ipsam terram suam, dicto magistro Sixto contulisset, per ipsum pristaldum regium, metis per medium tocius terre Heten in longum erectis, de mandato regio fuisset separata, et sic pars ipsius terre meridionalis, in qua ecclesia in honore beate Marie fundata haberetur, cum area, sive fundo ipsius magistri Sixti, per arbitrium et ordinacionem ipsius pristaldi regalis et commetaneorum, in partem predicti magistri Sixti racione terre sue patrimonialis assignata fuisset pleno iure, reliqua vero pars dicte terre septemtrionalis sibi cessisset regalis et reginalis titulo possidenda. Mete autem ipsarum terrarum, tam a septemtrionali, quam a meridionali partibus inciperentur a flumine *Sytua,* et metis pluribus hinc inde et in medio positis procederent et contiguarentur terre ville *Zeuleus,* ab eadem parte meridionali eedem terre contiguarentur terre *Chepani Parui,* qui eciam assignacioni et metacioni predictarum terrarum interfuisset, a parte vero septemtrionali contiguarentur terre comitis Donk, officialis archyepiscopi supradicti. Et cum ipsum privilegium, in ipsorum baronum et nostri presencia, modo pretacto per ipsum Petrum, filium Apor, fuisset presentatum, palamque et manifeste perlectum, et *nobis expressum extitisset***; venerabilis in Christo pater, dominus *Chanadinus,* archyepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, tempore exhibicionis dicti privilegii in nostri

consedens medio, surrexerat et predictas terras Heten, super quibus ipsum privilegium Bele regis confectum haberetur, suo archyepiscopatui Strigoniensi, mediantibus efficacissimis instrumentis, in termino per nos sibi dando exhibendis, omni veritatis tramite pertinere, et dictarum terrarum perpetuacioni, quibuspiam faciende, se contradicere instantissime allegarat. Unde nos, viso predicti privilegii tenore et auditis utrarumque parcium proposicionibus, ipsum privilegium medio tempore apud nos reservantes, ut parilis assensus parcium voluerat, commiseramus decernentes, quod utreque partes, in quindenis festi Nativitatis Virginis gloriose proxime preteritis, alia universa sua instrumenta, si qua super predictis terris Heten haberent confecta, exhibere tenerentur coram nobis, quibus scilicet dicto privilegio, apud nos reservato, et alis parcium instrumentis visis, iudicium et iusticiam facere valeremus in premissis, inter partes iure et iusticia admittente. Et cum ipse instrumentales et litterales exhibiciones, a predictis quindenis Nativitatis beate Virginis, quibusdam prorogacionum cautelis, iuxta continenciam aliarum litterarum nostrarum ad feriam sextam proximam, post octavas festi beati Mychaelis archangeli, sine crastinacione prorogate extitissent**; tandem ipso termino, scilicet feria sexta proxima post octavas festi beati Mychaelis archangeli occurrente, prenominato Petro, filio Apor, coram nobis personaliter astante et predictum privilegium domini Bele regis, iam per nos medio tempore sibi restitutum, iuxta adiudicacionis nostre commissionem, nostri in presencia in specie reexhibente, predictus dominus Chanadinus, archyepiscopus Strigoniensis, ad nostram accedens presenciam, quasdam privilegiales litteras domini *Ladizlai*, olym incliti regis Hungarie, clare recordacionis, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo secundo confectas, simul cum quibusdam litteris privilegialibus magistri *Johannis* et conventus sancti Stephani regis de *Strigonio*, super particula terre duorum aratrorum de eadem Heten ecclesie sancti Alberti, (sic!) per eosdem modo, quo in eisdem lucidius exprimitur data, anno ab Incarnacione Domini millesimo ducentesimo vigesimo tercio emanatas, nostro iudiciario examini presentarat. In quarum litterarum privilegialium domini Ladislai regis tenore inveniebatur manifeste contineri***: quod constitutus coram ipso domino Ladislao rege, venerabili patre, domino *Phylippo*, eadem gracia archyepiscopo Strigoniensi, locique eiusdem comite perpetuo, et discreto viro magistro Sixto, lectore de eadem ecclesia, supplicans ipsi domino Ladislao regi idem lector humiliter, quod de possessione Heten vocata, in comitatu Kamaruniensi, iuxta quandam possessionem ipsius ecclesie Strigoniensis existenti, ipsi magistro Sixto lectori, per gloriosum principem dominum *Belam*, quondam illustrem regem Hungarie, ea libertate et condicione, quod cuicunque vellet, in vita pariter et in morte donare, vendere, legare, aut quovis colore alienare, liberam haberet alienandi facultatem, pro suis fidelibus serviciis sibi perpetuo data et collata, idem dominus Ladislaus rex eidem, ex super*h*abundanti gracia, hoc idem concedere dignaretur, et ea, que de ipsa possessione coram ipso domino Ladislao rege ordinaret, suo privilegio faceret confirmari. Qui quidem magister Sixtus lector, adhibitis ipsius domini Ladislai regis consensibus, ipso presente taliter ordinasset, quod possessionem suam acquisiticiam, Heten nominatam, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, vide-

1345. 22. Sept.

1345. 22. Sept.

1345. 7. Oct.

1272. 20. Nov.

1223.

licet terris arabilibus, piscaturis et fenetis, ac quibuslibet aliis, prout in litteris regis Bele, beate memorie, plenius continerentur, dedisset, donasset et legasset, quasi in testamento ultimato, beato Adalberto et sue ecclesie Strigoniensi, in persona archyepiscopi et sui successoribus, perpetuo et irrevocabiliter possidendam, cum omni plenitudine sui iuris. Hoc non pretermisso, quod ad edificacionem loci tunc assumpti, *pro claustro beate Anne,* archyepiscopus qui fuisset, vel qui pro tempore fieret, semel tantum et non pluries, viginti marcas pro eterna elemosina, post mortem ipsius lectoris solvere teneretur; litteras vero privilegiales regum *Bele* et *Stephani,* super eadem villa Heten optentas et datas, promisisset archyepiscopo Strigoniensi reddere, sine diminucione; et si quas ex ipsis non restitueret, vel casualiter perdere contingeret, vigore carerent, si coram quovis iudice, contra ecclesiam Strigoniensem fierent presentate. Nichilominus hoc adiecto, quod idem magister Sixtus lector, eandem possessionem Heten, donec sibi vita comes fieret, non tanquam proprietarius, sed tanquam usuum fructuum percipiens, a tunc in posterum donatam ab archyepiscopo possideret, nec aliquid ultra de eadem haberet ordinare. Igitur idem dominus Ladislaus rex, peticionibus ipsius Sixti lectoris auditis et pensatis, ac visis privilegiis felicissime recordacionis regis Bele et perlectis, vidisset et intellexisset, quod pro eius serviciis meritoriis fideliter *sancte corone* inpensis, et a gloriosis parentibus suis eidem datis et confirmitatis, annuisset et concessisset omnem ordinacionem, donacionem et tradicionem, maxime ob animarum salutem, ut de predicta possessione Heten vocata, in comitatu superius annotato existenti, prout esset premisso modo ordinatum, de regie liberalitatis gracia, perpetuo duraturam, acceptasset. Quarum litterarum privilegialium, domini Ladislai regis tenoribus perceptis, cum ipsum Petrum, filium Apor, de eo, utrum contra formam dicte donacionis, *y*mo verius dicendo ultimate testamentarie legacionis memorati Sixti lectoris, alicuius contradiccionis obstaculo velit obviare vel-ne, trinis vicibus, ut nostro iudiciario inest officio quesivissemus, idem Petrus, filius Apor, predictis terrarum particulis, in quibus dicti agasones, precones et castrenses Kamarunienses et de Bana, regales ac reginales homines commorabantur, iuxta ipsius magistri Sixti donacionem et testamentariam legacionem, ex ben*i*vola admissione ipsius domini Ladislai regis factam, in nullo contradicendo ob*i*cere velle asserens, easdem condicionarias terras ipsi ecclesie Strigoniensi, et per eam archyepiscopatui eiusdem remiserat et resignarat, coram nobis, iure perpetuo et irrevocabiliter possidendas, tenendas pariter et habendas, nullo iure seu dominio sibi et suis successoribus, excepta ipsa particula terre, hereditario iure ipsum Sixtum archydiaconum et predictum Ompud, avum suum, fratrem ipsius Sixti archydiaconi uterinum contingenti, a modo in posterum reservato in eisdem. Postulans se in ipsius particule terre, titulo hereditarie successionis sibi pertinere debentis, et predictum dominum archyepiscopum in ipsarum condicionarium terrarum, pretextu donacionis et testamentarie legacionis prenotate, predicto archyepiscopatui per ipsum Sixtum lectorem, de consensu regio facte attinencium dominium, per viam iusticie, verarum et antiquarum metarum distinccionibus prehabitis, per nos legitime introduci. Unde, quia predictus Nicolaus, filius Nicolai, filii Laurencii, racione sue sepissime contradiccionis, super facto ipsius possessionis Heten facte, iuxta quam plurium litterarum continencias, pluries ad diversos terminos, ut premittitur, legitime citatus

atque evocatus, ad reddendam sue contradiccionis racionem in nostram presenciam, ad neutrum premissorum terminorum, sua iura in dicta possessione Heten racionabiliter probaturus contumaciter resistendo, venire vel mittere minime curarat, *y*mo tanquam iuris spretor, se a facie iuris et iusticie continue absentabat, predictamque particulam terre, que ipsos Sixtum archydiaconum et Ompud fratrem suum in ipsa possessione Heten hereditarii iuris titulo tangere dinoscebatur, eidem Petro, filio Apor; predictas enim (sic!) terrarum particulas, in quibus dicti agasones, precones et castrenses Kamarunienses et de Bana regales et reginales homines ol*y*m, ut prediximus, residebant, iuxta ipsius Sixti lectoris testamentariam legacionem, modo premisso ex benivola ipsius domini Ladislai regis annuencia factam, eoque eciam idem Petrus, filius Apor, nullo verborum suorum repugnaculo eisdem contrariando obviabat, ipsi ecclesie Strigoniensi et suo archyepiscopatui, ex vigore et virtute predictarum litterarum privilegialium dominorum Bele et Ladislai regum predictorum, de iure omnique veritatis tramite pertinere debere cognoveramus; et ex eo ipsius Petri, filii Apor, peticio veritati in hac parte suffragari videbatur, — ideo et ex causis premissis, predictam terre particulam ipsis Sixto lectori et Ompud fratri eiusdem, hereditarii iuris successione in ipsa possessione Heten, ut premisimus, pertinere debentem, sub inclusione predictarum metalium distinccionum, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, ipsi Petro, filio Apor; predictas autem terrarum particulas condicionarias, per predictum magistrum Sixtum lectorem, ipsi ecclesie Strigoniensi et suo archyepiscopatui, modo quo supra, ex permissione et voluntate ipsius domini Ladislai regis legatas, iuxta ipsius Petri, filii Apor, spontaneam resignacionem, similiter cum quibuslibet usibus, fructuositatibus et reditibus suis universis, iuxta predictarum metarum distinccionem, a predicta terre particula ipsius Petri hereditaria separatas, ipsi domino Chanadino archyepiscopo Strigoniensi et sue ecclesie antedicte, ac eius archyepiscopatui eo iure, que eis pertinere dinoscerentur, simul cum terra sua propria duorum aratrorum, iudiciarie nostre potestatis auctoritate, sine preiudicio iuris alieni, baronum et nobilium regni iuridico inducti consilio, perpetuo possidere adiudicantes; Nicolaoque, filio Nicolai, premissa acta potencialia perpetranti, perpetue taciturnitatis silencium iuridice imponentes ab eisdem. Honorabili capitulo ecclesie Jauriensis, amicis nostris, litteratorie scribentes eorum amiciciam petiveramus diligenter, ut eorum mitterent hominem pro testimonio fide dignum, quo presente Elbelinus, filius Dominici de *Vgal*, homo regie maiestatis, de curia regia ad hoc specialiter transmissus, ad faciem prememorate possessionis Heten vocate, in comitatu Kamaruniensi existentis, vicinis et commetaneis eiusdem universis legitime convocatis accedendo, eandem iuxta prescriptarum metarum, modo quo supra, in presentibus litteris nostris lucidius contentarum, cursus et limitaciones reambularet, reambulatamque novis metis iuxta veteres, ubi necesse fieret erectis, predictam terre particulam ipsi Petro, filio Apor, hereditarii iuris titulo, modo premisso in eadem pertinere debentem, secundum predictarum metarum distinccionem, a dictis terrarum particulis condicionariorum regalium et reginalium, per eundem magistrum Sixtum lectorem ipsi ecclesie Strigoniensi et suo archyepiscopatui, ut prediximus, datis et legatis, ac predicta terra ipsius domini archyepiscopi duorum aratrorum separando, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis ipsi Petro, filio Apor, et suis successoribus; prememoratas

enim terrarum particulas, in quibus olym agasones, precones, castrenses Kamaruniense et de Bana regales et reginales homines, ut pretactum est, commorabantur, iuxta ipsius magistri Sixti lectoris donacionem et testamentariam legacionem, ex benivola ipsius domini Ladislai regis admissione factam, ipsi ecclesie Strigoniensi et suo archyepiscopatui in eadem pertinere repertas, simul cum terris suis propriis duorum aratrorum, iuxta prescriptarum metarum, easdem terrarum particulas separancium cursus, ab invicem distingendo, similiter cum omnibus suis usibus, fructibus et utilitatum integritatibus, ipsi domino Chanadino archyepiscopo et sue ecclesie Strigoniensi, eiusque archyepiscopatui, eo iure, quo eis pertinere dinoscerentur, contradiccione predicti Nicolai, filii Nicolai, ac magistri Thome Rufi, et aliorum quorumlibet, eo quod in tota ipsius litis ventilacione nullius alterius contradiccio partibus obviarat, non obstante, sine preiudicio iuris alieni, statuerent perpetuo possidendas. Facta autem possessionaria statucione prenotata, si idem magister Thomas Rufus, vel alii, excepto ipso Nicolao, aliquo modo et titulo ius aliquod se habere sperarent in eisdem, liberam dum vellent, haberent prosequendi facultatem, moderamine iuris requirente. Et post hec, seriem premisse possessionarie statucionis, cum cursibus metarum et tocius facti processu, ad presentes octavas festi Omnium Sanctorum regie fideliter rescriberet maiestati, capitulum Jauriense prenotatum. 1345. 8. Nov.

Ipso siquidem termino reportacionis seriei premissorum occurente, predictum capitulum Jauriense, in suis litteris,‡ per predictum Petrum, filium Apor, et dictum dominum Chanadinum archyepiscopum simul nobis exhibitis, regie rescribebant maiestati, isto modo, ut ipsi cupientes nostre peticioni obtemperare, discretum virum magistrum *Demetrium, concanonicum* et sublectorem ipsorum, pro testimonio fide dignum, una cum predicto Elblino, filio Dominici de Vgal, homine regio, ad premissa exsequenda duxissent transmittendum. Qui demum ad eos reversi, concorditer et unanimi voce eis retulissent; quod ipsi ad faciem premorate possessionis Heten vocate, vicinis et commetaneis eiusdem universis legitime convocatis et presentibus eisdem, accessissent, et eandem possessionem Heten, iuxta tenorem litterarum privilegialium domini Bele, quondam regis Hungarie, beate recordacionis, in nostris litteris insertum, ac secundum nostrum iudiciarium processum, in hunc modum reambulassent: quod, quia predictum privilegium domini Bele regis, metas predicte tocius terre Heten, in medium per longitudinem a flumine *Sytua* incipere et sic a predictarum quinque particulis terrarum condicionariorum, videlicet agasonum, preconum, castrensium Kamaruniensium et de *Banawar,* regalium et eciam reginalium hominum, usque terram ville *Zeleus* separare asserebat, ob hoc ab eodem flumine Sytua a parte septemtrionali incipiendo, directe ad quendam montem vulgariter *Holm* dictum, in fine ipsius ville Hethen existentem venissent, ubi unam metam antiquam invenissent, quam ipsi vicini et commetanei, pro vera meta retulissent, circa quam unam novam erexissent, ubi et in eodem loco homines strare permisissent, per quorum cerciorem aspectum, ab ipso flumine Sytua, per directas metas valuissent separacionem facere inter terras antedictas, et sic vice iterata ad ipsum flumen Sytua redissent et ab eodem flumine incipiendo, circa rippam eiusdem, unam novam metam erexissent; et dehinc per eundem cursum, ad *iactum quatuor sagittarum* iterum unam novam metam, et postea per aliquod spacium terciam, et adhuc in eodem cursu directo unam

antiquam metam de metis antiquis invenissent, quam similiter ipsi vicini et commetanei pro vera meta retulissent, circa quam novam erexissent; et dehinc per modicum spacium eundo, quintam metam erexissent et sic directe ad ipsum montem Holm nominatum, ubi prius ipsam novam metam erexissent, pervenissent; dehinc vero versus ipsam terram Zeleus et locum ville procedendo, inter terras cultas et incultas, ad iactum *decem vel octo sagittarum,* duas metas terreas antiquas invenissent, iuxta quas unam novam erexissent; et abhinc usque ad ipsam terram Zeleus, in ipsis metis in quatuor locis in eodem cursu et linea, singulas duas metas antiquas invenissent, circa quas singulas novas metas erexissent; et adhuc in eodem cursu unam antiquam metam terream invenissent, circa quam aliam novam erexissent; et abhinc parvum declinando versus orientem, singulas metas antiquas duas vel tres invenissent; dehinc vero versus meridiem girando, per triplicatas metas antiquas et duplicatas, usque ad terram *Chepani Parvi* vocatam circuisent, quas metas antiquas ab ipsa terra Zeuleus usque terram ipsius Chepani Parui, absque novis metis erectis stare permisissent, quia Martinus, filius Apor, propter suam paupertatem, ipsarum metarum erecciones facere non posse allegasset. Et sic peractis premissis, una cum predictis vicinis et commetaneis, ac aliis nobilibus, illic ad hoc convocatis ad villam Heten accessissent, Nicolaum, famulum predicti magistri Thome Rufi, ac villicum et populos de eadem Heten convocantes, coram quibus predictas quinque terrarum particulas, prius nominatas, ipsorum condicionariorum a parte septemtrionali existentes, et cum novis metis separatas, ipsi domino Chanadino, archyepiscopo Strigoniensi, et per eum suo archyepiscopatui, simul cum ipsis terris suis propriis duorum aratrorum, perpetuo, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, sine preiudicio iuris alieni, statuissent possidendas; aliam vero partem predicte terre Hethen, a parte meridionali, cum ecclesia in honore beate Virginis in eadem fundata existentem, predicto Petro, filio Apor, et per eum suis heredibus similiter perpetuo statuissent possidendam. Porro, quia predicta terre particula, dicte possessionis Heten, a parte meridionali adiacens, in qua ecclesia in honore Dei Genitricis Virginis gloriose fundata haberetur, ipsi Petro, filio Apor, hereditarii iuris titulo, modo quo supra, pertinere debens, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis per premissarum metarum cursus distinguendo, perpetua stabilitate eidem Petro, filio Apor, et suis posteritatibus, premisse autem quinque terrarum particule condicionariorum regalium et reginalium, de predicta possessione Heten, a parte septemtrionali existentes, simul cum predictis terris duorum aratrorum propriis, similiter cum omnibus suis usibus et fructuositatibus universis, sub premissarum metarum distinccionibus, ipsi domino Chanadino archyepiscopo Strigoniensi, et suo archyepiscopatui, per predictos regios et dicti capituli Jauriensis homines, presentibus vicinis et commetaneis eiusdem universis, nemine contradictore existente, perpetuo statute fuisse, ex tenore predictarum litterarum capituli Jauriensis reperiebantur, ideo predictam terre particulam possessionis Heten antedicte, a parte meridionali existentem, in qua ecclesia in honore beate Virginis constructa fore asseritur ipsi Petro, filio Apor, hereditarii iuris successione, ut premisimus pertinere debentem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis iuxta premissarum metarum cursus et limitaciones, a predictis terrarum particulis condicionariorum regalium et reginalium sequestratam,

prememorato Petro, filio Apor, suisque heredibus et successoribus universis; premissas *enim* terrarum particulas, de dicta possessione Heten, in quibus olym agasones, precones, castrenses Kamarunienses et de Banawar, regales et reginales homines, ut pretactum est, residebant, a parte septemtrionali habitas, per predictum magistrum Sixtum lectorem, ipsius ecclesie Strigoniensi et suo archyepiscopatui, modo quo supra, ex permissione et generali voluntate ipsius domini Ladislai regis datas et legatas, iuxta ipsius Petri, filii Apor, spontaneam resignacionem coram nobis, quo supra factam, modo similiter sub premissarum metarum, superius expressarum sequestracionibus habitas, similiter cum omnibus suis reditibus, proventibus et fructibus universis, simul cum dicta terra duorum aratrorum, ipsi domino Chanadino archyepiscopo Strigoniensi, sueque ecclesie Strigoniensi supradicte et eius archyepiscopatui, eo iure, quo eis ex premissis racionibus pertinere dinoscuntur, sicut prius sic et nunc, iudiciaria auctoritate adiudicamus, sine preiudicio iuris alieni, perpetuo possidere, tenere pariter et habere. Silencium ipsi Nicolao, filio Nicolai, perpetuum ex nunc iuridice imponendo ab eisdem. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras nostras privilegiales, pendentis sigilli nostri autentici munimine roboratas. Datum, in *Wyssegrad,* duodecimo die octavarum festi Omnium Sanctorum predictarum, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto.

Extus manus med. aevi adnotat: Sentencia super terra Heten. — Sigillum e rubro et viridi serico pendet. — Originale in vasta membrana, minusculis litteris dense, sed legibiliter exaratum, in Arch. Primat. Secul. Lad. C. nr. 12.

p. 581. * Cf. Op. huius T. I. p. 534. nr. 697.

p. 582. ** Videtur ergo linquam latinam non satis bene intelligere.

p. 583. *** Mandatum Pauli iudicis curiae regiae, anno 1345. 21. Sept. super exhibitione omnium privilegiorum 7. Octob. producendorum editum, habetur in Arch. Primat. Secul. Lad. C. nr. 15. ast valde lacerum et maxima parte penitus illegibile.

p. 583. **** Cf. Op. h. T. I. p. 606. nr. 784.; et quoad lit. a 1223 eman. ibidem p. 240. nr. 260.

p. 586. †† Lit. Cap. Jaurien. de dat. 1345. 19. Oct. vide sub nr. 766.

772.

1345. (Pozsony.) 19. Nov. — Magistratus civitatis Posoniensis, litem cum capitulo Poson., quoad iura terragii vinearum et testamentaria, necnon census pecuniarios, amice componit.

Nos comes *Jacobus iudex,* et iurati, ceterique cives et hospites de civitate *Posoniensi,* significamus quibus expedit, tenore presencium universis, quod cum inter nos ab una parte, ab altera vero inter honorabiles viros magistrum *Martinum, Demesiensis* ecclesie *prepositum,* prepositure Posoniensis in spiritualibus generalem vicarium, et capitulum Posoniense, super iuribus, seu redditibus eiusdem ecclesie Posoniensis, tytulo terragii de vineis eiusdem ecclesie, intra terminos civitatis nostre memorate existentibus, quas ex nobis civibus quidam, ab ipsis honorabilibus viris preposito et capitulo presentibus, et ab eorum predecessoribus canonicis conductas tenent, possident et conventas, ipsis dominis preposito et capitulo, annis singulis in vindemia provenire de iure debitis et debendis, mota fuisset materia questionis et diucius inter nos partes, hinc inde utrimque domino nostro regi, domine regine, et regni baronibus ac prelatis hac de causa, tam per ipsos dominos, quam per nos inproperiis (sic!) pluribus porrectis et

querelis, per ipsos dominos, quia ipsa eorum iura terragialia, per nos cives annis tribus habebantur occupata vel retenta; per nos vero, quia racione huiusmodi detencionis ipsorum iurium suorum interdicti et excommunicacionis sentenciis, per eosdem dominos tenebamur aggraciati, (sic) fuisset plurimum disceptatum; ad ultimum tamen, racione boni pacis et amoris concordie, cum eisdem honorabilibus viris, dominis magistro Martino, prepositi vicario generali et capitulo, super premissis eorum iuribus, a nobis, seu a nostris concivibus sibi iure debitis et condigne, in hanc pacis devenimus unionem: quod, si nos cum ipsis dominis preposito et capitulo, et ipsi nobiscum, a venerabili patre, domino archyepiscopo Strigoniensi, eundem litteris piorum patrum predecessorum eius, *Thome* videlicet et *Bolezlay,* memoriarum beatarum, diligencius informando, ne ab huiusmodi vinearum vinis exigantur decime, prout per ipsos predecessores suos felices concessum paternaliter fuerat et indultum, optinere poterimus graciose: extunc ipsa iura terragialia de ipsis vineis, ab ecclesia Domini Salvatoris conductis, eisdem dominis preposito et capitulo annis singulis, ut tenemur, velut iure debitores, plene et integraliter dare et solvere obligamur; verum si ab ipso domino archiepiscopo, hec gracia, ut videlicet memoratarum vinearum decime relaxentur, obtineri non posset, tunc saltem de consilio et arbitrio duorum ex canonicis, per ipsos honorabiles viros prepositum et capitulum, et duorum civium per nos ad hoc deputandorum, protunc prenotatarum vinearum servicia terragialia prelibata, vinearum ipsa terragia deserviencium qualitate et valore prius consideratis diligenter et perspectis, ubi eisdem quatuor personis iuxta eorum fidem et conscienciam videbitur, limitanda minorentur, ut scilicet utraque, tam decime, quam terragii onera cultores earumdem facilius valeant supportate. Se*t* nos iudex, iurati, ceterique cives et hospites civitatis Posoniensis supradicte, tam prefati iuris terragialis, quam testamentarii, ac census pecunialis qualiumlibet, que et quos iidem domini prepositus et capitulum, ac ipsa ecclesia Posoniensis nunc habent, vel habebunt in futurum, quoscumque inter nos, quod absit, de cetero temerarios detentores, vel in solvendo negle*g*tores, seu dissimulatores promittimus, nos obligando presentibus, iuxta iura civitatis nostre, annis singulis fideliter, firmiter et efficaciter, iuridice punituros. Addicimus finaliter, quod et si tum propter nostre peticionis instanciam, tum racione per nos promisse promocionis fabrice Domini Salvatoris ecclesie supradicte, sepedicta iura terragialia trium vindemiarum preteritarum, iidem domini prepositus et capitulum memoratarum vinearum cultoribus, duxerint amicabiliter relaxanda, nichilominus tamen eadem iura terragialia quarte vindemie, nunc videlicet in proximo preterite, cum aliis testamentariis iuribus et censibus pecuniariis, ipsis et ecclesie memorate debitis universis, a toto tempore triennio usque modo ipsis dare perperam negle*g*tis et retentis, cum nostris concivibus et cohospitibus, ex nunc et in antea, annis singulis, perpetuo plene et integre ministrari, expediri faciemus et persolvi. Datum, in die beate Elyzabeth, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo quinto.

Sigillum e zona membr. pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa G. fasc. 3. nr. 51.

773.

1345. Avignon. 4. Dec. — Clemens PP. VI., Franciscum episcopum Tergestinum, nuntium suum, ad partes Hungariae delegat, eique diurnum octo florenorum per clerum loci, in quo moram traxerit, impendi iubet.

Tenorem vide sub nr. 791.

774.

1345. Pozsony. 6. Dec. — Ludovicus I. rex, Dionysium et Ladislaum, ab impetratione et occupatione possessionis Zenyér, Nicolaum Ladislai, vice dapiferum et alios quoslibet, prohibuisse testatur.

Nos *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendamus per presentes, quod Dyonisius, filius *Serphusde,* suo item vice et nomine Ladislai fratris sui, ad nostram presenciam accedendo, per modum protestacionis nostre curavit significare maiestati, quod prout ipsi verius percepissent, Nicolaus filius Ladislai, nunc vicedapifer noster, quandam possessionem, ut dicit ipsorum hereditariam, *Zynyer* vocatam, in comitatu *Symigyensi* existentem, a nobis sibi nomine possessionis, per nos conferri possibilis et nostre collacionis spectantis, perpetuo postulasset, que tamen, ut in sua et dicti fratris sui persona asserit, ad ipsos iure hereditario pertineret. Unde suo, et vice, ac nomine eiusdem fratris sui, faciendo protestacionem huiusmodi, dictum Nicolaum, filium Ladislai et alios quoslibet, ab impetracione prefate possessionis, Zynyer nominate, a nostra maiestate facta vel facienda, et occupacione ac perpetuacione eiusdem prohibuit, contradicendo et contradixit prohibendo coram nobis. In cuius prohibicionis et protestacionis testimonium presentes eisdem duximus concedendas, communi iusticia suadente. Datum, *Posonii,* in festo beati Nicolai confessoris, anno Domini M° ccc° xl^mo quinto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 26. fasc. 6. nr. 9.

775.

1345. Avignon. 12. Dec. — Clemens PP. VI., decimas per triennium in subsidium belli contra Turcos deputatas, usque ad biennium prorogat, eorumque collectionem archiepiscopo Strigon., eiusque suffraganeis committit.

Clemens, episcopus servorum Dei, venerabilibus fratribus . . . archiepiscopo Strigoniensi eiusque suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem. Dudum non sine amaritudine mentis accepto et etiam facti evidentia, proh dolor, toti mundo notum reddende, quod gentes illorum infidelium paganorum, que *vulgari lingua Turchi* vocantur, sitientes apertis faucibus sanguinem populi Christiani et ad ipsius exterminium fideique catholici anhelantes, collectis sue viribus nationis, a certis tunc retro continuatis temporibus, cum maxima quantitate lignorum navalium armatorum in partibus *Romanie,* aliisque locis fidelium convicinis, eisdem Christianorum fines per mare fuerant ingressi et in Christianos et loca ac insulas eorumdem atrociter sevientes per mare discurrerant et incessanter discurrere non cessabant, dampnificantes et depopulantes loca et insulas fidelium partium earumdem, ipsasque incendio miserabili supponentes et quod

erat nephandius fideles eosdem in predam abducebant, ipsosque subiciebant horribili et perpetue servituti, vendentes eos ut animalia, ipsosque ad denegandam fidem catholicam compellentes; quodque insulam *Nigripontis* diversis temporibus et vicibus, cum eorum iniqua potentia et furore sevissime feritatis, hostiliter invaserant et post depopulationes, incendia, cedes et spolia per infideles ipsos in dicta et aliis insulis, ac terris dictarum partium immaniter perpetrata, innumerabiles personas fidelium eorumdem cepisse ipsasque redegisse, proh dolor, asserebantur in servitutem predictam. Nos tunc de huiusmodi pravis conatibus et oppressionibus, quos fera paganitas in eosdem fideles sic atrociter exercebat condolentes in intimis, et propterea vias et modos exquirentes, ut statui dictorum Christianorum sic oppresso possemus utiliter providere, tandem diligenti tractatu prehabito super hys ordinandum duximus: ut certa armata galearum per nos in illo tunc proximo anno realibus de nostra camera, ac spiritualibus et ecclesiasticis subsidiis adiuvanda et per carissimum in Christo filium nostrum *Hugonem* regem *Cipri* — illustrem et dilectos filios . . . . magistrum et fratres — hospitalis sancti Johannis Jerosolomitani et nobilem virum ducem Venetiarum et quosdam alios, in instanti fieret pro succursu et defensione fidelium predictorum, usque ad tunc futurum triennium duratura et quod huiusmodi galee bellatoribus et aliis gentibus oportunis et armis bene munite apud dictam insulam Nigripontis certo termino convenire deberent, contra infideles eosdem auctore Domino viriliter profecture et nichilominus pro efficaciori succursu Christianorum predictorum, verbum crucis vivifice cum consuetis indulgenciis et remissionibus adversus paganos eosdem in regno Cipri, nec non predictis Romanie ac *Italie,* aliisque diversis partibus mandavimus predicari; ac insuper, quia tam arduum tamque onerosum negocium magnis expensarum profluviis indigebat, decimam omnium ecclesiasticorum proventuum et reddituum, per universas mundi partes *Francie, Anglie* ac *Ispaniarum* regnis et terris dominio regum, regnorum ipsorum subiectis, nec non personis et bonis, dicti hospitalis duntaxat exceptis, usque ad tres annos extunc in antea computandos, auctoritate apostolica de fratrum nostrorum consilio duximus imponendi, prout in diversis nostris exinde confectis vobis etiam directis litteris plenius continetur. Cum autem hodie predicti triennii, considerata tanti negocii qualitate, in quo a tempore ordinationis huiusmodi ipsius armate, Deo auspice cuius res agitur, solicite et continue processum extitit et intentum, satis de proximo finis instaret, nos totis desiderantes affectibus, ut huiusmodi negotium prosperaretur feliciter et attendentes, quod predicti fideles illarum partium, ac loca et insule supradicte fidelium eorumdem succursu et defensione continuis indigebant, cupientesque viis et modis quibus possemus huiusmodi statui predictorum fidelium, prestante Domino utiliter et efficaciter providere, prefatum tempus dicti triennii armate predicte, usque ad biennium a fine dicti triennii computandum, auctoritate apostolica, de predictorum fratrum nostrorum consilio, duximus prorogandum; volentes etiam predicationem eiusdem verbi crucis vivifice per dictum biennium in eisdem partibus fieri, ac omnes et singulas similes remissiones et indulgentias aliis remissionibus et indulgentiis per nos concessis in litteris dicti triennii, in casibus duntaxat similibus, in quibus illas concessimus in litteris antedictis, omnibus Christi fidelibus illas per operis exhibitionem assequi volentibus, per alias nostras litteras misericorditer largientes et nichilominus de con-

silio et auctoritate predictis, decimam omnium ecclesiasticorum proventuum et reddituum per universas partes predictas, sub regnorum, terrarum, personarum et bonorum exceptionibus, nec non modificationibus, conditionibus, modis et formis, ac compulsionibus expressis, in aliis nostris litteris antedictis, confectis super impositione et exactione decime triennii supradicti, usque ad predictum biennium, pro subsidio et succursu fidelium et fidei predictorum imponendam duximus a vobis et universis patriarchis et aliis archiepiscopis et episcopis, ceterisque personis ecclesiasticis, quibuscunque exemptis et non exemptis, parcium predictarum, quolibet anno biennii in duobus terminis appositis et expressis in eisdem litteris nostris decimalibus sepedicti triennii, integraliter persolvendam. Quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vos et singuli vestrum in vestris civitatibus et diocesibus, per vos et alias personas ecclesiasticas, seculares et regulares ordinum quorumcunque, quas ad hoc ydoneas esse noveritis, prorogationem, voluntatem, remissionum et indulgentiarum concessionem, ac decime impositionem, predictas solenniter publicantes, ad predicationem verbi crucis eiusdem et eius signi venerabilis concessionem, ac impositionem in humeris fidelium quorumlibet illud devote suscipere volencium, per prefatum biennium, nec non ad collectionem et exaccionem decime supra dicte, in predictis duobus terminis, anno quolibet ipsius biennii persolvende procedatis, auctoritate nostra, iuxta earumdem nostrarum, super predicatione dicte crucis ac remissionum et indulgentiarum concessione, nec non exaccione et colleccione decime predictarum vobis alias etiam, ut premittitur, directarum formam et continentiam litterarum. Porro quia presentes littere nequirent forsan propter viarum discrimina, vel alia impedimenta legitima vestrum singulis commode presentari, volumus: quod *per te frater archiepiscope, dictarum litterarum transumptum manu publica scriptum,* tuoque communitum sigillo, vobis suffraganei transmittatur, cui adhiberi per vos volumus velut originalibus plenam fidem. Datum, *Auinione,* II. Idus Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Sub plicatura a sinist.: Signum aliquale. — Extus vero ibidem: De curia B. de Valla. — Regestrata. — Bulla e cannab. pendet. — Origin. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 44. fasc. 2. nr. 7.

776.

1345. (Circa) — —. Conventus de iuxta Gron, locum molendini in fluvio Büksevnicze, Jacobo famulo Kadoldi urburarii de Bakabánya, pro annuali censu elocat.

A. B. C.

Nos conventus, monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium *Goron*, omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presens scriptum inspecturis, salutem in largitore salutis. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod matura inter nos deliberacione prehabita, ex consensu communi, ad promocionem nove montanie in possessione domini regis *Sewniche* noviter invente, concessimus seu condonavimus Jacobo, famulo Kadoldi urbararii domini regis, civi de *Bakabania,* super fluvium *Byksewniche,* intra metas possessionis nostri monasterii habitum unum fundum, seu locum molendini, nonum decimum ab inferiori parte ipsius rivuli sursum numerando, pro censu annuali eo modo:

quod predictus Jacobus, ipsum fundum, seu locum, vel molendinum constructum, aliis hominibus non posset conferre seu vendere, nisi nostris litteris mediantibus; et sub censu annuali infrascripto, ita videlicet, quod in octavis festi Ascensionis Domini, proxime nunc venturis, et in aliis singulis annis subsequentibus in predictis octavis, de qualibet rota molendini unum fertonem fini argenti, et pro muneribus unum lothonem, nobis in nostro monasterio solvere teneatur; penam dupli incursurus, si ipsum terminum obmitteret in solvendo. Et si ipsam principalem solucionem, cum pena dupli infra quindenas, predict*as* octav*as* festi Ascensionis Domini, immediate subsequentes solvere negligeret, vel non curaret, extunc ipsum molendinum, cum omnibus suis pertinenciis, in dominium et proprietatem monasterii nostri, sine omni gravamine, qualibet occasione et contradiccione postposita, pleno iure devolveretur eo facto, nulla libertatis prerogativa, si quam Kadoldus, vel alii cives de *Bakabania,* seu hospites in novis montaniis *Sewniche* nominatis, ex consuetudine, vel ex donacione regali haberent, vel in posterum habere possent, eidem Jacobo in hac parte suffragante; sicut ad omnia premissa et singula premissorum se, coram nobis, spontanee obligavit. In cuius rei testimonium, presentes concessimus litteras nostras, sigilli nostri autentici appensione roboratas. Datum.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Archiv. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 31. — Annum, manu saec. XVI. instrumento adnotatum, verosimilem fecisse videntur literae superius sub nr. 745 communic.

777.

1346. (Pozsony). 1. Jan. — Magister Joannes Orros, vicecomes Posoniensis, contra Nicolaum de Gomba, domum fratris sui Kupe hostiliter invadentis, per capitulum Posoniense inquiri petit.

Honorabilibus viris, capitulo ecclesie *Posoniensis,* dominis et amicis suis plurimum reverendis, magister *Johannes,* dictus *Orrus,* vicecomes de eodem (sic), sincere amicicie continuum incrementum. Dicit nobis *Kupe,* filius *Kumpurd* de *Gumba,* quod pridem, videlicet in festo beati Stephani prothomartiris proxime preterito, Nicolaus, frater eiusdem, super domum ipsius hostiliter invadendo, per ictum sagittarum mortificare voluisset; lite tamen inter ipsos pendente. Super quo vestre discrecionis amiciciam presentibus requirimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo presente, Barnabas de *Samut,* homo noster, et Dominicus de *Vzur,* unus iudicum quatuor, sciant et inquirant de premissis omnimodam veritatem et post hec, prout veritas constiterit premissorum, nobis tocius facti seriem amicabiliter rescribatis. Datum, in octavis Nativitatis Christi, videlicet in die Strennarum, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ sexto. 1345. 26. Dec.

Sigillum ext. margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 28. fasc. 1. nr. 12.

778.

1346. Avignon. 9. Januarii. — Clemens PP. VI., Bertrando patriarchae Aquilaeensi et Francisco episcopo Tergestino, nuntiis suis ad regem Hungariae missis jubet, ut ad expedienda melius negotia eis concredita, praelatos Hungariae convocent.

Ed. Theiner: Mon. Hist. Hung. T. I. p. 702.

779.

1346. Avignon. 9. Januarii. — Clemens PP. VI., archiepiscopo Strigoniensi et reliquis praelatis, ac proceribus regni committit, ut nunciis suis, super his, quae eis duxerint explicanda, fidem adhibeant.

Ed. Theiner: l. c. p. 703.

780.

1346. (Nyitra.) 9. Jan. — Capitulum Nitriense, filios Ladislai de Kőbölkút, in causa per Nicolaum sacerdotem de Üztörfalu mota, sacramentum purgatorium deposuisse, testatur.

Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX.[1] p. 411.

781.

1346. Avignon. 1. Febr. — Clemens PP. VI., archiepiscopo Strigoniensi, eiusque suffraganeis, interfectores Andreae regis, eorumqne fautores et complices, infamiae perpetuae damnatos esse, annuntiat.

Ed. Theiner: l. c. p. 703 et sqq.

782.

1346. (Budahévviz.) 5. Febr. — Conventus Cruciferorum Budensium, Joannem prepositum Scepusiensem, palatium quoddam emisse testatur.

A. B. C.

Omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presentem paginam inspecturis, frater *Bartholomeus prior* et conventus cruciferorum ecclesie sancte *Trinitatis de Calidis Aquis*, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod Stephanus, Mychael, et Thomas, filii Symonis, hospites de eisdem Calidis Aquis, coram nobis propriis eorum in personis comparendo, sunt confessi oragano (sic!) vive vocis, quod ipsi quoddam pallacium ipsorum empticionarium, ipsis iure paterno, seu successorio devolutum, in eisdem Calidis Aquis a deorso (sic!) sessionum, seu fundorum comitum Pauli et Dominici, inter duas vias in acie habitum, cum omnibus hedificiis, utilitatibus, et attinenciis suis universis, ex consensu et connivencia omnium liberorum, proximorum et cognatorum eorundem, nullo contradictore penitus apparente, honorabili ac discreto viro, domino Johanni, preposito ecclesie sancti Martini *de Scepus*, et per eum suis successoribus, seu ecclesie sancti Martini prenotate, pro quatraginta octo marcis argenti, plene habitis ab eodem domino preposito et de thesauro eiusdem ecclesie sancti Martini persolutis, eo iure, ea libertate, eaque plenitudine, quibus ad ipsos dinnoscitur pertinuisse et pertinere, dedissent, vendidissent et contulissent, *ymo* vendiderunt iure perpetuo et irrevocabiliter pacifice et quiete possidendum, tenendum pariter et habendum; nil iuris, nilque proprietatis sibi et eorum successoribus amodo et deinceps de eodem reservando, sed totum ius et dominium eiusdem pallacii et utilitatum hedificiorum, ac attinenciarum ipsius, in ipsum dominum prepositum et successores suos transferendo. Assumpserunt eciam dicti Stephanus, Mychael et Thomas, filii Symonis, prenotatum dominum Johannem prepositum

et suos successores, ac ecclesiam sancti Martini prenotatam ab omnibus, et specialiter a Jacobo, filio Johannis, filii eiusdem Symonis, pretextu predicti pallacii et utilitatum eiusdem, per ipsos venditi et traditi, successu temporum molestare, seu impetere conantibus, defendere et expedire, propriis eorum laboribus et expensis. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes nostras litteras privilegiales eidem domino preposito et ecclesie sue concessimus, sigilli nostri munimine roboratas et alfabeto intercisas. Datum in festo beate Agate virginis, anno Domini M° ccc° LX^mo sexto.

Sigillum bene conservatum e rubro et flavo serico pendet. (Vide Jerney. Tört. Tár. II. fig. 66.) — Orig. membr., in Arch. Cap. Scepus. Priv. Scrin. 2. fasc. 6. nr. 9.

783.

1346. (Eger.) 6. Febr. — Capitulum Agriense, Nicolaum priorem claustri de Sarus, ob violentias nobilium de Fyntha, protestasse perhibet.

Nos capitulum ecclesie *Agriensis,* significamus universis, quorum interest, presencium per tenorem memorie commendantes, quod vir religiosus frater *Nicolaus,* prior domus seu claustri beati *Ztanizlay martiris de Sarus,* pro se et pro conventu eiusdem domus, scilicet fratribus heremitarum de ordine sancti Agustini (sic!) feria secunda proxima post festum sancte Agathe virginis et martiris, anno videlicet Nativitatis Domini M° ccc° XL^mo sexto, nostram personaliter adeundo presenciam, per modum protestacionis nobis curavit significare, quod Johannes et Nicolaus, filii Stephani, nobiles de *Fyntha,* utpote vicini et commetanei cuiusdam possessionis ipsorum *Zedekerthe* vocate, usus, fructus et utilitates annotate possessionis ipsorum Zedekerthe, in comitatu de Sarus, ut dicitur existentis, et titulo efficacissimorum instrumentorum ad ipsos pertinentis, contra legitimam prohibicionem mediantibus vicecomitis et quatuor iudicum nobilium hominibus, ac eciam litteris eorundem per ipsos factam, a pluribus temporibus retrohactis percepissent et nunc perciperent ac percipi facerent incessanter, minas percussionis et mortis iabagionibus ipsorum in dicta possessione commorantibus, palam et occulte, irrogantes et irrogari facientes. Quiquidem eciam filii Stephani, fratrem Johannem predecessorem suum priorem, racione defensionis dicte possessionis et iuris ipsorum, in eodem claustro beati Ztanizlay martiris interficere attemptassent, nisi idem prior per alios probos viros tunc defensus extitissent, seu protectus. Qua quidem protestacione facta, preallegatus frater Nicolaus prior suo et dicti conventus sui nomine, sub presidio et tutela consuetudinis istius istius (sic bis!) regni, ac eciam iuris de rigore, memoratos filios Stephani et quoslibet alios ab ulteriori percepcione dictarum utilitatum eiusdem possessionis ipsorum prohiberet et prohibuit coram nobis, testimonio presencium literarum nostrarum et auctoritate. Datum, die et anno supradictis. 1346. 6. Febr.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strig. Priv. Caps. August.

784.

1346. (Esztergom Sz. István.) 5. Mart. — Conventus Cruciferorum de Strigonio, literas suas super venditione possessionis Csév, per Mikocsa capitulo Strigoniensi facta emanatas, transsumit.

Nos conventus cruciferorum, domus hospitalis sancti regis Stephani de *Strigonyo,* tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod discretus vir magister *Petrus,* canonicus ecclesie *Strigoniensis,* vice et nomine capituli Strigoniensis, ad nostram personaliter accedendo presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras nostras privilegiales, infrascripti tenoris, petendo nos verbo eiusdem capituli humiliter et devote, ut quia ipsum privilegium, ita dominum archiepiscopum Strigoniensem, sicut ipsum capitulum tangeret, et apud eundem dominum archiepiscopum ipsum privilegium existeret, nec in specie eidem capitulo dare voluisset ad exhibendum, in presencia excellencie reginalis, tenorem eiusdem sub nostro sigillo, maiorem ad cautelam, rescribere dignaremur. Quarum tenor talis est:

Tenorem lit. Jacobi magistri, de venditione et traditione villae Csév a. 1321. (erronee 1320) 6. Oct., per com. Mikócsa, Capit. Strigon. facta, vide sub nr. 12 super., ubi ex ipso orig. edit. est. 1321. 6. Oct.

Nos igitur (expunct.: predictas) predictas litteras nostras privilegiales, non abrasas, non cancellatas, nec in aliquo vicio viciatas, s*et* omni suspicione carentes, de verbo ad verbum transcribi facientes, favore iusticie, ad peticionem eiusdem capituli, nostro sigillo, maiorem ad cautelam, fecimus consignari. Datum, in dominica Invocavit, anno Domini M° ccc° xL^mo^ sexto.

In plicatura manus saec. XV. adnot.: Super possessione Chewi, in comitatu de Strigonio. — Et in tergo; Transscriptum super empcione Chewj. — Et contin. alia manus: que est in comitatu Strigoniensi, et apud manus Gregorii Labatlan. — Sigillum e zona membr. pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 26. fasc. 3. nr. 1. — In dato privilegii transsumti 1320. manifeste error occurrit. Boleslaus enim hoc anno adhuc nec electus, eo minus archiepiscopus de facto, dici potuit.

785.

1346. Avignon. 16. Mart. — Clemens PP. VI., Chanadino archiepiscopo Strig. concedit, ut limina apostolorum, anno quinquagesimo futuro et sepulchrum Dominicum et alia oratoria terrae sanctae, visitare possit.

Ed. Theiner: Monum. T. I. p. 710.

786.

1346. (Pozsony.) 25. Mart. — Magister Joannes Orros, vicecomes Posoniensis, Blasio de Fenyér super vulneratione sua, contra Blasium, testes coram capitulo Posoniensi producere iubet.

Nos magister *Johannes,* dictus *Orrus,* vicecomes Posoniensis et iudices nobilium de eodem, damus pro memoria, quod feria sexta proxima, videlicet post medium xL^me^, in forma nostri iudicii Blasius, filius Symonis *de Fener,* contra Blasium, filium Matie, iuxta tenorem priorum litterarum nostrarum proposuit tali modo, quod ipse feria tercia proxima post festum beati Michaelis archangeli, cuius nunc septima revolucio preteriit annualis, quinque wlneribus letalibus ipsum sauciaverit, de quibus uno wlnere pollex unius manus sue mutilando incurvatus extitisset; ex adverso vero idem Blasius, filius Matie, se in premissis asseruit innocentem penitus et immunem. Tandem parcium relacione audita, cum dictum Blasium, filium Symonis, utrum suam accionem prehabitam testimonio velit comprobare, nec-ne, terna 1346. 24. Mart. 1339. 1. Oct.

vice inquisitum habuissemus, item Blasius, filius Symonis, assumpsit comprobare. Igitur nos commisimus, quod feria sexta proxima, videlicet post dominicam Letare, coram capitulo Posoniensi, testibus quibus evidencius poterit, suam accionem prehabitam contra Blasium, filium Matie, ut assumpsit, teneatur comprobare, et post hec octavo die seriem et nomina testium productorum, in litteris dicti capituli, per partes volumus reportari. Datum, secundo die termini prenotati, anno Domini M° ccc^mo XL^mo sexto. 1346. 31. Mart. 1346. 7. Apr.

Duo sigilla ext. margini erant appressa. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 28. fasc. 1. nr. 11.

787.

1346. Avignon. 17. Apr. — Clemens PP. VI., fratres Ord. S. Joannis Hyerosol. ab omni iurisdictione eximit et immediate apost. sedi subordinat.

Clemens, episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Licet ecclesie ac hospitalia et alia quepiam loca ecclesiastica, per universum orbem diffusa, sedi apostolice, que super illa obtinet principatum, disponente Domino, sint subiecta, sedes tamen eadem nonnulla ex ipsis ecclesiis hospitalibus, et aliis piis locis, eorumque personas, prout expedit, specialiter sibi subdit, ea ab aliorum ordinariorum quorumlibet eximens potestate, ac statuens ipsa fore libera ac exempta. Quamvis igitur, prout petitio dilectorum filiorum . . . magistri et fratrum hospitalis sancti *Johannis Jerosolimitani,* nuper nobis exhibita, continebat, ipsum hospitale, cum prioratibus, preceptoriis, domibus, ecclesiis et aliis membris suis, eidem hospitali mediate seu immediate subiectis, ubilibet constitutis, ab olim reputatum fuerit, et adhuc etiam reputetur, communiter fore a iurisdictione quorumlibet iudicum ordinariorum exemptum, ac soli immediate dicte sedi apostolice subiacere, cum personis degentibus in eisdem, iidem tamen magister et fratres nobis humiliter supplicarunt, ut ad vitandum cuiuslibet molestie, ac inquietacionis materiam, que ipsis contra libertatem exempcionis eiusdem posset inferri, et ut quelibet propterea tollatur contra eos occasio malignandi, et ut ipsi magister et fratres, qui contra hostes fidei Christiane hactenus exposuerunt et exponunt, iugiter se et sua possint hostes ipsos in ultramarinis partibus et alibi liberius impugnare, prefatum hospitale cum suis prioratibus, preceptoriis, domibus, ecclesiis et aliis membris et personis predictis, pro incremento boni status dictorum hospitalis et membrorum, ac pace et tranquillitate personarum degentium in eisdem, eximere totaliter auctoritate apostolica dignaremur. Nos igitur premissis omnibus diligenter attentis, volentes ipsorum magistri et fratrum, ac membrorum et personarum eorumdem paci et tranquillitati salubriter providere, ipsaque prerogativa specialis favoris et gratie communire, huiusmodi supplicationibus inclinati, magistrum et fratres predictos, ac *sorores* et donatos, qui in eorum ingressu obedientiam et votum solemne fecerint et emiserint, conviventes et conversantes secundum regulam hospitalis eiusdem, ac ipsum hospitale, cum eorum prioratibus, preceptoriis, domibus, grangiis, ecclesiis, oratoriis, capellis et aliis membris suis, presentibus et futuris, ab omni ordinaria iurisdictione, dominio et visitatione, ac superioritate qualibet, omnium et singulorum patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et

aliorum quorumlibet iudicum et officialium, ordinariorum ecclesiasticorum, plene de specialis dono gratie, cum moderatione subsumpta eximimus et totaliter liberamus, illaque in ius et proprietatem beati Petri et sedis eiusdem, ac sub eorum speciali et immediata protectione suscipientes et nostra, decernimus hospitale, cum eius prioratibus, preceptoriis, domibus, grangiis, ecclesiis, oratoriis et aliis membris huiusmodi, et personas predictas soli et immediate sedi apostolice subiacere. Quodque locorum ordinarii in magistrum, fratres ac hospitale, preceptorias, domos, grangias, ecclesias, oratoria et alia membra et personas huiusmodi, utpote prorsus exempta, non possint auctoritate ordinaria excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententias promulgare, vel alias etiam ratione delicti, vel quasi seu contractus, vel quasi aut rei de qua agitur ubicunque committeretur delictum, vel quasi seu iniretur contractus, vel quasi aut res ipsa consisteret potestatem seu iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere, felicis recordationis *Innocentii* pape *IIII,* predecessoris nostri, circa exemptiones edita, que incipit *Volentes,* et aliis constitutionibus apostolicis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque. Decernimus insuper, quaslibet excommunicationum, suspensionum et interdicti sententias, et quoscunque processus, quasvis penas et sententias continentes, quas et quos contra magistrum et fratres, ac hospitale, nec non prioratus, preceptorias, domos, grangias, ecclesias, oratoria et alia membra et personas predictas, contra tenorem et formam exemptionis huiusmodi, quomodolibet promulgari et haberi contigerit, irritos et inanes. Volumus tamen, quod magister et fratres predicti unam marcham auri, in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli, singulis bienniis, camere apostolice solvere teneantur ad indicium percepto a nobis huiusmodi libertatis. Quodque per presentem exemptionem et alia supradicta, libertatibus, privilegiis et immunitatibus aliis magistri, ac fratrum et hospitalis predictorum, nullum preiudicium generetur, quin *imo* volumus, quod illa in sua plena remaneant firmitate. Per premissa tamen, aut eorum aliquod, diocesanis et quibusvis aliis, quoad procurationes in locis dicti hospitalis recipi consuetas, et quoad iurisdictionem omnimodam in ecclesiis parochialibus, quantum ad ea, que curam animarum concernunt, etiam si cura huiusmodi per fratres hospitalis eiusdem exerceatur, nec non quoad visitationem et procurationem debitas, nullum volumus preiudicium generari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum exemptionis, liberationis, protectionis consitutionum et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum, *Auinione,* XV. Kalendas Maii, pontificatus nostri anno quarto.

In plicatura ad laevam: CCCC. Io. de Mossis; et a dextris: Dupplicatum Firminus. — Extus vero: Jacobus Andeberti. — Bulla plumb. de rubro et flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Crucif. de Alba Capsa 1. nr. 4.

788.

1346. Visegrád. 28. Apr. — Ludovicus I. rex, Petrum, filium Nicolai filii Zaha, canonicum Strigoniensem et Agriensem, ac eius fratrem Nicolaum, a iudicatu et iurisdictione quorumlibet iudicum, e gratia speciali eximit.

Ed. Cod. Com. Zichy. T. II. p. 201.

789.

1346. — 29. Apr. — Magister Kenth, vicecomes Simigiensis, causam magistri Stephani, contra Georgium et Paulum, prorogat.

Nos magister *Kenth,* vice domini Bartholomei, comes *Symigiensis,* et quatuor iudices nobilium eiusdem comitatus, damus pro memoria, quod magister Stephanus, filius *Trepk,* sabbato proximo post festum beati Georgii martiris, contra Georgium, filium Petri, iobagionem Ladislay, filii Philipi de *Kedhel,* proposuit eo modo, quod predictus Georgius apud ipsum unum bovem, *aurem precindentem* (sic) eidem Ladislao, eundem (expunct.: Ladislaum) Georgium cum eodem bove commisimus statuere, sabbato proximo post octavas beati Georgii predictis, coram nobis. Item eodem die proposuit eomodo, quod Paulus, filius Bede, ex consilio eiusdem Ladislai domini sui, alium bovem effugasset. Andreas litteratus, procurator ipsius Ladislai, afirmavit, quod predictus Paulus, apud Ladislaum non fuisset, nec esset; quiquidem procurator magistri Stephani dixit, ut apud ipsum fuerit. Datum sabbato supradicto, anno Domini M° ccc° xl^mo sexto.

1346. 29. Apr.

1346. 6. Maii.

Extus: Pro magistro Stephano, contra Georgium et Paulum, ad sabbatum proximum post festum beatorum Philippi et Jacobi apostolorum. — Sigillum exteriori margini est appres. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 1. fasc. 3. nr. 7.

790.

1346. Esztergom. 1. Maii. — Chanadinus archiepiscopus Strigon., Martinum praepositum Poson., ab impetitione capituli, cum comminatione poenarum, dehortatur.

Nos *Chanadinus,* Dei et apostolica gracia archiepiscopus *Strigoniensis,* locique eiusdem comes perpetuus, discretis viris *Nicolao* canonico *Posoniensi* et eiusdem ecclesie plebano, item *Thedrico,* ecclesie *sancti Michaelis* de eodem, et Fridrico de *Sancto Georgio,* ecclesiarum plebanis et rectoribus, cum paterna benediccione salutem. Non sine lamentabili gemitu et intimi doloris cordis compunctu, vestre fidelitati ad ociose manus officium, ex pastoralis officii excitacione, calamum conscribendi duximus assumpmendum. Quoniam, et si volatilis fame ventilitas nostras aures sepius propulsasset, et diurnos auditus excitasset, ut officium inquisicionis nostre ad desendendum (sic) in vallem veritatis, contra dominum *Martinum,* prepositum *Demesiensem* et administratorem, ut dicitur, ecclesie Posoniensis, et videndum, utrum clamorem, qui venit ad nos, opere compleverit nec-ne, sepe sepius commovissent; que tamen omnia, paterna moti pietate, sub taciturnitate silencii duximus pretereunda. Tamen hys diebus, novo novius vigilias nostri cordis, proch dolor, ut credimus, honorabile capitulum Posoniense, cuius ipse nunc est et se reputat dispensatorem, et utinam non disscipatorem, conductorem et utinam non inbursatorem, pastorem (expunct.: vel) et utinam non consumptorem, consumpmatorem, sed pocius, prout videtur, corruptorem, accedens ad nostram presenciam, per suos veros et legittimos procuratores, ac de suo corpore socios et concanonicos, non tam mirabiles, quam miserabiles querimonias, eundem denuncciando, nobis porrexerunt; inter cetera minuta, tria capitalia continentes:

Primum videlicet, quod sua discrecio non ut forma facti gregis, sed ut dominans in clero, nec ut communitatem côllegialiter, sed particulares eciam singulares personas, omnes contumeliosis obprobriis ac importabilibus vituperiis et dampnandis iniuriis, verbotenus et factis affecisset, et nullum ex eis in eo gradu, statu, condicione, dignitate et ordine pati vellet et honorare, in quo a Deo sunt vocati, et ab hominibus honorati.

Secundum est, quod inaudibilis cupiditatis *yatu* (sic), tamquam leo rugiens et circuendo, quem devoret querens, ipsos et eorum bona, que sunt caritatis suffragia, nunc minuendo, nunc parcitando, nunc aufferendo, nunc eorum condicionem in deterius mutando, non prout deberet, de virtute in virtutem proficiscendo, sed de corruptela in corrupcionem peragrando, occuparet, invaderet, detineret, ac occupata, invasa et detenta usurparet.

Tercium specialis, *ymmo* specialissimum specialissime persecucionis signum, specialis et reverendi viri, custodis eiusdem ecclesie persecucio, in suis proventibus diminucio, et dignitatis eiusdem humiliacio iniusta; quum quosdam reditus, eidem custodie deputatos et a dierum longitudine, cuius principii, vel ordinacionis memoria vix, vel nunquam existit, a quo, vel a quibus eadem custodia, vel custos ecclesie, in tranquilla semper et pacifica possessione extitit, sedit et quievit. Cuius quidem custodie redituum et proventuum, fere quasi medietatem, adhuc ante eciam quasi sibi in titulum occupasset, vel titulo se possidere allegaret. Supradicti tamen procuratores capituli nullum ius habere in eisdem, vel in aliqua sui parte, predictum dominum prepositum allegarunt; quibus non contentus, quoddam lichinium, quandam vineam, quosdam certos reditus, singulis annis septem libras facientes, sibi usurpavit, eidem custodie testamentaliter legata, prout eciam hoc videmus in instrumentis, racionibus et munimentis, super hoc per eundem dominum custodem et procuratores capituli nobis presentatis, et specialiter in litteris venerabilis in Christo patris domini *Gentilis*, de latere cardinalis et legati in partibus istis, super hoc emanatis.

Quare fidelitati vestre in virtute sancte obediencie et sub interminacione maledicionis eterne, firmo firmius precipientes mandamus, quatenus visis et receptis presentibus, infra triduum omnes simul et unanimiter, vel divisim ad presenciam prefati Martini prepositi accedatis; et primo per se, demum publice, quibus si non paruerit, tandem tercio et manifeste ipsum moneatis canonice et inducatis ewangelice, quod memor divine legis, qua monemur proximos, sicut et nos diligere, de premissis omnibus aquiescant, et animum rapiendi ubi potest, concupiscendi ubi non potest, de cetero refrenet et quiescet, eosdem dominos non iniuriis et contumeliis, sed affectibus graciosis amplexando et iuris suasus consilio commonemur unicuique, quod suum est reddere, et quod cesaris est cesari, quod Dei est dare Deo, quod capituli est, reddat capitulo. Item cum sicut dignitas, vel prebenda una in se dividi non debeat, ita nec fructus dignitatis, sicut que sunt custodie, integraliter et plene sint costodis. Quibus omnibus, non tam vestris, quam nostris monicionibus si paruerit cum effectu, bene quidem, si vero contradiccione restiterit, seu parere contempserit, cum ecclesia sancti Salvatoris Posoniensis sit de membro et corpore ecclesie Strigoniensis, et quam ex pastoralis solicitudinis nobis incumbente officio tenemur protegere et tueri, sicut et istam: denuncientis eidem, quod non odii ex famite, set caritatis amore nos urgente, ad correcciones ulteriores et moniciones stricciores, cum penarum

adieccionibus, iusticia suadente, contra ipsum procedemus. Datum, *Strigonii,* in die beatorum Philippi et Jacobi apostolorum, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ sexto.

E transumpto capit. Strigon. a 1359. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson. Priv. Capsa H. fasc. 1. nr. 1. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX^1^. p. 404.

791.

1346. Pozsony. 18. Maii. — Franciscus episcopus Tergestinus, nuncius apostolicus, ab archiepiscopo Strigoniensi 216 florenos aureos, praeter expensas, sibi pendendos, postulat.

Franciscus, miseracione divina episcopus *Tergestinus,* apostolice sedis nuncius, reverendo in Christo patri ac domino, domino . . . Dei gracia *archiepiscopo Strigoniensi,* ac venerabilibus et discretis viris dominis . . . vicariis . . . officialibus . . . sigilliferis . . . procuratoribus . . . seu receptoribus eiusdem domini . . . archiepiscopi, et cuilibet eorum in solidum, salutem in domino et mandatis nostris, *ymo* verius apostolicis firmiter obedire. Litteras sanctissimi patris et domini nostri, domini *Clementis,* divina providencia pape VI., eius vera bulla plumbea, more Romane curie in filo canapis bullatas, non viciatas, nec in aliqua sui parte suspectas, s*e*d omni vicio et suspicione carentes, nos recepisse noveritis in hec verba:

Clemens, episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus . . . patriarchis . . . archiepiscopis et . . . episcopis ac dilectis filiis . . . clericis . . . abbatibus . . . prioribus . . . decanis . . . prepositis . . . archidiaconis . . . archipresbiteris , . . plebanis . . . rectoribus et aliis ecclesiarum prelatis, vel eorum vices gerentibus, et personis ecclesiasticis quibuscunque, religiosis et secularibus, et ecclesiarum ac monasteriorum capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cluniacensis, Cisterciensis, Cartusiensis, Premonstratensis, Sanctorum Benedicti et Augustini, et aliorum ordinum, nec non . . . magistris . . . prioribus et . . . preceptoribus sancti Johannis Ierosolimitani et sancte Marie Theutonicorum et Calatranensis hospitalium, sive domorum, ad quos presentes littere pervenerint, salutem et apostolicam benediccionem. Cum venerabilem fratrem nostrum Franciscum, episcopum Tergestinum, apostolice sedis nuncium, ad regnum Vngarie, pro quibusdam arduis negociis destinandum providerimus et voluerimus: quod per partes Lumbardie, pro certis aliis expediendis, per nos ibidem sibi commissis transitum faciat, prosequendo ad dictum regnum Vngarie iter suum, universitatem vestram rogamus et ortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem episcopum, cum per partes vestras transitum fecerit, ob reverenciam apostolice sedis et nostram, benigne recipientes et graciose tractantes, diebus singulis eundo ad dictas partes, et in eis morando ac redeundo de illis, eidem in octo florenis auri, pro suis necessariis et de securo conductu, nec non eveccionibus oportunis, si sue forsan in via decesserint vel defecerint, vobis quam primum fieri poterit restituendis, cum super premissis per eundem episcopum, vel eius nuncium fueritis requisiti, liberaliter providere curetis. Et quia onera, in partes divisa, facilius perferuntur, volumus, quod si eundem nuncium in aliquibus locis [commo]rari pro eisdem negociis contigerit, vos fratres . . . patriarche . . . archiepiscopi . . . episcopi alieque persone ecclesiastiastice, non solum earumdem sed [. . . . . .]um, sicut ipse nuncius pro huiusmodi oneribus dividendis et facilius supportandis expedire viderit,

contri[buere] teneamini supradicta, sic itaque mandatum nostrum huiusmodi efficaciter adimplentes, quod nos devocionem . . . exinde commendare merito valeamus. Alioquio sentenciam, quam ipse nuncius, per se vel alium rite tulerit in rebelles, super quo plenam tenore presencium ei auctoritate apostolica concedimus potestatem, ratam habebimus et faciemus auctore Domino, usque ad satisfaccionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus, si vobis, vel vestrum alicui vel aliquibus, vel quibusvis aliis, seu locis, vel ordinibus, communiter vel divisim, a sede sit indultum predicta, quod nunciis sedis eiusdem procuracionem aliquam exhibere, vel in ea contribuere nisi ad vos declinaverint non teneamini et ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi vel excommunicari non possitis, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem, et quibuslibet privilegiis et indulgenciis quibuscunque, locis, personis vel ordinibus, sub quacunque forma vel expressione verborum, ab eadem sede apostolica concessis; de quibus quorumque, totis tenoribus in nostris litteris mencio sit habenda, et per que presentis nostri mandati effectus valeat quomodolibet impediri. 1345. 4. Dec. Datum, *Auinione,* II. Nonas Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Quarum igitur autem litterarum vos dominum . . . archiepiscopum requirimus et rogamus, vobis vero . . . vicariis . . . officialibus . . . sigilliferis . . . procuratoribus . . . seu receptoribus supradictis et cuilibet vestrum districte precipiendo mandamus, quatenus pro expensis nostris et familie nostre necessariis, viginti septem dierum, quibus eundo ad dictas partes, pro dictorum negociorum expedicione, fuimus et erimus *in diocesi Strigoniensi* predicta, *ducentos et sedecim florenos* auri, una cum expensis inde factis et faciendis, per *Wilhelmum de Yissem,* notarium nostrum, presencium exhibitorem, quas expensas ad sexaginta denarios Winenses (sic!) taxamus, pro quolibet die sibi persolvendos, per vos infra tres dies, diem presentacionis seu notificacionis presencium vobis facte immediate sequentes, quorum unum pro primo, unum pro secundo et reliquum pro tercio et peremptorio termino, ac monicione canonica prefigimus et vestrum cuilibet assignamus, ubicunque fuerimus per unum de vestris fidelibus nunciis transmittere procuretis. Alioquin in vos dominum archiepiscopum predictum, contra quem ob reverenciam vestre pontificalis dignitatis nullam intendimus de presenti sentenciam promulgare, se*t* in ecclesiam Strigoniensem predictam interdicti, et in vos . . . vicarios . . . officiales . . . sigilliferos . . . procuratores et alios predictos, lapso dicto termino, canonica monicione premissa, ex nunc prout ex tunc, excommunicacionis sentencias ferimus, in hys scriptis. Litteras autem contributorias, quoad aliquos ordinarios vobis vicinos, nec non super omnes beneficiatos exemptos et non exemptos vestre civitatis et diocesis cum solveritis, in forma debita vobis tradi faciemus, sumptibus vestris et expensis; de presentacione autem et aliis que circa premissa fient, latori presencium dabimus plenam fidem. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus imprimendum. Datum, in *Posonio,* Strigoniensis diocesis, anno Domini millesimo ccc^mo^ quadragesimo sexto, indiccione XIIII. die XVIII. mensis Maii, pontificatus dicti domini nostri, domini Clementis pape VI. anno quarto.

Sigillum in fine text. fuit cerae rubr. appressum. — Orig. chart., in Arch. Primat. Arch. Eccl. Vet. nr. 20/3.

792.

1346. Visegrád. 24. Maii. — Elisabetha regina, contra magistratum Strigoniensis civitatis, ob prohibitum capitulo Strigoniensi tributum, inquiri iubet.

Tenorem vide sub nr. subsequenti.

793.

1346. (Esztergom.) 30. Maii. — Conventus Cruciferorum de Strigonio, tributum a magistratu civitatis Strig. prohibitum esse, reginae Elisabethae rescribit.

Excellentissime domine *Elysabet,* Dei gracia regine Hungarie, conventus cruciferorum, domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani *de Strigonio,* oracionum suarum suffragia devotarum. Litteras vestre serenitatis, reverencia qua decuit, recepimus in hec verba:

Elysabet, Dei gracia regina Hungarie, fidelibus suis, conventui ecclesie sancti Stephani regis de Strigonio, salutem et graciam. Dicitur nobis in persona honorabilis capituli *ecclesie Strigoniensis,* quod iudex, iurati et universi cives de Strigonio, lite inter ipsos pendente, tributum, quod forensibus et aliis extraneis hominibus, eis de iure solvere debentibus, exigi et dari deberet, omnino prohiberent, in preiudicium capituli supradicti. Super quo fidelitati vestre mandamus precipientes, quatenus vestrum detis hominem, pro testimonio fidedignum, coram quo Ladislaus *de Patach,* vel Mauricius de eadem, homo noster, sciat et inquirat de premissis omnimodam veritatem, et tandem facti seriem nobis fideliter rescribatis. Datum, in *Vysegrad,* in vigilia Ascensionis Domini, anno eiusdem M° ccc^mo^ xl^mo^ sexto. 1346. 24. Maii.

Nos vero mandatis vestre serenitatis obedire cupientes, ut tenemur, una cum ipso Ladislao de Patach, homine vestro, fratrem Paulum ad premissa inquirenda duximus pro testimonio transmittendum. Qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt, quod ipsi sabbato proximo post festum Ascensionis Domini prenotatum, ad iudicem, iuratos et universos cives de Strigonio accessissent, iidemque iudex, iurati et universi cives de Strigonio in unum conveniendo, hoc dixissent: quod ipsi a recepcione tributi capitulum ecclesie Strigoniensis et eorum tributarium, super forenses et extraneos homines non prohibuissent, nec prohiberent; in villis autem (expunct.: circumiacentibus) in circuitu ipsius civitatis iacentibus, taliter scivissent, quod iidem iudex, iurati et universi cives de Strigonio, exaccionem tributi dicti capituli Strigoniensis, super forenses et alios extraneos homines, in civitate Strigoniensi exhigere prohibuissent. Datum, feria tercia proxima post festum Ascensionis Domini prenotatum, anno (expunct.: Domini) supradicto. 1346. 27. Maii.

Extus: Excellentissime domine Elisabet, regine Hungarie, rescripciones super inquisicione, facta contra iudicem et iuratos civitatis Strigoniensis. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 41. fasc. 3. nr. 12.

794.

1346. Esztergom. 7. Jun. — Jacobus, praepositus s. Thomae, vicarius generalis Chanadini archiepiscopi Strig., discordias inter administratorem praeposituraе et capitulum Posoniense exortas, componit.

Nos magister *Jacobus,* decretorum doctor, ac *prepositus sancti Thome martiris* de promontorio Strigoniensi, necnon venerabilis in Christo patris, domini *Chanadini,* Dei et apostolica gracia archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui, vicarius in spiritualibus generalis, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod cum ex antiqui hostis invidia, unitos caritate vulnerantis, presidenciam superbe inpacientis, obedienciam tollerare non ferentis ex eo, quia caritatem, quam ipse nequivit in celo servare, videt homines constantes ex lutea materia, in terra interdum firmiter tenere, contigisset, ut inter reverendum virum *Martinum, prepositum Dimisiensem,* et administratorem prepositure *Posoniensis* ab una, et honorabile capitulum communiter, item inter dominum *Petrum, custodem* eiusdem ecclesie Posoniensis specialiter, parte ab altera, quedam discordia et litis materia fuisset exorta, cuius et qua occasione, idem capitulum communiter, et predictus dominus Petrus custos specialiter, eundem dominum Martinum prepositum, de certis articulis contra iusticiam eos in suo iure perturbantibus, iniuriose et querulose coram predicto domino nostro archiepiscopo denunciassent, et pluribus diebus eciam concertassent, eodem domino Martino preposito presente, tres sibi inter cetera articulos o*b*ponentes, a quorum inquietacione et perturbacione se liberari finaliter graciose post*a*larunt: primo videlicet, ne idem prepositus verbis turpibus et o*b*probriosis, eorum decenciam dehonestantibus, personas eorum inficeret, prout interdum faciebat; secundo, quod certam pecunie quantitatem, que ut dicebant, posita racione et facta computacione, ascendebat ad quindecim libras, minus triginta denariis, de eorum reditibus per ipsum detentam, eis quasi caritative redderet; et tercio, quod ipsos in illo statu, gradu, et condicione servaret, quemadmodum eos invenit, administracione predicta ad ipsum deventa: novitates, immutaciones et altercaciones iniuriosas minime inferendo; et specialiter, quod supradictum dominum Petrum, custodem, quem pluralem, *y*mmo pluralissimum in beneficiis eiusdem ecclesie appellans, petendo ab eo racionem compossibilitatis eorumdem beneficiorum, videlicet *altaris beati Gotthardi,* cum proventibus *capelle sancti Nicolai,* et missarum beate Virginis Marie et huiusmodi, perturbare nitebatur in eorum beneficiorum suorum statu, compossibilitate, unione et coniunccione, absque ulla, possessionisque huiusmodi inquietacione, sicuti invenit, dimittere, permanere. Super quibus, et omnibus aliis articulis, multisque obiectibus (sic), eciam per eundem dominum prepositum eidem communiter et divisim impositis, hinc et inde coram eodem domino nostro archiepiscopo multipliciter disputatis, tandem cum pro componenda et facienda caritativa composicione inter eos, eadem causa per eundem dominum nostrum archiepiscopum nobis specialiter fuisset commissa, Deo pacis auctore et multis aliis probis viris, utriusque partibus concordiam diligentibus, hoc procurantibus, taliter inter se concordarunt: quod supradictum capitulum, per suos procuratores promisit eidem domino preposito, quemadmodum eciam alias de iure deberent et tenerentur, propter administracionis intuitum et racionem, omnimodam exhibere et servare obedienciam, reverenciam et honorem, sicut prelato eorum. De quibus tamen tribus supradictus dominus prepositus ipsos, quod sibi non impenderent accussabat. E converso autem sepedictus dominus prepositus assumpsit et promisit, eos fraternaliter diligere, racione administracionis vere, ipsos favorabiliter et paternabiliter tractare, et verbis illicitis, sicut nec unquam fecerat, prout idem alle-

gabat, nunquam inficere; et generaliter eos, in eodem statu, gradu, dignitate et condicione honesta, tamen licita et legittima, prout eos invenit, conservare, nulla immutacione, ac novitate introducta. Specialiter autem prefatum dominum Petrum custodem assumpsit et promisit in integritate custodie et suorum beneficiorum, omniumque horumdem (sic) fructuum, reditnum et proventum percepcione pacifica, prout idem et ceteri antecessores sui, ab antiquo perceperunt, quiete conservare. Et sic *in signum mutue concordie et pacis reparate, tactis manibus, prout est moris,* se invicem in gremium caritatis amplexarunt. Datum, *Strigonii,* feria quarta proxima post festum Bonifacii martiris, anno Domini M° ccc^mo^ xl.^mo^ sexto.

E transumpto capit. Strigon. 1359. — Sigillum e zona membr. pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson. Priv. Capsa H. fasc. 1. nr. 1. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX¹. p. 439. et sqq.

Datum diei, quia in diplomatibus nostris, prout Ferd. Knauz (Kortan p. 149.) demonstravit, duo Bonifacii, unus nempe 14. Maii, alter autem 5. Junii, occurrunt, clare determinari non valemus. Quia tamen Martinus praepositus, per Chanadinum archiepiscopum, ut nr. 790. ostendit, prima tantum Maii, ad satisfactionem provocatus fuit, haecque provocatio primum delegatis, quorum unus, plebanus nempe de Sancto Georgio, Posonio sat remote habitavit, admanuari, per eosque praeposito praesentari debuerit; quo peracto partes certe inter se conferebant, tum Strigonium descendentes, pluribus diebus, ut literae praesentes asserunt, coram archiepiscopo concertabant: verosimile est hic Bonifacium de 5. Jun. intelligi.

795.

1346. (Esztergom.) 11. Jun. — Conventus Cruciferorum de Strigonio, metas possessionis archiepiscopalis, Kéménd vocatae, eam ab aliis possessionibus separantes, describit.

A. B. C.

Conventus cruciferorum, domus hospitalis ecclesie sancti regis Stephani de *Strigonyo,* universis Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presentem paginam inspecturis, salutem in salutis largitore. Scriptum est, organo Dominice vocis expresso verbo: quod audimus loquimur et quod vidimus testamur et quod plurimorum testimonio firmatur sua debet stabilitate perpetuo perdurare. Proinde ad universorum, tam presencium, quam futurorum noticiam, harum serie volumus pervenire, quod venerabilis in Christo pater, dominus *Chanadynus,* Dei et apostolica gracia archyepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus ab una; item Nicolaus, filius Nicolai, et Mauricius, filius Mauricii de *Salasun,* ac Ladislaus, filius Ambrosii de *Patach* nobiles, parte ex altera; ad nostram personaliter accedentes presenciam, propositum extitit per eosdem concorditer et relatum: quod, quia inter prememoratum dominum Chanadynum archiepiscopum, ac eosdem Nicolaum filium Nicolai, Mauricium filium Mauricii, ac Ladislaum filium Ambrosii, super metis suarum possessionum predictarum discordia et dissensio, racione antiquitatis earumdem metarum extitisset, volentes ut de medio ipsorum ipsius discordie et dissensionis materia radicitus sopiretur, et perpetue pacis unione super ipsis metis in perpetuum perfrui valerent et valeant gratulari, ad earumdem metarum reambulacionem et renovacionem, nostrum testimonium, ydoneum, pari consensu dari et transmitti postularunt, ut coram eodem nostro testimonio, idem dominus archyepiscopus metas possessionis sue, *Kemend* vocate, ex parte predictorum nobilium possessionibus, prenominatique nobiles prememoratarum suarum possessionum, *Zalasun,* et *Patach* vocatarum, reambularent, et quod ubi necesse fieret novas metas iuxta veteres

erigerent et antiquas renovarent. Nos itaque eorum peticionibus iuri consonis, racionique consentaneis, equitate suadente (emans.: inclinati), ad premissa facienda et exequenda, una cum nobilibus viris Thoma palatino, et Georgio filio *Tymus,* hominibus et procuratoribus eiusdem domini archiepiscopi legitimis, et Nicolao filio Nicolai, Mauricio, filio Mauricii, et Ladislao filio Ambrosii, *fratrem Paulum,* consocium nostrum, duximus pro testimonio transmittendum. Qui demum ad nos reversi, consona voce nobis retulerunt eo modo: ut feria tercia proxima post festum Penthecostes proxime iam preteritum, ad faciem memorate possessionis *Kemend* accessissent, et eandem sic reambulassent et a predictis possessionibus prenominatorum nobilium, cum novarum metarum ereccionibus, hoc ordine distinxissent et separassent: quod primo et principaliter, mete predictarum possessionum inciperetur ex parte possessionis *Boorth*, ecclesie Strigoniensis, a duabus metis terreis magnis et antiquis a parte occidentis; et abhinc curreret versus orientem inter ipsas possessiones Kemend et Zalasun, eosdem Nicolaum filium Nicolai, Mauricium filium Mauricii, et Ladislaum filium Ambrosii, communiter contingentem, per longum et magnum spacium, cum duabus singulis metis terreis et diversis, de novo per eosdem erectis, usque ad terram religiosarum dominarum monyalium de *insula Strigoniensi,* ubi circa unam antiquam metam, aliam novam erexissent; et ipsam relinquendo, in eodem meatu se aliquantulum declinando, iret in terris arabilibus, similiter cum diversis et singulis metis terreis de novo erectis, inter predictas possessiones Kemend, dicti domini archiepiscopi, et *Patach* eiusdem Ladislai filii Ambrosii, usque ad magnam viam, que veniret de Strigonyo, quam in eodem metarum cursu saliret ultra, circa quam duas metas terreas erexissent; dehinc autem iret ad unam terram incultam, vulgariter *Gyep* dictam, super qua unam metam terream erexissent; et super eadem terra *Gyep* veniret ad angulum unius ortus de eadem Patach, ubi unam metam erexissent, et ob maioris huius rei memoriam in eadem unum magnum lapidem imposuissent; abhinc iret ultra ad unam metam terream de novo erectam; et inde ad fluvium *Gron*, in cuius rippa eciam unam metam erexissent; et ibi supra molendinum saliret ultra ad unum *Patakheer* dictum, inde ad unum locum fimatum vulgariter *Telek* dictum, ubi unam metam terream erexissent; et abhinc iterum ad duas metas terreas, in fine eiusdem Telek, circa unum nemus, vulgariter *Beregh* dictum existentes; dehinc autem ad unam metam terream, in cuius medio esset arbor salicis, que a parte inferiori separaret terre Patach, a parte vero superiori terre Kemend; et de inde ad aliam metam, in cuius medio esset arbor illicis; dehinc vero in eodem cursu versus orientem veniret ad fluvium *Noggron* vocatum, in cuius portu, ex ista parte ipsius fluvii *Gron,* duas metas terreas erexissent; ubi et in alio portu eiusdem fluvii mete predicte possessionis Kemend, a predicta possessione Patach separarentur et terminarentur. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem, ad peticionem et instanciam parcium predictarum, presentes concessimus litteras nostras, pendentis sigilli nostri munimine roboratas et alphabeto intercisas. Datum, in octavis festi Penthecostes antedicti, anno Domini M° ccc° XL^mo sexto.

1346. 6. Jun.

Sigillum e viridi serico contexto pendet. — Orig. membr., in Arch. Prim. Secul. Lad. J. nr. 17.

796.

1346. (Pozsony.) 12. Jun. — Magister Joannes Orros, vicecomes Posoniensis, requirit capitulum Posoniense, ut pro occupandis Nicolai de Gomba, capitis damnati bonis, testimonium exmittat.

Viris reverendis et honestis, capitulo ecclesie *Posoniensis,* dominis et amicis suis plurimum honorandis, magister Johannes, dictus *Orrus,* vicecomes de eodem (sic), debitum amicicie, sincero cum honore. Cum Nicolaus filius *Kumpurd de Gumba,* iuxta continenciam literarum magistri Nicolai, comitis Posoniensis, domini nostri metuendi, formam et modum iudiciarie deliberacionis eiusdem exprimencium, contra Paulum filium *Wyadal,* iobagionem *Kupe* de eadem, in facto potenciali, videlicet in sentencia capitis et amissione posessionum suarum convictus coram nobis existat, ad quarum possessionum occupacionem, informante regni consuetudine, vestra testimonia nimirum indigemus, quapropter vestre discrecionis amiciciam presentibus requirimus attente, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, coram quo Dominicus de *Uzur,* unus iudicum quatuor et Barnabas de *Samuth,* homo noster, duas partes possessionum predicti Nicolai filii *Kumpurd,* quovis modo vocatarum, pro nobis et nostris byrsagiis ocupent et recapiant, terciam vero partem predictarum possessionum adversario prefati Nycolai, scilicet Paulo filio Wyadal, cum universis earundem utilitatibus, regni consuetudine exigente, contradiccione qualibet non obstante, statuant et assignent, pleno iure possidendam; et post hec seriem premissorum, vestri gracia, nobis amicabiliter rescribatis. Datum, secundo die festi sancte Trinitatis atque individue Unitatis, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ sexto.

Extus: Amicis suis, plurimum reverendis, capitulo ecclesie Posoniensis. — Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 31. fasc. 1. nr. 1.

797.

1346. Wien. 14. Jun. — Franciscus, episcopus Tergestinus, nuncius apostolicus, ab archiepiscopo Strigon., titulo expensarum 216 florenos auri, sub poena excommunicationis postulat.

Franciscus, miseracione divina episcopus *Tergestinus,* apostolice sedis nuncius, reverendo patri in Christo, domino *Chenadino* (sic), archiepiscopo Strigoniensi, ac venerabili viro domino *Jacobo vicario,* ac procuratoribus et . . receptoribus eiusdem domini . . archiepiscopi et cuilibet eorum in solidum, salutem in Domino et mandatis nostris, *ymo* verius apostolicis, firmiter obedire. Sanctissimus pater et dominus noster, dominus *Clemens,* divina providencia papa VI., nos ad partes regni Vngarie, pro certis suis et Romane ecclesie transmittendo negociis, nobis super expensis nostris et familie nostre necessariis, suas concessit litteras, eius vera bulla plumbea, more Romane curie bullatas, in quibus inter alia de octo florenis auri, singulis diebus pro huiusmodi expensis per quoscunque . . patriarchas . . archiepiscopos et . . episcopos . . electos . . abbates et quoscunque alios ecclesiarum prelatos, ordines quoscunque, ecclesiarum quarumcunque rectores et personas ecclesiasticas quascunque, religiosas et seculares, eundo ad dictum regnum, stando et redeundo de eo, nobis provideri mandabat. Dando nobis, auctoritate apostolica, plenam potestatem, rebelles ecclesiastica censura compescendi; prout hec et alia in predictis litteris apostolicis

plenius continentur. Verum nuper nobis ad dictum regnum, pro prosecucione expedicionis dictorum negociorum euntibus, et aliquibus diebus in *Posonio,* Strigoniensis diocesis, stantibus, causis certis et legitimis vobis dominis . . archiepiscopo . . vicario, ac aliis omnibus supradictis, auctoritate predicta, per nostras litteras mandavimus, ut infra certi temporis spacium, vobis in huiusmodi nostris litteris prefixum, pro expensis predictis *viginti septem dierum,* quibus fuimus et esse habebamus *in diocesi Strigoniensi* predicta, ducentos et sedecim florenos auri, nobis transmittere curaretis; alioquin in vos . . dominum vicarium excommunicacionis et in ecclesiam Strigoniensem predictam interdicti sentencias, extunc in scriptis tulimus; sed in vos dominum . . archiepiscopum, tunc ob reverenciam vestre pontificalis dignitatis, nullam voluimus sentenciam promulgare. Cum itaque vos predicti domini . . archiepiscopus et . . vicarius, de apostolicis atque nostris litteris plene certificati fueritis, ipsasque legeritis, videritis et tenueritis, copiamque earundem habueritis, infradicti temporis spacium, nec post, huiusmodi nostris, *ymo* verius apostolicis mandatis parere non curaveritis, nec curatis, prout *Wilhelmus* de *Yissem,* canonicus ecclecie *Werdensis,* notarius noster iuratus, oraculo vive vocis nobis retulit, et propter hoc necessitate compulsi, prefatam expensarum nostrarum pecuniam, videlicet ducentos et sedecim florenos auri, *dampnis et usuris* gravibus *Wine* (sic!) acquiri facere nos oportuit, dictique floreni ipsius usure prave pariter atque dampni sumptuose sumant augmentum, vestris contumaciis et rebellionibus exigentibus et nimirum in hoc contemptores, *ymo* pocius detractores apostolicorum esse videmini mandatorum. Quia vero obediencia parum prodesset humilibus, si inobediencia contumacibus non obesset, idcirco vos et quemlibet vestrum, auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, primo, secundo, et tertio peremptorie requirimus et monemus, vobisque nichilominus et cuilibet vestrum sub penis infrascriptis districte precipiendo mandantes, quatenus infra sex dies, diem presentacionis seu notificacionis presencium vobis facte immediate sequentes, quorum dierum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos pro tercio et peremptorio termino, ac canonica monicione assignamus, predictorum florenorum quantitatem, una cum expensis inde factis et faciendis, per dictum , . . . nostrum notarium, quas singulis diebus ad LX-ta Winenses S.*, in predictis nostris litteris taxavimus et taxamus, ac omnibus usuris excrescentibus, atque dampnis nobis, vel . . . . procuratori nostro in Wina, per fidelem vestrum nuncium transmittere procuretis. Alioquin vobis domino Chenadino archiepiscopo, lapso dicto termino, canonica monicione premissa, ingressum ecclesie interdicimus in hys scriptis. Si vero prefatum interdictum, per alios sex dies, prefatos sex immediate sequentes sustinueritis, vos in hys scriptis suspendimus a divinis. Si vero prefatas interdicti et suspensionis sentencias per alios sex dies, prefatos XII immediate sequentes sustinueritis, quod absit, animo indurato, lapso dicto termino, canonica monicione premissa, vos prefatum dominum Chenadinum archiepiscopum, excommunicacionis sentencia ex nunc, prout ex tunc in hys scriptis innodamus; vosque dominum Jacobum vicarium, procuratores et receptores predictos, si premissa non adimpleveritis cum effectu, lapso dictorum sex dierum termino, canonica monicione premissa, ex tunc prout ex nunc, et ex nunc prout ex tunc, in hys scriptis ex habundanti eciam, excommunicacionis sentencia innodamus. Predicentes nichilominus expresse vobis et cuilibet vestrum, contra vos et quemlibet vestrum, ac ecclesiam Strigoniensem,

nos processuros fore in Romana curia et extra, prout nobis iusticia suadente videbitur expedire. Datum, *Wine,* Pattaviensis diocesis, nostro sub sigillo. Anno Domini millesimo ccc° XLVI° indiccione XIIII. die XIIII. mensis Junii, pontificatus dicti domini pape anno quinto.

Wilhelmus.

Extus: Novum mandatum. — Et manus XV. saec. adnotat: Novum mandatum quoddam episcopi Tergestini parvi momenti. — Sigillum rubrum, praelatum aut sanctum quemdam exhibens, inferiori margini est appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 25. fasc. 1. nr. 12.

798.

1346. Wien. 14. Jun. — Franciscus episcopus Tergestinus, nuncius apostolicus, ad solutos per archiepiscopum Strigoniensem 216 florenos, episcopum Quinqueecclesiensem 72 florenos contribuere, iubet.

Franciscus, miseracione divina [episcopus *Tergestinus*, apostolice] sedis nuncius, reverendo in Christo patri, domino . . . Dei gracia archiepiscopo Strigoniensi, ac venerabilibus et discretis viris [. . . . .] libet , . . . sigilliferis . . . . procuratoribus, ... seu receptoribus eiusdem domini . . . . archiepiscopi, vel eorum vices gerentibus et cuilibet eorum [in solidum] . . . . litteras sanctissimi patris et domini nostri, domini *Clementis,* divina providencia pape VI., eius vera bulla plumbea, in filo [cannabis] more Romane curie bullatas, non viciatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni vicio et suspicione carentes, nos recepisse noveritis in hec verba:

Sequitur numerus 791 ut supr.

Cum itaque predictarum litterarum virtute, racione procuracionum nostrarum, nobis debitarum, pro viginti septem diebus, quibus stando et transeundo per vestram civitatem et diocesim ad dictas partes moram traximus in eisdem, ducentos et sedecim florenos auri iam . . . . notario nostro solvi feceritis, iuxta predictarum apostolicarum, ac nostrarum litterarum continenciam et tenorem; nos nolentes vos in tota solucione huiusmodi florenorum aggravari, cum onus divisum in partes facilius supportetur; volumus, ut reverendus in Christo pater, *dominus . . . . Quinqueecclesiensis episcopus,* pro novem diebus in septuaginta duobus florenis auri contribuere nobiscum in solucione huiusmodi teneatur; vobis et ipsi domino . . . . episcopo auctoritate a[postolica, qua] in hac parte fungimur, concedentes, ut tam vos, quam prefatus dominus . . . . episcopus, a capitulis ecclesiarum vestrarum, necnon a quibuscumque p[ersonis sec]ularibus et religiosis, exemptis et non exemptis et a clero civitatum et diocesium vestrarum iuxta vestrorum et cuiuscumque ipsorum . . . . . [prov]entuum, secundum quod vos et eos de predicta contribucione continget, cum expensis legitimis, inde factis et faciendis, adhibitis ta[men pro ta]xacione huiusmodi expensarum de personis ecclesiasticis duabus, vel tribus, ad hoc *y*doneis, petere, levare et exigere possitis. Et ut vos prefatum dominum episcopum ad id, si infra terminum, quem ei duxeritis prefigendum, florenos non solverit supradictos, vosque et idem dominus . . . . . episcopus omnes ecclesiasticas personas, religiosas et seculares, exemptas et non exemptas vestrarum civitatum et diocesium, ad contribucionem predictam, per censuram ecclesiasticam compellere possitis; vobis

et ipsi . . . . episcopo plenam, auctoritate predicta, tenore presencium concedimus facultatem. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Datum Wine (sic!) Pattaviensis diocesis, anno Domini Millesimo ccc° XLVI. Indiccione XIIII die XIIII me[nsis Iunii] pontificatus dicti domini pape anno quinto.

(Signum not.) [Et ego Wilh]elmus de Yissem clericus Coloniensis diocesis, publicus imperiali auctoritate notarius [ducento]s et sedecim florenos, de mandato dicti domini . . . . . nuncii recepi et ut notarius [pro] expensis et labore meo octo recepi florenos; ideo me subscripsi et eciam pro scripturis [quatu]or recepi, signum meum apposui in testimonium premissorum.

Extus: Mandatum cum processibus et contributoria. — Sigillum rubrum mutilum e zona membr. pendet. — Orig., quatuor locis exustum, in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 41. fasc. 7. nr. 4. Confer nrum 791.

* Fors: Schilling.

799.

1346. Visegrád. 22. Jun. — Nicolaus palatinus num populi de Nagyfél, partem possessionis Eberhard occupaverint, per capitulum Posoniense inquiri iubet.

Amicis suis reverendis, capitulo ecclesie *Posoniensis, Nicolaus* regni Hungarie *palatinus* et iudex Comanorum, amiciciam paratam debito cum honore. Intimavit nobis magister Petrus, frater magistri Sebus de *Scenggurgh,* quod populi de *Nogfeel,* quandam particulam terre sue intra metas possessionis sue *Iburharth* vocate, habitam, contra legitimam prohibicionem, per ipsum eis factam, propria eorum auctoritate occupassent, occupandoque uterentur in suum preiudicium atque derogamen. Super quo amiciciam vestram presentibus petimus reverenter, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, coram quo Nicolaus, filius Alberti, vel Michael dictus *Fyres de Magary,* altero absente homo noster, ab omnibus, quibus decet et licet, de eo: utrum dicta particula terre, per dictos populos occupata, memorati magistri Petri sit et intra metas predicte possessionis sue Iburharth vocate existat, nec-ne; sciat et inquirat omnimodam veritatem. Et post hec, prout exinde vobis veritas constiterit, nobis amicabiliter rescribatis. Datum in *Wyssegrad,* in octavis festi Corporis Christi, anno eiusdem M° ccc° XL^mo sexto.

Sigillum exteriori margini erat appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 8. fasc. 1. nr. 7.

800.

1346. (Nyitra.) 9. Sept. — Capitulum Nitriense, populos de Königsberg, alias Scevniczbanya, ab usurpatione possessionum monasterii de iuxta Gron, prohibuisse Ludovico I. regi rescribit.

Excellentissimo principi, domino *Lodouico,* Dei gracia regi Hungarie illustri, capitulum *Nitriensis* ecclesie, oraciones in Domino debitas et devotas. Litteras vestre excellencie generalibus, pro religiosis viris domino Syffrido abbate, et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, inter cetera formam prohibicionis exprimentibus, honore quo decuit receptis, cum Dominico de *Baluan,* homine vestro, Martinum presbiterum chori nostri prebendarium, ad prohibicionem infrascriptam faciendum, pro testimonio duximus transmittendum. Qui

negocio intenti, nobis concorditer retulerunt: quod feria tercia proxima ante festum Nativitatis beate Marie Virginis, ad *Sceunichbanya,* alio nomine *Kunsperg* vocatam, accessissent et ibidem quosdam fossores molarium lapidum, in monte proximo ipsi Sceunichbanya, a parte occidentali reperientes, a fossura lapidum, aliosque a pratis, fenetis, terris arabilibus, ac a quadam quantitate feni in pratis, seu fenilibus domini abbatis falcatis, et in preiudicium ecclesie sancti Benedicti et sui abbatis, ac conventus eiusdem non modicum et gravamen, ac ab usu et ductu, necnon cursibus aquarum per terram eiusdem domini abbatis ad molendina eorum constructa ductis et ducendis, in possessione supradicti domini abbatis prohibuissent et inhybuissent, ymmo prohibuerunt hospites et cives de Scevnichbanya supradicta. Datum, in crastino festi beate Marie Virginis prenotati, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ sexto. 1346. 5. Sept.

Extus: Excellentissimo principi, domino Lodouico, Dei gracia regi Hungarie illustri, pro religioso viro domino Seffrido abbate et conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, contra hospites de *Sceunichbania,* alio nomine *Kunsperg* vocata, prohibitoria. — Sigillum capituli margini exteriori fuit appressum. — Sigillum autem palatini anul., sat bene conservatum, ibidem permansit. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 34.

801.

1346. (Zobor.) 11. Sept. — Inquisitionales conventus de Zobor, super principali meta, possessionum monasterii de iuxta Gron, Fenyősemnyiczpatak vocata.

Excellentissimo domino *Lodowico,* Dei gracia regi Hungarie, domino suo illustri, conventus monasterii beati Ypoliti martiris de *Zubur,* oraciones in Domino continuas et devotas. Litteris vestre excellencie generalibus citaciones, inquisiciones, prohibiciones et reambulaciones possessionum continentibus, nobis per vestram magnificenciam, pro domino Siffrido abbate et conventu sancti Benedicti de *iuxta Goron* reverenter receptis, cum Salomone de *Hymd,* homine vestre celsitudinis, fratrem *Dominicum sacerdotem,* unum ex nobis, ad inquisicionem infrascriptam faciendum, nostrum hominem pro testimonio duximus transmittendum. Qui negocio inquisicionis diligenter peracto, et ad nos redeundo, nobis in hunc modum concorditer retulerunt: quod feria tercia proxima ante festum Nativitatis beate Virginis, ad *Scebnichebania,* alio nomine *Kvningsperg* vocatam, accessissent, a nobilibus et ignobilibus, item a vicinis et commetaneis circumiacentibus, ac ab aliis cuiusvis status et condicionis hominibus, palam et occulte diligenter inquirendo, et specialiter in villis seu possessionibus eidem *Sebniche* vicinatis, hanc scivissent omnimodam veritatem, quod duo rivuli seu fluvii in predicta Sebnicha haberentur, quos et ipsi se vidisse affirmarunt, quorum quidem fluviorum superior *Feynosebnichpataka* vocaretur, alter vero inferior rivulus *Byksebnichpataka* nuncuparetur et predictus superior rivulus Feynosebnichpataka, principalis meta ipsius monasterii sancti Benedicti ex antiquo semper extitisset, et omnia infra predictum rivulum habita, in silvis, pratis, terris arabilibus, aquarum decursibus, ac aliis utilitatibus, usque ad ipsum monasterium sancti Benedicti pervenientibus, abbas et conventus ipsius monasterii semper pacifice ac quiete possedissent. Datum, feria secunda proxima post festum Nativitatis beate Virginis prenotatum, anno Domini M° ccc^mo^ quadragesimo sexto. 1346. 5. Sept.

Extus: Excellentissimo domino suo Lodowico, Dei gracia regi Hungarie, pro domino Syffrido abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Goron et suo conventu, super principali meta ipsius monasterii *Fenysewnichpatak* vocata inquisitorie. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 32.

802.

1346. (Pozsony.) 28. Oct. — Magister Nicolaus, comes Posoniensis, magistrum Sebes de Bazin, per capitulum Posoniense citari petit.

Reverendis viris et honestis, capitulo ecclesie *Posoniensis,* amicis suis honorandis, magister *Nicolaus,* comes de eodem, se ipsum in omni amicicia et honore; vestre discrecionis amiciciam presentibus requirimus attente, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo presente, Dominicus de *Vzur,* unus iudicum quatuor et Michael de *Scichak* (?) homo noster, magistrum Sebus de *Bozyn,* nec non Leurandum filium *Bolda de Karcha,* contra Johannem, filium Abrae Rufi *de Cheklyr,* ad nostram citent presenciam, ad terminum competentem, et post hec tocius facti seriem amicabiliter nobis vestri gracia rescribatis. Datum, in festo beatorum Symonis et Jude apostolorum, anno Domini M° ccc° xl^mo^ sexto.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Capsa 28. fasc. 1. Nr. 10.

803.

1346. Buda. 18. Novemb. — Ludovicus I. rex, Thomam quondam vajvodam Transylvanum, eiusque filium Nicolaum de Konya, possessionem suam Kürth, archiepiscopatui Strigoniensi donasse, testatur.

Nos *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes, tenore presencium significamus quibus expedit universis, quod magnifico viro Thoma, quondam woyuoda Transsiluano, et magistro Nicolao dicto *Konya,* filio eiusdem, nostre maiestatis presenciam adeuntibus, coram nobis propriis eorum in personis constitutis, confessum extitit per eosdem, ministerio vive vocis et relatum: quod, quia ipsi volentes et animo cupientes anelanti, ecclesiam archyepiscopalem *beati Adalberti* martiris *Strigoniensem,* cuius precum suffragiis se nedum in terris, verum eciam in celesti bravio sperant confovendos, de bonis ipsorum, a Deo sibi collatis, fieri participem, quandam possessionem eorum acquisiticiam, *Kyurth* vocatam, in comitatu Huntensi, iuxta possessionem eiusdem ecclesie, *Bersen* vocatam, existentem et adiacentem, cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis quibuslibet, sub veris metis et metarum limitacionibus, quibus per ipsos et priores possessores eiusdem habita extitit et possessa, in perpetuam elemosinam eorumdem, ipsi ecclesie beati Adalberti martiris, Strigoniensi archiepiscopatui scilicet dedissent, et donassent; *ymo* dederunt, donarunt et contulerunt, in presencia nostre maiestatis, perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam. Datum, *Bude,* in octavis festi beati Martini confessoris, anno Domini M° ccc° xl^mo^ sexto.

Extus, manus saec. XV. adnot.: Super possessione Kyurth, in comitatu Huntensi habite prope Bersen. — Sigillum marg. ext. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 44.

804.

1346. (Somogyvár.) 2. Decemb. — Conventus Simigiensis, comitem Ladislaum de Telen, ius suum in possessionem Zenyér 50 marcis, magistro Nicolao cessisse, testatur

Nos conventus, monasterii sancti Egidii *de Symigio,* memorie commendamus per presentes, quod comite Ladislao, dicto de *Telen* ab una, et magistro Nicolao, filio Ladislai, vicedapifero serenissimi principis, domini *Lodouici,* Dei gracia regis Hungarie, parte ab altera, coram nobis personaliter constitutis, per eundem comitem Ladislaum de Telen, propositum extitit ministerio vive vocis et confessum: ut, licet quedam possessio regalis condicionaria *Zynier* vocata, in comitatu Symigiensi existens, simul cum quibusdam particulis terrarum *Mykoufolua* nominata, et in possessione *Edde* habita, similiter condicionariis, sibi per dominum *Karolum*, quondam illustrem regem Hungarie, genitorem dicti domini Lodouici regis, clare recordacionis, usque ad vite sue tempora, mediantibus suis litteralibus instrumentis, ob remedium sue anime possidere et uti graciose commisse extiterit, tamen, quia ipso domino Karulo rege, iubente Deo, celi universe carnis viam ingresso, et dicto domino Lodouico, eiusdem domini Karoli primogenito, in sui regni, *iura geniture* sibi debiti regimine, feliciter successo, ipsam possessionem Zynier, cum ad eandem pertinentibus premissis et aliis earum utilitatibus quibuslibet, per ipsum dominum Lodouicum regem, salvo iure alieno, ipsi magistro Nicolao, filio Ladislai, pro suis famulatibus et sinceris complacenciis, de iure collatam fuisse cognovisset, eo, quod eciam idem magister Nicolaus, pro suo iure, quod ex premissa dicti domini Karuli regis graciosa commissione, usque suam vitam in eadem habere dinossceretur, sibi quinquaginta marcas numero Budensi computatas, plene persolvisset, ab ipso eandem de iure redimendo: ideo predictam possessionem Zynier, simul cum omnibus suis pertinenciis premissis et earum utilitatibus quibuslibet, nullo iuris dominio sibi in posterum reservato in eadem, ipsi magistro Nicolao, filio Ladislai, perpetua stabilitate remisisset et resignasset, pleno iure possidere et habere; litteras suas quaslibet super facto dicte possessionis Zynier, et ad eandem pertinencium, quomodocunque confectas, manibus eiusdem, coram nobis, in specie restituendo; quas si ex eisdem casu accidentali in specie restituere eidem non valuisset, vanas, cassas, frivolas, viribusque et vigore per omnia carituras committendo. Datum, sabbato proximo post festum beati Andree apostoli, anno Domini M° ccc° xl^mo sexto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Privat. Lad. 26. fasc. 6. nr. 12.

805.

1346. — 11. Dec. — Ludovicus I. rex, donationem magistro Nicolao vicedapifero suo, super possessione Zenyér factam, privilegialiter edit.

Lodouicus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et Honoris, montis sancti Angeli dominus, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presens scriptum inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Cum bene meritis favor debitus impenditur et sinus dileccionis panditur, fideliterque obsequentibus

digna merces redditur, Deus placari creditur et subditi, ad fidelitatis opera exercenda, devocius invitantur, accenduntur se spe et desiderio retribucionis amplioris confoveri. Proinde, ad universorum noticiam, tam presencium, quam futurorum, harum serie volumus pervenire, quod magister Nicolaus, filius Ladislai, miles, vicedapifer noster, dilectus nobis et fidelis, ad serenitatis nostre accedendo presenciam, fidelitates suas et fidelium serviciorum suorum preclara merita, primum tempore quondam serenissimi et magnifici principis, domini *Karoli,* olym regis Hungarie precelsi, felicis memorie, genitoris nostri karissimi, et demum eodem patre nostro karissimo, divino nutu mediante, cui humane fragilitatis imbecillitas non novit resistere, de hoc seculo sublato, nobisque solium regiminis eiusdem regni Hungarie, *iure successionis paterne,* nobis debiti, feliciter transscendentibus, continue et sine intermissione adherendo nostre curie, *nostrisque regiis pedibus, ac baronum nostrorum volutando,* cum omni fervore fidelitatis, votivaque sollicitudine exhibitas et impensa, proponens et declarans, ac in memoriam nostre reducens maiestatis, quasdam possessiones nostras regias, *Zynier, Edde* et *Mykowfalua* vocatas, in comitatu Symigiensi existentes, cum ad se pertinentibus, asserens ipsas nostre regie collacioni de iure pertinere, a nobis sibi dari et conferri perpetuo postulavit. Nos siquidem, cuius proprium est ex innata regie nobilitatis liberalitate cunctorum fidelium sibi subiectorum merita pensare et ea pensata circumspicere oculis pietatis, consideratis itaque et in memoriam nostri revocatis premissis multimodis fidelitatum obsequiis eiusdem magistri Nicolai, filii Ladislai, qui a diuturnis temporibus incipiendo, cum sumpme fidelitatis constancia in eiusdem domini Karoli, patris nostri et demum nostra curia, sub nostris et baronum nostrorum pedibus continua servicia, nobis placida atque grata exhibens, et eciam aliis locis placidis et oportunis, non parcendo rebus, nec persone, fideles exhibuit famulatus, pro quibus omnibus premissis fidelissimis serviciis et fidelitatum obsequiis eiusdem magistri Nicolai, filii Ladislai, licet ipse a nobis multo plura antidotum premia mereretur, tamen ex nunc in aliqualem retribucionem et recompensacionem suorum serviciorum et fidelitatum, prefatas possessiones nostras regias, Zynyer, Edde et Mykofalua vocatas, in dicto comitatu Symigiensi existentes, cum ad se pertinentibus et cum omnibus utilitatibus et pertinenciis universis, quocunque nomine vocitatis, in superficie earumdem et pertinencium ad easdem habitis et existentibus, sub earumque veris metis et antiquis, quibus per priores suos possessores habite extiterunt et possesse, eidem magistro Nicolao, filio Ladislai, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus et posteritatibus, omni eo iure, quo ad nostram pertinere dinoscuntur collacionem dedimus, donavimus, contulimus et ex certa sciencia, ac consensu serenissime principisse domine Elyzabeth regine, genitricis nostre karissime, prelatorumque et baronum regni nostri consilio prematuro, damus, donamus et conferimus, perpetuo et irrevocabíliter possidendas, tenendas et habendas, sine tamen preiudicio iuris alieni. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras privilegiales, sigilli nostri duplicis pendentis munimine roboratas. Datum, per manus honorabilis viri magistri Tatamerii, Albensis ecclesie prepositi, aule (emansit: nostre) vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° ccc° xl^mo sexto, tercio Idus Decembris, regni autem nostri anno quinto. Venerabilibus in Christo patribus, dominis Chanadino Strigoniensi; Stephano Colo- 1346. 11. Dec.

censi, Nicolao Jadriensi et Dominico Spalatensi archiepiscopis; Nicolao Agriensi, Andrea Transiluano, Demetrio Waradiensi, Petro Syrmiensi, Laurencio Boznensi, Colomano Jauriensi, Mychaele Waciensi, fratre Wyto Nitriensi, Jacobo Zagrabiensi, Gregorio Chanadiensi, et Nicolao Quinqueecclesiensi ecclesiarum episcopis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao palatino, et iudice Comanorum; Stephano woyuoda Transiluano et comite de Zonuk; comite Paulo, iudice curie nostre; Laurencio magistro tauarnicorum nostrorum; Nicolao de Zech tocius Sclauonie; Dominico de Machow et Stephano de *Zewrino* banis; Paulo magistro tauarnicorum reginalium; magistro Olyuerio, iudice curie eiusdem; Iuanka dapiferorum, Nicolao pincernarum et Dyonisio agasonum nostrorum magistris, ac magistro Nicolao, dicto *Treutul,* comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, comitatibus (sic!) regni nostri tenentibus et honores.

Sigillum, sat bene conservatum, e rubro et viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strig. Priv. Lad. 26. fasc. 6. nr. 11.

806.

1346. Königsberg. — Nicolaus Chomar, civis de Königsberg, molendinum monasterii s. Benedicti de iuxta Gron, in maiori rivulo situm, conducit.

Noverint universi, quibus presens demonstrabitur scriptum, quod ego Nicolaus *Chomar,* a viris famosis et discretis fratribus, monasterii sancti Benedicti de iuxta *Gran,* molendinum cum tribus rotis, sub urbio (sic!) civitatis *Konigisperg,* in rivulo maiori iacentem, in die sancti Dyonisii, usque ad anni circulum conservandum, pro quatuor marcis auri, ad duodecim garatas, maturo consilio prehabito, rite et racionabiliter, in presencia iuratorum testium subscriptorum, conveni, atque eisdem in terminis consignatis, omni dilacione semota persolvendas, scilicet in festo beati Martini dimidiam marcam, item in festo Nativitatis Domini similiter dimidiam, in Ramispalmarum unam, in quindenis Penthecosten unam, in Assumpcione Virginis gloriose unam; necnon in pignus viris famosis et discretis, omnem meam hereditatem ibidem in *Konigisberg* iacentem, scilicet molendinum duas rotas habentem (sic!), domum in circulo penes ullinum sitam, atque aream iuxta nominata domo (sic!) iacentem, una cum omnibus fragmentis, que wulgariter *Getrecz* vocantur, pro praescripta pecunia sine fraude obligavi; talibus vero condicionibus subannexis, quod si non per me, seu per liberos meos, predictis dominis sepedicta pecunia persolveretur totaliter et complete, extunc eisdem dominis liberam licencie sibimet ipsis satisfaciendi, pro inscripta summa pecunie, absque ullo iudicio et querela contuli in rebus mobilibus et immobilibus facultatem vendendi, exponendi ipsis in usum et profectum convertendi ad nutum. Datum et actum, in *Konigisperg,* in die sancti Dyonisii, in presencia seniorum Pesczoni, Groe, Heynmanni de *Rachewor,* Jwuschet, Johannis notarii, atque aliorum fidedignorum virorum. In cuius rei evidenciam sigillum nostre civitatis a tergo est impressum, sub anno Domini millesimo ccc° xl^mo sexto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 33.

807.

1346. Liptó-Szent-Mihály. — —. — Jacobus vicearchidiaconus, Alexandrum de Tornallya et Paulum de Sancto Georgio, ratione capellae in Tornallya, e permissione Chanadini archiepiscopi constructae, concordasse perhibet.

Jacobus, rector ecclesie *beati Mychaelis* archangeli *de Lyptovia,* et vice archydiaconus de eadem, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod universe cause, que volute fuerunt, usque datarum presencium, eciam pro capella, quam ex licencia et permissione venerabilis in Christo patris domini *Chenadini,* Dei et apostolice sedis gracia archyepiscopi *Strigoniensis,* magister Alexander in *Thornalia* construxit, inter ipsum Alexandrum et inter dominum Paulum de *Sancto Petro,* per nos, ac alios viros discretos, ecclesiarum rectores, videlicet: dominum Martinum de *Sancto Nycolao,* Nicolaum de *Sancto Johanne* Baptista, Jacobum de *Sancto Stephano,* Stephanum de *Sancta Katherina,* et dominum Symonem rectorem ecclesie *beate Marie Pacis,* concordie tali modo est ordinata: quod dominus Paulus, dictum Alexandrum, capellanum quem ipse vellet in eadem capella ad peragendum divina sibi cum tota familia sua, ac universis populis eiusdem ville Thornali*a* dicte, libere permisit servare et secure; oblaciones autem, que ibi fierent et oblarentur (!) capellano dicti Al*l*exandri pertinerent; et cum in solempnis festis magister Al*l*exander, una cum domina scilicet sua consorte ad ecclesiam matricem iret et capellanus suus in ibi officiaret, quicquid in offertorio haberet sibi cederet, sed omnia alia iura ecclesie de dicta villa debent ad matricem ecclesiam pertinere et pro hiis omnibus magister Al*l*exander ecclesie matrici et rectori inibi existenti medium molendinum, quod est in metis ville Sancti Petri et si plura fierentur seu construerentur in dictis metis, eo modo perpetuo dedit et donavit. Item per terr*e* ecclesie super qua dictus Al*l*exander *y*obagyones locavit inter *Chremnik* et paludes absque terra arabili, ex alia parte vie versus *Waurisow* eundo, per commutacionem similiter inter Chremnik et alias paludes usque metas Waurisow, matrici ecclesie contulit; eciam terram arabilem, quam dominus Paulus inter *y*obagiones vill*a* sancti Petri in *Yemnik,* prout prius habuit ecclesie matrici reliquit et dimisit. In super pro ecclesia cum sepultura, quam dictus Al*l*exander extra met*i*s ville Sancti Petri et Waurisov ac Yemnik construere intendit, sessionem seu curiam in vicinatu (sic) dotis ecclesie cum terra arabili, quam Paulus vicarius lay*c*us existens censualiter tenuit, matrici ecclesie perpetue et irrevocabiliter dedit bona deliberacione et donavit; hoc eciam non obmisso, quod predictus Al*l*exander decimas ville sancti Petri pro matrici ecclesia si poterit obtinere, ex tunc dicta capella in Thornalia debet fieri matrix ecclesia, a matrici ecclesia ex toto libera et prout hec ordinacio seu paccio sit stabilis, nullus heredum per heredum, hanc composicionem et donacionem litteris et aliis actinenciis posset revocare, litteras nostras concessimus appensione sigilli nostri roboratas. Datum apu*t* ecclesiam predicti beati Mychaelis archangeli, anno Domini M° ccc° xl° vi°.

Sigillum marg. ext. fuit appress. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest Sign. Lt. szk. 1893/15.

808.

1347. (Nyitra.) 14. Jan. — Capitulum Nitriense, de peracta in Felrév inquisitione, Ludovico I. regi, rescribit.

Serenissimo principi domino *Lodouiko,* Dei gracia regi Hungarie illustri, capitulum *Nitriensis* ecclesie, *oracionum* suffragia devotarum. Litteris vestre excellencie pro honorabili capitulo ecclesie Posoniensis generalibus, inter cetera formam inquisicionis et prohibicionis exprimentibus, honore quo decuit receptis, cum Farkasio de *Hethy,* homine vestro, Stephanum presbiterum chori nostri prebendarium, ad faciendum inquisicionem et prohibicionem infrascriptas, pro testimonio duximus transmittendum; qui tandem ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt, quod sicut a nobilibus et aliis communibus hominibus in districtu de *Challoukuz* scire et inquirere potuissent, hanc de subsequentibus indagassent veritatem: quod hospites seu populi ville de *Fel Reu,* pertinentis ad civitatem Posoniensem, quandam possessionem pretacti capituli Posoniensis ecclesie, *Verekenye* vocatam, a quatuor annis retroactis incipiens, contra prohibicionem ipsius capituli legitime factam, usque modo potencialiter usi extitissent et nunc uterentur, silvam eiusdem ville (expunct.: Fel Reu et superscript.:) Verekenye devastantes fecissent succidi in preiudicium capituli memorati non modicum et iacturam; retulerunt eciam populos predicte ville Fel Reu se prohibuisse ab usufructuacione quarumvis utilitatum ville Verkenie antefate. Datum, in crastino octavarum festi Epiphaniarum Domini, anno eiusdem M^mo^ CCC^mo^ XL^mo^ septimo.

Extns: Serenissimo principi domino Lodouiko, Dei gracia regi Hungarie illustri, pro honorabili capitulo ecclesie Posoniensis, contra populos de *Fel Reu* ville, pertinentis ad civitatem Posoniensem, inquisitoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 10. fasc. 1. nr. 21.

809.

1347. Avignon. 18. Jan. — Clemens PP. VI., Chanadino archiepiscopo commendat causam educationis filii regis Siciliae, in custodia Ludovici I. regis Hung. detenti, eumque rogat, ut efficaciter curet interponere partes suas apud praedictum regem in favorem dicti ducis.

Ed. Theiner: Monum. Hist. Hung. Eccl. T. I. p. 730.

810.

1347. Buda. 31. Jan. — Ludovicus Magnus rex, mandat magistratui civitatis Königsberg, quod a qualibet rota molendini, annuatim unum florenum, monasterio s. Benedicti exsolvant.

Nos *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, significamus presencium per tenorem memorie commendantes, quibus expedit universis, quod deliberando cum prelatis et baronibus nostris decrevimus, ut cives et hospites nostri de montana nostra *Kwnesgperg* vocata, de singulis rotis molendinorum suorum super terra ecclesie, seu abbacie sancti Benedicti de *Iuxtagron* existencium, singulis annis singulos florenos ipsi ecclesie persolvere teneantur; volumus igitur et vobis rectori urburario, iudici, iuratis, civibus et universis hospitibus, ac montanis de dicta montana *Kwnesgperg* precipimus firmiter et districte, quatenus singulis annis de singulis rotis molendinorum vestrorum, que super terra dicte ecclesie sancti Benedicti habetis, singulos florenos ipsi ecclesie et abbati eiusdem persol-

vere debeatis, dilacione et occasione non obstante; et contra ordinacionem et deliberacionem, per nos et prelatos ac barones nostros factam, fieri non presumpmatis. Datum *Bude,* feria quarta proxima ante festum Purificacionis Virginis gloriose, anno Domini M° ccc° xxxx^mo^ septimo.

Fragmen sigilli anularis in cera rubra impressi in margine exteriori. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 3. nr. 5. — Simplex copia saec. XV. facta ibidem sub nr. 6. cum lect. variant.: Loco: Kwnesgperg scribit.; Kunigsperg; et loco districte: discrete (sic).

811.

1347. Buda. 18. Febr. — Comes Paulus, iudex curiae, capitulum Posoniense, quia iuramento comprobavit, equum a Joanne Pap per Michaelem canonicum ablatum, pretio exmissionis, eidem competentis, plus non valuisse, ab impetitione eiusdem Joannis absolvit.

Nos comes *Paulus,* iudex curie domini *Lodouici,* Dei gracia regis Hungarie, damus pro memoria, quod Johannes, dictus Pop *de Bahun,* personaliter, iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum, *in quindenis residencie exercitus regii, versus partes maritimas moti* et ad octavas festi Omnium Sanctorum proclamate, ad nostram accedens presenciam, contra capitulum ecclesie Posoniensis, in figura nostri iudicii proposuerat eo modo, quod cum ipsum capitulum ecclesie Posoniensis magistrum *Mychaelem,* filium Gyurke concanonicum eorum, ad reambulandam predictam suam possessionem Bahun vocatam, una cum homine regio fide digno testimonio, iuxta approbatam consuetudinis regni modum, pro ipsius parte transmisissent, unum equum, quadraginta marcas valentem, eidem magistro Mychaeli, ad hoc, ut in eo ipsam possessionariam faceret reambulacionem concessisset, quem tandem equum idem magister Mychael, testimonium ipsius capituli Posoniensis, ex induccione ipsius capituli sibi pluries postulanti, reddere recusasset. In quo, supra equi sui valorem, decem marcarum dampna sibi intulissent. Quo audito, pro ipso capitulo Posoniensi magister *Thomas,* canonicus eiusdem ecclesie Posoniensis, cum procuratoriis litteris eiusdem capituli exsurgendo, responderat ex adverso, quod ipse e*qus* non in precio maiori, preterquam in tribus talentis denariorum, decem et octo pensas denariorum facientibus, per ipsum magistrum Mychaelem venditus fuisset, et nec maioris precii, seu valoris extitisset; ipse autem magister Mychael, testimonium eiusdem capituli, nichil plus, preterquam suum ius debitum ab ipso Johanne Pop dicto recepisset. Nos siquidem partibus benivole assumpmentibus, una cum regni baronibus et nobilibus, nobiscum adiudicantibus, commiseramus decernentes, quod ex dominis de ipso capitulo Posoniensi quatuor persone, canonicali dignitate prefulgentes, quos ipsi communi deliberacione inter se prehabita, ad id eligerent, in octavis festi Epiphanyarum Domini, nunc proxime preteritis, ibidem in ecclesia et in stallis eorum, presentibus Andrea, filio Mychaelis *de Tekelchen,* homine regio, et testimonio capituli ecclesie *Nitriensis,* quod per ipsum capitulum ad id transmitti litteris nostris mediantibus peciera-mus, per eundem Johannem Pop dictum adducendis, super eo, quod ipse equus non maioris valoris preterquam trium talentorum denariorum, in quibus per ipsum magistrum Mychaelem venditus extitisset, et idem magister Mychael suum ius debitum pro ipsa possessionaria reambulacione et non plus ab ipso Johanne

1346. 15. Nov.

1347. 13. Jan.

receperit, sacramentum prestare et seriem eiusdem partes ad octavas festi Purificacionis beate Virginis, tunc proxime venturas, in litteris ipsius capituli Nitriensis, nobis reportare tenerentur. Tandem ipsis octavis festi Purificacionis beate Virginis occurrentibus, predicto Johanne dicto Pop non veniente, nec mittente, *Stephanus presbiter,* capellanus magistri Nicolai dicti *Treutul,* comitis Posoniensis, pro predicto capitulo Posoniensi pro eodem (sic), cum procuratoriis litteris ipsorum, ad nostram accedens presenciam, litteras preassumpti capituli Nytriensis nobis presentavit, continentes, quod ipsis octavis festi Epiphanyarum Domini occurrentibus, dominus *Petrus custos* et magistri *Johannes* filius Alexandri, *Iwanka* et *Johannes Polonus,* ecclesie Posoniensis canonici memorate, presente eodem Andrea de Tukelchen, homine regio, et *Stephano presbitero,* chori ipsius ecclesie Nytriensis prebendario, ad premissa per ipsum capitulum Nitriense, pro testimonio destinato, prout ipsum capitulum Nittriense, per eosdem hominem regium et testimonium ipsorum supradictum ipsis referentibus, clare dedicissent, ipsum iuramentum in suis stallis, ut prehabitum est, per verba premissa deposuissent, ut debuissent. Unde, quia ex tenore predictarum litterarum dicti capituli Nitriensis, predicte quatuor persone, canonicali dignitate prefulgentes, de dicto capitulo Posoniensi, iuxta nostram iudiciariam commissionem, super premissis et singulis premissorum, die et loco prenotatis, in stallis ipsorum, rite et legitime sacramentum prestitisse reperiebantur: ideo ipsum capitulum Posoniense, racione premissorum et in premissis, auctoritate presencium litterarum nostrarum, penitus et per omnia reddidimus expeditum et pariter absolutum. Datum *Bude,* decimo die termini supradicti. Anno Domini M° ccc° xl^mo septimo. 1347. 9. Febr.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 28. fasc. 1. nr. 3.

812.

1747. (Buda.) 19. febr. — Magistratus Budensis, Joannem praepositum Scepusiensem, centum marcis argenti vineam Petri Cynis, quondam civis Budenis, emisse testatur.

Nos *Lorandus,* iudex castri *novi montis Pestiensis,* Kunclinus filius Johannis, Nicolaus Wluingy, Johannes de Agria, Nicolaus Rabenstayner, Petrus de Jaurino, Nicolaus de Losnych, Michael filius Kunclini, Nicolaus examinator, Petrus de foro Donobii, Nicolaus filius Petri et Petrus frater cruciferi, tunc pro tempore iurati ipsius castri, memorie commendantes, significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem; quod Sedulinus dictus *Perenhauser,* Occulinus dictus *Kerner* et Elbulinus *aurifaber,* concives nostri, exsecutores videlicet testamenti Petri dicti *Cynys,* quodam concivis nostri, bone memorie, coram nobis personaliter constituti, quandam vineam ipsius Petri, ex oposito *veteris Bude,* in medio duarum viarum situatam, in vicinitate vinearum Mychaelis dicti *Curta* ab una parte et Nicolai presbiteri de choro eiusdem veteris Bude, ex altera iacentem, per predictum Petrum Cynys ipsis exsecutoribus, vendicioni exponi et dimidietatem precii eiusdem pauperibus et aliam dimidietatem egenis suis proximis erogari, ob spem mercedis eterne, in ultimo suo eulogio commissam, cum loco torculari apto, tugurio et terra inculta, in superiori parte vinee eiusdem existenti, necnon universis utilitatibus, pertinentibus ad eandem, de consensu

domine Agnetis, relicte eiusdem Petri, pueorum et omnium proximorum suorum, nullo penitus contradictore existente, vendiderunt et tradiderunt honorabili viro, magistro *Johanni*, *preposito* ecclesie sancti Martini *de Scepus* et per eum suis successoribus prepositis, in ipsa ecclesia canonice intrantibus, iure perpetuo et irrevocabiliter, ac pacifice possidendam, pro centum marcis argenti, de prepositura eadem, seu ad mensam prepositalem pertinenti seu provenienti, plene receptis ab eodem; dantes eidem et suis successoribus prepositis de eadem vinea servandi, vendendi, obligandi, permutandi et quovis modo alienandi, ac generaliter cuncta faciendi, veluti vero domino, habenti plenum dominium et possessionem vinee eiusdem, plenariam et liberam facultatem; litteras eciam quasvis, si quas super facto ipsius vinee emanatas haberent, vel in posterum invenirent, cassas et vanas nunccientes, ac viribus carituras. Assumpserunt nichilominus Sedulinus, Occulinus et Elbulinus predicti, eundem magistrum Johannem prepositum, suosque successores prepositos, ut premissum est, secundum usum et consuetudinem nostre civitatis, ab antiquo approbatam, propriis laboribus, et expensis expedire ab omnibus, racione prenotate vinee et universarum utilitatum eiusdem volentibus molestare. Hoc eciam per ipsum magistrum Johannem prepositum specialiter declarato, quod infra vitam suam possessor erit et dominus vinee memorate, usum fructum eiusdem plene percipiendo, non obstantibus per quempiam defraudari, spoliari, vel ab eodem auferri volentibus quoque modo; decedente autem ipso ab hac luce, suis successoribus, ut premittitur, perpetuo devolvendo. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, ad instanciam et peticionem ipsius, presentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum, in dominica Invocavit, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo.

Fragmentum sigilli duplicis e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Scepus. Priv. Scrin. 2. fasc. 6. nr. 11.

813.

1347. Buda. 1. Mart. Ludovicus Magnus rex, Thomam quondam vajvodam Transylvanum, possessiones suas Terebesd et Tapsony nuncupatas, Anthimo, filio Lancreti, condonasse testatur.

Nos *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium significamus quibus expedit universis, quod magnificus vir *Thomas* condam *wayuoda Transiluanus* et comes de *Zonuk,* nunc vero comes de *Crasow* et de *Kewe,* dilectus nobis et fidelis ad serenitatis nostre accedendo presenciam in sua et magistri *Konye,* filii sui, comitis de *Sarus,* de *Scepus* et de *Neugrad,* cuius honus et gravamen, si infrascriptam ordinativam suam confessionem alicuius temporis in eventu retractare niteretur, in toto vel in parte super se ad suam expedicionem modo infrascripto assumpmendo, oraculo vive vocis est confessus: quod ipse tum ob zelum sincere dileccionis et affectum, quo strenuum virum magistrum *Anthimus,* (sic!) filium Beke, filii Lanchreti, aule nostre militem, dilectum nobis et fidelem, considerata sua industriosa virtute prosecutus hactenus fuisset et in futurum prosequi vellet pariter et amplecti, tum eciam cum nobili puella, Justina nuncupata, fideli domicella et proxima sua karissima, eidem magistro Anthimo militi matrimonialiter legitime in coniugem per ipsum tradita, quasdam possessiones suas, pro suis meritoriis serviciis a serenessimo et magni-

fico condam principe domino *Karolo,* olym inclito rege Hungarie, pie memorie patre nostro karissimo, ut dicebat acquisitas et optentas, *Terebesd* videlicet et *Topson* nominatas, in comitatu *Symigiensi* habitas et existentes, cum omnibus earum utilitatibus et pertinenciis universis in superficie earumdem habitis et existentibus, sub earumque veris metis et antiquis, iam dicto magistro Anthymo, suisque heredibus et posteritatibus, ab eadem domina Justina utriusque sexus procreandis, heredumque suorum successoribus perpetuo et irrevocabiliter possidendas, tenendas et habendas dedisset, tradidisset, contulisset et perpetuasset, *ymo* dedit, tradidit et contulit et perpetuavit in presencia nostre maiestatis, nil iuris vel proprietatis iamdictus condam Thomas woyuoda sibi et dicto magistro Konya filio suo, eorumdemque heredibus et posteritatibus, reservando de eisdem, sed omne ius et dominum earumdem possessionum, pure et simpliciter, in eundem magistrum Anthimum, eiusdemque heredes utriusque sexus, ab eadem domina Justina procreand*is* et posteritates transferendo. Et quia ipse Thomas, condam wayuoda, instrumenta sua super acquisicione et optencione earumdem possessionum confecta, simul aliarum plurimarum suarum possessionum acquisicionem et optencionem in se continere et ea racione eadem manibus eiusdem magistri Anthymi se tradere non posse referebat, ob hoc ipsum magistrum Anthymum, suosque heredes et posteritates ab omnibus et quibuslibet personis hominum, et specialiter a prefato magistro Konya, filio suo, suisque heredibus, racione possessionum predictarum, in iudicio vel extra iudicium, expedire et per omnia liberare assumpsisset, *ymo* assumpsit coram nobis, suis propriis laboribus et expensis, spontanea sua voluntate; presentes eciam idem Thomas, condam wayuoda, a nobis privilegiar*y* facere petivit dum nobis eedem fuerint reportate. Datum *Bude,* feria quinta proxima ante dominicam Oculi, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ septimo.

E transsumpto Ludovici I. regis, privilegialiter anno 1364. 3. Febr. edito. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 26. fasc. 6. nr. 13.

814.

1347. Königsperg. 4. Mart. — Magistratus montanae in Königsperg, cum monast. s. Benedicti de iuxta Gron, super molendinis in Büksevnicze et in fluvio Garam aedificandis, unionem inivit amicabilem.

Nos Nicolaus dictus *Silhpphauer,* iudex *Nove Montis,* quondam *Schebeniczebach,* pro nunc vero temporis *Konigisperg* vocato, et iuratorum ibidem pluralitas, memorie commendantes per*h*enne universis, quibus expedit tam presentibus quam futuris, presencium per tenorem; quia nos animo deliberato, ac maturo consilio omnium concivium et hospitum nostrorum prehabito iusticiam fore considerantes consuetam, ac condignam secundum ritum et debitam formam montanorum in regno existencium, cum venerabili domino, domino *Syffrido,* abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta *Gron* fluvio (sic!) situm et suo conventu, talem amicabilem inivimus unionem, perpetue, rite, et racionabiliter, ac posteris nostris observando, ut quicunque molendina de iuxta fluvio Gran, vel in rivulo *Bykeschebenicze* nuncupato, seu in aliis rivulis, in gadibus ac metis predicte ecclesie fluentibus, meatos molentes edificassent seu edificaverint, dare debeant prefato domino abbati et suo conventui, pro censu terragio, de singulis

rotis annuatim singulis annis, in octavis sancti Georii (sic!) martiris, omni vero crastinacione et occasione semota, scilicet unum florenum camere Budensis sine lite; qui autem huic amicabili unioni inter nos facta et ordinata et domino abbati, ac suo conventui monasterii sepe dicti, in tali censu et termino prefixo obedire et dare noluerint, extunc prenominatis dominis famosis monasterii sancti Benedicti, plenam et liberam, sine iudicio civitatis et querela, ipso temerario aquam de molendino percuciendo, contulimus facultatem, necnon ab eodem censum sub pena duplici recipientes ad nutum. Insuper, quicunque de cetero molendina, infra metas ecclesie edificare voluerint, sub eadem forma et census, ut in rivulo predicto *Bykeschebenicze,* nunc a modernis *rivulus abbatis* nominato, plenam habeant edificandi facultatem. Igitur ut huius unionis nostre series robur obtineat perpetue firmitatis, nostre civitatis sigillum voluntarie est appensum. Datum et actum, in *Konigisperg,* die dominica Oculi, anno incarnacionis Domini millesimo ccc° xl^mo septimo. 1. Maii.

Sigillum, bene conservatum, e serico cerulei et flavi coloris pendet. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 3. nr. 3. — Simplex copia s. XV. in charta ibidem sub nr. 4.

815.

1347. Buda. 6. Mart. — Ludovicus Magnus rex, pro parte iobagionum Kövesdiensium, qui Georgium et Stephanum famulum eius ob latrocinia interfecerunt, per capitulum Vaciense inquiri iubet.

Tenorem vide sub nr. 817.

816.

1347. (Buda.) 14. Mart. — Capitulum Budense, Guillermum Cardinalem et magistrum Cruciferorum Strigon. et Budensium, monialibus de insula Budensi, octo curias resignasse et iuri decimationis renunciasse, testatur.

Nos capitulum *Budensis* ecclesie, omnibus Christi fidelibus presens scriptum inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum tam presencium, quam futurorum noticiam, harum serie volumus pervenire, quod discretus vir magister *Petrus Begonis,* iuris peritus, procurator et nuncius specialis venerabilis in Christo patris domini *Guillermi,* miseracione divina sancte Marie de *Cosmedin* dyaconi cardinalis, ac magistri domus hospitalis et cruciferorum sancti Stephani regis et confessoris prope *Strigonium* et sancte Trinitatis *de Calidis Aquis* ecclesiarum, cum sufficientibus procuratoriis litteris eiusdem domini cardinalis, tam manu publica confectis, quam sigillo pendenti dicti domini cardinalis consignatis ab una; item religiosus vir frater *Ladizlaus,* conversus ordinis sancti Dominici confessoris, de monasterio sancte Marie Virginis de Insula Leporum procurator et nuncius specialis religiosarum dominarum sanctemonialium de dicta Insula Leporum, pro eisdem dominabus sanctemonialibus, similiter cum sufficientibus litteris procuratoriis dictarum dominarum, sigillo communitatis earumdem consignatis, parte ab altera; in nostri presencia sunt constituti, per eosdem magistrum Petrum plena auctoritate et libera potestate et per dictum fratrem Ladislaum similiter plena auctoritate et libera potestate procuratoria, qua vigore litterarum procuratoriarum sepedicti domini cardinalis et dictarum dominarum

sanctemonialium fungebantur, propositum extitit ministerio vive vocis in hunc modum: quod licet inter ipsum magistrum Petrum, *ymo* verius prefatum dominum cardinalem Guillermum, dominum suum, magistrum cruciferorum sancti Stephani regis prope Strigonium et sancte Trinitatis de Calidis Aquis ecclesiarum et quamplures predecessores magistros dictarum ecclesiarum ab una parte, et prememoratas religiosas dominas sanctemoniales de Insula Leporum ex alia, super facto octo fundorum curiarum in villa Calidarum Aquarum, a parte castri Budensis existencium, infra dicendorum, olim per dominum *Ladislaum,* inclitum regem Hungarie, felicis recordacionis, eisdem dominabus sanctimonialibus graciose datorum et collatorum et super facto decimarum quarumdam vinearum sepedictarum dominarum sanctemonialium, sub decimacione dicte ecclesie sancte Trinitatis existencium, similiter infra specificandarum, litis materia et controversia extitisset susscitata, et ipsa causa multis et variis prorogacionum cautelis, multis laboribus et expensis ac diebus et annis multis, de termino ad terminum fuisset protelata seu prorogata, tamen ut litibus et controversis finem imponere valeant et viam pacis, ac tranquillitatis, unionis et concordie acquirere possint, fomitem rixe et controversie de medio ipsorum excludentes, turbata corda reconciliantes, pacis pulcritudinem desiderantes, tam ipsi inter se divino spiritu inflante, quam proborum virorum pacem et iusticiam parcium zelatorum composicione et ordinacione iuridica, iuri et racioni consona interveniente, ad talem unionem et concordiam devenissent et devenerunt coram nobis: quod dimissis et sopitis omnibus litibus et rancoribus, hinc inde susscitatis et contra sese usque nunc ventillatis, coram quovis iudice vel regni iusticiarii (sic!) specialiter super facto premisso, alia pars alteri pure et simpliciter ignoscendo, dampnis, iniuriis, nocumentis, inpignoracionibus, sanguinis effusionibus, captivitatibus et omnibus aliis iniuriis qualitercunque vocatis, hinc inde factis et illatis, omnino pure et simpliciter renunciatis et sopitis, idem magister Petrus, nomine procuratorio et plena auctoritate ac libera potestate procuratoria, visis litteris et munimentis litteralibus predictarum dominarum, super dictos octo fundos curiarum condicionalium regalium, in dicta villa Calidarum Aquarum, a parte castri Budensis existentes, ut dictum est, per dominum Ladislaum regem Hungarie, ipsis dominabus sanctemonialibus iure perpetuo collatos et decimas de veneis dictarum dominarum, in dicto territorio existentibus, iuridice et iuste emanatis, ipsos octo fundos curiarum, cum omnibus utilitatibus et pertinenciis universis, iuribus, proventibus, obvencionibus, iudicio iobagionum in eisdem octo curiis residencium, debitis, censibus et qualicumque nominis vocabulo vocitatis et vocitandis, exceptis tantummodo que ad censuram ecclesiasticam dignoscuntur pertinere, que ad magistrum vel priorem dicte ecclesie sancte Trinitatis deberent pertinere, iuxta continenciam priarum litterarum nostrarum, anno Domini M° cc° LXX^mo^ septimo inde confectarum, quarum quidem tenor per omnia talis est: 1277. 20. Apr.

Tenorem vide in Tom. II. p. 73. sub nr. 56, ubi ex hoc ipso transsumpto edit. est.

Et decimas de vineis ipsarum dominarum sanctemonialium, in territorio seu decimacione dicte ecclesie sancte Trinitatis existentibus, iuxta continenciam litterarum composicionalium et privilegialium quondam venerabilis in Christo patris domini *Thome,* divina miseracione archyepiscopi *Strigoniensis,* in quem tunc ipse partes causam, super hoc motam, pari voluntate commiserant, ut in eisdem litteris plenius continetur, quarum quidem litterarum tenor per omnia talis est:

Tenorem vide T. II. p. 722. nr. 817, ubi ex ipso orig. edit. 1316. 24. Mart.

dictis religiosis dominabus sanctemonialibus de Insula Leporum, ut earumdem ex tenoribus predictarum litterarum, presentibus de verbo ad verbum, nichil addendo, nichil diminuendo, ad maiorem rei cautelam transcriptarum fore et fuisse dignoscebantur, iure perhempnali et perpetua stabilitate, absque preiudicio iurium quorumlibet aliorum ibi circumquaque habencium, reddidisset, remisisset, reasignasset et reliquisset, remisit, restituit, reasignavit et reliquit, pure et simpliciter, ut premissum est, iuxta continencias dictarum litterarum tenendas, habendas, fructus et utilitates percipiendas, in toto et in partibus, cum integritate omnium iurium, exceptis que ad censuram ecclesiasticam pertinerent, ut predictum est, et possidendas, coram nobis, nichil iuris, nichil dominii, aut proprietatis de dictis octo fundis curiarum, aut in partibus et parcium particulis eorumdem, ut prenotatum est, exceptis illis que pertinent ad censuram ecclesiasticam, que magistro vel priori dicte ecclesie sancte Trinitatis debent reservari et de decimis supradictis, a modo et deinceps, sibi nomine procuratorio et dicto domino Guillermo cardinali, magistro dictarum ecclesiarum, ac aliis succesoribus eiusdem reservando, sed pleno iure in potestatem et dominium dictarum dominarum sanctimonialium transferendo; et omnes litteras iudiciales, inquisicionales, protestacionales, prohibicionales et in contrarium litterarum predictarum religiosarum dominarum sanctemonialium, quibus mediantibus predictos octo fundos curie eisdem contulissent vel ipse decime adiudicate fuissent eisdem, si que forent emanate et cuiuscunque capituli, aut conventus, aut regis, vel regni iusticiarii ecclesiastici vel secularis, ordinarii vel delegati, aut eorum vices gerencium, super facto dictorum octo fundorum curiarum et decimarum prenotatarum, quibus in futurum una pars alteri nocere posset, ut premissum est, exceptis illis litteris quarum vigoribus dictos octo fundos curie et decimas dicte domine sanctemoniales conservarent et possiderent, frivolas, cassas et vanas, ac viribus omnino carituras et earum exhibitoribus in fraudem et molestiam alterius partis, tamquam sopite litis susscitatoribus nocituras, auctoritate procuratoria, qua supra, commisissent et reddidissent, commiserunt et reddiderunt, coram nobis. Nichilominus idem frater Ladislaus, nomine procuratorio quo supra, dixit coram nobis, quod predicte domine sanctemoniales in dicta villa Calidarum Aquarum nichil plus haberent, nec possiderent, nisi dictos octo fundos curiarum, cum eorum pertinenciis et de ipsis contentarentur. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem presentes litteras nostras privilegiales, sigillique nostri munimine roboratas ad peticionem parcium duximus concedendas. Datum, per manus discreti viri magistri *Benedicti lectoris* ecclesie nostre, quarta feria proxima post dominicam Letare, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ septimo, presentibus viris discretis et honestis magistris Mychaele custode, *Posonio,* Jacobo, Thoma, Petro, Mychaele, Ladislao, Jacobo, Nicolao et aliis canonicis in eadem ecclesia nostra Deo devote famulantibus. 1347. 14. Mart.

Extus manus med. aevi adnotat: Remissio et reddicio octo fundorum apud Aquas Calidas existencium, item decimarum omnium vinearum sororum, facta per cruciferos ipsis sororibus in Insula Leporum, vide ab intra. — Sigillum, bene conservatum, e viridi et flavo serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Regn. Hung. Regnicol. MODL. 2873. Sign. vet: Monialium Posoniensium fasc. 57. nr. 15.

817.

1347. (Vácz.) 15. Mart. — Capitulum Vaciense, de peracta in negotio iobagionum Kövesdiensium inquisitione, Ludovico I. regi rescribit.

Excellentissimo principi domino *Lodouico,* Dei gracia illustri regi Hungarie et domino suo, capitulum ecclesie *Wachyensis,* oracionum suffragia devotarum. Noverit excellencia vestra nos litteras vestras, debito cum honore, recepisse in hec verba:

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo ecclesie Wachyensis salutem et graciam. Dicitur nobis in personis populorum, seu iobagionum ecclesie sancti *Alberti* (sic!) *Strigoniensis* de *Kuesd,* quod Georgius et Stephanus famulus eiusdem, feria quinta proxima ante dominicam Reminisscere proxime preteritam, ad ipsam villam *Kuesd* accedentes, ibi comedissent et bibissent et eodem die serotino tempore de eadem villa exivissent et duos homines de eadem villa, videlicet cohospites ipsorum, de villa *Kemend* venientes, in via publica et libera reperiendo, unum eorumdem more latrocinio interfecissent et alterum spoliassent; auditoque clamore, iidem populi de *Kuesd* exientes, eosdem latrones perveniendo, unum ex eisdem interfecissent et alium captivassent; et tam ipsum captum quam dictum interfectum ad ipsam villam *Kuesd* deferendo et deducendo, eundem latronem vivum, sequenti die, iuris ordine mediante similiter interfecissent, quorum funera, seu corpora postmodum procurator *cruciferorum* ecclesie sancti regis Stephani de *Strigonio,* propria sua auctoritate, ab illo loco in quo posita fuissent fecisset asportari et sepeliri. Super quo fidelitati vestre firmiter precipimus per presentes, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente Jacobus filius Mychaelis, vel Clemens filius Mychaelis, aut Herbordus filius Andree, aliis absentibus homo noster, ab omnibus quibus decet et licet diligenter investigando sciat et inquirat de premissis omnimodam veritatem; et post hec prout vobis veritas premissorum constiterit, nobis fideliter rescribatis. Datum *Bude,* feria tercia proxima post dominicam Oculi, anno Domini M° ccc° xl^mo septimo.

1347. 22. Febr.

1347. 6. Mart.

Unde nos mandatis excellencie vestre obtemperantes, ut tenemur, una cum Herbordo filio Andree predicto, homine celsitudinis vestre, discretum virum dominum *Petrum, prepositum de Teneu,* socium et concanonicum nostrum fidedignum, ad premissam inquisicionem diligenter exequendam pro testimonio transmisimus; qui demum ad nos reversi et per nos studiosius requisiti, nobis concorditer retulerunt: quod ipsi feria secunda proxima post dominicam Letare nunc preteritam, in comitatu Strigoniensi simul procedendo, ab omnibus quibus decuit et licuit, scilicet a nobilibus et ignobilibus, clericis et laicis, ac cuiusvis status et condicionis hominibus eiusdem comitatus, palam et occulte diligenter inquirendo, super premissis talem scire potuissent veritatem: quod Georgius et Stephanus famulus eiusdem, in dicta feria quinta proxima ante dominicam Reminisscere proxime preteritam, ad dictam villam *Kuesd* ecclesie sancti Alberti (sic!) Strigoniensis accedendo, ibi comedissent et bibissent, et eodem die tempore serotino de ipsa villa exivissent, et duos homines de eadem villa, videlicet cohospites ipsorum, de villa *Kemend* venientes, in via publica et libera reperiendo unum eorum-

1347. 12. Mart.

1347. 22. Febr.

dem more latrocinio interfecissent et alterum spoliassent; auditoque clamore iidem populi de *Kuesd* exivissent et eosdem latrones perveniendo, unum ex eisdem interfecissent et alium captivassent; et tam ipsum captum, quam dictum interfectum ad predictam villam Kuesd deducissent et eundem latronem vivum sequenti die iuris ordine mediante similiter interfecissent; quorum funera seu corpora postmodum, procurator cruciferorum ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio, propria sua auctoritate, ab illo loco in quo posita fuissent, fecisset asportari et sepeliri. Datum, feria quinta proxima ante dominicam Judica, anno Domini M° ccc° xl^mo septimo.

Extus: Excellentissimo principi domino Lodouico, Dei gracia illustri regi Hungarie, domino suo, pro populis seu iobagionibus ecclesie sancti Alberti Strigoniensis de *Kuesd* inquisitoria. — Sigillum margini ext. erat impressum. — Orig. chart., in Arch. Primat. Secul. Lad. J. nr. 94.

818.

1347. (Óbuda.) 22. Mart. — Capitulum Budense, ad preces Stephani et Nicolai, filiorum quondam Donch, forma privilegiali transsumit litteras privilegiales Belae IV. regis, super donatione castri Komarom, comiti Walter facta, elargitas.

Tenorem vide T. I. p. 450—560., nr. 721., ubi ex hoc ipso transsumpto edit. sunt. 1268. 14. Oct.

Datum, quinta feria proxima ante dominicam Ramispalmarum, anno Domini M° ccc° xl^mo septimo.

Sigillum, sat bene conservatum, ex albo et viridi serico contexto pendet. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. nr. 25. — Superest etiam aliud transsumpt. eiusdem capituli Budens. ex anno 1383 ibidem, sub nr. 26.

819.

1347. Buda. 25. Mart. — Chanadinus archiepiscopus Strigoniensis et Stephanus Colocensis archieppus, pro procuratoribus Joannis electi Vesprimiensis, se obligant.

Ed. Theiner: Mon. Hist. Hung. Eccl. T. I. 736.

820.

1347. Avignon. 29. Mart. — Clemens PP. VI., archieppo Colocensi committit, ut ecclesiam episcopalem Milkoviensem instauret, eique Tomam de Németi praeficiat.

Ed. Theiner l. c. p. 737.

821.

1347. Zobor. 1. Maii. — Conventus de Zobor, Siffridum abbatem monast. s. Benedicti de iuxta Gron, et suum conv. partem quandam terrae Szelepcsény, Joanni Gyepes, elocasse testatur.

Nos conventus monasterii beati Ipoliti martiris *de Zuburio,* memorie commendantes significamus universis, quibus expedit, presencium per tenorem, quod venerabilis in Christo pater dominus, dominus Syffridus abbas monasterii beati Benedicti *de iuxta Gron* personaliter, frater Heynricus et frater Andreas, fratres eiusdem monasterii vice et nomine conventus ipsius monasterii de iuxta Gron

ab una, item Johannes dictus *Dgyepes* de *Kysheresthen* parte ab altera, in nostri presencia personaliter constituti, nobis per modum protestacionis communiter declarare curarunt: quod ipsi dominus Syffridus et suus conventus, quandam partem terre arabilis ipsos contingentem, in ipsorum possessione *Selepchen* vocata, commetaneam possessioni Kysheresthan, quadraginta iugera vel circa, cum suis appendiciis, scilicet rubetis et pratis, Johanni dicto Dgyepes predicto, a festo diei Nativitatis beate Virginis proxime nunc venturo, ad revolucionem duorum annorum, pro summa infrascripta, sive pro censu annuali, locassent seu exposuissent tali condicione: quod de medio anno, quo fruitur eadem terra, a data presencium in festo beati Martini episcopi proxime venturi, quinque pensas denariorum Wyensium, in conventu monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron solvere tenebitur, penam dupli incursurus si terminum preteriret in solvendo; ceteris vero duobus annis a die Nativitatis Virginis gloriose incipiens, quolibet anno predictorum duorum annorum, in die festi beati Georgii martiris tenetur et tenebitur unam marcam cum decem pensis computando persolvere, in conventu memorato, gravamen seu penam trium marcarum predicte racionis incursurus si aliquem terminum predictorum obmitteret in solvendo; insuper si quem terminum pretermitteret in solvendo et solvere non curaret, extunc ipsa terra prehabita cum omnibus suis fructibus et pertinenciis, devolveretur ad dominum Syffridum abbatem et suum conventum memoratos et pertinere congnoscitur (sic!) eo facto. Quibus annis transactis ipse Johannes dictus Dgyepes, terram prenotatam tenebitur relinquere sine semine, omni colore et ingenio dubioso procul moto et resignare; ipsi vero domini et fratres conventus sepedicti, eidem Johanni prelibato litteras expeditorias, super qualibet solucione, sine precio dare tenebuntur; ad quod se utreque partes litteris nostris mediantibus obligarunt. In cuius locacionis seu exposicionis testimonium, presentes sigilli nostri munimine duximus communiri. Datum, feria tercia proxima post diem festi beati Georgii martiris, anno Domini Millesimo ccc° xl^mo septimo.

1347. 8. Sept. — 1347. 11. Nov. — 24. Apr.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 9. fasc. 1. nr. 9.

822.

1347. Visegrád. 11. Maii. — Ludovicus Magnus rex, metas possessionum Tapsony et Terebes, per conventum Simigiensem reambulari mandat.

Tenorem vide sub nr. 828.

823.

1347. Buda. 27. Maii. — Magister Thomas, quondam vajvoda Transylvanus, comes de Keve, Oliverum magist. tavarnicorum, cives Strigonienses ad solvendum capitulo Strigoniensi tributum obligasse testatur.

Nos *Thomas,* quondam voyuada Transiluanus et comes *de Kewe,* significamus tenore presencium quibus expedit universis, quod cum ad preceptum et mandatum reginale, una cum *Oliuerio* magistro tauarnicorum domini regis, iudice in causa infrascripta per predictam dominam reginam deputato, et venerabilibus

in Christo patribus dominis *Nicolao Agriensi* de *Gregorio Chanadiensi* ecclesiarum episcopis; item magnificis viris comite Paulo, filio Symonis, iudice curie regis; magistro Laurencio Sclauo comite Supruniensi et Castri Ferrei; Nicolao bano tocius Sclauonie; Nicolao filio Stephani, quondam bano tocius Sclauonie; Dominico bano de Macho; magistro Johanne filio Gelethii, comite de Turuch; magistro Thoma Rufo, castellano de Chehte et magistro Aynardo, filio Nicolao, ac aliis nobilibus regni Hungarie specialiter ad hoc convocatis, ad domum comitis Pauli predicti feria quinta proxima ante octavas Penthecostes venissemus et in iudicio pro tribunali sedissemus, qui quidem terminus pro octava beati Georgii habebatur, questionem inter honorabile *capitulum Strigoniensis* ecclesie et *cives Strigonienses,* super facto tributi fori motam audituri, discreti viri magistri Mathyas Kamarunensis et Johannes Zolyensis archidiaconi, legitimi procuratores dicti Strigoniensis capituli, iuxta formam litterarum prorogatoriarum eiusdem magistri Oliuerii exinde emanatarum, contra iudicem, iuratos et universos cives Strigonienses, pro quibus Petrus notarius eorum, cum legitimis litteris procuratoriis eiusdem civitatis astitit, proposuerunt in hunc modum: quod tributum fori predicte civitatis Strigoniensis, a sanctis regibus eidem ecclesie Strigoniensi esset donatum et ab eo tempore cuius memoria non exstaret, ipsa ecclesia pacifice possedisset, sed ab anno proxime preterito elapso usque modo occupassent et solvere eidem capitulo omnino denegassent; quo audito *y*dem Petrus procurator ipsius civitatis, pro eisdem respondit, quod per regiam excellenciam a solucione ipsius tributi essent exempti graciose, et ex hoc solvere recusassent. Cumque ipsum Petrum procuratorem dicte civitatis ad exhibendum litteras regales et alia munimenta, quibus mediantibus a solucione dicti tributi sint exempti, per predictos barones fuisset requisitus, nullam litteram aliam exhibere potuit, nisi quasdam litteras patentes primas domini *Karoli* regis, in quibus exemerat ipsos cives ad decem annos a solucione proprii tributi regalis, non tamen tributi ecclesie Strigoniensis; item alias litteras domini *Lodouici* regis similem tenorem continentes, que ipsos cives a solucione dicti tributi capituli minime absolvebant. Procuratores vero dicti capituli, super collacione dicti tributi ipsi ecclesie facta, exhibuerunt primo privilegium tercii *Bele* regis *cum bulla aurea;* item privilegium domini *Emerici* regis confirmatorium eiusdem Belee regis; item privilegium domini *Endree* regis; item privilegium domini *Ladislai* regis et proprium privilegium eiusdem civitatis, ex quorum tenoribus ipsum tributum vidimus ad dictum capitulum pleno iure pertinere. Unde ipse magister Oliuerius, cum prenominatis baronibus, prefatum tributum per cives Strigonienses ipsi capitulo Strigoniensi in perpetuum solvendum adiudicavit una nobiscum, ordine iudiciario sentenciando. Et quia ipsi cives ipsum tributum auctoritate propria occupantes detinuerunt usque modo, pro eo in facto potenciali contra memoratum capitulum fore convictos reliquit et penitus condempnatos. In cuius rei testimonium presentes eidem capitulo duximus concedendum. Datum, *Bude,* in octavis festi Penthecostes, anno Domini M^mo^ ccc^mo^ XL^mo^ septimo.

1347. 24. Maii.

1347. 1. Maii.

Extus manus med. aevi. adnot.: Super tributum Strigoniensis fori. Simpl. copia coaeva chart., in Arch. Capit. Strigon. Privat. Lad. 24. fasc. 2. nr. 5.

824.

1347. — 27. Maii. — Paulus magister tavarnicorum reginae idem cum nr. 823. testatur.

Nos *Paulus,* magister tavarnicorum domine regine Hungarie, significamus tenore presencium, quibus expedit, universis, quod cum ad preceptum et mandatum reginale, una cum *Oliuerio* magistro tavarnicorum domini regis, iudice in causa infrascripta per predictam dominam reginam deputato, et venerabilibus in Christo patribus, dominis Nicolao Agriensi et Gregorio Chanadiensi ecclesiarum episcopis; item magnificis viris, comite Paulo filio Symonis iudice curie regalis; Thoma quondam voyuada Transsiluano et comite de *Keuee;* magistro Laurencio Sclauo comite *Supruniensi* et Castri ferrei, Nicolao bano tocius Sclauonie, Nicolao filio Stephani quondam bano, Dominico bano de Macho, magistro Johanne filio Gelethy, magistro Thoma castellano de Cehthe et Aynardo filio Nicolai, ac aliis nobilibus . . . . . cet. usque finem, ut nro. 823.

Sigillum rotundum tergo fuit appressum. — Orig. in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 41. fasc. 7. nr. 1.

825.

1347. — 27. Maii. — Magister Thomas Veres, comes de Ujvár, idem cum nr. 823. testatur.

Nos magister *Thomas Rufus,* castellanus de *Cehthe* et comes de *Wyuar,* significamus tenore presencium, quibus expedit, universis, quod cum ad preceptum et mandatum reginale, una cum *Oliuerio* magistro tavarnicorum domini regis, iudice in causa infrascripta per predictam dominam reginam deputato, et venerabilibus in Christo patribus, dominis Nicolao Agriensi et Gregorio Chanadiensi ecclesiarum episcopis; item magnificis viris, comite Paulo filii Simonis iudice curie regis; Thoma quondam voyuada Transsiluano et castellano (sic) de Kewe; magistro Laurencio Sclauo comite Supruniensi et Castri ferrei; Paulo magistro tavarnicorum domine regine; Nicolao bano tocius Sclauonie; Nicolao, filio Stephani quondam bano, Dominico bano de Macho; magistro Johanne filio Gelethy, comite de *Turuch* et Aynardo filio Nicolai, ac aliis nobilibus . . . . . cet. usque finem, ut nro 823.

Sigillum rotundum tergo fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 41. fasc. 7. nr. 2.

826.

1347. — 27. Maii. — Nicolaus Agriensis et Gregorius Csanadiensis episcopi idem cum nro 823. testantur.

Nos *Nicolaus,* Dei et apostolica gracia *Agriensis, Gregorius,* eadem gracia *Chanadiensis* ecclesiarum episcopi, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod cum nos per magistrum Oliuerium, magistrum tavarnicorum domini regis, ex commissione reginali, ad domum comitis Pauli, filii Symonis, iudicis curie regalis, feria quinta proxima ante octavas Penthecostes ad faciendum iudicium et iusticiam cum baronibus infrascriptis in causa, quam honorabile capitulum ecclesie Strigoniensis in octavis beati

1347. 24. Maii.

Georgii martiris, contra cives Strigonienses super facto tributi fori Strigoniensi coram eodem magistro Oliuerio mota (sic!) vocati fuissemus et eodem die cum magnificis viris eodem magistro Oliuerio, comite Paulo filio Symonis, magistro Laurencio Sclauo, comite Castri ferrei et Supruniensis; Nicolao bano tocius Sclauonie, magistro Nicolao filio Stephani quondam bano; Thoma quondam voyuada et comite de Kewe; Dominico bano de Macho; Paulo magistro tavarnicorum domine regine; magistro Thoma Rufo castellano de Chehthe; magistro Johanne filio Gelethy, comite de Turuch; magistro Paulo dicto *Magar;* magistro Aynardo filio Nicolai, ac Johanne filio Alexandri comite Gumuriensi et aliis quam pluribus nobilibus, officia regni tenentibus, partes ad nostram presenciam fecissemus accessiri; pro predicto capitulo Strigoniensi discreti viri, domini Mathyas Kamaruniensis et Johannes Zoliensis archidiaconi, cum legittimis procuratoriis eiusdem capituli coram nobis comparendo, contra predictos iudicem, iuratos et universos cives Strigonienses in hunc modum egerunt proponendo: quod ipsi iudex, iurati et universi cives Strigonienses tributum, quod in foro Strigoniensi exigere a quibuslibet mercatoribus et specialiter a civibus Strigoniensibus consueverunt, a sanctis regibus ecclesie Strigoniensi esset collatum et ab eo tempore capitulum Strigoniense semper usque modo pacifice conservasset; sed ab anno iam proxime elapso usque nunc ipsi cives dictum tributum eidem capitulo solvere recusassent. Quo audito, Petrus notarius dicte civitatis Strigoniensis, cum litteris procuratoriis eiusdem civitatis ex adverso pro eisdem respondit, quod per regiam excellenciam a solucione ipsius tributi essent exempti et ex hoc solvere recusassent. Cumque predictum Petrum, dicte civitatis procuratorem, ad exibendum litteras regales et alia munimenta . . . . cet. usque finem ut nro 823.

E zonis membr. duo sigilla ovalia pendent. Primum, iam exesum, praelatum stantem ostendit, ex inscriptione vox solum modo Nicolai apparet. Secundum sanctum Georgium equo insidentem, hasta armatum exhibet, supra quem beata Virgo, infra autem praelatus genuflexus apparent, cum perigraphi: S. GREGORII DEI GR(acia) E[PISCOPI] CHANADIENSIS. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 41. fasc. 3 nr. 13.

827.

1347. Balassagyarmat. 2. Jun. — Nicolaus regni palatinus, populos de Patak, ratione possessionis Kalade, convictos esse, perhibet.

Nos *Nicolaus* regni Hungarie palatinus et iudex Comanorum, damus pro memoria, quod in congregacione nostra generali universitati nobilium *Neugradiensis* et *Hontensis* comitatuum, feria secunda proxima post festum sancte Trinitatis, prope villam *Gyarmat* celebrata, Andreas filius Kesa de medio aliorum consurgendo, proposuit tali modo: quod populi de *Patak* possessionem suam (expunct.: *Kelendey* et superscript:) *Kalade* vocatam, potencialiter ad dictam possessionem *Patak* occupando uterentur et ut ipsa possessio Kalade sua esset hereditaria, ibidem super eadem diversa paria litterarum inquisicionalium nobis presentavit; qui quidem populi de predicta *Patak,* per predictum Andream filium Kesa, legitimis diebus dicte nostre congregacionis expectati, non venerunt nec miserunt, unde nos eosdem in iudicio decrevimus fore convictos, si se racionabiliter non poterunt excusare. Datum, sexto die

1347. 28. Maii.

congregacionis nostre predicte, in loco antedicto, anno Domini M° ccc° XL^mo septimo.

Extus: Pro Andrea filio Kese, contra populos de *Patak* iudicialis. — Sigillum marg. ext. fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Primat. Sec. Lad. F. nr. 19.

828.

1347. Somogyvár. 3. Jun. — Conventus Simigiensis, possessiones Tapsony et Terebesd, pro parte magistri Anthimi, metis distinguit.

Conventus monasterii sancti Egidii *de Simigio,* omnibus Christi fidelibus, presentibus pariter et futuris, presencium noticiam habituris, salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam presencium testimonio volumus pervenire, quod nobilis vir magister *Anthymus,* filius Beke de *Zenth Kosma Damian,* ad nostram personaliter veniendo presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras nostras clausas domino regi rescripcionales, petens nos humili cum instancia, ut nos easdem de verbo ad verbum transsumpmi et transscribi, ac in formam nostri privilegii redigi facere dignaremur, iuris ipsius ad cautelam; quarum tenor per omnia talis est:

Excellentissimo principi domino eorum domino *Lodouico,* Dei gracia inclito regi Hungarie, Dalmacie etc. conventus monasterii sancti Egidii de Simigio, oracionum suffragia devotarum. Vestra noverit sublimitas litteras vestre maiestatis recepisse honore quo decuit, in hec verba:

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis conventui ecclesie sancti Egidii de Simigio salutem et graciam. Dicitur nobis in persona magistri Anthymus, filii Beke de *Zenth Cosma Damian,* quod quedam possessiones sue, *Tapson* et *Terepes* vocate, in comitatu Simigiensi apud manus suas habite, legitima reambulacione et metarum ereccione plurimum indigeret, super quo fidelitati vestre firmiter precipimus et mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente Bartholomeus de *Kysfalwd*, aut Andreas filius Mathei de *Marchfalwa,* aliis absentibus homo noster, ad facies predictarum possessionum Thapson et Therebez (sic!) vocatarum, vicinis et commetaneis earumdem inibi legitime convocatis et presentibus accedendo, reambulent ipsas per veras suas metas et antiquas, novas iuxta veteres in locis necessariis erigendo, reambulatasque et ab aliorum possessionariis iuribus sequestratas et distinctas, relinquant et committant easdem ipsi magistro Anthymus eo iure, quo ad ipsum dinoscitur pertinere perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum; contradictores vero si qui fuerint, evocet eos contra iam dictum magistrum Anthymus ad nostram presenciam, ad terminum competentem, racionem contradiccionis eorumdem reddituros; et post hec ipsius reambulacionis metarum ereccionis seriem, cum cursibus metarum, vel nominibus contradictorum et citatorum si qui fuerint, terminoque assignato, nobis fideliter rescribatis. Datum in *Wyssegrad,* secundo die festi Ascensionis Domini, anno eiusdem millesimo ccc^mo XL^mo septimo. 1347. 11. Maii.

Unde nos mandatis vestre excellencie satisfacere cupientes, ut tenemur; una cum Bartholomeo de Kysfalwd, predicto homine vestro nostrum hominem *Petrum prepositum, conmanachum* nostrum, ad premissa exequenda pro testimonio trans-

misimus fidedignum; qui postmodum exinde ad nos reversi nobis concorditer retulerunt: quod idem homo vester, presente dicto nostro testimonio, feria secunda proxima ante festum sancte Trinitatis, ad facies predictarum possessionum Thapson et Therebez vocatarum, vicinis et commetaneis earumdem universis inibi legittime convocatis et presentibus, accessisset easdemque per suas veras metas et antiquas, novas iuxta veteres in locis necessariis hoc ordine reambulando, et ab aliorum possessionariis iuribus sequestrando et distinguendo erexisset et renovasset: Quod primo metas earumdem possessionum, a parte possessionis nobilium de *Sitke* et de *Merke* incepissent, de quadam aqua *Haswyze* vocata, qua cursum se*w* metam haberent et flecteretur ad partem aquilonis, ubi una via magna per modum crucis ad partem occidentis transiretur, penes quem fluvium a parte orientis, secus quendam r*w*bum, iuxta antiquam metam existentem uni latere eiusdem fluvii, unam metam terream de novo erexisset; deinde progrederetur per meatam (sic!) eiusdem aque ad partem aquilonis per modicum spacium et pervenitur ad unam parvam insulam, procedendo in eadem insula ad eandem partem aquilonis modicum ubi idem fluvius se dissequeret, ibique esset una arbor pomi silvestris; deinde transiretur ad eandem partem aquilonis per directam medietatem ipsius fluvii per bonum spacium, venisset ad quasdam arbores *egerfa* vocatas, in medio existentes, adhuc per meatam eiusdem fluvii ad eandem partem transsissent ad quoddam molendinum, ibi eciam essent quedam arbores similiter *egerfa* vocatas (sic!) pro metis posite; deinde per meatam eiusdem aque, in bono spacio eundo, venisset ad unum molendinum, saliendo se*w* relinquendo ipsum molendinum venisset ad quasdam duas arbores *fyzbokor* vocatarum (sic!) in medio eiusdem fluvii existentes; deinde in eodem fluvio ad eandem partem procedendo similiter ad unum molendinum pervenissent; deinde adhuc in medio eiusdem fluvii procedendo, ulterius pervenisset ad unam insulam *Mathezygethe* noncupatam, ubi in fine eiusdem insule, a parte aquilonis duas metas terreas antiquas invenisset, quas quidem metas renovasset; que quidem mete supradicte a parte occidentali nobilibus de Merche et a parte orientali predicto Anthym*us* et ad possessiones Thapson et Therebez seperarent et distinguerent; abhinc de ipso fluvio pervenissent ad unam arborem *Zzyl* dictam, sub qua esset una meta terrea antiqua, quam renovasset; deinde transiretur ad partem orientalem ad quendam locum *Malacha* dictum, ubi inciperet tenere commetaneitatem nobilium de *Zakachy;* deinde ad eandem partem venissent ad quasdam terras arabiles obalitas (sic!) et per easdem transit ad unum arborem *thewl* vocatam; deinde ad eandem partem orientalem, per quasdam arbores continuas post sese sequenter (sic) existentes, *thewlfa* dictas, pro metis commissas, adhuc ad eandem partem orientalem transeundo, pervenisset ad unam arborem piri silvestris, sub qua esset una meta terrea, quam renovassent; deinde parum declinando ad eandem partem meridionalem, pervenisset ad aliam arborem piri silvestris, sub qua esset una meta terrea, quam renovassent; deinde ad partem orientis transeundo pervenisset ad finem cuiusdam silve *Anthalerdew* nuncupatam (sic!); deinde ad eandem partem orientalem venisset ad quandam viam magnam saliendo eandem et abhinc transisset ad quandam fluvium *Suwa* vocatam, saliendo eundem venisset ad quandam viam antiquam abolitam, ubi secus eandem viam, a parte dicti fluvii, invenissent unam metam terream anti-

1347. 21. Maii.

quam, quam renovasset; deinde procedendo ad eandem partem orientalem, per quasdam terras arabiles, pervenisset ad unam arborem nucis; abhinc semper ad eandem partem, penes quandam vineam procedendo, pervenissent ad unam magnam viam, qua veniretur de possessione *Felsewzakachy* vocate, penes quam a parte occidentis unam metam terream angularem invenisset, quam renovasset; ubi commetaneitatem dicte possessionis *Zakachy* relinquisset; deinde declinando per eandem viam ad partem meridionalem, per bonum spacium transeundo, in commetaneitatem possessionis *ecclesie sancti Egidii de Simigio* pervenisset ad unam indaginem spineti, penes eandem viam existentem, in qua invenisset unam metam terream antiquam, quam renovasset; deinde recedendo in eadem via ad eandem partem, per magnum spacium, pervenisset ad unam arborem antiquam thewlfa dictam, similiter in quadam indagine a parte orientis predicte vie existentem, sub qua unam metam terream invenisset, quam renovasset; deinde flecteretur ad partem orientis, unam parvam vallem pratosam et transeundo ipsam valem, circa quendam fontanam, ad eandem partem orientis, ubi unam metam terream invenisset, quam renovasset; deinde procedendo pervenisset ad eandem partem penes quasdam vineas, ubi in quadam spineta unam metam terream invenisset, quam renovasset; deinde penes easdem vineas pervenisset ad unam magnam viam, qua transiretur de possessione Therepech (sic), penes quam a parte occidentis invenissent unam arborem nucis, sub qua esset una meta terrea, quam renovasset; deinde per eandem viam inter ipsas vineas transeundo, declinando quasi ad partem orientis, relinquendo ipsas vineas, penes unam tremulam, *sew nyarbokor* dictam, ubi unam metam terream invenisset, quam renovasset: deinde*que* per modicum spacium declinando pervenisset ad unam vallem ubi commetaneitatem ecclesie sancti Egidii de *Simigio* relinquisse*nt*; deinde declinando ad partem meridionalem, in medio eiusdem vallis, ubi unam spinetam invenisse*nt*, in qua duas metas terreas invenisset, quas renovasse*nt*; quarum una a parte orientis separat, se*w* distinguit terras *ecclesie Zagrabiensis,* alia vero a parte occidentis separat possessio*n*is Thapson et Therebez; deinde in medio eiusdem vallis per bonum spacium procedendo, pervenisset ad unam magnam viam, que veniret a parte occidentis, versus orientem saliendo ipsam viam se*w* relinquendo, transeundo in medio eiusdem vallis similiter ad partem meridionalem, per bonum spacium, pervenisset circa unam fonthanam se*w Er* dictam, ubi unam metam terream angularem invenisset, quam renovasset; deinde procedendo in medio eiusdem rivuli similiter ad eandem partem, per magnum spacium perveniendo ad unam magnam viam, que venie*t* de villa *Kysfalwd* ad possessionem *Zener,* ubi in latere eiusdem vie invenisset unum *keuisburch,* sub qua unam metam terream invenisset, quam renovasset, ubi commetaneitatem ecclesie Zagrabiensis relinquendo, pervenisset ad commetaneitatem nobilium de Kysfalwd, ibique in exitu fluvii Er, a parte occidentis, unam metam terream invenisset, quam renovasset; abhinc processisset ad partem occidentalem in quadam via penes ortum et silvas eorumdem nobilium, per bonum spacium, ubi in angulo eiusdem silve flecteretur ad partem meridionalem et in eadem via, per bonum spacium transeundo, ubi a parte orientis predicte vie invenisset unam metam terream, quam renovasset; deinde flecteretur ad partem occidentalem relinquendo commetaneitatem dictorum nobilium Kysfalwd et pervenisset ad commetaneitatem terrarum ecclesie Zagrabiensis, et in eadem commetaneitate,

per bonum spacium, pervenisset ad quandam arborem thewl dictam, sub qua invenisset unam metam terream, quam renovasset; deinde transeundo in modico spacio descendit ad quandam vallem et per eandem vallem declinando ad partem meridionalem, per meatum cuisdam aque, in bono spacio procedendo, pervenisset ad unam magnam viam, qua transiretur de fluvio *Balathym* ad possessionem *Segusd*, penes quam a parte orientis, sub quadam arbore *zyl* vocatam unam metam terream invenisset, quam renovasset; deinde per eandem viam in modico spacio eundo, pervenisset ad quendam locum *Nywgumhel* vocatam, ubi olim una arbor thewlfa vocata pro meta fuisset situata, sub qua fuisset una meta terrea, quam renovasset; deinde saliendo ipsam viam ad partem occidentalem, transisset per quasdam terras campestres et pervenisset ad quoddam nemus *Berech* dictum, penes quam (sic!) esset una via herbosa et per eandem flectendo ad partem meridionalem, in bono spacio transeundo, pervenisset ad unam magnam viam *Zewke Janoswtha* dictam; deinde per eandem viam ad occidentalem, per bonum spacium transeundo, pervenisset ad quasdam duas metas terreas a parte aquilonis eiusdem vie existentes, quarum una ad partem occidentis separat possessionem nobilium de *Chokyna*, alia vero ad partem orientis separat possessionem magistri Anthymi prenominati, ibique relinquisset commetaneitatem Segusd et abhinc flecteretur ad partem aquilonis et venisset ad quendam viam et in eadem via procedendo modicum, ac de eadem via declinando ad partem occidentalem per quasdam terras incultas, venisset ad duas terreas metas in fine cuiusdam terre arabilis existentes, quas renovasset; deinde ad eandem partem occidentalem, per bonum spacium eundo, venisset ad unam metam terream *Nyr* dictam, quam renovasset; abhinc flecteretur ad partem aquilonis per terras arabiles et venisset ad duas metas terreas, sub quadam arbore piri silvestris a parte orientis existentes, quas renovasset; deinde per quandam viam ad partem orientalem tendendo pervenisset ad quendam fluvium *Nyrhyd* dictum, transeundo ipsum ad eandem partem pervenisset ad duas metas terreas, inter quasdam duas vias existentes, quas renovasset; deinde ad partem aquilonis procedendo, per terras arabiles incultas venisset ad unam viam magnam et per eandem viam transeundo, venisset ad quendam puteum, penes ipsam viam a parte occidentis existentem; deinde in eadem via ad predictam partem aquilonis procedendo, pervenisset ad unam arborem piri silvestris, in medio quarumdam terrarum arabilium existentem, sub qua unam metam terream invenisset, quam renovasset; deinde in eadem procedendo ad finem predicte ville Sitke, ubi flecteretur ad partem orientis, penes quendam fluvium parvum et penes eundem fluvium, modicum transeundo, flecteretur ad predictam partem aquilonis, secus quandam parvam silvam [E?]*zwen* dictam et per terras arabiles procedendo, venisset ad predictam viam, qua transiretur de predicta Zener et in eadem via transeundo ad partem occidentalem, ibique pervenisset ad locum predictum ubi incepisset, ibique mete possessionum Thapson et Therebes terminarentur. Quarum quidem reambulacioni possessionum et ereccioni metarum earumdem, nullus penitus inibi contradicere (sic) extitisset et apparuisset. Datum, in octavis festi sancte Trinitatis, anno supradicto. 1347. 3. Jun.

Nos igitur iustis et legittimis prefati magistri Anthymus peticionibus favorabiliter inclinati, prefatas litteras nostras, de verbo ad verbum transcribi et in formam nostri privilegii redigi fecimus, iuris ipsius ad cautelam. In cuius rei testi-

monium presentes concessimus eidem, autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum ut supra.

E transsumpto Uladislai II. a. 1498. transscriptionem Mathiae regis a. 1483. editam confirm. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 28. fasc. 3. nr. 3. — Si scriptor in dato non aberravit, tunc conventus hic litteras suas in eodem negotio uno eodemque die et communiter et privilegialiter edidit, quod alias, quantum sciam, fieri non consuevit.

829.

1347. Buda. 7. Jun. — Comes Paulus, iudex curiae regiae, possessionem Barathka, contra Benedictum litteratum et Joannem, filios Thomae, monasterio s. Benedicti de iuxta Gron, adiudicat.

Nos comes *Paulus,* iudex curie excellentissimi et magnifici principis domini *Lodouici,* Dei gracia illustris regis Hungarie, memorie commendamus significantes tenore presencium, quibus expedit universis [quod cum no]s in die medii XL^me^, proxime nunc preterita, in sede nostra iudiciaria, pro faciendo iudicio et sentencia proferenda sedissemus et causales processus quorumlibet litigancium in statera equitatis, iuxta iuris exigenciam, partiri cepissemus, religiosus vir frater *Syffridus* [abbas] monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gron,* suo et conventus sui nomine, ad nostram iudiciariam accedens presenciam, quasdam litteras, videlicet unam magistri *Nicolai,* magistri pincernarum dicti domini nostri regis, comitis Borsyensis et iudicum nobilium eiusdem comitatus, transmissionem presentis cause in regiam presenciam factam denotantem; et alias nostras prorogatorias; et unam iudicialem, ceterasque quam plures capituli *Nitriensis* et conventus *Zoboryensis* ecclesiarum, ac eciam capituli ecclesie *Strigonyensis,* prout earum series in sequentibus exprimerentur, omnino inquisicionales, sub variis formis et annis diversis confectas, contra *Benedictum litteratum* et Johannem, filios Thome, nostro iudiciario examini demonstrarat; in quarum unius, videlicet pretacti Nicolai magistri pincernarum dicti domini regis, comitis Borsyensis et iudicum nobilium dicti comitatus prime littere tenore habebatur eomodo: quod feria quinta proxima post dominicam Judica, in anno nunc proxime preterito transacta, in congregacione ipsorum comitis Borsyensis et iudicum nobilium generali, de regio mandato in *Lewa* per ipsos celebrata, religiosus vir frater *Jacobus, prepositus* monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron antedicti, vice et nomine domini abbatis et conventus sui, cum litteris procuratoriis eorumdem, de medio universorum consurgendo, ipsis iudicibus significare curavisset, quod quedam possessio *Barathka* vocata, cum omnibus utilitatibus suis universis et pertinenciis, in comitatu Borsyensi prope *Lewa* existens, esset monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron antedicti; contra quem Benedictus litteratus, filius Thome, iuvenis aule regie, unacum Johanne fratre suo respondissent in hunc modum: quod prefata possessio *Barathka* iure hereditario ab antiquo, scilicet avvo et prothavo ipsorum pertinens fuisset, et tunc pertinuisset; et instrumenta si qua sepedictum monasterium haberet exponere poposcisset. Qui quidem frater Jacobus prepositus, primo exposuisset litteras patentes domini Wyllermi Druget quondam palatini, et tres litteras inquisicionales, item unum privilegium *Martirii,* quondam *archiepiscopi Strigonyensis*; secundum cum bulla papali et tercium *Gyeche*

1347. 7. Mart.

1346. 6. Apr.

regis; et quia tale iudicium preter prelatos et barones regni Hungarie ipsis iudicibus visum non fuisset iudicare, idcirco ambabus partibus quindenas festi sancti Georgii martiris proxime tunc venturas, coram eisdem prelatis et baronibus in *Wyssegrad* commisissent terminum comparendi. Ipsis siquidem quindenis festi beati Georgii martiris occurrentibus, cum predicta causa et eius discussio in facto dicte possessionis *Barathka,* inter predictos dominum abbatem ecclesie sancti Benedicti de iuxta Gron et conventum loci eiusdem tamquam actores, et inter prelibatos Benedictum litteratum et Johannem, filios Thome, sicut in causam attractos mota, in regie maiestatis presenciam deducta, ab eisdem quindenis ob regium litteratorium mandatum, ad quindenas residencie *exercitus regii versus partes Croacie moti;* et abhinc diversis prorogacionum cautelis et terminis intervenientibus, ad octavas festi Epiphaniarum Domini proxime nunc preteritas, ultimoque ad octavas diei Cynerum iam similiter proxime transactas prorogata extitisset. Tandem ipsis octavis diei Cynerum adherentibus, (sic) religiosus vir frater Syffridus, abbas ecclesie sancti Benedicti de iuxta Gron pro se personaliter et pro suo conventu, cum litteris procuratoriis eiusdem conventus, ab eisdem octavis diei Cynerum sedecim diebus continuis, contra Benedictum litteratum et Johannem, filios Thome de *Barathka*, legitime stetisset in termino coram nobis. Qui iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum in facto dicte possessionis *Barathka* vocate peremtorie responsuri non venissent, neque misissent; unde eosdem Benedictum litteratum et Johannem filios Thome, contra annotatos fratrem Syffridum abbatem et conventum suum in iudiciis decrevissemus fore convictos, si se racionabiliter non potuissent excusare. In tenoribus vero litterarum predictorum capituli Nitryensis et conventus Zoboriensis ecclesiarum, in anno Domini M° ccc° XL^mo quarto, pari sensu et equali forma verborum emanatarum habebatur expresse: quod predicti capitulum Nitriense et conventus Zoboryensis, receptis litteris regalibus per eundem dominum nostrum regem, dicto domino abbati et suo conventui de iuxta Gron per anni circulum graciose datis et concessis, cum Stephano et Salamone de *Hynd,* hominibus sue regie maiestatis, scilicet dictum capitulum Nitriense Jacobum, et ipse conventus Zoboriensis Laurencium chori ecclesie ipsorum sacerdotes, ad infrascriptam inquisionem faciendam pro testimoniis duxissent destinandos; qui demum ad ipsos, scilicet capitulum Nitriense et conventum Zoboriensem reversi, ipsis concorditer retulissent istomodo: quod Thomas de *Barathka,* iobagio monasterii sancti Benedicti de iuxta fluvium Gron iam defunctus, salubri fretus consilio sive usus, inter cetera in disposicione sue ultime voluntatis, se recognoscendo, coram discretis viris *Michaele* vicearchydiacono *Borsyensi,* eiusdemque ecclesie rectore et *Nicolao sacerdote* vicario de *Lewa,* ad quem extitisset confessus, ceterisque sacerdotibus et aliis quam pluribus ad eundem Thomam convocatis, predictam possessionem *Barathka,* in comitatu Borsyensi existentem, retulisset se nomine monasterii semper habuisse; et sicut ex antiquo ipsam possessionem monasterium supradictum possedisset, ita extunc eandem possessionem, ipsi monasterio reliquisset, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis quibuslibet, pacifice et perpetuo possidendam, nullum ius nullumque dominium aut proprietatem filiis suis et ad ipsum pertinentibus in eadem possessione relinquendo, presente seniore filio

1346. 8. Maii.

1347. 13. Jan.

1347. 31. Febr.

1344.

Andrea existente, et eidem resignacioni non contradicente, sed omnino consenciente, cuius quidem rei a prenotatis sacerdotibus, nobilibus et aliis communibus hominibus in dicto comitatu Borsyensi existentibus, diligenter investigando et inquirendo, omnimodam scivissent veritatem, prout eciam quidam nobiles de predicto comitatu Borsyensi coram ipsis capitulo Nitriensi et conventu Zoboryensi personaliter constituti, eodem modo vive vocis oraculo confessi extitissent. Continencie vero aliarum litterarum dictorum capitulorum Strigonyensis et Wacyensis, ac conventus Zoboryensis ecclesiarum, modo quo supra exhibitarum, ac in diversis annis confectarum, nos edocebant sub hac forma; quod in personis religiosorum fratrum Syffridi abbatis et conventus ecclesie sancti Benedicti de iuxta Gron, regie dictum extitisset maiestati, quod possessio *Barathka* in comitatu Borsiensi habita ipsius ecclesie sancti Benedicti extitisset et vigore ac titulis efficacissimorum instrumentorum ad eandem pertinuisset, de qua Thomas, pater Benedicti litterati, in ipsa residendo, dicte ecclesie semper debita servicia more suorum priorum exhibuisset; quare idem dominus noster rex dictorum Strigonyensis et Wacyensis capitulorum, ac conventus Zoboriensis ecclesiarum fidelitatibus litteratorie scribendo firmiter precipiens mandasset, quatenus ipsorum mitterent homines pro testimoniis fidedignos, quibus presentibus homines sue regie maiestatis, ab omnibus quibus decuisset diligenter de premissis investigando scirent et inquirerent omnimodam veritatem. Tandem ipsi capitula Strigonyense et Wacyense ac conventus Zoboryensis, iuxta regium preceptum mandatis regiis obtemperantes, cum hominibus sue regie maiestatis, ipsorum homines ydoneos pro testimoniis transmisissent fidedignos, qui demum ad eosdem capitula Strigonyense et Wacyense, ac conventum Zoboryensem reversi ipsis concorditer retulissent: quod ipsi feria tercia proxima ante festum beati Clementis pape, in anno proxime elapso preterita, in dicto comitatu Borsyensi simul procedendo, ab hominibus nobilibus, ignobilibus et ab omnibus a quibus decens fuisset diligenti inquisicione prehabita, de premissis talem rescivissent veritatem: quod premissa possessio *Barathka* vocata, in comitatu Borsyensi habita, dicte ecclesie sancti Benedicti de iuxta Gron antiquitus fuisset et extitisset, et quod antedictus Thomas, pater memorati Benedicti litterati debita obsequia, secundum consuetudinem antecessorum suorum, ad mandatum venerabilium patrum abbatum et religiosorum fratrum, in eadem sancta ecclesia Deo iugiter famulancium, in eiusdem ecclesie negociis exhibuisset; qui Benedictus litteratus, de prelibata possessione *Barathka* vocata, post decessum patris sui consueta et debita servicia usque tunc exhibere non curasset. Adhuc idem dominus abbas quasdam litteras patentes magnifici viri domini Wyllermi Druget, quondam regni Hungarie palatini et iudicis Comanorum, in anno Domini M° ccc° XL^mo primo confectas, nobis curarat exhibere, quarum series nos edocebant per hunc modum: quod in quadam congregacione ipsius domini palatini generali universitati nobilium comitatus Borsyensis, feria secunda proxima ante festum beati Michaelis archangeli in villa Lewa celebrata, magister Tuteus comes Borsyensis, de medio universorum personaliter exurgendo proposuisset tali modo: quod quedam possessio Barathka vocata, in dicto comitatu existens, esset vicina possessioni domini regis Lewa vocate, racione cuius ipse capecias per iobagiones domini regis, eius videlicet cultores, usque tunc dari et aministrari monasterio sancti

1346. 21. Nov.

1341. 24. Sept.

Benedicti de iuxta Gron et eius abbati fecisset, super qua tunc Thomas, qui se de Barathka esse dixisset, resideret et ipsum pretextu fructus et capeciarum eiusdem molestaret, sibi dari postulando, vellet scire ad quem dicta possessio pertineret et cui ipse capecias illius terre dari facere et aministrare teneretur. Quo dicto Johannes, filius Thome dicti de Barathka, personaliter exsurgendo, dictam terram Barathka, eundem Thomam patrem suum et se a domino abbate monasterii sancti Benedicti et ab eodem monasterio et conventu habere et tenere allegasset, et ideo ipsius possessionis iura et capecias si sibi dari deberent constaret in domino abbate et conventu supradictis; et eo dicto, idem dominus abbas similiter personaliter exsur[gendo di]xisset tali modo: quod ipse dictam terram nec ipsi magistro Tuteus, nec eidem ad utendum et tenendum concessisset, sed capecias ipsius terre pro se et monasterio suo hactenus annis singulis recepisset et exegisset; quibus sic dictis idem magister Tuteus dixisset, quod a tunc, ut et idem dominus palatinus commisisset, per iobagiones eiusdem domini regis eidem domino abbati dari facere et aministrari capecias et iura possessionis supradicte, sine preiudicio iuris alieni. Et quia predicti dominus Syffridus, abbas ecclesie sancti Benedicti de iuxta Gron et conventus loci eiusdem, in dominium dicte possessionis Barathka legitime voluerant introire, ideo predicto capitulo ecclesie Strigoniensis, amicis nostris litteratorie scribentes, eorum amiciciam requisieramus diligenter, quatenus ipsorum mitterent hominem ydoneum, pro testimonio fidedignum, quo presente Andreas dictus *Heges* de *Cosmal*, vel Phyllipus de *Warad*, aut Stephanus filius Pauli de *Kyssorlow*, aliis absentibus homo domini nostri regis, feria secunda proxima post dominicam Ramispalmarum, nunc proxime preteritam, ad faciem prenotate possessionis Barathka nominate, vicinis et commetaneis eiusdem universis, ac predictis Benedicto litterato et Johanne, filiis Thome dicti de Barathka, legitime convocatis, predicto eciam domino fratre Syffrido abbate vel eius legitimo procuratore presentibus accedendo, eandem per veteres et antiquas metas, iuxta veteres ubi necesse fieret novis metis erectis reambularet, reambulatamque et ab aliorum possessionibus distinctam et separatam, sine preiudicio iuris alieni, statueret ipsam prelibatis domino fratri Syffrido abbati et suo conventui de iuxta Gron, eo iure quo ipsis et ecclesie eorum pertinere dignossceretur, perpetuo possidendam, si per alios quoslibet vel ipsos Benedictum litteratum et Johannem, filios Thome, in aliquo non fieret contradictum; contradictores vero si qui fierent citaret eosdem contra predictos dominum abbatem et suum conventum de iuxta Gron, ad quindenas ferie secunde proxime post ipsam dominicam Ramispalmarum, in presenciam regie maiestatis, racionem contradiccionis eorum reddituros; predicti vero Benedictus litteratus et Johannes, filii Thome, sive in statucione dicte possessionis Barathka, vel alicuius particule de eadem contradicerent, sive non, eo toto de predictis iudiciis simplicibus sex marcas facientibus, nobis in duabus partibus, in tercia vero parte dictis domino abbati et suo conventui, adversariis ipsorum, ut expediret, satisfacturos, vocaret terminum in prefixum verbo regio in presenciam regie maiestatis. Particulam autem possessionariam, per quempiam prohibitam, signis pro metis positis consignando et regali mensura si mensurari posset mensurando, vel visu considerando, unacum aliis probis viris estimaret regni consuetudine exigente et post hec seriem premisse possessionarie reambulacionis et statucionis, cum cursibus metarum eius-

1347. 26. Mart.

1347. 9. Apr.

dem vel nominibus contradictorum et citatorum, ad dictas quindenas ferie secunde proxime post dominicam Ramispalmarum, dicto domino nostro regi fideliter rescriberet capitulum Strigon*y*ense prenotatum. Ipsum siquidem capitulum Strigon*y*ense regie rescribebant serenitati in hunc modum: quod idem capitulum peticionibus nostris annuentes, cum eodem Stephano, misissent magistrum *Jacobum* et *concanonicum* ipsorum pro testimonio ad statuendam predictam possessionem *Barathka* vocatam, in comitatu Bors*y*ensi habitam, abbati et conventui supradictis; qui tandem homo regius cum eodem homine ipsorum ad ipsum capitulum Strigon*y*ense reversi, eidem in hunc modum retulissent: quod feria secunda proxima post dominicam Ramispalmarum accessissent ad faciem memorate possessionis *Barathka* et eandem presentibus suis vicinis reambulassent et dum facta reambulacione eisdem domino abbati et conventui nomine ecclesie sancti Benedicti statuere voluissent, Johannes, filius Thome de *Barathka,* pro se et Benedicto fratre suo dicte statucioni contradixisset, nec statuere permisisset; quos eodem die ad reddendam racionem sue contradiccionis, ad quindenas eiusdem ferie secunde ad regiam presenciam, contra memoratos dominum abbatem et conventum evocassent. Tandem ipsis quindenis ferie secunde proxime post dominicam Ramispalmarum occurrentibus, Mykou, pro viro religioso domino fratre Syffrido abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron et conventu suo prenotatis, cum procuratoriis litteris eorumdem ab una parte, ac predicto Benedicto litterato, filio Thome, pro se personaliter et pro Johanne fratre suo uterino antedicto, sine aliquibus litteris procuratoriis *h*onus eiusdem fratris sui, ut in sequentibus lucidius exprimeretur ad se assumpmendo ex altera, coram nobis constitutis, per eosdem voce parili propositum extiterat ministerio vive vocis et relatum, ut ipsi super facto dicte possessionis *Barathka* vocate, in comitatu Bors*y*ensi existentis, habita prius nostra iudicaria licencia atque o*p*tenta, in talem perpetue pacis et concordie unionem, ut a modo et in futurum veluti zelatores pacis et concordie, mutua vicissitudine quirent amplexari, devenissent et devererant coram nobis: quod idem Benedictus litteratus et Johannes frater suus, dictam possessionem *Barathka* nominatam, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, quam ipsi et idem Thomas pater, ac avus et predecessores eorum, sub nomine possessionis dicti monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, tamquam feudar*i* hucusque tenuissent, possedissent et habuissent, visis litteris privilegialibus domini Geyche, quondam regis Hungarie, ac domini Martirii archiepiscopi Strigoniensis predictorum, eisdem domino fratri Syffrido abbati et suo conventui, ac per consequens ipsi monasterio sancti Benedicti remisissent, resignassent et restituissent; *ymo* idem Benedictus litteratus in sua et dicti Johannis fratris sui personis remiserat, restituerat et resignarat, perpetuo possidendam, tenendam pariter et habendam, nullo iure sive dominio et proprietate sibi et ipsorum posteritatibus in eadem reservato; universas eciam litteras super facto dicte possessionis *Barathka* confectas, quoquomodo et emanatas, frivolas commisissent et inanes, ac viribus carituras et idem magister Benedictus litteratus in sua et dicti Johannis fratris sui personis commiserat coram nobis. Et quia idem Benedictus litteratus, litteras procuratorias pro predicto Johanne fratre suo, ut pretactum est, non habebat, ideo assumpserat, ut nunquam idem Johannes frater suus contra ipsos abbatem et suum conventum, super facto dicte possessionis *Barathka* vocate, moveret questionem

aliqualem, qui si secus faceret, in suum honus tamquam sopite litis ipsius Johannis requisicio redundaret. E converso autem idem dominus frater Syffridus abbas et suus conventus, eosdem Benedictum litteratum et Johannem fratrem suum, super universis causis iniuriosis et controversiis, ac earumdem articulis, usque modo per ipsos Benedictum litteratum et Johannem fratrem suum, eisdem abbati et suo conventui, ac pertinentibus ad eosdem factis quoquomodo et illatis, specialiter super indebita conservacione dicte possessionis *Barathka,* excepta tamen pecuniaria solucione, per ipsum Benedictum litteratum, mediantibus litteris comitis capelle regie obligatoriis fieri eisdem abbati et suo conventui seu monasterio debenda, reddidissent expeditos prorsus et per omnia absolutos, et idem Mykou, legitimus procurator dictorum abbatis et conventus sui, in personis eorumdem, auctoritate procuratoria premissa, reddiderat coram nobis quietos atque commisit. Et quia idem dominus frater Syffridus abbas et conventus suus, in dominium dicte possessionis *Barathka* vocate, legitime voluerant introire, ideo predicto capitulo Strigoniensi litteratorie scribentes eorum amiciciam petiveramus diligenter, quatenus ipsorum mitterent hominem pro testimonio fidedignum, quo presente Nicolaus filius Myke de *Tord,* homo regius de curia regia ad hoc specialiter transmissus, feria tercia proxima post festum Ascensionis Domini, nunc proxime preterita, ad faciem prenominate possessionis *Barathka* vocate, vicinis et commetaneis eiusdem universis, specialiter eisdem Benedicto litterato et Johanne fratre suo legitime inibi convocatis accedendo, eandem per veteres et antiquas metas, iuxta veteres ubi necesse fieret novis metis erectis reambularet, reambulatamque et ab aliorum possessionibus, seu possessionariis porcionibus distinctam et separatam, sine preiudicio iuris alieni, statueret cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis universis, eisdem domino fratri Syffrido abbati et suo conventui ac per consequens monasterio sancti Benedicti antedicto, eo iure quo ipsis pertinere dignossceretur perpetuo possidendam; contradiccione quorumlibet non obstante eo, quod tam tempore reambulacionis dicte possessionis Barathka, quam tunc nostri in presencia in processu cause seu litis eiusdem nemo, exceptis ipsis Benedicto litterato et Johanne fratre suo extiterat contradictor, perpetuo possidendam. Si qui autem aliquid iuris se sperarent in eadem habere, facta ipsa legitima statucione eiusdem, dum vellent prosequerentur iuris moderamine requirente. Et post hec seriem ipsius reambulacionis et statucionis dicte possessionis Barathka, cum cursibus metarum eiusdem et tocius facti processu, ad octavas festi Pentecosthes nunc instantes, domino regi fideliter rescriberet capitulum Strigoniense supradictum. Tandem ipsis octavis festi Pentecosthes occurrentibus, Mykou pro viro religioso domino fratre Syffrido abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron et suo conventu prenotatis, cum procuratoriis litteris eorumdem, ad nostram accedens presenciam, litteras sepefati capituli Strygongensis nobis presentavit, in quibus vidimus contineri manifeste: quod ipsum capitulum Strigongense, iustis et amicabilibus peticionibus nostris inclinati, unacum homine regie excellencie, Nicolao, filio Myke de *Tord, Stephanum presbiterum* chori ecclesie prebendarium, hominem ipsorum ad premissa exsequenda pro testimonio duxissent destinandum; qui demum ad ipsum capitulum reversi eidem concorditer retulissent: quod vicinis et commetaneis universis eiusdem possessionis Barathka convocatis et specialiter Benedicto

1347. 15. Maii.

1347. 27. Maii.

litterato et Johanne fratre suo, nullo tamen contradictore apparente, eandem possessionem Barathka, per veteres metas veras et antiquas reambulatam, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, sub metis et terminis veris et antiquis eidem monasterio sancti Benedicti et per consequens abbati et suo conventui statuissent, perpetuo pacifice possidendam, tenendam et habendam. Unde quia dictam possessionem Barathka nominatam, per dictos regium et ipsius capituli ecclesie Strigon*y*ensis homines, vicinis et commetaneis eiusdem universis, specialiter memoratis Benedicto litterato et Johanne fratre suo legitime convocatis, per veras et antiquas metas eiusdem reambulasse et eisdem monasterio sancti Benedicti de iuxta Gron, ac per consequens abbati et suo conventui, sub metis et terminis veris ac antiquis, nullo contradictore apparente statuisse, ex serie predictarum litterarum ipsius capituli Strigon*y*ensis reperiebamus, ideo nos unacum baronibus et nobilibus regni, nobiscum in iudicio consedentibus, dictam possessionem Barathka vocatam, cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis universis, sub metis et terminis veris et antiquis, eisdem monasterio sancti Benedicti et per consequens abbati et conventui loci eiusdem eo iure, [quo ips]is pertinere dignosscitur, nostre iudiciarie potestatis auctoritate adiudicavimus, perpetuo possidere, tenere pariter et habere. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, presentes litteras nostras privilegiales, pendentis sigilli nostri munimine roboratas, d[uximus conce]dendas. Datum *Bude,* duodecimo die octavarum festi Pentecosthes predictarum. Anno Domini Millesimo ccc° xl^mo septimo.

In tergo manus coaeva adnot: Super predio Barathka. — Sigillum, bene conservatum, e serico rubro pendet. — Orig. in Arch. Capit. Strig. Priv. Lad. 40. fasc. 3. nr. 11.

830.

1347. — 8. Jun. — Martinus Thomae, canonicus Strigoniensis et Vaciensis, petit sibi conferre canonicatum cum praebenda in ecclesia Agriensi, quos Nicolaus electus Nitriensis obtinebat.

Ed. Bossányi: Regest. Suppl. T. I. p. 174.

831.

1347. Avignon. 8. Jun. — Martinus Thomae de Haraszt petit ecclesiae, quam ipse in honorem s. Nicolai in Haraszt, dioec. Strigon., aedificare curavit, indulgentias elargiri.

Ed. Bossányi l. c. p. 174.

832.

1347. Avignon. 8. Jun. — Nicolaus Demetrii, dioec. Strigon., petit sibi canonicatum et praebendam conferre in ecclesia Strigoniensi, per electionem Nicolai ad sedem Nitriensem vacaturam.

Ed. Bossányi l. c. p. 176.

833.

1347. Buda. 11. Jun. — Ludovicus Magnus rex, in possessione Petend, monast. s. Benedicti de iuxta Gron, ex speciali gratia, ius nundinas tenendi concedit.

Tenorem vide sub nr. 844.

834.

1347. (Nyitra.) 14. Jun. — Capitulum Nitriense, facta inquisitione, possessionem capituli Posoniensis Vereknye, per incolas de Felrév occupatam esse, regi rescribit.

Serenissimo principi, domino *Lodouiko*, Dei gracia regi Hungarie illustri, capitulum Nitriensis ecclesie, oracionum suffragia devotarum. Litteris vestre excellencie, pro honorabili capitulo *ecclesie Posoniensis* generalibus, inter cetera formam inquisicionis et prohibicionis exprimentibus, honore, quo decuit, receptis, cum Farkasio de *Hethy* homine vestro, *Stephanum presbiterum,* chori nostri prebendarium, ad faciendum inquisicionem et prohibicionem infrascriptas pro testimonio duximus transmittendum; qui tandem ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt; quod sicut de nobilibus et aliis communibus hominibus in districtu *de Challoukuz* scire et inquirere potuissent, hanc de subsequentibus indagassent veritatem: quod hospites seu populi ville de *Fel Reu,* pertinentis ad civitatem Posoniensem, quandam possessionem pretacti capituli Posoniensis ecclesie, *Verekenye* vocatam, a quatuor annis retroactis incipiens, contra prohibicionem ipsius capituli, legittime factam, usque modo potencialiter usi exstitissent, et nunc uterentur, silvam eiusdem ville Vereknye devastantes fecissent succidi, in preiudicium capituli memorati non modicum, et iacturam; retulerunt eciam, populos predicte ville Fel Reu se prohibuisse ab usufructuacione quarumvis utilitatum, ville Verekinye antefate. Datum, in crastino octavarum festi Epyphaniarum Domini, anno eiusdem M° ccc° XL^mo septimo.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 10. fasc. 1. nr. 21.

835.

1347. — 20. Jun. — Magist. Paulus, vicecomes Hontensis, iudicesque nobilium eiusdem cottus, Andream filium Kese et Nicolaum filium Cosmae, ob possess. Kalade, protestasse perhibent.

Nos magister *Paulus,* vicecomes *Huntensis,* iudicesque nobilium eiusdem comitatus, damus pro memoria, quod cum Andreas filius Kysa et Nicolaus filius Cosme frater eiusdem, in generali congregacione magnifici viri *Nicolai* palatini, feria secunda ante festum Corporis Christi, comitatibus Huntensi et Neugradiensi, in *Gyarmoth* celebrata, cum diversis instrumentis capitulorum et protestacionibus nobilium Huntensium et Neugradiensium, 1347. 28. Maii.
nec non commetaneorum suorum circumiacencium, propriam possessionem suorum *Kaladey* vocatam reinvenisset et mediantibus litteris magnifici Nicolai palatini, cum homine regio et conventus de *Saag,* ac nobilibus eiusdem provincie et cum homine comitis Huntensis, dictam possessionem *Kaladey,* nullo contradictore obstante, reambulasset et reambulando metas posuisset de loco ad locum, et commetaneos suos videlicet de *Potok* ac *Dehter,* ab usu eiusdem possessionis terris, pratis et silvis, coram eisdem eisdem (sic! bis) prescriptis hominibus prohibuisset; tandem iobagiones ac villani de *Potok,* prata ac silvas dicte possessionis *Kaladey,* contra voluntatem prescriptorum Andree et Nicolai potencialiter penitus desolasse, uterentur in eorum preiudicium, protestarunt coram nobis. Datum, feria quarta proxima ante festum Nativitatis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° ccc° XL^mo septimo.

Extus: Pro Andrea filio Kysa et Nicolao filio Kosme, fratre suo (expunct.: pro) contra villanos ac iobagiones de *Pothoka* protestacio. — Sigillum, bene conservatum, margini ext. est appressum. — Orig. chart., in Arch. Primat. Secul. Lad. F. nr. 17.

836.

1347. (Ipolyság.) 24. Jun. — Stephanus praepositus de Ságh, Andream Kese ob possessionem suam Kalade vocatam protestasse, perhibet.

Nos Stephanus prepositus et conventus fratrum ordinis Premonstratensis monasterii beate Virginis Marie de *Saagh*, damus pro memoria, quod Andreas filius Kese et Nicolaus filius Cosma, in facie cuiusdam possessionis *Kalade* vocate, universos vicinos et commetaneos circumquaque existentes, coram homine nostro prohibuerunt a percepcione (expunct.: frugum ac fructuum et superscript.:) eiusdem possessionis fructuum, utilitatum et ab usu. Datum, in sesto (sic!) Nativitatis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° ccc° xl^mo septimo.

Extus: Pro Andrea filio Kese et Nicolao filio Cosma, super possessione ipsorum Calade vocate prohibitoria. — Sigill. margin. ext. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. F. nr. 16.

837.

1347. Buda. 1. Jul. — Oliverus, magister tavarnicorum regis, tributum fori Strigoniensis capitulo Strigoniensi adjudicat, declaratque: quod si alio sensu, vi muneris iudicis curiae reginae ederet literas, illas omni iure carentes vult habere.

Oliuerius, magister tauarnicorum domini regis et iudex curie domine regine, universis Christi fidelibus presentibus pariter et futuris salutem in Domino. Ordo suadet racionis, ut ea que iuris ordine terminantur testimonio litterarum debent solidari, quia iudicialis auctoritas parve esset utilitatis, si actus iuridicus memoriam non haberet posterorum; ad universorum igitur noticiam harum serie volumus pervenire, quod cum secundum continenciam priorum litterarum nostrarum prorogatoriarum, discreti viri domini *Mathyas Kamaronensis* et *Johannes Zoliensis archydiaconi,* cum legitimis procuratoriis litteris capituli Strigoniensis ex una parte pro eodem capitulo, ab altera vero Stephanus filius Frank, iudex civitatis Strigoniensis, ac Petrus notarius eiusdem civitatis, cum legitimis litteris procuratoriis eiusdem civitatis pro tota universitate, 1347. 24. Maii. feria quinta proxima post festum Pentecostes, ad nostram personaliter accedentes presenciam, procuratores dicti capituli contra memoratos iudicem, iuratos et universos cives Strigonienses, in figura nostri iudicii, egerunt proponendo in hunc modum: quod tributum fori Strigoniensis, quod exigi est consuetum a quibuslibet mercatoribus et specialiter a civibus Strigoniensibus, ecclesie Strigoniensis capitulo a sanctis regibus esset collatam et donatum, et centum ac triginta quinque annis ipsum tributum usque modo pacifice possedisset, sed ab anno plus quam preterito, cuius tercia revolucio annualis in festo conversionis beati Pauli apostoli iam adveniret, ipsi iudex, iurati et 1344. 25. Jan. cives dicte civitatis propria auctoritate usurpassent, eidem capitulo dare et solvere recusando, cuius ocupacionis et detencionis causam scire vellent ab eisdem. Quo audito predictus iudex et Petrus notarius dicte civitatis responderunt, quod per regiam excellenciam a solucione ipsius tributi essent exempti,

licet usque modo solvissent eidem, et exinde se litteras regales habere allegarant; cumque auctoritate iudiciaria ad exhibendum ipsas litteras, quibus mediantibus essent exempti coegissemus eosdem, exhibuerunt nobis quasdam litteras patentes domini regis *Karoli,* quondam regis Hungariae, per quas ipsos cives exemerat a solucione proprii tributi regalis ad decem annos, sed non a solucione tributi ipsius capituli Strigoniensis; item aliam litteram similem tenorem habentem, domini *Lodouici* regis presentis, que ipsos cives a solucione tributi dicti capituli minime absolvebant, *ymo* nec faciebant mencionem de eodem. Querendo ipsorum civium procuratores, si haberent plures litteras de eodem, per quas se possent tueri de huiusmodi facto potenciali nec-ne; dixerunt, quod plures litteras ex eo non haberent, nisi quod haberent litteras privilegiales domini *Bele* regis super aliis libertatibus eorum confectas. Et quamvis centum et triginta quinque annorum pacifica possessio ipsius tributi satisfecisset ecclesie Strigoniensi, quam tempore proposicionis eorum dicti procuratores allegarant, tamen volentes esse cerciores de eo, quo iure ipsum tributum dictum capitulum possideret et quomodo ipsi ecclesie esset collatum, procuratores dicti capituli ad exhibendum iura eiusdem coegimus. Qui primo super collacione tributi predicti exhibuerunt nobis litteras privilegiales domini *Bele* regis tercii *cum bulla aurea;* item privilegium domini *Emerici* regis confirmatorium eiusdem; item privilegium domini *Endre* regis; item privilegium domini regis *Ladislai* confirmatorium omnium privilegiorum predictorum, ac proprium privilegium eiusdem civitatis, per quod se ipsum tributum semper solvere obligarunt capitulo ecclesie supradicte; et alia plura privilegia regum monstrabant si fuisset necessarium. Ex quorum tenoribus, ipsum tributum ad ipsum capitulum omni iure vidimus pertinere, nec procuratores dicte civitatis contra ea aliquid dicere potuerunt. Unde nos una cum dominis Nicolao Agriensi et Gregorio Chanadiensi episcopis; item magnificis viris comite filio Symonis iudice curie regalis; Thomá quondam vaeuada (sic!) Transsiluano et comite de Zonuk; Paulo magistro tauarnicorum domine regine magistro; Laurencio Sclauo et comite Castri Ferrei; Nicolao bano tocius Sclauonie; Nicolao bano de Macho; magistro Johanne filio Gileti; magistro Thoma Rufo castellano de *Chehte* et de *Vyuar;* magistro Johanne filio Alexandri comite de Gumur; Paulo dicto Magyar et magistro Aynardo filio Nicolai, specialiter per dominam reginam nobis pro assessoribus in causa predicta deputatis, et aliis quam pluribus specialiter per nos ad hoc congregatis et vocatis, predictum tributum iuxta continenciam litterarum predictarum regalium et specialiter domini regis Ladislai, per ipsos et quoslibet alios ipso capitulo in perpetuum solvendum adiudicavimus. Et quia ipsi cives et eorum procuratores de indebita occupacione ipsius tributi nullam racionem reddere potuerunt, ideo ipsos contra dictum capitulum in facto potenciali duximus condempnandos et fore convictos. *Et quia domina regina, ab huiusmodi gravaminibus, ipsos cives occulte intendit liberare, si aliquas litteras de iussu reginali dictis civibus ex hoc nos dare contingat, protestamur eas non iuridice vel iuste dedisse, sed propter metum reginalem.* Datum, *Bude,* in octavis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° CCC° XL^mo^ VII^mo^.

Extus coeva manus adnotat: Privilegium, contra cives, super tributo fori Strigoniensis sentenciam baronum continens. — Sigillum, bene conservatum, e flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 47. fasc. 5. nr. 3.

838.

1347. Buda. 23. Jul. — Comes Paulus iudex curiae, Joannem de Pécs, per capitulum Posoniense citari petit.

Amicis suis honorandis, capitulo ecclesie Posonyensis, comes *Paulus,* iudex curie domini *Lodouici,* Dei gracia regis Hungarie, amiciciam paratam, debito cum honore. Amiciciam vestram presentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente Andreas de *Zowar,* vel Johannes filius Petri de eadem, altero absente homo regius, citet Johannem, filium Johannis *de Peech,* contra Kunchlinum, iudicem *de Tyrnavia,* in regiam presenciam ad terminum competentem. Et post hec diem et locum ipsius citacionis, nomen citati, cum termino assignato, eidem domino regi fideliter rescribatis. Datum *Bude,* secundo die festi beate Marie Magdalene, anno Domini M° ccc° xl^mo septimo.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 28. fasc. 1. nr. 4.

839.

1347. — 28. Jul. — Ludovicus Magnus rex, ad preces Siffridi abbatis de Sancto Benedicto, confirmat literas Caroli I. regis, transsumentes et confirmantes privilegiales Andreae II. regis a 1217. concessas:

Tenorem vide sub nr. 193. 1328. 18. Mart.

Datum per manus honorabilis et discreti viri, magistri Thatamerii, Albensis ecclesiae prepositi, aule nostre vicecancellarii, dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° ccc° xl^mo septimo, quinto Kalendas Augusti, regni autem nostri anno sexto; venerabilibus in Christo patribus, dominis Chanadino Strigoniensi, locique eiusdem comite perpetuo, Stephano Colocensi, Nicolao Jadriensi, Dominico Spalatensi archiepiscopis; Nicolao Agriensi, Andrea Transsiluano, Demetrio Waradiensi, Jacobo Zagrabiensi, Nicolao Quinqueecclesiensi, Petro Syrimiensi, Gregorio Chanadiensi, Laurencio Boznensi, Colomano Jauriensi, Nicolao electo Nitriensi, Mychaele Waciensi, ecclesiarum episcopis, et Johanne clerio (sic) confirmato Wesprimiensi, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao palatino, iudice Comanorum; St(ephano) woyuoda Transiluano, comite de Zonuk; Oliverio magistro thauarnicorum nostrorum; comite Paulo iudice curie nostre; Paulo magistro thauarnicorum reginalium; Dominico de Macho, Nicolao tocius Sclauonie et Croacie banis; Nicolao pincernaorum (sic), Iwanka dapiferorum et Dyonisio agazonum nostrorum magistris, ac magistro Nicolao dicto Treutul, comite Posoniensi, aliisque quam pluribus, regni comitatus tenentibus et honores.

Extus manus coeva adnot.: Confirmacio privilegii domini K. regis, cum mediocri suo sigillo consignati, super confirmacione privilegii domini Endre regis, super libertatibus per eundem populis monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron concessis interius expressis emanati. — Fragmen sigilli e flavo et viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv Lad. 1. fasc. 1. nr. 3.

840.

1347. — 28. Jul. — Ludovicus I. rex, confirmat, ad preces Siffridi abbatis s. Benedicti, literas Martirii archiepiscopi, confirmantes donationem Euzidinii a. 1156. pro ecclesia in Baratka factam.

Litt. has edit. Knauz in T. I. p. 169. nr. 78. ex hoc ipso transsumpto. 1156.

Datum, sicut in nr. sup. 839.

Extus manus coeva adnotat: Confirmacio privilegii Martirii, quondam archiepiscopi Strigoniensis, super quibusdam possessionibus et iuribus monasterii beati Benedicti de iuxta Gron confecti et emanati. — Et alia manus continuat: super ecclesiam sancti Martini de Barathka et ipsam possessionem Barathka metalis. — Fragmen sigill. dupl. e flavo et viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 3. nr. 8.

841.

1347. — 28. Jul. — Ludovicus I. rex confirmat, ad preces Siffridi abbatis s. Benedicti, literas Geyse II. regis.

Literas has de a. 1158. edit. T. I. p. 116. nr. 89. et quidem ex ipso originali. 1158.

Datum, ut supra in nr. 839.

Extus manus coeva adnotat: Confirmacio privilegii Geyse regis, super possessionibus ecclesie sancti Benedicti de iuxta Goron Bratka et Zanto vocatis, per Stephanum fratrem Euzi, dini, sine herede existentem datis, qui eciam Euzudinus fecit ipsam possessionariam donacionem ipsi ecclesie coram Martirio archyepiscopo Strigoniensi. — Fragmen sigill. dupl. e flavo et viridi serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 3. nr. 1.

842.

1347. — 28. Jul. — Ludovicus I. rex transsumit, ad preces Siffridi abbatis s. Benedicti tria privilegia super possessionibus Szölény et Zengő emanatas. Et quidem:

Lit. capit. Nitriens. a. 1331. emanatas et sub nr. 271. ex orig. edit. 1331. 24. Mart.

Lit. Thomae vajvodae Transylv. in Visegrád a. 1341. emanatas et ex orig. edit. sub nr. 586. 1341. 18. Nov.

Lit. conventus Zoboriensis a. 1342. datas et ex orig. sub nr. 601. edit. 1342. 16. Mart.

Datum sicut in nr. 839.

Sigillum deperdit. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 40. fasc. 2. nr. 35.

843.

1347. — 28. Jul. — Ludovicus I. rex, transsumit et confirmat literas, super empcione cuiusdam molendini in fluvio Gron, iuxta civitatem Bors sitae, et quidem:

Literas capit. Nitriensis ipsam empcionem perhibentes et ex orig. in T. I. sub nr. 752. editas. 1270.

Literas Stephani V. regis superiores transsumpmentes et confirmantes a. 1272. emanatas et T. I. nr. 775. editas. 1272. 13. Jul.

Literas Ladislai IV. regis ipsas capit. Nitr. et Stephani V. regis a. 1279. confirmantes et ex ipso orig. T. II. nr. 85. edit. 1279. Jan.—Aug.

Datum ut supra in nr. 839.

Extus: Confirmacio privilegii domini Lad(islai) regis, super empcione cuiusdam molendini in fluvio Goron habiti et adiacenti fundi in Bors habiti, confirmantis litteras privilegiales domini St(ephani) regis, que confirmabat litteras capituli Nitriensis. — Sigillum maius, bene conservatum, ex albo et violaceo serico contexto pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 40. fasc. 13. nr. 10.

844.

1347. — 28. Jul. — Ludovicus Magnus rex, transsumit et confirmat forma privilegiali literas suas patentes, super iure nundinarum in possessione Petend, monasterio s. Benedicti de iuxta Gron concessas.

Lodouicus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque rex, princeps Sallernitanus et honoris ac montis sancti Angeli Dominus. Omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, noticiam presencium habituris, salutem in vero Salvatore. Et quia divine maiestatis reverencia cordi nostro vehementer insidet et ad eius nominis cultum mentis nostre acies sedule occupatur, tanto nos ante oculos ipsius credimus maioris gracie dona percipere, quanto sanctam matrem ecclesiam, quam Christus in ewangelio domum suam fatetur, in suis iuribus donaticiis studuerimus propensius conservare; eapropter ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod vir religiosus frater Sefridus, abbas monasterii sancti Benedicti de *iuxta Goron,* ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras nostras patentes anulari sigillo nostro, super collacione fori per nos ad possessionem eiusdem monasterii sui *Petend* nominatam, singulis ebdomadis singulis secundis feriis celebrari concessi et commissi consignatas, tenoris infrascripti, supplicans suo, dicti monasterii et conventus sui vice et nomine nostre celsitudini, prece subiectiva, ut ipsas litteras acceptare, nostroque dignaremur privilegio confirmare. Quarum tenor talis est:

Nos *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, memorie commendantes: quod tam ob devocionem, quam in (sic) beato Benedicto confessore gerimus, quam eciam ad instantem peticionem religiosi viri fratris Sefredi, abbatis monasterii eiusdem sancti Benedicti de iuxta Goron, volentes villam seu possessionem eiusdem monasterii, Petend vocatam, prope idem monasterium existentem ampliari et populorum, seu iobagionum multitudine decorari, forum ad eandem villam dedimus de benignitate et liberalitate regia et ipsum forum feria secunda singulis septimanis annuimus celebrandum. Volumus igitur et vobis universis nobilibus et possessionatis hominibus, quibus presentes ostendentur precipimus firmiter et districte, quatenus iobagiones vestros, cum eorum rebus et mercimoniis, ad ipsum forum de Petend libere ire permittatis. Vos vero universos mercatores et alios quoslibet homines, ad dictum forum venientes, assecuramus per presentes, quatenus ad dictum forum de Petend libere et secure veniatis et habitis in ipso foro empcionibus et vendicionibus vestris, libere et secure recedatis sub nostra regia proteccione et tutela speciali, euntes semper et redeuntes salvis rebus vestris et personis. Et hoc volumus per fora et loca publica palam proclamari promittentes, ut dum presentes nobis fuerint reportate, in formam nostri privilegii easdem redigi faciemus. Datum *Bude,* in festo beati Barnabe apostoli, anno Domini M° ccc° xl^mo septimo. 1347. 11. Jun.

Nos itaque iustis et condignis peticionibus eiusdem fratris Sefridi abbatis regio cum favore inclinati, dictas litteras nostras patentes, cum anuleo sigillo nostro consignatas, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte viciatas, sed omni veritatis tramite emanatas, de verbo ad verbum insertas, acceptamus, ratificamus et approbamus, de beneplacitaque voluntate serenissime principisse domine regine genitricis nostre karissime, ac de consilio prelatorum et baronum regni nostri prematuro, regia auctoritate easdem in perpetuum valere confirmamus. Antedictum forum in prenominata possessione ipsius monasterii sancti Benedicti, sicut antea sic et nunc, in perpetuum presentis privilegii nostri patrocinio mediante, celebrari permittendo. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam presentes eidem abbati et monasterio ipsius predicto, concessimus litteras nostras privilegiales dupplicis sigilli nostri auttentici munimine roboratas. Datum, per manus honorabilis et discreti viri magistri *Tatamerii,* Albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarii dilecti et fidelis nostri, anno Domini M° ccc° xl^mo^ septimo, quinto Kalendas Augusti, regni autem nostri anno sexto. Venerabilibus in Christo patribus dominis Chanadino Strigoniensi, locique eiusdem comite perpetuo, Stephano Colocensi, Nicolao Jadriensi et Dominico Spalatensi archyepiscopis; Nicolao Agriensi, Andrea Transsiluano, Demetrio Waradiensi, Jacobo Zagrabiensi, Nicolao Quinqueecclesiensi, Petro Syrmiensi, Gregorio Chanadiensi, Laurencio Boznensi, Colomano Jauriensi, Mychaele Waciensi ecclesiarum episcopis; Johanne Wesprimiensi et Nicolao Nitriensi electis confirmatis, ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao palatino et iudice Comanorum; Stephano woyuoda Transsiluano, comite de Zonuk; Olyuerio magistro tauarnicorum nostrorum; comite Paulo iudice curie nostre; Paulo magistro tauarnicorum reginalium; Dominico de Machow; Nicolao de Zeech, tocius Sclauonie et Croacie banis; Nicolao pincernarum, Iwanka dapiferorum et Dyonisio agasonum nostrorum magistris, ac magistro Nicolao, dicto Treutul, comite Posoniensi, aliisque quam pluribus comitatus regni nostri tenentibus et honores.

1347. 28. Jul.

Extus manus coeva adn.: Privilegium datum est, super collacione fori in possessione ecclesie sancti Benedicti de iuxta Goron, Petend *vocata,* cum littera anulari. — Sigillum pend. deperditum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 3. nr. 2.

845.

1347. Hidvég. 22. Aug. — Magistratus comitatus Hontensis, populos de Patak, possessionem Kalade vocatam, ad Andream Kese et Nicolaum Cosmae pertinentem, vi occupasse, perhibet.

Nos magister *Paulus,* vicecomes *Huntensis,* ac quatuor iudices nobilium eiusdem comitatus damus pro memoria, quod nos ad instanciam peticionis Andree filio *Cese* (sic!), et Nicolao filio Cosma, nobiles de *Kaladey,* homines nostros duos ex iudicibus nobilium pro testimonio fidedignum transmisissemus ad videndam infrascripta; qui demum ad nos reversi, nobis concorditer retulerunt: quod ipsi feria quinta proxima post festum Assumpcionis beate Virginis Marie, accedendo ad faciem possessionis *Kalade* vocata, et ibi a vicinis et commetaneis suis, ac aliis hominibus diligenter investigando, talem scivissent veritatem, quod hospites seu populi de villa *Patack* potencialiter venissent ad possessiones Andree filio *Cese* et Nicolaus fili (sic!) Cosma de

1347. 16. Aug.

Kalade, et ibi sex metas terreas et arboris destruxissent et anichilassent in preiudicium eorumdem non modicum et gravamen. Datum in *Hyduegh,* feria quarta proxima post festum sancti regis Stephani confessoris, anno Domini M° ccc° XL^mo septimo.

Extus: Pro Andrea filio Cese et Nicolao filio Cosma de *Calade,* contra populos de *Patak* inquisitoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Primatiali Secul. Lad. F. nr. 16.

846.

1347. (Pozsony.) 19. Oct. — Magister Johannes Orros, vicecomes Posoniensis, super interfectione Joannis de Karcsa, per capitulum Posoniense inquiri petit.

Discretis viris et honestis, capitulo ecclesie Posoniensis, dominis et amicis suis plurimum reverendis, magister *Johannes* dictus *Orrus,* vicecomes de eodem, paratam amiciciam sincero cum honore. Dicit nobis *Polda,* filius Petri de *Itipolda* (sic), quod feria sexta proxima post festum beati Michaelis archangeli nunc preteritum, Petrus filius Nicolai, filii Morkolfi de *Karcha,* animo deliberato, Johannem fratrem suum, suis culpis non exigentibus, per iuramen Bartholomei, filii Elye, interfecisset. Super quo vestre discrecionis amiciciam presentibus requirimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente Dominicus de Karcha, unus iudicum quatuor et Michael de *Suchak,* homo noster, sciant et inquirant ab omnibus, quibus decet et licet, omnimodam de premissis veritatem; et post hec, prout ipsis veritas constiterit premissorum, amicabiliter nobis vestri gracia rescribatis. Datum, secundo die festi beati Luche ewangeliste, anno Domini M° ccc^mo XL^mo septimo.

1347. 5. Oct.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 8. fasc. 1. nr. 4.

847.

1347. — 21. Oct. — Testamentaria dispositio Lypoldi, comitis de Körmöcz, super 32 florenos, monasterio s. Benedicti de iuxta Gron, annuatim exsolvendos.

Nos magister *Lypoldus,* comes de *Chremnich* et castellanus de *Arwa,* memorie commendantes tenore presencium significamus universis, quod nos ex proventibus nostre gaze, vulgariter *Choch* nominate, in *Kunygsperg* existentis, in parte seu possessione fratrum monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron confecta, pro salute anime nostre testamentum facientes, pro eo, quia ipsi assumpserunt nos in oraciones confraternitatis ipsorum meminire (sic!), dedimus et commisimus ipsis singulis annis, quousque nobis vita comes extiterit, triginta duos florenos in duobus terminis infrascriptis persolvendis, videlicet in octavis festi sancti Georgii martiris sedecim florenos, reliquos vero sedecim florenos in octavis festi beati Michaelis archangeli continuis persolvendis. Post obitum vero, sew discessum nostrum, quicunque dictam possessionem nostram, wlgariter *Choch* nominatam, ex proximis nostris obtinuerit, volumus ut dictos triginta duos florenos, predictis fratribus ordinis sancti Benedicti, similiter dare et expedire teneantur, quousque dicta possessio fructus et labores potuerit habere simul cum montanis. Super cuius facti memo-

1. Maii — 6. Oct.

riam litteras nostras concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum, die dominica proxima post festum beati Luce *ew*angeliste, anno Domini M° ccc° XL^mo^ septimo.

Extus manus med. aevi adnot.: Super gaza in Kwnigisperg. — Sigillum, bene conservatum, in tergo cerae rubrae impressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Privat. Lad. 40. fasc. 3. nr. 7.

848.

1347. Buda. 24. Oct. — Ludovicus I. rex, Stephanum, specialem suum notarium, molendinum quoddam in Bükksevnyicze, monasterio s. Benedicti remisisse, perhibet.

Nos *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod magister Stephanus, specialis *notarius noster anularis,* dilectus et fidelis noster, coram nobis personaliter constitutus, proposuit et confessus extitit ministerio vive vocis: quod ipse unum locum molendini in rivulo seu fluvio, *Bykseunice* nominato, scilicet sextum locum a fluvio *Garon* ab inferiori parte supra numerando, prope novam montanam *Kungesberch* vocatam, intra metas possessionis monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron habitum, quem pro fidelibus serviciis suis eidem monasterio impensis, religiosi viri frater Syfridus dicti monasterii abbas, dilectus et fidelis capellanus noster, ac suus conventus, pro construendo molendino eidem liberaliter, mediantibus eorum litteris patentibus, dudum dederant et donaverant perpetuo possidendum, eidem abbati et suo conventui empcionis iusto et legali titulo, pro una marca auri, integraliter et plene ab eisdem habita et recepta, restituisset ac resignasset, *ym*o restituit et resignavit coram nobis, pleno et legali iure, perpetuo et pacifice possidendum, pariter et habendum. Datum *Bude,* quarta feria post festum undecim mi*l*ium virginum, anno Domini M° ccc° XL^mo^ septimo.

Sigillum marg. fuit impressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 3. nr. 9.

849.

1347. Esztergom. 29. Oct. — Chanadinus, archiepiscopus Strigoniensis, causam Nicolai filii Mathiae, nobilis de Elefant, contra Paulum dictum Kerek, hospitem Strigoniensem motam, ad octavas festi Epiphaniarum a. 1348. prorogat.

Edid.: Codex Andegav. T. V. p. 149.

850.

1347. Buda. 19. Nov. — Paulus, iudex curiae regiae, possessiones Harmach, Asszó et Velezd, Ladislao e genere Hunt-Páznán, praeposito Strigoniensi, adjudicat.

Ed. Kubinyi F.: Mon. Hung. Hist. Diplomatarium Hontense P. I. p. 160 et sqq. nr. 107.

851.

1347. Buda. 25. Nov. — Ludovicus I. rex, capitulo Vesprimiensi, privilegium super modo decimationis capitulo Strigoniensi in paribus extradari, mandat.

Tenorem vide sub nr. 853.

852.

1347. Buda. 1. Decemb. — Chanadinus, archiepiscopus Strigoniensis, causam inter Joannem electum Vesprimiensem, et rectores ecclesiarum de Örs et Sasad exortam, ad novum terminum prorogat.

Nos Chanadinus, Dei et apostolica gracia archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, damus pro memoria, quod causam, quam reverendus vir dominus *Johannes, electus* confirmatus ecclesie *Wesprimiensis*, aule regine cancellarius, in iure canonico licenciatus, comes capelle, secretariusque cancellarius domini *Lodouci*, eadem gracia regis Hungarie, pro quo discreti viri *Andreas, prepositus* de *Posoga,* et *Blasius archidiaconus,* vicecomes capelle, cum procuratoriis litteris eiusdem astiterunt, contra Mychaem *de Wrs* et Benedictum *de Sasad,* ecclesiarum rectores, iuxta continenciam litterarum nostrarum prorogatoriarum, in quindenis festi beati Martini confessoris movere habebat coram nobis, ob regium preceptum, simili modo ad quindenas predicti festi beati Martini confessoris proxime affuturis, duximus prorogandam. Datum *Bude,* septimo die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xl.^mo^ septimo. 1347. 25. Nov.

Extus: Pro honorabili viro domino Johanne, electo confirmato ecclesie Wesprimiensis, contra discretos viro (sic!) Mychaelem de Wrs et Benedictum de Sasad ecclesiarum plebanos ad quindenas festi beati Martini confessoris (expunct.: p) nunc affuturas prorogatoria. — Orig. chart., in Arch. Cap. Vespr. Epp. Miscellanea nro 124. Lad. 86. — Sigillum tergo fuit appressum.

853.

1347. (Veszprém.) 2. Dec. — Capitulum Vesprimiense, literas Ladislai IV. regis, super modo exactionis tributi, capitulo Strigoniensi in transsumpto concessisse, Ludovico I. regi rescribit.

Nos *Johannes prepositus* et capitulum ecclesie *Wesprimiensis,* omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris, salutem in Domino. Et moralitas hoc exigit, et nature racio expostulat, ut mandata principum execucioni mandentur, presertim cum ea iusticiam nutriant et faveant equitatem. Sane ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod ex parte honorabilium virorum *capituli* sancte *Strigoniensis* ecclesie, quedam littere serenissimi principis domini *Lodouici,* Dei gracia illustris regis Hungarie, nobis fuerunt presentate hunc tenorem continentes:

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo Wesprimiensi, salutem et graciam. Dicit nobis discretus vir, magister *Ladizlaus prepositus* ecclesie *sancti Georgii de suburbio Strigoniensi,* in sua et honorabilium virorum capituli ecclesie Strigoniensis concanonicorum suorum personis, quod privilegia et litteralia munimenta ipsorum, super facto limitacionis et ordinacione, seu serie exaccionis decimarum ipsis provenire debencium, olym per pios predecessores nostros beate recordacionis reges Hungarie illustres facte et ordinate, confecta et emanata, casualiter ab ipsis alienata extitissent, quorum series et continencias, instrumenta et litteralia munimenta vestra transscriptoria, super facto limitacionis et ordinacione exaccionis decimarum vestrarum confecta, in conservatorio ecclesie vestre reposita et habita seriatim suo modo continerent; quorum conti-

nencie ipsis ad tuicionem iurium eorum nimium essent necessarie. Quare fidelitati vestre litteras nostras mandamus per presentes, quatenus dicta instrumenta et litteralia munimenta vestra, in ipsa vestra sacristia requiri faciatis, que si in aliquo seriem et continenciam dictorum privilegiorum et litteralium munimentorum prenotati capituli Strigoniensis, super facto limitacionis et ordinacione exaccionis decimarum ipsis provenire debencium confectorum continere videritis, extunc copiam eorumdem de verbo ad verbum transcribi faciendo, sub sigillo vestro eisdem concedere debeatis ad cautelam, caventes solum ne fraus et dolus interveniat in hac parte. Datum *Bude,* in festo beate Katherine virginis, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ septimo. 1347. 25. Nov.

Nos igitur advertentes, quod omne quod precipitur imperatur et quod imperatur necesse est fieri, si non fiat penam habet, ut iuris testatur auctoritas, ne transgressores mandati regalis fore videamur, litteras seu instrumenta nostre ecclesie, super limitacione exaccionis decimarum, per dominum *Ladizlaum,* beatissime recordacionis olym inclitissimum regem Hungarie concessas, in nostra sacristia requiri fecimus et quia factum decimarum predicti capituli Strigoniensis ecclesie tangere videbantur, eas iuxta regium mandatum, de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, et nostro pendenti sigillo communitas, memorato capitulo duximus concedendas. Tenor autem ipsarum hec est:

Vide T. II. p. 113. nr. 82, ubi ex hoc ipso transsumpto edit. inveniuntur. 1379. 23. Jun.

Datum octavo die predicti festi sancte Katherine virginis et martiris, anno Domini supradicto.

Extus manus coeva adn.: Privilegium super declaracione decimarum, tam vini quam frugum exigendarum Ladislai regis. — Sigillum, bene conservatum, e corrigiis membr. pendet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 47. fasc. 1. nr. 12.

854.

1347. (Győr.) 10. Dec. — Capitulum Jaurinense, comitem Nicolaum de Treutul, possessionem capituli Posoniensis, Deáki vocatam, occupasse Ludovico I. regi, rescribit.

Serenissimo principi domino *Lodouico,* Dei gracia inclito regi Hungarie, domino suo metuendo, capitulum *Jauriensis* ecclesie, oracionum suffragia devotarum, in filio Virginis gloriose. Litteris vestre serenitatis generalibus, pro honorabili capitulo ecclesie Posoniensis nobis directis, honore condecenti receptis, una cum Farkasio *de Heth,* homine vestre serenitatis, virum discretum dominum *Lucam plebanum,* ac magistrum altaris beate Virginis de ecclesia nostra cathedrali fidedignum, ad quedam infra declaranda duximus pro testimonio dirigendum; qui quidem homo vestre serenitatis demum ad nos rediens, presente eodem testimonio nostro, nobis retulit isto modo: quod ipsi in vigilia beati Nicolai confessoris, in maiori provincia Posoniensi procedendo, ab omnibus nobilibus et innobilibus, ac ab aliis cuiusvis status et condicionibus (sic) hominibus, et specialiter a vicinis et commetaneis possessionis *Deaki* vocate, talem scire potuissent veritatem, quod predicta possessio ab antiquo Deaki noncupata extitisset, et nunc illo nomine debeat noncupari, licet tempore disturbii, seu guerre, per quendam nomine Martinum, filium Bogar, populis predita et habitatoribus extitisset decorata, qui eciam aliud nomen imponendo eam *Kurmusd* 1347. 5. Dec.

fecisset nominari, quam nunc magister Nicolaus *Tretul* dictus, nomine possessionis regis recaptivasset, que tamen possessio semper ipsius ecclesie Posoniensis et sui capituli fuisset et nunc esse debeat, sub nomine Deaki prenotato. Data, feria secunda proxima post festum beati Nicolai confessoris supradictum, anno Domini M° ccc° xl^mo septimo.

Extus: Domino regi, pro honorabili capitulo ecclesie Posoniensis, super quibusdam intrapositis (expunct.: inquisitoria), contra magistrum Nicolaum Trettul dictum, videlicet super occupacione possessionis Deaki inquisitoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Coll. Poson. Priv. Capsa R. fasc. 2. nr. 46.

855.

1347. (Győr.) 11. Dec. — Capitulum Jaurinense, super violentiis, per familiares Laurentii Tóth, comitis Castriferrei et Soproniensis, in possessione capituli Posoniensis Szilincs perpetratis, regi rescribit.

Serenissimo principi, domino *Lodouico,* Dei gracia inclito regi Hungarie, domino suo metuendo, capitulum Jauriensis ecclesie, oracionum suffragia devotarum in filio Virginis gloriose. Litteris vestre serenitatis generalibus, pro honorabili capitulo ecclesie Posoniensis nobis directis, honore condecenti receptis, una cum Francisco de *Heth,* homine vestre serenitatis, virum discretum, dominum *Lucam* plebanum, ac magistrum altaris beate Virginis de ecclesia nostra cathedrali, fidedignum, ad quedam infra declaranda duximus pro testimonio dirigendum. Qui quidem homo vestre serenitatis demum ad nos rediens, presente eodem testimonio nostro, nobis retulit isto modo: quod ipsi in festo beati Nicolai confessoris, in maiori provincia Posoniensi procedendo, ab omnibus nobilibus et innobilibus, ac ab aliis cuius vis status et condicionis hominibus talem scire potuissent veritatem, quod cum quidam iobagio ipsius capituli Posoniensis, nomine *Hertul,* de villa *Scelench,* pro suis excessibus furtive recessisset, et ad villam *Farkashida* se recepisset commoraturum, Lucacius et Desew, familiares magistri Laurencii, comitis Castriferrei et Suproniensis, ac castellani de *Sumtew,* feria tercia proxima ante festum beati Jacobi apostoli, cuius quarta adveniret revolucio annualis, ex precepto et mandato predicti magistri Laurencii, domini ipsorum, in dictam possessionem capituli Posoniensis Scelench potencialiter veniendo, fruges ipsius Hertul in dictam villam Farkashida fecissent deportari. Insuper sex currus aliorum iobagionum dicti capituli Posoniensis, simul cum frugibus et equis de dicta villa Scelench, similiter fecissent deportari; quosquidem equos et currus ipsum capitulum tandem pro pecunia redemisset. Hiis non contentus, anno in presenti, in octavis festi beati Mychaelis archangeli proxime preteriti, pretactus Desew similiter ad ipsam possessionem Scelench veniendo, octo equos recepisset, quos quidem equos post modum ad fideiussoriam caucionem discreti viri, *plebani de Tyrnauia* et patris eiusdem, ac Johannis filii Egliani posterioris (sic) iudicis restituisset, qui fideiussores postmodum per ipsum Desew angariati, ipsum capitulum Posoniense, ad solucionem quinque talentorum, que ipsi plenarie persolvissent, coegissent. Datum, feria

1347. 6. Dec.

1344. 20. Jul.

1347. 29. Sept.

tercia proxima post festum beati Nicolai confessoris supradictum, anno Domini M^mo ccc^o xl^mo septimo.

Extus: Domino regi pro honorabili capitulo ecclesie Posoniensis, contra magistrum Laurencium, dictum Tot, comitem Castriferrei et Suproniensis, nec non castellanum de Sumtew, ac alios intrapositos, ad ipsum pertinentes, super intrapositis inquisitorie. Sigillum ext. margini fuit appressum. — Orig. chart., humore maculatum, in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa E. fasc. 11. nr. 332.

856.

1347. (Pannonhalma). 13. Dec. — Conventus de sacro Monte Pannoniae, seriem inquisitionis in villa Kürth, contra Nicolaum Treutul, pro capitulo Posoniensi peractae, Ludovico I. regi rescribit.

Excellentissimo principi domino *Lodouico,* illustri regi Hungarie, domino suo, conventus monasterii sancti Martini de sacro *monte Pannonie,* oraciones in Dominó. Litteris vestre excellencie pro honorabili capitulo Posoniensis ecclesie generalibus, inter cetera formam inquisicionibus (sic!) exprimentibus, reverenter receptis, cum *Dama* de *Welk,* homine vestre serenitatis, virum religiosum fratrem Arnoldum de nostro conventu fidedignum, ad faciendam inquisicionem infrascriptam, pro testimonio duximus transmittendum, qui quidem Dama de *Welk,* homo vestre serenitatis, demum ad nos rediens, presente eodem testimonio nostro nobis retulit isto modo: quod sicut a nobilibus et aliis communibus hominibus de *Cholloukuz* districtu hominibus (sic), et specialiter a commetaneis et vicinis ville *Kyurth,* in iam dicto districtu habite, quibus licuit, eciam ecclesiasticis, palam et occulte diligenter inquirendo scire potuissent, hanc de subsequentibus indagassent veritatem, quod magister Nicolaus dictus *Treutl,* comes Posoniensis, feria tercia proxima ante festum Penthecostes, cuius nunc quarta revolutio adveniret annualis, unam curiam in pretacta villa Kyurth ipsius capituli habitam, potencialiter suis usibus applicasset, aliam vero curiam modo simili in ipsa Kyurth existentem, fundatam videlicet in aqua, cum universis edificiis super eam habitis memorati capituli, contra Deum et eius iusticiam funditus evelli precepisset. Cuius quidem curie funditus ewlse seu eicte (sic). modo premisso, retulerunt fide vidisse oculata; quas tamen curias, tocius predicti districtus homines faterentur prefati capituli a tempore regis *Ladislai* et fuisse et per ipsum capitulum pacifice possessas. Item duas pisscinas ipsius capituli in eadem Kyurth habitas, dictus magister Nicolaus, similiter auctoritate propria suis usibus applicasset, quas ipsi capitulo adscitum sepedicti districtus restituerant et ad spacium unius anni usus et utilitates earumdem percepisset capitulum annotatum. Datum, feria quinta in die beate Lucie virginis, anno Domini M^o ccc^o xl^mo septimo.

1344. 18. Maii.

Extus: Excellentissimo principi, domino Lodouico, illustri regi Hungarie, domino suo, pro honorabili capitulo Posoniensis ecclesie, contra magistrum Nicolaum *Treutl* comitem Posoniensem, interius contentis inquisitoria. — Sigillum marg. ext. fuit appr. — Orig. chart., in Arch. Capit. Coll. Poson. Privat. Capsa E. fasc. 3. nr. 82 B.

857.

1347. (Pozsony.) 29. Dec. — Capitulum Posoniense, homines generationis de Staul inter se pacis unionem fecisse, testatur.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis, salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod Bek filius Stephani et Martinus filius Michaelis pro se, et pro generacionibus suis de *Staul* inferiori, cum sufficientibus procuratoriis litteris ab una parte; Stephanus filius Symonis pro se et pro filiis suis ab altera, in nostri presencia personaliter constituti, propositum extitit per eundem Stephanum filium Symonis vive vocis ministerio et relatum: quod quamvis mota fuerit materia questionis inter ipsos super quibusdam clausuris, que vulgariter *Wezhel* nuncupantur, verum eciam terris arabilibus, ac aliis scilicet fenetis et pecorum pascuis, de quibus divisionem fieri et porcionem dari iidem Bek et Martinus, cum hominibus generacionis sue postularunt, et ordine iudiciario diucius fuissent altercati, ad ultimum tamen, probis intervenientibus hominibus, videlicet magistris Homodeo filio Johannis et Andich fratre Fokonis de *Ogya,* ac aliis in talem pacis devenissent, *y*mo coram nobis devenerunt unionem: [Quod . . . .] dictis Bek et Martino, cum hominibus generacionis sue, medietatem clausurarum *Seker* et *Chendekuta* vocatarum, *Apeyewremefeye* vero et *Ludilese* totaliter, item unum iuger terre, quod est quartum ab ecclesia et supra illam ecclesiam seu ultra quatuor iugera, adhuc infra quandam viam per quam itur versus villam *Zeredal* (sic) quinque iugera; deinde itur versus quendam lacum et ultra illum lacum agros cum fenetis et pecorum pascuis ad usque metas possessionum *Pethen* et *Padan* vocatarum, irrevocabiliter in filios filiorum semper possidendum, tenendum et habendum donasset, dedisset et tradidisset; e converso autem ipsi Bek et Martinus, propriis cum personis et nomine procuratorio ex parte hominum generacionis ipsorum, terram que est a superiori parte dicte vie, per quam itur usque *Zeredahel,* videlicet a parte metarum possessionis *Mood,* cum pratis et pecorum pascuis ac aliis utilitatibus suis, item alias possessiones suas quaslibet, in aquis vel in terris habitas, perpetua pace ipsi Stephano filio Symonis et per eum suis heredibus dimiserunt tenendas et habendas; ita, quod de cetero nec ipse, neque sui successores, ullo unquam tempore, ius aliquod sibi vendicare possint et presumpmant in eisdem; insuper duas curias, in villa eorum, unam ex opposito alterius vel se respicientes eidem Stephano filio Symonis et per eum suis heredibus perpetue, irrevocabiliter dantes donavere et de eisdem cum taxacionem super ipsos ex parte dominii venire contingat, nec plus quam unus hospes seu curiam habens, ipse Stephanus et sui successores, dare et solvere tenebuntur. Et contra omnes, racione possessionis sue, ipsum vel successores suos, denuo infestare volentes, iidem Bek et Martinus, simul cum generacionibus se obligarunt iuvamine, consilio et auxilio confavore (sic!); obligaminis vinculo tali apposito inter partes, ut si qua ipsorum parcium pretextu possessionariarum porcionum annotatarum, contra partem alteram litem suscitaret, aut materiam questionis moveret aliqualem, extunc pars id facere attemptans, contra partem alteram in quinquaginta marcis, inclusa porcione iudicis, ante litis ingressum persolvendis, convinceretur eo facto. Datum, sabbato in die beati Thome martiris, anno Domini M° ccc° xl^mo septimo.

Sigillum e roseo ac albo serico pendebat. — Orig. membr., in Arch. Capit. Coll. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 17. nr. 27.

858.

1347. — — Civitas Tyrnaviensis a capitulo Strigoniensi annuis octuaginta marcis decimas redimit.

In nomine Domini amen. Nos *Dietbmus* (sic!) pro tempore tunc iudex in *Tyrena,* iurati et cives universi de eadem, tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod cum in facto decimarum nostrarum inter decimatores honorabilis *capituli Strigoniensis* ecclesie et nos discordia pluries fuisset mota et exorta, nos itaque salubri consideracione inducti, propter bonum pacis et concordie, communi consilio et unanimi voluntate, matura deliberacione prehabita, super facto solucionis decime nostre, cum eodem honorabili capitulo huiusmodi concordiam et composicionem, super facto dicte decime duximus inhyendum (sic!): quod nos a modo in perpetuum singulis annis in octavis beati Andree apostoli, pro decimis nostre civitatis ac villarum, 7. Dec. ad nos pertinencium, vitelicet *Grenscher, Magerad* et *Perna* vocatarum, scilicet fruguum, apum, angnellorum, anserum et pullorum, assumpsimus et assumpmimus ipsi capitulo solvere octuaginta marcas Budensis racionis, una eciam cum quartis, ex predictis villis supervenientibus, sive provenientibus. Tali condicione adiuncta, quod procurator eiusdem capituli cum litteris eorumdem, fidem ad hoc facientibus, ante ipsas octavas, uno die prius ad nos accedere debeat, cui unum prandium vel cenam cum suis famulis et equis facere tenebimur et ipsas octuaginta marcas in crastino, videlicet in octavis eiusdem beati Andree apostoli, plenarie persolvere. Si autem ultra ipsas octavas, quodquot dies usque ad quindenas beati Andree apostoli solvere differremus, tunc in expensis nostris et hospitalitatibus ipsam solucionem procuratores dicti capituli tenebuntur exspectare. Si autem in ipsis quindenis solvere aliquo modo eandem pecuniam negligeremus, tunc elapsis ipsis quindenis usque ad octo dies ipsas octuaginta marcas, cum pena decem marcarum, ipsi capitulo solvere nos obligabimus; si vero temere, vel aliquo modo predictas octuagint*as* marcas, cum iudiciis decem marcarum solvere non curaremus; tunc ad penam interdicti nos testimonio presencium obligamus; ita videlicet quod nec in ecclesia nostra parrochiali, nec apud fratres aliquos divina audire presumpmamus, donec de eadem pecunia eidem capitulo ad plenum satisfaciemus. Et si in eodem interdicto animo indurato perseveraremus, tunc ipsum capitulum sentenciam excommunicacionis contra nos, mediantibus litteris archyepiscopalibus, proferendi habeant facultatem, ad quod nos sponte obligamus. Hoc nichilominus declarato, qud si fruges nostre per supervenientem exercitum alicuius potentis destrui et devastari contingeret, ad hoc videndum ipsum capitulum duos viros *y*doneos transmittant, qui unacum iudice et quinque iuratis nostris, secundum eorum conscienciam limitabunt quantitatem ipsius dampni et prout ipsi compensando ipsum dampnum de ipsa pecunia solvenda decucient, ipsum capitulum dampnum sustinebit, de residua vero parte ipsius pecunie in termino predicto, cum condicionibus allegatis, dicto capitulo satisfacere nos obligamus sub penis supradictis. Ut et (sic!) ista composicio, seu ordinacio robur habeat in perpetuum, presentes litteras, nostri pen-

denti sigilli munimine duximus consignandas. Datum, in *Tyrenavia,* anno Domini M° ccc° quadragesimo septimo.

Sigillum e rubro, viridi et violaceo serico pendens, rotam sex radiis firmatam ostendit, inter quos alpha et omega, tum sol et luna apparent. Perigraphe haec habet: † S. M. CIVIUM DE ZOMBOTHEL CUM ROTA TORTONE. In circulo rote autem: † ET DEUS IN ROTA. — Orig. membr., atro caractere exaratum, in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 43. fasc. 1. nr. 6.

859.

1348. (Esztergom.) 20. Jan. — Capitulum ecclesiae Strigoniensis, liberae conditionis homines, ad possessionem Szebeléb, plurium annorum exemptionibus allicit.

Nos capitulum ecclesie Strigoniensis, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod quicumque libere condicionis homines ad possessionem nostram *Schebehlibet* (sic) vocatam, ac terras pertinentes ad eandem, causa commorandi venire voluerint, libere veniant et secure commorentur in eadem, sub libertate a die adventus eorum trium annorum pacifice et quiete; qui vero ad domos edificatas, vel vacuas venerint, unius anni gaudeant libertate; hys autem, qui novas vineas in territorio eiusdem possessionis plantare voluerint, ad solvendum decymas sex annorum libertatem concedimus testimonio litterarum; completis autem predictis annis libertatum, non plus, nisi consuetum censum, iuxta morem aliorum iobagionum nostrorum, nobis vel nomine nostro solvere teneantur. Datum, in quindenis Epiphaniarum Domini, anno eiusdem M° ccc^{mo} xl^{mo} octavo.

Sigillum minus e membrana dependet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Nitr. Publ. fasc. 1.

860.

1348. Buda. 23. Jan. — Nicolaus palatinus, causam magistri Sebes de Bazin, contra capit. Posoniense, et capituli huius contra conventum Cruciferorum Strigon., prorogat.

Nos *Nicolaus,* regni Hungarie palatinus et iudex Comanorum, damus pro memoria, quod causam quam magister *Sebes,* filius Abrae de *Bozyn,* pro quo Laurencius de *Challou,* cum procuratoriis litteris nostris astitit, contra honorabile capitulum ecclesie Posoniensis, pro quo magistri *Thomas* et *Stephanus canonici* dicte ecclesie, cum procuratoriis litteris eorumdem comparuerunt; item causam quam idem capitulum, contra conventum cruciferorum ecclesie sancti regis Stephani de *Strigonio,* ac Mathiam clericum eidem conventui statuere commissum, pro quo quidem conventu *frater Paulus,* cum procuratoriis litteris eiusdem conventus astabat, iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum in octavis festi Epiphanie Domini movere habebant coram nobis, volentibus parcium procuratoribus ad quindenas diei Cynerum nunc venturas, statu et ordine priori omnino permanente, duximus prorogandam; si tamen partes poterunt, ex nostra iudiciaria licencia liberam concordandi habeant facultatem, dummodo nos iuxta qualitatem cause ipsorum prenotate velint complacare; si autem concordare nequirent, extunc tam ipsi magister Sebes et capitulum Posoniense, quam dictus conventus ad statuendum memoratum Mathiam clericum eorum, iuxta continenciam dictarum priorum litterarum nostrarum continenciam (sic), coram nobis comparebunt in predicta causa

1348. 13. Jan.

1348. 19. Mart.

eorum iudicium et iusticiam assumpturi. Datum, *Bude,* duodecimo die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xl^mo octavo.

Extus: Pro capitulo ecclesie Posoniensis, contra magistrum Sebes et alios interius nominatos, ad quindenas diei Cynerum prorogatoria. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Poson. Priv. Capsa E. fasc. 15. nr. 330.

861.

1348. (Újbánya.) 28. Jan. — Magistratus civitatis Königsberg obligat se, monasterio sancti Benedicti de iuxta Gron, pro quolibet molendino, annuatim censum unius floreni auri exsolvi.

In nomine Domini amen. Noverint universi presencium noticiam habituri, quod nos Ladizlaus dictus *Lengel* iudex, iurati et tota communitas civium et hospitum de *Kvnigesperg,* matura inter nos deliberacione prehabita, coram nobili viro Andrea, vicemagistro tawarnicorum excellentissimi principis domini *Lodowici,* Dei gracia regis Hungarie, quem serenissima domina nostra *Elizabeth* regina, cum sufficienti mandato, ad hoc specialiter nobis direxit, assuminus spontanea voluntate et promittimus bona fide, viris religiosis domino Syffrido, divina providencia *abbati* monasterii sancti Benedicti *de iuxta Goron* et suo conventui, de omnibus molendinis et gasis, per nostros concives in possessione ipsius monasterii constructis et in posterum construendis, videlicet super rivulum superiorem, qui rivulus *Fenovsceniche* vocatur et super rivulum inferiorem *Byksceniche,* qui *Maior Rivulus* vel *Rivulus Abbatis* nuncupatur, item super aquam *Goron* intra metas monasterii prenotati, de singulis rotis singulos aureos, quos florenos vocant, legitimi ponderis camere Budensis, pro censu anni presentis et futuris subsequentibus annis, in octavis diei Cinerum, sine crastinacione, in ipsorum monasterio annis singulis persolvendos; penam dupli si ipsam solucionem negligeremus incursuri. Quam principalem solucionem, cum pena dupli, predictus Ladizlaus, dictus Lengel iudex, seu quincunque qui pro tempore fuerit, a concivibus nostris molendina vel gasas in possessione monasterii supradicti, cum licencia et ex permissione abbatis et sui conventus habentibus, seu eciam in posterum habituris, tenebitur exigere et sepedictis domino abbati et suo conventui, in memorato eorum monasterio, sine diminucione assignare. Insuper assumpsimus et assumimus bona voluntate et volumus, quod nullus nostrorum concivium, sive ad nostram civitatem pertinencium, debeat vel audeat deinceps intra metas monasterii molendina aut gasas, sive hereditatem aliquam habere, seu qualecunque edificium de novo construere, absque abbatis et conventus monasterii sepius recitati permissione et licencia speciali; sicut ad omnia et singula premissorum nos Ladizlaus iudex, iurati et communitas civium, coram prenominato Andrea vicemagistro tawarnicorum, obligavimus et obligamus nos spontanee in hys scriptis. In signum autem omnium superius expressorum et efficaciam ampliorem, presentes sigillo autentico nostre civitatis duximus roborandas. Datum, feria tercia proxima ante festum Purificacionis Virginis gloriose, anno Domini M° ccc° xl^mo octavo.

Sigillum, bene conservatum, e flavo et viridi serico contexto dependet. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 3. nr. 14.

862.

1348. Buda. 25. Febr. — Ludovicus I. rex, per capitulum Posoniense plures citari iubet.

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis, discretis viris, capitulo ecclesie Posoniensis, salutem et graciam. Fidelitati vestre precipiendo [mandamus, quatenus vestrum] mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, coram quo Ladislaus, filius . . . . . vel Petrus filius . . . . . de eadem, altero absente homo noster, citet Nicolaum . . . . . Watay et Johannem filium eiusdem Nicolai, ac Nicolaum dictum Be . . . . . ., Johannem, Blasium et Andych, filios Petri; item Gyurke, Nicolaum filium Oliuerii . . . . . dictum *de Baranya,* in presenciam regni nostri palatini, ad terminum competentem. Et post hec diem [et locum] ipsius citacionis, nomina citatorum et terminum assignatum, eidem palatino fideliter rescribatis. Datum *Bude,* in festo beati Mathye apostoli, anno Domini M° ccc° xL^mo^ octavo.

Sigillum anulare cerae rubrae exteriori margini est impressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Posonien. Publ. Capsa 28. fasc. 1. nr. 13.

863.

1348. Buda. 28. Febr. — Nicolaus palatinus, per capitulum Posoniense, Stephanum et Michaelem de Karcsa, ad suam praesentiam citari petit.

Amicis suis reverendis capitulo ecclesie Posoniensis, *Nicolaus,* regni Hungarie palatinus et iudex Comanorum, amiciciam paratam. Vestram amiciciam requirimus diligenter per presentes, quatenus mittatis hominem vestrum pro testimonio fidedignum, coram quo Petrus filius Pauli de *Etheruhkarchaya,* vel Nicolaus filius Benedicti de eadem, aut Andreas filius Dyonisii *de Kundurus,* aliis absentibus homo noster, citet Johannem filium Stephani et Michaelem filium (expunct.: Bede) *Belye de Karcha,* contra Ladislaum filium Leustachii, ad nostram presenciam, ad terminum competentem; et post hec diem et locum ipsius citacionis, nomina citatorum cum termino assignato nobis amicabiliter rescribatis. Datum *Bude,* quinta feria proxima post festum beati Mathye apostoli, anno Domini M^mo^ ccc^mo^ xL^mo^ octavo.

Extus: Amicis suis reverendis capitulo ecclesie Posoniensis pro Ladislao filio Leustachii citatoria. — Sigillum marg. ext. fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Coll. Poson. Privat. Capsa. R. fasc. 2. nr. 48.

864.

1348. (Pozsony.) 13. Mart. — Capitulum Posoniense Annam, e bonis primi mariti sui Michaelis de Borsa, partem Simoni et filiis eius cessisse testatur.

Capitulum ecclesie Posoniensis, significamus tenore presencium, quibus expedit universis, quod domina Anna, nunc Jacobi, filii Mark, prius vero Michaelis, filii Pauli de *Borfsa* uxor] ab una parte, item Symon, filius *Wduorus* pro se, et duobus filiis suis, scilicet Sebastiano et . . . . . ., item Laurencius, filius eiusdem, ab altera, in nostri presencia personaliter constituti; prefatus Symon et filius suus Laurencius eidem domine Anne, nunc consorti Jacobi, filii Mark, omnes possessiones, seu possessionarias porciones, derelictas per Michaelem

priorem maritum suum, tenendi, possidendi, seu qualiterqunque voluerit disponendi, plenam et omnimodam dederunt de eisdem potestatem; e converso autem ipsa domina Anna de terris, ut dictum est, per priorem maritum suum derelictis, ipsi Symoni et filii sui (sic) decem iugera terrarum in una latitudine de terra, que est inter terram *Ikran* et *Chate,* item undecim iugera de terris, quas in possessione *Borsa* habere dinosscebatur, bona et mediocra et quintam partem sessionis ipsius Mychaelis, quondam mariti sui, a parte superiori usque ad fluvium et ultra fluvium, medietatem prati, similiter quondam mariti sui pertinentis, preter terram mollificatam in eodem prato, perpetuo tenendum et habendum dedit et donavit, ita quod ipsa domina de cetero in dictis agris cum quinta parte sessionis et prato prenumeratis, nullum ius sibi vendicare racione dotaliciorum ullo unquam tempore poterit et valebit. Datum, feria quinta post festum beati Gregorii pape, anno Domini M° ccc° xl^mo octavo.

E transsumpto lacero capituli Poson. a. 1373., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 2. nr. 21.

865.

1348. Buda. 14. Mart. — Ludovicus I. rex, hospitibus de Königsberg, iura de montanis in terris monast. s Benedicti inveniendis, abbati eiusdem ecclesiae extradare precipit.

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis iudici, iuratis, civibus et universis hospitibus de *Kunnuspergh,* ac aliis hominibus montanas in terra ecclesie sancti Benedicti de iuxta Gron querentibus, salutem et graciam. Fidelitati vestre firmiter precipimus et districte, quatenus de illis montanis, quas in terra ipsius ecclesie inveneritis, iura eiusdem ecclesie domino Sefrido abbati eiusdem ecclesie, *tamdiu donec nos de Italia ad propria redibimus,* plenarie extradare et aministrare debeatis, et cum ad propria redibimus faciemus de ipsis montanis in terra ipsius ecclesie inveniendis, sicut conveniens fuerit et oportunum. Datum *Bude,* feria sexta proxima ante dominicam Reminiscere, anno Domini M^mo ccc^mo xl^mo octavo.

Sigillum anulare in marg. ext. cerae rubrae erat imp., super quo leg.: Relacio domine regine. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 3. nr. 15.

866.

1348. Avignon. 19. Mart. — Clemens PP. VI., Chanadino archiepiscopo, causam liberationis virorum regalium domus Siciliae, commendat.

Ed. Theiner: Mon. Hist. Hung. Eccl. T. I. p. 755.

867.

1348. Buda. 21. Mart. — Paulus, iudex curiae regiae, committit conventui s. Benedicti de iuxta Gron, ut possessionem Ujfalu, seu Toty, a Cruciferis Strigoniensibus et in Calidis Aquis recipiat et Nicolao de Győrőd statuat.

Ed. Codex Andegav. T. V. p. 169.

868.

1348. Ameraci (?) 16. Apr. — Clemens PP. VI., ad preces Ludovici I. regis, episcopum Quinqueecclesiensem, abbates de iuxta Gron et de Visegrad, arbitros constituit de eo: utrum praepositura Scepusiensis in episcopatum evehi possit, nec-ne.

Ed. Péterffy Car.: Conc. Hung. P. I. p. 193—195. Wagner: Analecta Scepus. P. I. p. 320—321.

869.

1348. (Pozsony.) 24. Apr. — Capitulum Posoniense, super ordinatione excipiendorum testamentorum et absolvenda missa Beatae Virginis literas edit.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, nos *Petrus custos,* vicarius et amministrator reverendi patris *Gwilhermi de Pustella,* patriarche Constantinopolitani, in prepositura ecclesie sancti Salvatoris, alias sancti Martini in Posonio collegiata, Strigoniensis dyocesis, Johannes Longus, magister Tyboldus, Thomas Ruffus, magister Iwanka, magistri Paulus et Michael et magister Stephanus canonici, ac capitulum ecclesie Posoniensis predicte, salutem et sinceram in Domino caritatem. Ne diuturnitate temporum ea, que inter contrahentes aguntur, oblivionis defectui subiacerent, discrecio hominum vota contrahencium, scripturis adinvenit commendari. Ad universorum igitur noticiam harum serie litterarum volumus pervenire, quod inter nos ab una parte et discretos viros, comitem Jacobum iudicem, iuratos et cives Posonienses universos, parte ab altera, extitit ordinatum: quod per quemcumque, aut quoscumque ultime voluntates, seu testamenta fuerint facta, vel legata, due persone, unus canonicus et unus a iudice et iuratis civibus, ad hoc deputati, una cum plebano, seu eius vicario, debeant interesse, ut sciatur quid ecclesie, quid canonicis et quid plebano detur vel legetur, a quibus eciam super huiusmodi testamentis, debita racio fiet requirenda, de quibus videlicet testamentis, decima pars cedere debebit ecclesie nostre predicte custodi; extitit eciam ordinatum, quod missa beate Virginis Marie, secundum ordinacionem felicis recordacionis domini *Lodomerii,* olim archiepiscopi Strigoniensis, cum agris iuxta villam in *Samoth* situatis, per eundem dominum Lodomerium ad ipsam missam legatis devote et concessis, nec non cum decima parte *tributi* nostri in *Posonio* et in *Chelle,* per felicis recordacionis dominum *Thomam* Strigoniensem archiepiscopum data et concessa, per custodem ecclesie predicte, seu eius vicarium cottidie solempniter celebretur. In cuius rei testimonium presentes litteras, sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Datum *Posonii,* anno Domini M° ccc° xl^mo octavo, die sancti Georgii martiris.

E transsumpto Dionysii de Széch archiepiscopi Strigoniensis a. 1445., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa H. fasc. 1. nr. 9.

870.

1348. (Pozsony.) 24. Apr. — Capitulum Posoniense, quoad electionem parochi ecclesiae s. Martini, cum magistratu civico concordat.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, nos *Petrus custos, vicarius* et aministrator reverendi patris, domini *Gwillermi de Pustella,* patriarche

Constantinopolitani, in prepositura ecclesie sancti Salvatoris, alias sancti Martini in Posonio collegiata, Strigoniensis d*y*ocesis, Johannes Longus, magister Tyboldus, Thomas Ruffus, magister Iwanka, magistri Paulus et Mycha*h*el, et magister Stephanus canonici, ac capitulum ecclesie Posoniensis predicte, salutem et sinceram in Domino karitatem. Ne diuturnitate temporum ea, que inter contrahentes aguntur, oblivionis defectui subiacerent, discrecio hominum vota contrahencium scripturis adinvenit commendari. Ad universorum igitur noticiam, [ha]rum serie litterarum volumus pervenire, quod quum pridem inter nos ab una parte, et discretos viros comitem *Jacobum iudicem,* iuratos et cives Posonienses universos parte ex altera, *super eleccione seu prefeccione plebani,* curam animarum [gerentis in] ecclesia sancti Salvatoris, alias sancti Martini in Posonio predicta, ac super eleccione in personam Martini, filii Nicolai, concanonici nostri, nuper per dictos iudicem, cives et iuratos, ad eandem ecclesiam facta, materia questionis non modica vertebatur, ac diucius [fuerit] ventilata. [Nos att]endentes dampna et scandala, ac iacturas que ex huiusmodi controversia nobis et ecclesie predicte possent exoriri, consideratoque sincero affectu comitis Jacobi iudicis, iuratorum, ceterorumque civium civitatis predicte, quo ad nostrum et ipsius ecclesie structuram [aspiravere profectum], diligenti deliberacione prehabita, ex unanimi consilio, propter bonum pacis et amoris concordiam, eleccionem in persona dicti Martini, confratris nostri, per predictos comitem Jacobum· iudicem, iuratos, et cives factam, ac confirmacionem domini Martini, prepositi D*y*misiensis, tunc vicarii in prepositura eiusdem ecclesie, exinde secutam, approbamus, ratificamus et presentis scripti patrocinio confirmamus. Sane, super eleccione, seu prefeccione plebani eiusdem ecclesie, de cetero facienda, parî voluntate et consensu eisdem comiti Jacobo iudici, iuratis ac civibus annuimus, dedimus, et concessimus, nostrumque adhibuimus consensum: quod iudex, iurati et cives Posonienses, qui pro tempore fuerint, vacante eadem plebania in eadem ecclesia, tamquam patroni, eligant et eligere debeant in perpetuum sacerdotem, seu plebanum [unum discretum et idon]eum ex canonicis nostri collegii et extra non, ad eorum curam animarum; ac eundem electum domino preposito, qui pro tempore fuerit, ad confirmandum presentare; qui electus et confirmatus, ipsum dominum prepositum recognoscere debebit, tamquam suum [ordinarium et prelatum, ipsiusque] mandatis et iurisdiccioni, in spiritualibus et temporalibus obedire; nec ei in aliquo contraire publice vel occulte, suosque concanonicos in licitis et honestis venerari, atque in divinis officiis et curis animarum sollicitus sit, et esse teneatur. [Si vero negligens et insufficiens], aut in aliquibus excedere inveniretur, que canonicis sanccionibus obviarent, ipse dominus prepositus, de consilio nostro et consensu iudicis, iuratorum et civium civitatis, ac parochianorum ecclesie predicte, eundem plebanum sine strepitu et absque fi[gura iudicii, privandi et deponendi] plenam et liberam habebit facultatem. Ceterum, idem plebanus, singulis annis perpetuo, de proventibus et oblacionibus, obvencionibus et reditibus universis, maioribus, et minoribus nobis capitulo solvere tenebitur et dare [quinquaginta pensas denariorum] Wiennensium antiquorum, partem in octavis Penthecostes, et partem in octavis Omnium Sanctorum; hac pena interposita, quod si aliquem terminum obmiserit, donec satisfecerit, carere debebit commodo oblacionum, que usque ad plenam satisfaccionem, [ad manus capituli] simpliciter devolventur. Nichilominus, in festo sancti

Salvatoris, confratribus suis capitulo dare debebit competens prandium et honestum, debet eciam in eodem festo et in Nativitate Domini, dominum prepositum [iuxta exigenciam sue possibilitatis], muneribus diligenter honorare.

Item inter predictos comitem Jacobum iudicem, iuratos et cives, ac nos canonicos et capitulum extitit ordinatum: quod per quemcumque vel quoscumque ultime voluntates, seu testamenta fuerint [facta vel legata, due] persone, unus canonicus et unus a iudice, iuratis et civibus ad hoc deputati, una cum plebano, seu eius vicario, debeant interesse, ut sciatur: quid ecclesie, quid canonicis, et quid plebano detur vel legetur, a quibus [ecclesiasticis, super eisdem testamentis], debita racio fiet requirenda; de quibus videlicet testamentis decima pars cedere debebit ecclesie nostre predicte custodi. Extitit eciam ordinatum, quod missa beate Virginis Marie, secundum ordinacionem felicis recordacionis domini [Lodomerii olym] archiepiscopi Strigoniensis, cum agris iuxta villam in *Schamoth* situatis, per eundem dominum *Lodomerium* ad ipsam missam legatis devote et concessis, nec non cum decima parte tributi nostri in *Posonio* et in *Chollo*, per felicis recordacionis [dominum Thomam, Strigoniensem] archiepiscopum, datis et concessis, per custodem ecclesie predicte, seu eius vicarium cotidie sollempniter celebretur. Preterea idem plebanus tenere debebit de consilio iudicis, iuratorum et civium, duos vicarios, seu socios [presbiteros, bone vite et honeste conversacionis], sacramenta Christi fidelibus porrecturos. Ceterum scolasticum ad suam mensam retinebit, qui si sacerdos fuerit, ad officium ecclesie, preter officium scolastrie, nullo sit vinculo astrictus, sed a prima omnes horas canonicas [cum suis scolaribus ad laudem] divini nominis exequatur, salvis sibi iuribus minutis, que in officiis funerum fieri consueverunt.

Oblaciones vero, que cum funeribus ad ecclesiam deportentur, cuiuscunque generis fuerint, preter commestibilia et potabilia [ac offertorium altarium] arbitrio committi debent offerentis. Sane eciam dicti comes Jacobus iudex, iurati et cives pro se, suisque successoribus, bona fide promiserunt et se voluntarie astrinxerunt, quod Martinum plebanum modernum, per ipsos electum, [nec in posterum] aliquem per ipsos eligendum, causa consanguineitatis vel affinitatis, nec prece vel precio, contra Deum et iusticiam, in suis excessibus fovebunt, sed una nobiscum, ad ipsius correccionem toto conamine stabunt et toto eorum posse. Finaliter tamen [propter divini cultus augmentum] adicientes, quod universi et singuli cappellani, qui patrimonio Jesu Christi, ex pia dotacione fidelium quorumcumque, in eadem ecclesia perfruantur, ipsi plebano et nobis in dignis, licitis, iustis et honestis, que videlicet utilitati et [commodo tam ipsius ecclesie], quam plebano visa fuerint, expedire et honori, presertim in divinis officiis devote, sedulo et continue obedienciam exhibeant salutarem, cum revera bonorum operum efficiantur participes, qui divini cultus se constituunt adiutores. [Et omnibus et singulis] premissis, per nos canonicos et capitulum, ac dictos Jacobum iudicem et cives, in omnibus suis clausulis firmiter conservatis, prepositus noster collegiatus, una nobiscum, videlicet suo collegio, in ecclesia ut premittitur nostra collegiata, et [plebano per ipsos cives] electo, ac per prepositum confirmato, in posterum cum omni pacis tranquillitate et mutua karitate, omni exclusa litis materia, inviolabiliter, perpetuo in civitate et ecclesia predicta, una cum iudice et civibus moraturi, deinceps libere et absque

[repugnacione de]beant permanere. In cuius rei testimonium presentes litteras, sigillorum nostrorum munimine duximus roborandas. Datum, *Posonii,* anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, die sancti Georgii martyris.

Duo sigilla e zonis membr. pendebant. — Orig. membr., valde lacerum, in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa R. fasc. 2. nr. 77. — Lacunas supplevimus e simplici copia fere coeva, ibidem Capsa H. fasc. 1. nr. 2. asservata.

871.

1348. Avignon. 25. Maii. — Joanni Olaszi, canonico Budensi, confertur canonicatus et praebenda in ecclesia Strigoniensi.

Ed. Bossányi: Regest. Suppl. T. I. p. 183.

872.

1348. (Zoborhegy.) 22. Jun. — Conventus de Zobor, civem Sente a cultura possessionis monasterii s. Benedicti, Szölény vocatae, prohibuisse Ludovico I. regi, rescribit.

Ed. Cod. Andegav. T. V. p. 206.

873.

1348. Buda. 26. Jun. — Nicolaus palatinus, causam capituli Posoniensis, contra comitem Sebes de Bazin motam, ad novum terminum prorogat.

[Nos Nicol]aus, regni Hungarie palatinus et iudex Comanorum, damus pro memoria, quod causam [quam . . . . .] Sebus, filius Abrahe *de Bozyn,* pro quo Ladislaus *de Nyek,* cum procuratoriis [litteris . . . . . com]itis capelle regie astitit, contra capitulum ecclesie Posoniensis, pro quo Stephanus [canonicus pre]dicte ecclesie, cum procuratoriis litteris eiusdem capituli comparuit, item causam quam . . . . . contra conventum cruciferorum ecclesie sancti regis Stephani de Strigonio, ac Mathyam clericum eidem conventum statuere commissum, pro quo quidem conventu frater Paulus, cum procuratoriis litteris eiusdem conventus astabat, iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum, in octavis festi Penthecostes movere habebant coram nobis, volentibus parcium procuratoribus, ad octavas festi sancti Mychaelis nunc venturas, statu et ordine priori omnino permanente, duximus prorogandam; eo modo, ut si ipse partes poterunt, de nostra iudiciaria licencia liberam habeant concordandi facultatem, dummodo nos iuxta qualitatem cause ipsorum prenotate velint complacare; si autem concordare nequirent, extunc tam ipsi magister Sebus et capitulum Posoniense, quam dictus conventus ad statuendum memoratum Mathyam clericum eorum, iuxta dictarum priorum litterarum nostrarum continenciam, coram nobis compareant, in predicta causa corum iudicium et iusticiam assumpturi. Datum *Bude,* duodecimo die termini prenotati, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ octavo.

1348. 15. Jun.

1348. 6. Oct.

Extus: Pro capitulo ecclesie Posonyensis, contra magistrum Sebus et alios interius nominatos ad octavas festi sancti Mychaelis archangeli prorogatoria. — Sigillum margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 28. fasc. 1. nr. 14.

874.

1348. (Pozsony.) 5. Jul. — Capitulum Posoniense, Catharinam viduam Thomae de Ludány nuro suo Venis, possessiones Csepel et Bozd donasse testatur.

A. B. C.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis, salutem in Domino sempiternam. Ad universorum noticiam harum serie volumus pervenire, quod nobilis domina Katherina, uxor Thome, filii *Indrech de Lodan,* in nostri presencia personaliter constituta, vive vocis ministerio nobili domine *Venis* nuro suo, coniugi Mychaelis, filii sui, que eciam presens aderat, et eiusdem domine Venis pueris, genitis et gignendis, ac heredibus universis, iure perpetuo, irrevocabiliter possessiones *Chepel* et *Bozd* vocatas, in maiori comitatu Posoniensi existentes, cum universis utilitatibus, ad easdem pertinentibus, que sibi ex partibus possessionariis comitis *Bathe,* patris sui in quarta cessisse dinoscuntur et per fratres suos sunt derelicte, sub eisdem metis et distinccionibus, quibus ipsa et instrumentis hactenus tenuit et possedit, dedit, tradidit et donavit semper ad possidendum, tenendum pariter et habendum, totum proprietatis et dominii, quod ad dictas possessiones Chepel et Bozd, quovis iure habere nosscebatur, in iamdictam dominam Venis, nurum suam, et eius pueros, ac heredes universos transtulit conferendo. In cuius donacionis memoriam presentes, apensione sigilli nostri autentici roboratas, duximus concedendas. Datum, sabbato proximo ante octavas apostolorum Petri et Pauli beatorum, anno Domini Myllesimo trecentesimo quadragesimo octavo.

Sigillum integrum e viridi et albo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 3. nr. 21.

875.

1348. (Nagyszombat.) 13. Jul. — Magistratus civitatis Tyrnaviensis, annuente Chanadino archiepiscopo, decimas vinearum in Monte Regis plantandarum, annuis viginti marcis redimit.

Nos iudex, iurati et cives universi in *Tyrnauia,* ad universorum noticiam tam presencium quam futurorum harum serie volumus pervenire, quod venerabilis pater dominus *Chanadinus,* Dei et apostolica gracia archyepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, super exaccione decimarum vini de vineis nostris in *Monte Regis* existentibus, de novo plantatis et plantandis, eidem domino archyepiscopo et suis successoribus perpetuo provenire debentibus, hanc graciam specialem nobis duxit faciendam, tum pro eo, quia predictarum decimacionum vini, de predicto monte cum aliis decimacionum vineis non concurrebant, tum eciam pro eo, ne nos ac nostri pauperes predictarum vinearum in ipso Monte Regis habentes et plantantes, per procuratores ipsarum decimarum vini et exactores opprimerentur et agravarentur assumpsimus, ut nos singulis annis in singulis octavis festi beati Martini confessoris, singulas viginti marcas, cum decem pensis denariorum Wienensium computandas, de quibus videlicet viginti marcis decem et octo marcas ipsi domino archyepiscopo et suis successoribus, residuas vero duas marcas ab eisdem viginti marcis, ob perpetuam elemosinam, *ecclesie beati Nycolai* confessoris *parochyali* nostre civitatis dare et solvere tenebimur in octavis prenotatis; tali obligacione 18. Nov.

mediante, quod si in predictis octavis modo premisso solvere non curaremus, vel non possemus, extunc penam dupli viginti marcarum, absque porcione iudicis, incideremus et nichilominus a predicta libertate et gracia nobis facta et indulta privaremur eo facto, ut ad hec nos spontanea obligamus voluntate. In cuius rei memoriam presentes nostras litteras pendenti sigilli nostri munimine dedimus roboratas. Datum, in festo beate Margarete virginis, anno Domini millesimo ccc^mo^ quadragesimo octavo.

Extus manus med. aevi adn.: Privilegium civitatis de Ternauia, super convencione vini decimalis in Monte Regio. — Sigillum, bene conservatum, e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 49. fasc. 1. nr. 15.

876.

1348. Pozsony. 3. Aug. — Capitulum Posoniense, pratum et alia iura sua possessionaria, ex adversa parte Danubii circa Wolfsthal habita, comiti Conrado de Schaumburg, erga annuas novem libras in feudum dat.

Ich *Peter* der Custer, czu den czeiten ein verweser und phleger der Probstay ze Presburg, und das Capitel gemain daselbs, wir veriechen und tun chunt mit diesem brief allen den, die in lesent, sehent, oder hörent lesen, das wir uns *mit dem edeln herren graf Chunraten von Schawnberg,* und mit seinen erben gutleich und freuntleich verricht haben, und oberein sein chomen umb die sach, die zwischen uns ze krieg sind gewesen, umb das wismad, dacz da ligt oberthalben Prespurger urfar, gegen der *Potenburkch* uncz an *Chötseer*weg, der da geet an dasselb urfar, und umb die waide, die weilent die leut von den Perge und von *Wolfstal* ierleich von in habent bestanden, und umb die werde, di da ligent in der Tunaw, und umb die *Vischwaid,* die daran stozzent und garczu gehörent, daz wir in das gelihen haben ze Rechten Purkrecht, als Purkrechts recht ist, allen iren frumen, damit ze schaffen, so in das aller peste fuget. Also beschaidenlich, daz der vorgenant herr graf Chunrat von Schawnberg, oder sein erben, oder nachkomen, oder swer (sic) die Vest zu Potenburkch besiczet, uns davon dienen und raichen süllen alle Jar an Sand Jörgen tag in onser haus gen Presburkch, newn phunt alter wienner phenyngen an all widerrede. 24. Apr.
Wer aber, daz Si des landes krieg und offenn urleug, oder ander chafft not die mit in selben, oder mit ainem erbern diener möchten geweisen und beczalen irret, daz Sie uns den vorgenanten dinste gen Prespurkch nicht möchten gedienen und geraichen; des sullen si ein ganczes moned an dem obgenanten Purkrecht und an iren Rechten unentgolten beleiben. Wer aber, daz Si uns furbas darnach den dinst lenger verczügen und uns des nicht richten: so sullen si alle ir Recht an dem offtgenanten Purkrechten haben verloren. Wir seczen uns auch: Ich, vorgenanter Peter der Custer und phleger der Probstey ze Prespurkch, und das Capitel daselbs, dem egenanten graf Chunraten von Schawnberg und allen seinen erben, oder nachkommen über das offtgenannt Purkrecht ze Rechten gewer und scherm für all ansprach, als Purkrechts recht ist; und daz die sache stet und unverchert belaib; darüber geben wir in disen brieff, besigelten mit unserm Insigeln, ze ainem waren geczeug diser sache. Der brief ist geben nach Kristi gepurt Tausent und drewhundert Jar darnach in den Achtundvierczigisten iar, an Sand Stephanus tag, als er funden ward.

Litteras has transscribit „Berchtolt von Gotes gnaden Bischofe ze Freisingen“ quem catenus requisivit „der Hochgeborne Furst unser genediger, lieber herr herczog Albrecht, Herczog cze Österreich etc.“ „Geben czu Haimburg an phincztag in den Phingst Veirtagen“ a 1390. In Arch. Aerarii reg. fasc. 1590. nr. 29. — E copia Ferd. Knauz.

877.

1848. 15. Aug. — Joannes praepositus Scepusiensis testamentum condit.

[I]n nomine Domini amen. Anno nativitatis eiusdem M° ccc° XL^mo VIII, indiccione prima, pontificatus sanctissimi in Christo patris, domini Clementis pape VI anno VII°, XV die mensis Augusti, hora quasi meridiei, in presencia mei notarii et testium subscriptorum, vocatorum ad hoc specialiter et rogatorum, venerabilis vir dominus *Johannes, prepositus* ecclesie beati Martini de *Scepus,* Strigoniensis dyocesis, in domo habitacionis sue, videlicet in palacio superiori apud dictam ecclesiam sancti Martini, in lecto decumbens egritudinis, pro anime sue remedio, infrascriptum condens testamentum, quandam cartam papiream, tenoris infrascripti legi fecit et per omnia et singula, in ea contenta, rata et grata habuit, pariter et accepta; et honorabiles viros, dominos *Nicolaum* Theodorii *lectorem* presentem et *Paulum* Benedicti *canonicum* ecclesie sancti Martini predicte absentem, suos executores et procuratores, ut infra patet nominavit, fecit et ordinavit, cum omni plenitudine potestatis, in talibus negociis dari consueta, faciens nichilominus per me notarium, super eo publicum confici instrumentum. Tenor vero dicte carte erat talis:

In Christi nomine, amen. Quum quemadmodum in proclivo fragilitatis humane et eciam carnis universe decursu nil cercius resolucione sit, incercius sit hora resolucionis: idcirco nos, Johannes prepositus Scepusyensis, volentes de bonis, saltem per industriam nostram et labores acquisitis, ecclesie nostre pro remedio anime nostre aliqualiter disponere et legata facere de eisdem: legamus primo et assignamus, si decesserimus, quod in disposicione divina consistit, *curiam* nostram, *Bude* ad Calidas Aquas habitam, successoribus nostris prelatis eiusdem ecclesie nostre. Item vineam nostram, Bude habitam, fratribus nostris, capitulo dicte ecclesie nostre. Item de villa nostra *Juanosy* vocata, censum eiusdem ville (emans.: cum) muneribus et aliis obvencionibus quibuscumque, absque medietate decimarum, inibi nos contingencium, quam domino Paulo Benedicti, canonico nostro, propter multiplicia ipsius servicia, de consensu fratrum nostrorum conferimus, sic disponimus et ordinamus, quod de ipsis et ad ipsa ordinentur per fratres nostros de capitulo quatuor prebendarii sacerdotes, qui ecclesie nostre deserviant in horis canonicis, nocturnis pariter et diurnis et illorum unus, per idem capitulum, aliis ad hoc preficiatur, ut proventus, redditus et obvenciones huiusmodi inter ipsos eque dividat, ne discordent et per discordiam huiusmodi ecclesia ministeriis eorum defraudetur. Similiter et de villa *Sothmar,* cum decimis eiusdem, ordinentur duo presbiteri, qui eciam, ut premittitur, ecclesie deserviant et nichilominus singulis septimanis, in capella beate Virginis, in altaribus beatorum Petri et Pauli apostolorum et Johannis ewangeliste, ac in capella sancti Andree missas celebrent adminus tres, vel plures, si et prout eis dominus dare dignatus fuerit devocionem. Item crucem nostram, quam habemus, damus et assignamus ecclesie nostre predicte, in qua sepul-

turam eligimus iuxta altare sancti Martini ad cornu sinistrum. Similiter et *libros* nostros *decretales* et alios, excepto breviario, quod ecclesie sancti Johannis Baptiste in dicta Juanusy conferimus, dicte ecclesie nostre legamus. De reliquis vero rebus et bonis nostris legandis et disponendis constituimus dominos Nicolaum lectorem et Paulum Benedicti canonicum ecclesie nostre predicte, ut quilibet eorum in solidum, ita, quod non sit melior condicio occupantis, sed quod unus illorum inceperit, alter prosequi valeat et finire, nostros legittimos procuratores et executores testamenti nostri premissi, sive legatorum huiusmodi, sive ultime nostre voluntatis.

Actum anno, indicione, pontificatus, die, mensa, hora et loco, quibus supra. Presentibus honorabilibus viris et discretis dominis Demetrio de *Mendzenth* et Johanne de *Buson* ecclesiarum plebanis, canonicis ecclesie sancti Martini predicte, ac Georgio succentore ecclesie eiusdem; Hank filio Detrici de *Alchnou*, Michaele Nicolai dicto *Thatar* de *Wytkfalua*, Gallo, Laurencio, Detrici et Johanne, famulis domini prepositi predicti et aliis quam pluribus testibus ad premissa.

[Sig. Not.] Et ego Paulus Jacobi de *Olsowycha*, clericus Strigoniensis dyocesis, publicus auctoritate imperiali notarius, premissis omnibus et singulis premissorum, dum, prout supra scriptum est, agerentur, una cum prenotatis testibus presens interfuit et ea omnia et singula de mandato dicti domini prepositi manu propria scripsi et publicavi, meisque signo et nomine consuetis signavi in testimonium premissorum.

Orig. in Arch. Cap. Scepusiensis. Priv. Scrin. 12. fasc. 1. nr. 2.

878.

1348. Pozsony. 26. Aug. — Petrus custos Posoniensis, filios Thomae de Bély, cum Clara sorore, super quarta filiali, concordasse testatur.

Nos magister *Petrus*, *custos Posoniensis* et amministrator prepositure eiusdem in spiritualibus et temporalibus vicarius generalis, memorie commendamus significamus (sic!) tenore presencium, quibus expedit universis, quod cum iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum memorialium Blasius, Mychael, filii Thome de *Beel*, sabbato proximo post festum Assumpcionis Virginis gloriose, quartam filialem nobilis domine Clara nuncupate, filie ipsius Thome sororis eorumdem, de ipsa possessione *Beel*, iuxta nostram adiudiciariam (sic) et secundum regni consuetudinem, coram homine nostro, videlicet magistro *Stephano canonico* eiusdem ecclesie Posoniensis, per nos specialiter ad hoc transmisso, extradare debuissent ipso die sabbati occurrente; ipse magister Stephanus homo noster ad nos reversus, nobis retulit in hunc modum: quod prenominati Blasius et Mychael, filii Thome, una cum domina Clara sorore ipsorum, per ordinacionem et composicionem nobilium et proborum virorum videlicet: Nicolai, filii Jseph, (sic!) Nicolai filii Nicolai de *Saap* et Pauli Albi et aliorum proborum hominum, quam plurimorum, in talem pacis devenissent unionem: quod prenominati Blasius et Mychael filii Thome, de possessione ipsorum *Beel* vocata, pro quarta parte ipsius domine unum locum sessionalem, cum ortibus olerum et frugum, a parte meridionali circa viam cum omnibus utilitatibus et pertinenciis universis, specialiter cum quarta parte arborum fructiferarum, ac cum decem et octo iugeribus terrarum, ex quibus sex iugera ibidem

1348. 16. Aug.

coram ipso nostro testimonio assignassent, in filios filiorum suorum et heredes tenendam, possidendam et habendam; duodecim vero iugera terrarum, in octavis beati Jacobi apostoli anno subsequenti, similiter coram nostro testimonio sine omni dilacione debet assignare. Ceterum dixit idem homo noster, quod factum possessionis ipsorum, quam predictus Thomas pater ipsorum in *Palazoukuz* pignori obligasset, taliter ordinassent: quod (emans.: si) prenominati Blasius et Mychael ipsam redimere possent, tunc quartam filialem de ipsa possessione eidem domine sorori extradare tenerentur; ipsa vero domina vel eius heredes quartam partem ipsius pecunie pro qua redimebunt, tenebitur restituere, prout eciam partes coram nobis personaliter astantes a*f*irmarunt. Tali autem obligacione mediante, quod si qua parcium ipsam ordinacionem proborum virorum non conservaret, extunc contra partem pacem conservantem in decem marcis convinceretur eo facto; insuper domina Clara res parophanales (sic) domine matris sue, eisdem fratribus relaxasset, *ym*o relaxavit coram nobis. Datum *Posoni,* feria tercia proxima post octavas ipsius Virginis gloriose, anno Domini M° ccc° xL^mo octavo. 1349. 1. Aug.

E transsumpto capit. Poson. a. 1357. 15. Jan. facto. — Sigillum e rubro et viridi serico pendet. — Origin. membr., in Arch. Capit. Coll. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 12. nr. 3.

879.

1348. Buda. 25. Sept. — Magister Petrus de Zala, Chanadino archiepiscopo Strigoniensi, pro decimis possessionis suae Patvarócz, sibi remissis, annue 12 florenos se soluturum promittit.

Nos magister Petrus dictus de *Zala,* significamus tenore presencium quibus expedit universis, quod quia venerabilis in Christo pater dominus *Chanadinus,* Dei et apostolica gracia archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, hanc graciam specialem nobis duxit faciendam, ut de una possessione nostra seu terra inhabitata sine ecclesia, *Pathwaricz* vocata, ad cutellum (sic) decimacionis sue N*y*triensem, in confinio regni Bohemie existenti (expunct.: inqua), in qua modernis temporibus una curia populosa tantummodo existit, decimas suas sibi provenire debentes, singulis annis in duodecim florenis nobis relaxaverit; ob hoc ipsos duodecim florenos singulis annis, in festo beati Martini confessoris, sine crastinacione, persolvemus et sibi transmittemus; et si iobagiones nostri in ipsa possessione nostra *Pathuarycz* poterunt augmentari nec-ne, vel ad propriam nostram araturam, cum ipsa una curia populosa ad arandam dictam terram conservaremus, extunc ipsos similiter duodecim florenos modo preassumpto persolvemus; tali obligacione mediante, quod si singulis annis in predicto festo beati Martini confessoris, sine crastinacione ipsos duodecim florenos ipsi domino archiepiscopo non persolveremus, vel transmittere non curaremus, extunc in dupplo ipsorum duodecim florenorum convinceremur et insuper ipsa gracia (expunct.: nobis) per ipsum dominum archiepiscopum nobis concessa privaremur eo facto, et decimas suas, more villarum aliorum nobilium, decimafores sui, super dicta possessione nostra *Pathwaricz* dicarent et exigerent more consueto, ut ad hec vigore presencium litterarum nostrarum nos sponte obligamus; excepto tamen decimis anni presentis, quas nobis duxit relaxandas, sed in posterum persolvemus modo superius annotato. Datum *Bude,* 11. Nov.

feria quinta proxima ante festum beatorum Cosme et Damiani martirum, anno Domini M° ccc° xL^mo octavo.

Sigillum anulare rubr. cer. marg. ext. fuit impressum. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. Q. fasc. 1. nr. 5. — Literae Chanadini archiepiscopi, Petri de Zala hanc gratiam concedentes, inveniuntur in Arch. Alfred. Reviczky in Beczkó nr. 966.

880.

1348. Buda. 3. Oct. — Ludovicus I. rex, mandat magistratui comitatus Scepusiensis, ut inquirat super violentiis, per filios Nicolai de Geraltfalva, contra duos canonicos die 18ª Augusti patratis.

Ed. Cod. Andegav. T. V. p. 234—235.

881.

1348. Buda. 20. Oct. — Ludovicus rex, num Nicolaus fratrem suum Petrum occiderit et alium fratrem Kupe lethaliter vulneraverit, per capitulum Posoniense inquiri iubet.

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis, capitulo Posoniensis ecclesie, salutem et graciam. Dicitur nobis in personis Johannis et Petri, filiorum Petri, filii Kumpurd, quod Nicolaus, filius eiusdem Kumpurd, ipsum Petrum, patrem ipsorum, malicia perconcepta, feria quinta, videlicet in festo beati Galli confessoris proxime preterito, in libera via, ipsum versus villam *Gumba* ad domum suam euntem, hostiliter invadens, multis vulneribus sauciando occidisset et hoc viso, cum *Kupe,* frater uterinus eiusdem Petri, super ipsum Petrum fratrem suum flens et deplorans corruisset, eundem Kupe prefatus Nicolaus sic deflentem letaliter *w*lnerasset et semivivum reliquisset, de quo dubitaretur si adhuc viveret, vel o*b*isset. Super quo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus hominem vestrum *y*doneum pro testimonio transmittatis, quo presente, Paulus de *Tukulchan,* vel Dominicus filius Petri de eadem, altero absente homo noster, de premissis omnibus sciat et inquirat omnimodam veritatem. Et post hec, prout vobis veritas constiterit de premissis, nobis fideliter rescribatis. Datum *Bude,* feria secunda proxima post festum prenotatum. Anno Domini M° ccc° xL^mo octavo. 1348. 16. Oct.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 28. fasc. 1. nr. 15.

882.

1348. Esztergom. 21. Oct. — Chanadinus archiepiscopus Strigoniensis, statuta confraternitatis: Kalandosok, quam universitas plebanorum de Liptó fundavit, confirmat.

Ed. Cod. Andegav. T. V. p. 243.

883.

1348. (Buda.) 4. Nov. — Capitulum Budense, Elisabetham viduam Petri de Csepen, tertiam partem eiusdem possessionis, viginti sex marcis, magistro Mese, vicecastellano Posoniensi, oppignorasse testatur.

Tenorem vide sub nr. 931.

884.

1348. Avignon. 30. Nov. — Clemens PP. VI. Guidoni cardinali, nuntio suo ad regnum Hungariae misso, extraordinarias contulit facultates.

Tenorem vide sub nr. 937.

885.

1348. Szepeshely. 19. Dec. — Literae delegatorum sedis apostolicae, in causa praeposituraе Scepus. ad episcopatum et collegiatae ecclesiae ad cathedralem evehendae.

Ed. Wagner: Analecta Scepus. P. I. p. 319.

886.

1349. Avignon. 13. Jan. — Clemens PP. VI., Guidonem, tit. s. Caeciliae cardinalem, nuncium suum, Chanadino archiepiscopo, commendat.

Ed. Theiner: Mon. Hist. Hung. Eccl. T. I. p. 768.

887.

1349. (Szepeshely.) 30. Jan. — Capitulum Scepusiense, Joannem Detrici de Dolina, quartam partem possessionis suae Nicolao plebano de Lőcse, vendidisse perhibet.

Ed. Cod. Andegav. T. V. p. 259.

888.

1349. Visegrád. 6. Febr. — Ludovicus rex, contra Ivanka magistrum dapiferorum suorum Joannem de Gyarmat necis false accusantem, per capitulum Posoniense inquiri iubet.

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis, capitulo Posoniensi, salutem et graciam. Dicitur nobis in persona Johannis, filii Gregorii de *Gyarmat,* quod Iwanka, magister dapiferorum nostrorum et Nicolaus filius Thome, contra ipsum, tacita veritate huiusmodi inquisicionem facere procurassent, quod ipse quendam famulum suum, Egidium nomine, nullis suis culpis exigentibus, interfecisset; cum tamen prout ipse Johannes assereret in premissis innocens esset penitus et immunis. Quare fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente, Johannes filius Pechkus, vel Petrus filius Johannis de *Chehy,* aut Johannes, filius Hem . . . . . leus, aliis absentibus homo noster, diligenter de premissis investigando, sciat et inquirat omnimodam veritatem et post hec, prout exinde vobis veritas [constiterit] nobis fideliter rescribatis. Datum in *Wyssegrad,* secundo die festi beate Agate virginis, anno Domini M° ccc° xl^mo nono.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 28. fasc. 1. nr. 48.

Esztergomi Főegyházmegyei Levéltár Esztergomi Érseki Levéltár Budapesti Fióklevéltára

889.

1349. (Zobor.) 9. Febr. — Thomas abbas de Zobor, possessionem Kér vocatam et partem tributi in Nyárhid, Chanadino archiepiscopo, pro decimis archiepiscopalibus cultelli Nitriensis, permutasse fatetur.

Thomas, divina miseracione abbas monasterii sancti Ypoliti martiris de *Zoborio,* ac conventus loci eiusdem, omnibus Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, presencium noticiam habituris, salutem in salutis largitore. Quoniam labilis est memoria hominum et a vili ac corruptibili materia est formata, cum nichil sic cercius morte et nil incercius hora mortis, ideo inventum fuit sacre scripture remedium, ut ea que in presenti hominum disposicione extiterint ordinata, possint in posterum ad perpetuam rei memoriam liquido comprobari. Verum, cum super quarumdarum (sic!) villarum nostrarum decimis, de cutello Nyitriensi dyocesis, venerabilis in Christo patris domini *Chanadini,* predicta gracia archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui, specialiter infranominandis, quarum villarum decime sibi, tam de iure scripto, quam eciam ordinario provenire debebant, una cum eodem domino Chanadino archiepiscopo Strigoniensi, singulis annis diversimode concertabamur et questionabamur, tandem ipsius Salvatoris nostri Iesu Christi auxiliante et volente, una cum predicto domino Chanadino archiepiscopo, super decimis ipsarum villarum dicti monasterii nostri propriarum et nunc habitarum, videlicet: de *Neged,* de *Mochunuk,* de *Boyncz,* de *Wedered,* de *Trebethe,* de *Crakew,* de *Oztrow,* de *Rodusnafew,* de *Apati* cum medietate ville *Leuna,* de duabus villis *Wezthenicz* inferiori et superiori, de *Wduornuk,* de *Rachych,* de *Szuchan,* de secunda *Apati* iuxta *Boymacz,* de *Dobratok,* de *Darasy,* de *Monusturalyafalu,* de *Wndigy;* item cum tribus terris nostris desolatis, scilicet: de *Syra,* de *Kolun* et de tercia Apati, que alio nomine *Kartholcz* nominabatur, exceptis eciam illarum villarum seu possessionum decimis, per nos et per eundem monasterium nostrum a modo in posterum aquirendarum et habendarum, quarum decimas pro ipso domino archiepiscopo et suis successoribus commisimus percipere et habere, preter possessiones nostras superius prenominatas, quarum decimas perpetuo et irrevocabiliter ad perpetuam elemosinam, pro anima sua, idem dominus archiepiscopus et suorum successorum, componendo et ordinando duxit conferendas, ut nos et nostri successores prenominatarum villarum nostrarum decimas in ipso cutello Nytriensi existentes, singulis annis percipiendi et possidendi habebimus facultatem, sine sua prohibicione aliquali; salvis tamen porcionibus magistratualibus et eciam in iurisdiccionibus archidiaconalibus, secundum antiquum modum constitutum et ordinatum plene et integre remanentibus. Nosque salubriter inducti consciencia, licet non predictarum villarum nostrarum decimacionum equiparencium, sed tamen aliqualem reconpensacionem faciendam sibi et suo archiepiscopatui Strigoniensi, ecclesie sancti Adalberti martiris, quandam possessionem nostram, *Keer* vocatam, in ipso comitatu Nytriensi existentem, contiguam et vicinatam possessionis dicte ecclesie sue Strigoniensis, similiter Keer nominatam, cum duodecim iobagionum mansionibus, nunc in facie eiusdem habitantibus, nec non iuribus, proventibus, iurisdiccionibus spiritualibus et temporalibus, ac cum *ecclesia* lapidea ad honorem *beati Clementis* pape in eadem constructa, pratis, silvis, terris cultis et incultis, vineis, aquis et aquarum decur-

sibus, cum locis molendinorum et quibuslibet aliis utilitatibus suis universis, ad eandem pertinentibus, sub eisdem metis et terminis antiquis, in privilegio nostro contentis, nec non eciam porcionem nostram, quam in tributo suo *Nyarhyd* similiter in privilegio nostro nobis pertineri sibi asserendo demonstravimus, perpetuo et irrevocabiliter dedimus, donavimus et contulimus tenendam, possidendam pariter et habendam. Tali obligacione mediante: quod quandocunque temporis in processu, racione predicte possessionis Keer et porcionis tributi de Nyarhid, per nos date et collate, per aliquos, vel per aliquem, idem dominus archiepiscopus vel sui successores impeterentur, nos vel nostri successores, propriis nostris laboribus et expensis teneremur expedire; et si expedire non curaremus, vel non possemus, prehabita ordinacio recinderetur eo facto. Ad quod, mediantibus litteris nostris cum pendentibus sigillis consignatis, nos firmiter obligamus. In cuius rei testimonium, perpetuamque firmitatem, presentes concessimus nostras litteras privilegiales, pendentibus sigillis nostris munimine roboratas. Datum, in octavis festi Purificacionis beate Marie Virginis, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ nono.

Extus manus med. aevi adn.: Privilegium super permutacione possessionis Keer et super parte tributi Nyarhid. — Et paulo recens manus adjec.: ipsorum fratrum pro decimis archiepiscopalibus. — Sigilia abbatis et conventus, bene conservata, e serico albo et viridi contexto pendent. — Origin. membr., in Archiv. Primat. Secul. Lad. N. nr. 1.

890.

1349. (Somogyvár). 11. Febr. — Conventus Simigiensis, de peracta contra Nicolaum et Georgium de Szentgyörgy, in negotio violentae occupationis porcionis filiorum Andreae de Karan inquisitione, rescribit.

Nobilibus viris magistro *Kunch,* vice domini Bartholomei comiti Symigiensi et quatuor iudicibus nobilium eiusdem comitatus, conventus monasterii sancti Egidii de *Symigio,* amiciciam paratam, debito cum honore. Noveritis, quod receptis litteris vestris inquisitoriis, cum Ladislao, filio Mark de *Jutha,* homine vestro, *Petrum clericum* chori nostri, hominem nostrum, pro testimonio transmisimus fidedignum, qui postmodum ad nos reversi nobis concorditer retulerunt: quod feria tercia (expunct.: proxima), scilicet in festo beate Scolastice virginis, a quibus decuit et licuit, a sacerdotibus et laycis, indagata et investigata veritate, diligentissime inquirendo scivissent: quod Nicolaus, filius Pauli de *Zenthgurgh,* et Georgius germanus eiusdem, possessionarias porciones Leukus, Johannis, Stephani et Bartholomei, filiorum Andree, filii Stephani dicti *Zakalus* de *Karan,* in territorio dicte possessionis Karan existentes et per dominum *Nicolaum* regni Hungarie *palatinum,* eisdem filiis Andree resignatas, ac contra legitimam prohibicionem factam, potencialiter pro se occupassent, ususfructus et proventus earumdem pro se percipiendo, ac domos in eisdem igne concremassent; in quibus una mulier cremata extitisset. Datum, secundo die festi supradicti, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ nono. 1349. 10. Febr.

Extus: Comiti Symigiensi et iudicibus nobilium inquisitoria, pro filiis Andree filii Stephani dicti Zakalus de Karan intra nominatis, contra Nicolaum filium Pauli de Zenthgurgh ac Georgium germanum eiusdem. — Sigillum margini fuit impr. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 1. fasc. 3. nr. 8.

891.

1349. Avignon. 23. Febr. — Joannes, canonicus Agriensis et Vesprimiensis, nepos Nicolai episcopi Agriens., praeposituram s. Martini in Scepus, per mortem Joannis praepositi vacantem, sibi conferre petit.

Ed. Bossányi: Regest. Suppl. T. I. p. 193.

892.

1349. Buda. 9. Mart. — Ludovicus I. rex, possessionem Nána, per capitulum Vaciense reambulari jubet.

Tenorem vide sub nr. 900.

893.

1349. (Pozsony.) 11. Mart. — Magister Johannes Orros, vicecomes Posoniensis, capitulum Posoniense, contra Joannem Pap, pecuniam tributi magistri Chenig, castellani de Vöröskő auferentem, inquiri iubet.

Discretis viris et honestis, capitulo ecclesie Posoniensis, magister Johannes, dictus *Orrus*, vicecomes de eodem, sinceri honoris incrementum. Dicit nobis Laurencius, familiaris magistri Chenig, Castellani *de Weresku,* in persona eiusdem domini sui, quod cum feria secunda proxima post dominicam Reminisscere Petrus et *Chyha,* item tercius, nomine *Oldurus,* eiusdem domini sui famuli, pecuniam domini sui, quem *Chisur* in tributo congregata (sic) fuerat, ad mandatum dicti domini sui, in dictum castrum Weresku deferre voluisset et quidam in via, qui furtim de tributo domini sui recesserat, ipsis obvius fuisset et cum eundem detinere voluissent, ydem videns se velle detineri, ad iobagiones Johannis, dicti Pop *de Bahun* fugiens venisset, et tunc in momento prefatus Johannes, dictus Pop, cum suis famulis et iobagionibus equos asscendentes, eosdem famulos domini sui, in villam *Wischa,* ad dictum dominum suum pertinentem, agitasset et unum ex illis, scilicet Petrum interfecisset, reliquum vero, scilicet Chiha, letalibus wlneribus sauciasset, culpis eorum non exigentibus, et dictam pecuniam, quam, ut premittitur, domino eorum deferebant, scilicet centum libras, ab eis abstulisset, insuper equos eorum et vestimenta. Super quo vestre discrecionis amiciciam presentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fidedignum, quo presente, Matheus de *Capulna,* unus iudicum quatuor et Andreas de *Chuchak,* officialis noster de *Wizkelet,* sciant et inquirant omnimodam de premissis veritatem. Et post hec, prout veritas ipsis constiterit premissorum, nobis vestri gracia amicabiliter rescribatis. Datum, feria quarta proxima post dominicam Reminisscere, anno Domini M° ccc^{mo} $_{XL}$^{mo} nono. 1349. 9. Mart.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 66. fasc. 1. nr. 2.

894.

1349. Buda. 20. Mart. — Chanadinus archieppus Strigon., filiis Alexandri, filii Cselen permittit, ut in possessione sua Ponith, ecclesiam lapideam, ad honorem beatae Annae construi possint.

Ed. Cod. Andegav. T. V. p. 271.

895.

1349. Avignon. 22. Mart. — Guillelmus Cardinalis petit Nicolao, filio Joannis de Lőcse, canonicatum in ecclesia Scepusiensi conferre.

Ed. Bossányi: Regest. Suppl. T. I. p. 197.

896.

1349. Avignon. 22. Mart. — Nicolaus electus Nitriensis et postulatus Zagrabiensis eppus, petit praeposituram s. Thomae in Prom. Strig., Thomae Bekő conferri.

Ed. Bossányi l. c. p. 198.

897.

1349. — 22. Mart. — Elisabeth, regina Hung., petit ecclesiae beatae Annae, quam fratribus ordin. eremit. s. August. in Strigonio construxit, indulgentias elargiri.

Ed. Bossányi: l. c. 203. — Cf. et Theiner: Mon. Hist. Hung. Eccl. T. I. p. 771.

898.

1349. — 22. Mart. — Georgius Bebek, comes de Hevesujvár, petit Stephano Alexii, clerico Strigon., canonicatum in eadem ecclesia conferri.

Ed. Bossányi l. c. p. 203.

899.

1349. — 22. Mart. — Georgius Bebek, comes de Hevesujvár, petit ecclesiae in Pelsőcz, Strigon. dioec., in festo s. Gregorii, indulgentias elargiri.

Ed. Bossányi l. c. p. 204. — Cf. et Theiner l. c. T. I. p. 772.

900.

1349. (Vácz.) 23. Mart. — Capitulum Vaciense, possessionem Nána, metis distinctam et capitulo Strigoniensi relictam esse, regi rescribit.

Excellentissimo principi, domino *Lodouico,* Dei gracia regi Hungarie, domino suo, capitulum ecclesie *Wachyensis,* oracionum suffragia devotarum. Noverit excellencia vestra nos litteras vestras debita cum reverencia recepisse, in hec verba:

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo ecclesie Wachyensis, salutem et graciam. Dicit nobis magister *Mathyas archydiaconus Kamaruniensis,* quod quedam possessio ecclesie Strigoniensis et per consequens eidem capitulo per nos, ut refertur, in concambium data, *Nana* vocata, in Strigoniensi comitatu, apud manus eorum existens, reambulacione metarum ereccionibus et ab aliorum possessionibus separacione plurimum indigeret. Super quo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, coram quo Ladizlaus de *Patach,* vel Mauricius de eadem, homo noster altero absente, accedat ad faciem memorate possessionis et presentibus vicinis eiusdem reambulet eandem per veras metas et antiquas et ubi necesse fuerit, iuxta veteres novas erigat metas, si non fuerit contradictum; contradictores vero, si qui fuerint, contra ipsum capitulum ad nostram citet pre-

senciam ad terminum competentem; et post hec tocius facti seriem nobis fideliter rescribatis. Datum *Bude,* feria secunda proxima post dominicam Reminiscere, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ nono. 1349. 9. Mart.

Unde nos mandatis excellencie vestre obtemperantes, ut tenemur, una cum predicto Mauricio, homine celsitudinis vestre, discretum virum, magistrum *Bartholomeum, rectorem capelle sancti Spiritus,* socium et concanonicum nostrum, ad premissa diligenter exequenda, pro testimonio transmissimus. Qui demum ad nos reversi et per nos studiosius requisiti, nobis concorditer retulerunt: quod ipsi feria quarta proxima ante dominicam Letare, proxime iam preteritam, ad faciem prefate possessionis Nana vocate, in comitatu de *ante Strigoniensi* (sic) existentis, alteri possessioni dicti capituli Strigoniensis similiter Nana vocate vicinate, ex vestra collacione, seu donacione, per formam permutacionis, seu concambii facte, eidem capitulo devolute, accedendo, convocatis universis vicinis et commetaneis eiusdem et presentibus, ipsam per suas veras metas et antiquas seu circumferencias reambulassent, reambulatamque sub suis certis metis et limitacionibus eidem capitulo, sub premisso titulo, relinquissent pacifice et quiete perpetuo possidendam; nullo penitus contradictore, ipsis ibidem tribus diebus continuis commorantibus, aparente. Datum, feria secunda proxima post dominicam Letare, anno Domini ut supra. 1349. 18. Mart.

E transsumpto Ludovici regis anni 1353. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 31. fasc. 1. nr. 11.

901.

1349. (Pozsony.) 30. Mart. — Capitulum Posoniense, Joannem de Zavar filiae suae Catharinae, aut illa sterili, alteri filiae Elisabethae, terram Elekfölde donasse testatur.

A. B. C.

Universis Christi fidelibus, presens scriptum inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis, salutem in Domino. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod Johannes, filius Michaelis de *Zauar,* coram nobis personaliter constitutus, quandam particulam terre sue hereditarie, *Elechfulde* vocatam, ipsam secundum suam longitudinem et latitudinem, que a prima valle incipit, wlgariter *Eleuulg* dictam, et suo fine tendit ad fluvium *Duduag,* Katherine filie sue primogenite, ex domina Anna, filia Jacobi de *Kurtueles* procreate, iure perpetuo et irrevocabiliter, in filios filiorum suorum, si ipsam proles habere contingat, si autem non, ipsa decessa, filie sue iuniori Elizabeth, ex eadem domina Anna procreate, dedit, tradidit et a se alienavit, semper ad possidendum, tenendum et habendum, totum proprietatis et dominii, quod ad dictam terre particulam quovis iure habere nosscebatur, in predictam filiam suam Katherinam, ut premissum est, si ipsam proles habere contingat, si vero non, in secundam filiam suam, scilicet Elizabeth et eius heredes, transtulit conferendo. Datum, feria secunda proxima post dominicam Judica, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ nono.

Fragmen sigilli e rubro et viridi serico pendet. — Orig. in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 5. nr. 2.

902.

1349. Buda. 1. Apr. — Nicolaus palatinus, Andream de Kápolna, in termino contra capitulum Posoniense non comparentem, convincit.

Nos *Nicolaus,* regni Hungarie palatinus et iudex Comanorum, damus pro memoria, quod magister *Paulus canonicus* ecclesie *Posoniensis,* pro capitulo ecclesie Posoniensis, cum procuratoriis litteris eiusdem capituli, contra Andream de *Kapulna,* de comitatu Posoniensi, ab octavis diei Cinerum viginti octo diebus continuis stetit in termino coram nobis. Qui quidem Andreas, iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum peremptorie responsus non venit, neque misit; unde eundem Andream contra ipsum capitulum permisimus in iudicio fore convictum, si se racionabiliter non poterit excusare. Datum *Bude,* vigesimo nono die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xl^mo nono. 1349. 4. Mart.

Extus: Pro capitulo ecclesie Posoniensis, contra Andream de *Kapulna* iudicialis. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 28. fasc. 1. nr. 6.

903.

1349. Buda. 7. April. — Ludovicus I. rex, conventum de Zobor, pro monasterio s. Benedicti, nunnullos pacis perturbatores, citari mandat.

Tenorem vide nr. subsequenti.

904.

1349. (Zobor.) 15. Apr. — Conventus de Zobor, seriem evocationis, Stephani officialis magistri Ivanka et complicum, Ludovico I. regi rescribit.

Excellentissimo domino *Lodouico,* Dei gracia regi Hungarie, domino suo illustri, conventus ecclesie beati Ipolyti martiris *de Zubur,* oraciones in Domino continuas et devotas. Litteras vestre excellencie evocatorias, sub vestro anulari sigyllo confectas, pro religioso viro fratre Syffrido abbate monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gron,* summa recepimus cum reverencia in hec verba:

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis conventui Zuburiensi, salutem et graciam. Dicit nobis honorabilis vir frater Syffridus, abbas ecclesie sancti Benedicti de iuxta Goron, quod Stephanus filius Beke, officialis magistri Iwanka *de Senche* et Egydius viceofficialis eiusdem, octo boves et duos equos ac tres currus cum frugibus repletos, iobagionum suorum de *Besseneu,* in festo invencionis corporis sancti Stephani prothomartiris iam preterito, abstulissent et quod Petrus, filius Michaelis, officialis eiusdem magistri Iuanka de *Syk* et Johannes viceofficialis eiusdem, nec non *Mykle* et Andreas filii *Hordo* famuli eorumdem, feria secunda proxima ante dominicam Ramispalmarum, ante villam Besseneu sex boves arantes cum aratro potencialiter et manibus armatis abstulissent, et homines cum eisdem aratris procedentes denudassent et percussissent; ac Petrus de *Perwin,* famulus eiusdem magistri Iwanka unum bovem iobagionis sui de *Tassar,* in villa *Harasthan,* die fori potencialiter abstulisset. Super quo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide- 1348. 3. Aug. 1349. 30. Mart.

dignum, coram quo Petrus filius Stephani de *Kyssarlou,* vel Paulus frater eiusdem, aut Nicolaus filius Mauricii de *Gyured,* sive Mykch de *Baluan,* aliis absentibus homo noster, evocet predictos homines, super premissis factis eorum contra predictum fratrem Syffridum abbatem ad feriam secundam proximam post octavas festi Pasche nunc venturas, sine crastinacione racionem reddituros; et post hec diem et locum evocacionis, nomina evocatorum, terminum assignatum, cum serie tocius facti, nobis fideliter rescribatis. Datum *Bude,* feria tercia proxima ante festum Pasche Domini, anno eiusdem M^mo^ ccc^mo^ XL^mo^ nono. 1349. 20. Apr. 1349. 7. Apr.

Nos igitur mandatis vestre serenitatis obedire cupientes, ut tenemur, cum predicto Nicolao, filio Mauricii, homine vestro, fratrem *Conradum,* unum ex nobis, ad premissam evocacionem faciendum, pro testimonio nostrum hominem duximus transmittendum; qui demum ad nos reversi concorditer retulerunt: quod sabbato proximo ante festum (exp.: Domini) pasche Domini, supradictos Stephanum filium Beke, officialem magistri Iwanka de Senche, et Egydium viceofficialem eiusdem in villa *Gyarak,* item Petrum, filium Mychaelis, officialem eiusdem magistri Juanka de Syk et Johannem viceofficialem eiusdem in eadem villa Syk, Mykle et Andream filios Hordo, famulos ipsorum, eisdem statuere committendo; item Petrum de Perwin, officialem ipsius magistri Iuanka de Harasthan, in eadem possessione Harasthan, ad feriam secundam proximam post octavas festi pasche nunc venturas, sine crastinacione, contra prenotatum religiosum virum fratrem Syffridum abbatem sancti Benedicti, ad vestre regie maiestatis presenciam evocassent, super omnibus premissis, ablatis et aliis iniuriis racionem reddituros. Datum, feria quarta infra octavas prenotati (exp.: sancti) festi pasche Domini, anno eiusdem superius annotato. 1349. 11. Apr. 1349. 20. Apr.

Extus: Excellentissimo domino suo Lodouico, Dei gracia regi Hungarie, pro religioso viro fratre Syffrido, abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Goron, contra Stephanum filium Beke, officialem magistri Iuanka de Senche, et Egidium viceofficialem eiusdem, item Petrum filium Micaelis, officialem eiusdem magistri Iuanka de *Syk,* et Johannem viceofficialem eiusdem Mykle et Andream filios Hordo, famulos eorumdem, ipsis statuere committendos; item Petrum de Perwin officialem eiusdem magistri Iuanka de Harasthan, ad feriam secundam proximam post octavas festi pasche Domini sine crastinacione evocatoria. — Et subtus: Besenew. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Origin. chart., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 3. fasc. 1. nr. 9.

905.

1349. (Győr.) 27. Apr. — Capitulum Jaurinense, filios Donch, litigiosas terras inter Gúta et Ekecs archiepiscopo Strigoniensi pacifice remisisse, testatur.

Tenorem vide sub nr. 909.

906.

1349. Bars. 1. Maii. — Magistratus civitatis Bars, concivem suum Szente, domum balnei circa fluvium Garam, comiti Marco vendidisse, perhibet.

Nos *Paulus,* iudex dictus *Jaz,* iurati et universi cives de *Bors,* tenore presencium significamus quibus expedit universis, quod *Zenthe,* concivis noster, unacum Ladislao et Thoma filiis suis ab una parte, et comite Marco de *Che-*

tertekhel, similiter concive nostro ex altera, coram nobis constitutis; idem Zenthe, cum eisdem Ladislao et Thoma filiis suis, *domum balnei* sui, circa fluvium *Gron* existentem, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, confessus est dedisse et vendidisse, eidem comiti Marco et per eum in filios filiorum suorum, pro decem marcis denariorum plene receptorum ab eodem, perpetuo et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam; assumpmens et obligans se predictus Zenthe, cum filiis suis nominatis, ut processu temporum ab omnibus molestantibus racione prefate domus balnei, per eundem vendite, eundem comitem Marcum et suos heredes, propriis suis cum laboribus tenebitur liberare. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem, litteras nostras ad peticionem parcium concessimus (sic!) concedendas. Datum, in octavis sancti Georgii martiris, anno Domini M° ccc° xxxx^mo nono. Item quia sigillum nostrum tunc temporis non fuit bono modo conservatum et pro eo amissum extiterat et anichilatum, presentes litteras cum presenti sigillo nostro novo duximus sigillandas.

Sigillum marg. fuit appr. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 34. fasc. 1. nr. 6.

907.

1349. (Ipolyság.) 5. Maii. — Conventus de Ságh, nobilem Heim, possessionem Pomach filiabus suis cessisse, testatur.

Nos *Stephanus*, prepositus et conventus fratrum ordinis Premonstratensis monasterii beate Virginis Marie de *Saagh*, memorie commendantes significamus universis quibus expedit, presencium per tenorem, quod Heym nobilis de *Pamach*, unacum consorte sua, nomine Anna, filia Vigman, filii Posa, ab una parte; ex altera vero Lachk, filius Iwanka, nobilis de *Pyr*, item Blasyus filius Mathie de *Warna*, coram nobis personaliter constituti, propositum extitit et relatum vivacite (sic) in hunc modum: quod predictus Heym, unacum predicta consorte sua, prolem masculinum non haberent, ad quem predicta possessio ipsorum Pomath de*w*olvi deberet, tandem ex consensu omnium proximorum suorum dederunt et contulerunt sponsis, ac filiabus ipsorum videlicet Lachk et consorte sue *Chale* vocate, item Egidio, filio Symonis de *Kurtus* et consorte eiusdem *Colychs* vocate, item Blasio antedicto et consorte eiusdem *Chuna* nomine, iure perpetuo possidendam, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis. Item si aliquis inter ipsos prolem non habuerit, extunc ad illos qui haberent predicta possessio devolveretur; insuper medietatem molendini ipsorum, in fluvio *Corpona* existentem (sic), unacum curia ac sessione dederunt Lachk et Egidio, ac uxoribus eorumdem; sed predicto Blasio dederunt ex oposito sessionem ubicunque voluerit. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, ad peticionem parcium, concessimus litteras nostras patentes (emans.: sigilli nostri) munimine roboratas; et quandocunque reportabuntur nostro privilegio tenebimur confirmare. Datum, feria tercia proxima ante festum beati Johannis ante portam Latinam, anno Domini M° ccc° xL^mo nono.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strigon. Publ. Capsa 69. fasc. 5. nr. 14.

908.

1349. Esztergom. 6. Maii. — Joannes archidiaconus Gömöriensis, vicarius Chanadini archieppi Strig., causam inter Joannem elect. Vesprim. et rectores eccl. Örs et Sasad agitatam, ad novum terminum prorogat.

Nos Johannes archidiaconus *Gumuriensis* et vicarius venerabilis in Christo patris domini *Chanadini,* Dei et apostolica gracia archyepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui, in spiritualibus generalis, damus pro memoria, quod causam, quam reverendus vir, dominus Johannes, electus confirmatus ecclesie *Vesprimiensis,* pro quo Johannes notarius et St(ephanus) Rufus serviens sui (sic), cum l[itte]ris procuratoriis eiusdem astiterunt, contra discretos viros Michaelem de *Vrs* et Benedictum de *Sasad* ecclesiarum plebanos et rectores personaliter comparentes, iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum in octavis beati Georgii martiris movere habebat coram nobis, ob reginale preceptum, nobis litteratorie per dictos rectores ecclesiarum productum, ad *quindenas reversionis domini regis de presentis processibus Budam,* vel alium locum mansionis eiusdem proxime habendum, peremptorie duximus prorogandam, statu, seu forma sub priori. Datum *Strigonii,* sexto die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xl^mo^ nono.

1349. 1. Maii.

1349. 28. Maii.

Extus: Pro domino electo Vesprimiensi, contra rectores ecclesiarum de Vrs et de Sasad, ad quindenas reversionis domini regis de presentibus processibus Budam, vel alium locum mansionis eius proxime habendum, prorogatoria. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Vesprimiensis, Epp. Misc. nr. 24. Lad. 86.

909.

1349. Buda. 16. Maii. — Nicolaus palatinus, filios magistri Donch, super metis possessionum Gúta et Ekecs, pro parte Chanadini archiepiscopi, liti cessisse testatur.

[N]os *Nicolaus,* regni Hungarie palatinus et iudex Comanorum, memorie commendantes tenore presencium significamus quibus expedit universis, quod cum sub anno Domini millesimo ccc° xl^mo^ quarto, magister *Donch de Kamarun,* Ladislaus, Stephanus et Nicolaus filii eiusdem, accepto Nicolao, filio Stephani de *Neuma,* homine nostro, feria secunda proxima post festum beati Barnabe apostoli in anno prenotato elapsum, sub testimonio ecclesie *Jauriensis,* metas possessionis eorumdem *Ekech* vocate, vicinorum et commetaneorum suorum circumquaque existencium, convocationibus legittimis factis, reambulare et iuxta veteres novas erigi et eam ab aliorum possessionibus separari et distingui facere voluissent, vir discretus *Nicolaus plebanus de Nozuod* et populi de *Gutha,* iobagiones scilicet venerabilis in Christo patris domini *Chanadini,* archyepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui, vice et nomine eiusdem domini archyepiscopi, non a reambulacione, sed a statucione et metarum ereccione contradiccionis velamine eisdem institissent; quem quidem dominum archyepiscopum, contra prefatum magistrum Donch et filios suos annotatos, ad octavas festi Nativitatis beati Johannis Baptiste atunc venturas, racionem dicte contradictorie inhibicionis redditurum, in nostram citassent presenciam. Demum dictis magistris

1344. 14. Jun.

1344. 1. Jul.

Donch et Ladislao filio suo, Domino volente, migratis ab hac luce, ipsa causa in eosdem magistros Stephanum et Nicolaum, filios ipsius magistri Donch et Johannem filium dicti magistri Ladislai filii Donch, ad quem ipsa causa mortuo ipso magistro Ladislao patre suo, regni consuetudine requirente, extitisset devoluta, et dominum archyepiscopum prelibatum iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum, plurimorum terminorum dilaciones exprimencium, dilatata et ad ultimum sub forma faciende pacis, ad diem Cynerum tunc presentem, prorogative devenisset. Tandemque in ipso die Cynerum, 1349. 25. Febr.
pro prememoratis domino archyepiscopo, magister *Johannes notarius* suus, cum procuratoris litteris suis ab una; item Petrus dictus *Vaguch,* pro magistro Nicolao filio Donch, cum procuratoriis litteris regalibus; pro ipso autem magistro Nicolao filio Donch, Mychael litteratus; pro prefato vero Johanne filio Ladislai filii Donch, Mychael filius Petri, servientes ipsorum, ambo cum sufficientibus litteris procuratoriis capituli Jauriensi antedicti, parte ex altera; ad nostram accedentes presenciam iudiciariam, nostra licencia concordandi habita prius et optenta, in causa annotata taliter dixerant et confessi extiterant se concordasse: quod sabbato proximo post festum Passce Domini proxime tunc affuturum, idem dominus archyepiscopus, Stephanus et Nicolaus filii 1349. 18. Apr.
Donch, propriis eorum in personis, dum modo predictus dominus archyepiscopus per aliquam infirmitatem prepeditus, aut in negociis regni occupatus tunc non existeret, si vero aliqua premissorum sibi evenire contingeret, extunc procurator suus legittimus illic accederet et negocium ac processum premissum ad alterum terminum sine aliquo iudiciario gravamine prorogaret; pro ipso autem Johanne filio Ladislai legittimus suus procurator in facies predictarum litigiosarum terrarum inter *Guta* et *Ekech* vocatarum accedere, idemque dominus archiepiscopus litteralia instrumenta dicte ecclesie sue Strigoniensis, ipsam possessionem archyepiscopalem, Gutha nuncupatam, cum aliis suis possessionibus in eisdem litteris contentis denotancia et metas earumdem exprimencia, illic asportari, iuxtaque seriem earumdem et cursus metarum in eisdem contentarum, dicti filii magistri Donch et legittimus procurator ipsius Johannis filii Ladislai, omnia ea que intra metas in ipsis litteralibus instrumentis dicte ecclesie Strigoniensis continerentur, ipsi domino archyepiscopo personaliter ibi comparenti et per consequens dicte ecclesie sue, sicut prius relaxaverant et remiserant, sic et ad tunc remitterent et relaxarent perpetuo possidere; tali obligacione mediante, quod si iidem magistri Stephanus et Nicolaus, filii magistri Donch, pro predicto autem Johanne, filio Ladislai filii Donch, legittimus suus procurator, die prefixo, ad facies predictarum litigiosarum terrarum non accederent et omnia ea, que intra metas in dictis instrumentis continerentur, iuxta seriem eorumdem instrumentorum ipsi domino archyepiscopo ibi personaliter comparenti et per eum dicte ecclesie sue pacifice possidere non relinquerent et ipsam litem per eosdem suscitatam et sopitam sopiri et sedare non curarent, extunc in quinquaginta marcis, sine iudicis porcione, ante litis ingressum persolvendis, convincerentur eo facto. Ad que omnia premissa dictos filios magistri Donch et Johannem filium Ladislai filii Donch, procuratores eorum prelibati, auctoritate littararum procuratoriarum premissarum sponte obligarunt coram nobis; de iudicio autem pacis nos communiter placare assumpserant partes annotate. Super quo amicis nostris capitulo ecclesie *Jauriensis* amicabiliter scripsissemus, eorum amiciciam diligenter postulando, quatenus

ipsorum mitterent homines pro utrisque partibus, pro testimoniis fidedignos, coram quibus Mychael, filius Petri de *Vamus,* vel Nicolaus filius Martini de *Kulchugh,* aut *Marcyl* (sic) de *Madar,* sive Laurencius filius Petri de *Kurthakezeu,* pro parte dictorum filiorum magistri Donch et Johannis filii Ladislai; item Raphael de *Lybad*, vel Nicolaus de *Mochola,* aut Petrus filius Apor de *Hetyn,* pro parte ipsius domini archyepiscopi, aliis absentibus homines nostri, sabbato prenotato, ad facies ipsarum litigiosarum terrarum accederent, omniaque premissa viderent et exsequerentur iuris ordine mediante; et post hec premissorum seriem prout fieret oportunum, ad octavas festi beati Georgii martiris tunc venturas, per partes nobis amicabiliter rescribi postularamus. In quibus eciam octavis de premisso iudicio habite pacis, partes prenotate satisfaccionem nobis impendere tenerentur. Tandem ipsis octavis festi beati Georgii martiris adherentibus, pro prescripto domino archiepiscopo magister Johannes, notarius suus cum procuratoriis litteris eiusdem; item Petrus dictus Waguch, pro magistro Nicolao filio magistri Donch, cum procuratoriis litteris regalibus; pro ipso autem magistro Stephano filio eiusdem magistri Donch Mychael litteratus; pro prefato vero Johanne filio Ladislai, filii magistri Donch antedicti, Mychael filius Petri, ambo cum procuratoriis litteris capituli Jauriensis supradicti, ad nostram accedentes presenciam, duo paria litterarum capituli ecclesie Jauriensis rescripcionalium, sub una forma verborum emanatarum nobis presentarunt. Quarum tenor is est:

1349. 18. Apr.

1349. 1. Maii.

Magnifico viro et honesto, domino *Nicolao* regni Hungarie palatino et iudici Comanorum, amico ipsorum reverendo *capitulum Jauriensis* ecclesie amiciciam paratam, debito cum honore. Litteras vestre magnificencie nobilitatis, modum et formam sentenciarie deliberacionis et composicionis inter magistros Stephanum et Nicolaum, filios quondam magistri Donch de Kamarum et Johannem filium Ladislai filii eiusdem Donch ab una, et venerabilem in christo patrem dominum Chanadinum archyepiscopum Strigoniensem, locique eiusdem comitem perpetuum ex altera exprimentes, reverencia qua decuit recepimus; in quarum serie inter cetera vidimus contineri, ut una cum Mychaele filio Petri de Vamus, Laurencio filio Petri de Kurthakezeu et Marcyl de Madar, pro partibus predictorum magistrorum Stephani et Nicolai filiorum Donch et Johannis filii Ladislai filii eiusdem Donch; et Nicolao de Mochola pro parte eiusdem domini archyepiscopi Strigoniensis, hominibus vestris, nostros homines, pro testimoniis fidedignos, transmitteremus, coram quibus sabbato proximo post festum Passce Domini proxime iam preteritum, predictus dominus archyepiscopus Strigoniensis propria in persona, nisi infirmitate vel in negociis regni esset prepeditus; et prenominati magistri Stephanus et Nicolaus filii, quondam magistri Donch, similiter propriis eorum in personis, legittimusque procurator ipsius Johannis filii Ladislai, ad facies dictarum litigiosarum terrarum inter Gutha et Ekech vocatarum accederent, idemque dominus archiepiscopus litteralia instrumenta dicte ecclesie sue Strigoniensis ipsam possessionem archyepiscopalem Gutha nuncupatam, cum aliis suis possessionibus in eisdem litteris contentis et metas earumdem exprimencia, illic deberet asportare et iuxta seriem earumdem et cursus metarum in eisdem contentarum, prenominati magistri Stephanus et Nicolaus, filii quondam magistri Donch, et legittimus procurator Johannis filii Ladislai, ea que in ipsis litteralibus instrumentis dicte eccle-

1349. 18. Apr.

sie Strigoniensis continerentur, ipsi domino archiepiscopo personaliter inibi comparenti et per consequens ecclesie sue deberent resignare, sub penis quinquaginta marcarum ante litis ingressum, sine iudicis porcione persolvendarum, si predicte composicioni pacis refutantes resilirent; et post hec seriem facti ad octavas beati Georgii martiris nunc venturas vestre magnificencie rescriberemus honestati. Nos igitur vestre amicicie cupientes optemperare, una cum predictis hominibus vestris, discretos viros *Nicolaum, sacerdotem* chori nostri prebendarium, pro parte predicti magistri Stephani filii Donch, item pro partibus Nicolai, filii eiusdem Donch, et Johannis filii Ladislai, magistrum *Nicolaum* socium et *concanonicum* nostrum; pro parte vero prefati domini archyepiscopi Strigoniensis magistrum *Gregorium,* similiter socium et *concanonicum* nostrum, pro testimoniis fidedignos, ad premissa exsequenda duximus transmittendos. Qui demum ad nos reversi, dicti homines vestri et nostri, nobis concorditer retulerunt isto modo: quod sepefati magistri Stephanus et Nicolaus personaliter et Mychael filius Petri, legittimus procurator ipsius Johannis filii Ladislai filii Donch, in facie dictarum terrarum litigiosarum comparendo, in termino per vestram magnificenciam assignato, videlicet in sabbato post festum Passce prelibato; sepefato domino archyepiscopo Strigoniensi eciam personaliter inibi comparenti, metas predictarum terrarum litigiosarum, secundum continenciam litteralium instrumentorum sepedicti domini archyepiscopi, in facie prememoratarum terrarum litigiosarum inter Gutha et Ekech predictas exhibitorum, eidem domino archyepiscopo et per eum dicte ecclesie sue pariter remisissent et resignassent perpetuo possidendas, tenendas et habendas, omnique liti et accioni, super metis predictarum terrarum litigiosarum a modo in posterum renunciantes. Datum, feria secunda proxima post beati Georgii martiris, anno Domini M° ccc° xL^mo^ nono. 1349. 27. Apr.

Visis itaque predictarum litterarum dicti capituli Jauriensis, super premissis nobis rescripcionalium, per dictos procuratores parcium in uno sensu demostratarum tenoribus, ipsisque procuratoribus parcium suo modo perlectis et explanatis, cum nos eosdem in eo, si predicti filii Donch, ac Johannes filius Ladislai filii eiusdem Donch, et predictus dominus archyepiscopus, super premissa possessionaria resignacione et perpetuacione contentarentur nec-ne, requisitos habuissemus, iidem procuratores parcium premissarum, dicta procuratoria auctoritate, easdem partes iuxta predictarum litterarum ipsius capituli Jauriensis continenciam, super iam dicta possessionaria resignacione et perpetuacione contentari et benigne, ac bona ipsorum voluntate eandem assumpmere, ac perpetuo pacifice et quiete, ac irrevocabiliter conservare velle allegarunt. Petentes nos, diligenti cum instancia, ut predictam possessionariam resignacionem et perpetuacionem, inter predictas partes modo premisso habitam, ad perpetuam rei cautelam, nostrarum litterarum privilegialium patrocinio confirmare dignaremur. Nos igitur iuridicis peticionibus procuratorum parcium predictarum favorabiliter inclinati, predictas litteras ipsius capituli Jauriensis, per eosdem procuratores parcium nobis presentatas, de verbo ad verbum presentibus nostris litteris privilegialibus insertas, cum predicta possessionaria resignacione et perpetuacione ratificamus, approbamus et presencium nostrarum litterarum privilegialium patrocinio, auctoritate palatinatus, confirmamus. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem presentes concessimus nostras litteras privilegiales, pendentis sigilli

nostri auttentici munimine roboratas. Datum *Bude,* sedecimo die octavarum festi beati Georgii martiris predictarum, anno Domini M° ccc° xL^mo nono.

Extus manus med. aevi adn.: Sentencia super Guta et Nazwod. — Sigillum, bene conservatum, e serico cinericio dependens leonem, vulpem arripientem exhibet, super quem scutum quadrifarium apparet, cum sequenti inscriptione: † S. NICOLAI : GILETI : PALATINI : HUNGARIE : ET : IVDICI (sic!) : COMANOR. — Orig. membr., in Arch. Primat. Secul. Lad. C. nr. 16. — Ed. Fejér: Cod. Dipl. IX.¹ p. 709. et sqq.

910.

1349. Buda. 23. Maii. — Elisabetha regina, mandat Petro de Csetnek, ut damnum Cruciferis de Drauch (Darócz) illatum, sine procrastinatione expleat.

Ed. Cod. Andegav. T. V. p. 283.

911.

1349. Esztergom. 2. Jun. — Joannes, vicarius archieppi Strigon., causam Joannis eppi Vesprim. et rectorum de Örs et Sasad, peremptorie prorogat.

Nos Johannes, arch[idiaconus] *Gumuriensis* et vicarius venerabilis in [Christo patris] domini *Chanadini,* Dei et apostolica gracia archyepiscopi *Strigoniensis,* locique eiusdem comitis perpetui [in spiritualibus] generalis, damus pro memoria, quod causam, quam venerabilis dominus, dominus Johannes eadem gracia e[lectus confirm]atus ecclesie *Wesprimiensis* personaliter astans, contra discretos viros Mychaelem de *Wrs* [et Benedictum] de *Sasad* ecclesiarum rectores, similiter personaliter comparentes, iuxta continenciam priorum litterarum nostrarum [. . . . . in quin]denis reversionis domini regis, scilicet octavo die festi Asscensionis Domini de Posonio [. . . . .] Budam f[act]e movere habebat coram nobis, ob reginale preceptum nobis litteratorie per eosdem ecclesiarum rectores productum, ad octavas festi beati Martini confessoris proxime affuturas, statu et forma sub priori perhemptorie duximus prorogandam. Datum *Strigonii,* sexto die termini prenotati, anno Domini M^mo ccc^mo xL^mo nono.

1349. 28. Maii.

1349. 18. Nov.

Sigillum plicaturae fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Vesprimiensis, Epp. Miscellanea, nr. 145. Lad. 86.

912.

1349. (Esztergom). 3. Jun. — Capitulum Strigoniense, Blasium canonicum Vesprim., procuratorem episcopi Joannis, ob prorogationes indebitas causae contra rectores de Örs et Sasad motae, protestasse perhibet.

Nos, capitulum ecclesie Strigoniensis, damus pro memoria, quod magister *Blasius,* canonicus ecclesie *Wesprimiensis,* notarius domini Johannis electi confirmati ecclesie *Wesprimiensis,* in persona eiusdem domini sui, coram nobis personaliter comparendo, protestando, dixit in hunc modum: quod cum dictus dominus Johannes electus, super iuribus predicte ecclesie Wesprimiensis, Michaelem de *Wrs* et Benedictum de *Sasaal* (sic) ecclesiarum plebanos et rectores ad presenciam domini archiepiscopi in causam attraxisset, et exinde finem desideranter

(sic) consequi voluisset, dicti plebani continue subterfugie, querendo tamquam mali possessores iuris ecclesie predicte, ipsam causam per dolosas procuraciones nunc regio precepto, aliquin (sic) vero reginali, ultra terminos legitimos prorogassent et prorogarent, que causa circa tres annos in prorogacione indebita perstitisset, propter quas idem dominus electus multas expensas indebitas fecisset et adhuc facere cogeret, quas loco et tempore oportuno ab eisdem rehabiturus esset, iuris ordine requirente. Datum, feria quarta proxima post festum Pentheco*s*tis, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ nono.

Extus: Pro domino Johanne, electo confirmato ecclesie Wesprimiensis, contra Michaelem de Vrs et Benedictum de Sasaal ecclesiarum plebanos et rectores prorogatorie. — Sigillum plicaturae fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Vesprim., Epp. Miscellanea nr. 25. Lad. 86.

913.

1349. Veszprém. 7. Jun. — Joannes episcopus Vesprimiensis, in possessione Nyir, capellam erigendi facultatem concedit.

Nos *Johannes,* Dei et apostolice sedis gracia electus confirmatus ecclesie Wesprimiensis, auleque reginalis cancellarius, memorie commendantes significamus universis quibus expedit, presencium per tenorem, quod accedens ad nostram presenciam *Petych* nobilis de *Nyr,* humili insinuacione nobis declaravit, quod cum predicta sua possessio *Nyr* vocata, in cuius ecclesie parochya existat certum non habeatur, sed rectores ecclesiarum de *Boyun* et de *Keztewlch* mutua contencione sibi vendicare conentur; ob hoc a nobis devote supplicavit, ut eidem in predicta sua possessione capellam edificare paternaliter annueremus. Nos igitur, cultum divinum augeri pocius desiderantes quam minui, tum ex causa predicta, videlicet ut contencio inter predictarum duarum ecclesiarum rectores sopiretur, tum eciam quia utraque ecclesia satis in longa distancia a possessione predicta habetur, annuimus auctoritate presencium, ut in eadem sua possessione capellam edificare valeat et sacerdotem sacramenta sibi aministrantem et divina in eadem officiantem, conservandi habeat facultatem. Medietatem quartarum omnium decimarum, in sepedicta possessione et eius territorio proveniencium, ad usum eiusdem sacerdotis deputantes, salva reliqua parte quartarum predictarum pro nostro capitulo, sicut ex generali consuetudine ecclesie nostre id cavetur remanente. In cuius rei memoriam presentes, propter absenciam maioris sigilli nostri, concessimus litteras nostras anularis sigilli nostri apposicione communitas, promittentes ut dum ipse nobis reportate fuerint, maiori sigillo nostro autentico eas confirmari faciemus. Datum *Wesprimii,* in festo sancte Trinitatis, anno Domini M° ccc^mo^ xl^mo^ nono.

Sigillum anulare valde destructum, margini ext. fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 29. fasc. 1. nr. 13.

914.

1349. (Esztergom.) 8. Jun. — Capitulum Strigoniense, seriem inquisitionis, contra filios Laczk, in possessione praepositi de Ságh, Egeg vocata peractae, Elisabethae reginae rescribit.

Ed. Cod. Andegav. T. V. p. 286. et sqq.

---

singulis vestrum assignamus, prefato domino archiepiscopo, vel procuratori suo, pro eo in civitate Strigoniensi quantitates predictas solvere et assignare curetis. Si vero, vos domini episcope et electe, requisicioni, monicioni, precepto et mandato nostro huiusmodi parere contempseritis, prout iustum fuerit, contra vos forcius procedemus; ac si vos vicarii, officiales, camerarii vel receptores in premissis exequentis contumaces, contemptores, vel rebelles fueritis, nos in illum, seu illos ex vobis, qui requisiti seu requisitus super premissis fuerint vel fuerit et mandatis nostris predictis parere, satisfacere, vel obedire contempserint seu contempserit, in hiis scriptis excommunicacionis sentenciam promulgamus. Ceterum imponendi ecclesiis et personis ecclesiasticis exemptis et non exemptis, ecclesiarum, civitatum et diocesium vestrarum de predicta summa, secundum morem apud vos in similibus et hactenus observatum, congruam et debitam porcionem, nec non compellendi per censuram ecclesiasticam et alia remedia oportuna ad solvendum vobis quantitatem, quam eisdem propter predicta duxeritis imponendi, plenam et liberam concedimus facultatem. Et nichilominus personis eisdem ecclesiasticis, sub pena excommunicacionis in personas et interdicti in eorum ecclesias, quas si contrafecerint, ipsos predicta canonica monicione premissa incurrere volumus ipso facto, et in eos et eorum quemlibet et in eorum ecclesias, qui contumax seu contumaces fuerint vel rebelles, ferimus in hiis scriptis, precipimus et mandamus, quatenus infra (exp.: spacium) terminum seu terminos, quem seu quos, eisdem duxeritis prefigendos, vobis seu illi vel illis, quem vel quos ad hec duxeritis deputandum vel deputandos, solvere et assignare procurent. Volumus autem, quod predicta quantitate vobis, seu camere vestre, congruam porcionem similiter imponatis, super quo vestram conscienciam honeramus. In quorum testimonium presentes litteras scribi fecimus et nostri sigilli impressione muniri. Datum *Strigonii,* anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono, indiccione [emansit.: II.] die lune XXVIII. Septembris.

Sigillum cerae rubrae in tergo fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Primat. Arch. Eccles. Vet. nr. 27/1.

939.

1349. Esztergom. 28. Sept. — Ildebrandinus episcopus Paduanus, nuntius apostolicus, Chanadinum archiepiscopum Strigoniensem, pro diurnis centum et triginta duos florenos solvisse, perhibet.

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono, indiccione secunda, die lune, vicesimo octavo Septembris, in presencia mei notarii et testium infrascriptorum: reverendus in Christo pater dominus *Ildebrandinus,* permissione divina *episcopus Paduanus,* per reverendissimum patrem dominum *Guidonem,* tituli sancte Cecilie presbiterum *cardinalem,* apostolice sedis legatum, ad serenissimum principem dominum *Ludouicum,* Vngarie regem et partes aliquas eiusdem regni nuncius destinatus, recepit a reverendo patre domino *Chanadino archiepiscopo* Strigoniensi solvente pro se et mensa sua: et pro reverendis patribus dominis *episcopo Jauriensi* et *electo Vesprimiensi,* et ecclesiis et personis ecclesiasticis exemptis et non exemptis, cathedralibus et aliis inferioribus Strigoniensis, Jauriensis, 1349. 28. Sept.

et Vesprimiensis civitatum et diocesium, *florenos auri centum et triginta duos;* de quibus prefatum dominum archiepiscopum, ecclesiam Strigoniensem et clerum civitatis et diocesis Strigoniensis contingunt, floreni sexaginta sex et alii sexaginta sex contingunt supradictos dominos episcopum et electum, pro seipsis et ecclesiis eorum et clero civitatum et diocesis (exp.: eorum) suarum, de quibus centum triginta duobus florenis prefatus dominus episcopus Paduanus supradictus, dominum archiepiscopum quitavit et absolvit, concessa sibi facultate exigendi a supradictis dominis episcopo et electo sexaginta sex florenos, de summa predicta. Actum *Strigonii, in camera prefati domini archiepiscopi,* anno, indiccione, mense, die predictis, presentibus venerabilibus et discretis viris domino *Paulo de Boemia, canonico* Strigoniensi et domino *Johanne Fantini,* capellano eiusdem domini episcopi Paduani, ac magistro *Johanne notario* et familiare eiusdem domini archiepiscopi Strigoniensis, testibus scriptis.

(Sign. notariale.) Et ego *Theodericus de Bonauilla,* clericus Leodiensis diocesis, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius, supradictis omnibus et singulis, una cum prefatis testibus, presens fui, eaque omnia fideliter scripsi et in hanc publicam formam redegi, meoque signo signavi, in testimonium premissorum.

Orig. membr., in Arch. Primat, Arch. Eccl. Vet. nr. 27/2.

940.

1349. — 28. Sept. — Procuratores Guidonis cardinalis legati apostolici, Chanadinum archiepiscopum Strigoniensem, pro primo legationis anno 414 florenos auri solvisse testantur.

Ed. Cod. Andegav. T. V. p. 325.

941.

1349. Esztergom. 9. Oct. — Nicolaus archidiaconus Hontensis, nepotes Bogomerii, ratione structurae ecclesiae parochialis in Szmrecsány, pacis unionem inivisse, testatur.

Nos magister *Nicolaus, archidiaconus Honthensis,* vicarius in absentia discreti viri magistri *Petri* archidiaconi, vicarii venerabilis in Christo patris et domini, domini *Csanadiensis* (sic) *archiepiscopi* Strigoniensis, in spiritualibus generalis, tenore presencium significamus universis: quod cum Stephanus, filius Nicolai, filii Bogomiri de *Lipto,* Stephanum, filium Bodo et Ladislaum fratrem eiusdem uterinum; item Thomam, Petrum et Andream, filios Bogou, ad octavas festi beati Mihaelis archangeli proxime nunc preteritas traxissent in causam; tandem ipso termino adveniente, prefatus Stephanus, filius Nicolai, personaliter comparuit, ab una parte; Stephanus vero, filius Bodo similiter pro se personaliter, et cum sufficienti procuratorio conventus de *Turocz,* pro predicto Ladislao fratre suo; item *Pocs,* filius Thomae, serviens Thomae, Petri et Andreae predictorum filiorum Bogo, pro iisdem dominis suis, similiter cum sufficienti procuratorio predicti conventus de Turocz, coram nobis parte ab altera, comparuerunt ut debebant, et idem Stephanus filius Nicolai, contra prefatos patrueles fratres suos proposuit in hunc modum: quod cum villa *Szemerecsen,* quae est possessio ipsorum acquisicionalis, in qua ipse Stephanus, filius Nicolai residet, ecclesia careret lapidea, ob hoc pluries mota causa super perpetua divisione omnium possessionum eorundem nepotum Bogomery frustrata fuisset et annihilata, idcirco predictos fratres suos patrueles in figura iudicii

1349. 6. Oct.

coram nobis adstantes petivit, ut eundem ad aedificationem ecclesiae lapideae in predicta villa ipsorum Szemerecsen, prout juris est, adjuvari deberent; memorati vero Stephanus, filius Bodo, pro se et prefato fratre suo Ladislao, item antedictus Pocs pro prelibatis dominis suis, filiis Bogo, nobiscum fratribus nostris capitulo Strigoniensis ecclesiae judicantibus, videntes eciam quod communi juri refragari non poterant, assumserunt quaelibet pars, prout in tres stipites dividuntur, quelibet trium partium tertiam partem precii lapicidis seu muratoriis solvere eo tempore, quo idem dictus Stephanus Nicolai suam tertiam partem solverit plenarie et integre, caetera vero quae ad aedificationem ejusdem ecclesiae ut pote: lignamina et vecturam lapidum antedictus Stephanus Nicolai, cum jobagyonibus suis, dictae villae Szemerecsen et Zár faciet administrari, clibano cementi dumtaxat excepto, ad cujus structuram et crematiouem idem Stephanus Nicolai tenetur solus. Preterea nos judicantes determinavimus, quod quandocumque memorati filii Bodo *ecclesiam beati Joannis Baptiste* ampliare voluerint, tunc idem Stephanus Nicolai similiter in tertia parte precii lapicidis et prefati filii Bogo eodem modo in sua tertia parte lapicidis prefatum Stephanum et Ladislaum adjuvare tenebuntur et simili modo ad reparacionem rupturae *ecclesie beatae Mariae Magdalenae de Nadast* omnes praescriptae tres partes, precium lapicidis solvere tenebuntur, quaelibet trium partium; caetera opera prefatis ecclesiis ad earum reparationem vel restaurationem necessaria per proprios suos jobagyones, parochiis dictarum ecclesiarum segregati discretos facient, administrari. In cujus rei testimonium, presentes eisdem concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum *Strigonii,* 7mo Idus 8^{bris}, anno Domini 1349.

Alia manu: Originales literae reperiuntur apud P. D. Casparum Okolicsany vel jam resignatae familiae domini de Szmrecsányi. — Copia Saec. XVII. in Arch. Mus. Nat. Hung. Bpest, Arch. Fam. Szent-Iványi. Sub A. Fasc. II. nr. 11.

942.

*1349. (*Pozsony.) 27. Oct. — Magister Johannes Orros, contra Jenslinum villicum de Csütörtök, duos iobagiones magistri Andich de Olgya incaptivantem, per capitulum Posoniense inquiri petit.

Discretis viris, capitulo ecclesie Posoniensis, dominis et amicis suis plurimum reverendis, magister Johannes, dictus *Orrus,* vicecomes de eodem, paratam amiciciam sincero cum honore. Dicit nobis magister Andich de *Ogya,* quod feria quinta proxime preterita Jenslinus, villicus de *Chuturtuk,* duos iobagiones suos de *Tarnuk* et de *Magyar,* in foro publico clara luce captos intruncasset, quatuor equos ab eisdem auferendo. Super quo vestre discrecionis amiciciam presentibus petimus diligenter, quatenus vestrum mittatis hominem, pro testimonio fide dignum, quo presente, comes Ferench de *Hodi,* unus iudicum quatuor et Michael de *Suchak,* homo noster, a prefato villico sciant et inquirant omnimodam de premissis veritatem; et post hec prout ipsis ab eodem villico veritas constiterit premissorum, amicabiliter nobis vestri gracia rescribatis. Datum, in vigilia beatorum Simonis et Jude apostolorum, anno Domini M° ccc^{mo} xl^{mo} nono. 1349. 22. Oct.

Sigillum exteriori margini fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 8. fasc. 1. nr. 5.

943.

1349. Buda. 28. Nov. — Ludovicus I. rex, fratrem Michaelem ordin. Jerosol. de Landek, liti contra nobiles Ladislaum et Petrum de Sóvár movere intenti renunciasse et inter possessionem eorum et suam, pro capitali meta fluvium Rednukpataka acceptasse, perhibet.

Ed. Cod. Andegav. T. V. p. 342.

944.

1349. Buda. 4. Dec. — Ludovicus I. rex, nobiles de Uzur, Nicolaum, filium Sándor, ab alienatione possessionariarum portionum suarum in Uzur, Récse et Csörle habitarum, prohibuisse perhibet.

Nos *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium significamus quibus expedit universis, quod in personis Lukach filii Mat*h*eus, Dominici filii Petri, Benedicti et Mychaelis, filiorum eiusdem Dominici de *Wzur,* extitit protestatum nostre maiestati: quod Nicolaus, filius *Sandor de eadem,* possessionarias porciones ipsorum in possessionibus *Wzur, Reche* et *Churle* vocatis habitas, in comitatu *Posoniensi* existentes, quibusdam extraneis vendere et inpignorare niteretur, cum tamen, sicut dicitur, nemini alteri nisi ipsis, racione consanguineitatis seu proximitatis, ad inpignorandum, vel vendendum, aut quovis modo alienandum condeceret. Unde facta huiusmodi protestacione, predictum Nicolaum ab impignoracione, vendicione, vel quovis modo alienacione predictarum possessionariarum porcionum, cuilibet extraneo; alios vero extraneos quoslibet, ab empcione vel quovis modo se intromissione in easdem facta vel facienda, in personis eorumdem prohibuerunt contradicendo et contradixerunt prohibendo. In cuius prohibicionis et protestacionis testimonium, presentes eisdem duximus concedendas, communi iusticia suadente. Datum *Bude,* feria sexta proxima post festum beati Andree apostoli, anno Domini M° ccc° xl^mo^ nono.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 16. nr. 17.

945.

1349. (Esztergom.) 7. Dec. — Capitulum Strigoniense, ad preces Joannis de Bény, transsumit et ratificat literas Nicolai palatini, super possessionibus Sztregova et Harkany emanatas.

A. B. C.

[C]apitulum ecclesie Strigoniensis, omnibus Christi fidelibus, presentibus et futuris noticiam presencium habituris, salutem in Domino. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod Georgius filius Johannis *de Beny,* ad nostram personaliter veniens presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras patentes magnifici viri domini Nicolai, palatini regni Hungarie et iudicis Comanorum, petens a nobis cum instancia, ut quia (emans: ad) ratificacionem earundem litterarum et in eisdem contentarum nostra littera esset valde necessaria, obhoc easdem sub nostro sigillo rescribi faciendo, nostri sigilli apposicione in maius testimonium faceremus consignare, prout eciam per eundem palatinum ad id postulamur in eisdem (expunt.: litteris), quarum tenor talis est:

Nos *Nicolaus,* regni Hungarie *palatinus* et iudex Comanorum, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod nobiles viri magistri Nicolaus, Georgius et Johannes, filii magistri Petri, filii Biter de *Keykkeu* ab una parte; ex altera vero Georgius, filius Johannis de Beny, coram nobis personaliter constituti; idem filii magistri Petri dixerunt et vive

vocis oraculo coram nobis sunt confessi: quod quia idem Georgius, filius sororis carnalis prefati magistri Petri, patris ipsorum esset, exeoque in universis possessionibus et possessionariis porcioni (sic!) ipsorum, idem Georgius quartam puellarem dicte domine matris sue, sororis ipsius patris ipsorum, habere dignossceretur. Ideo volentes eidem Georgio de premissis omnimodam impendere satisfaccionem, duas possessiones ipsorum *Stregoua* videlicet et *Harkyan,* alio nomine *Prelep* nominatas, in comitatu *Neugradiensi,* iuxta fluvium Stregoua existentes, exceptis quibusdam particulis terrarum, quas de terris ipsius possessionis Stregoua *ecclesie sancti Jacobi* apostoli *de Scenna* perpetuo donassent et contulissent, cum omnibus earum utilitatibus et pertinenciis quibuslibet, eidem Georgio, filio Johannis, et per eum suis heredibus, heredumque suorum imposterum successoribus, pro premissa quarta puellari domine matris ipsius Georgii, sororisque predicti patris ipsorum, dedissent, donassent et contulissent; *imo* dederunt, donarunt et contulerunt coram nobis perpetuo et irrevocabiliter possidendas et habendas. E converso autem idem Georgius, filius Johannis, ipsos filios magistri Petri, filii Biter, super dicta quarta puellari domine matris sue, pro ipsis possessionibus Stregoua et Harkyan nominatis, modo premisso sibi per ipsos filios magistri Petri datis et perpetuo collatis, reddidit et commisit expeditos et pariter absolutos, presencium testimonio mediante. Voluerunt eciam partes prenotate, ut quicumque ipsi vel aliquis ipsorum, presentes nostras litteras ad aliquod capitulum, vel in conventum aliquem deferret, ex tunc idem capitulum, vel ipse conventus in forma privilegii ipsorum redigi facere teneretur. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem presentes nostras litteras eisdem partibus duximus concedendas, communi iusticia suadente.

Datum in villa *Gyarmath,* feria quinta proxima post octavas festi Nativitatis beati Johannis baptiste, anno Domini M° ccc° xl^mo^ nono. 1349. 2. Jul.

Nos igitur predictas litteras, videntes esse iustas et in nulla sui parte viciatas, sed iuridice et efficaciter scriptas et sigillatas, idcirco racione earum veritatis et presentibus rescribi fecimus et in quantum per nostras litteras poterit auctorizari (sic), presentibus nostris litteris duximus notificandas et perpetuo valore rescribendas, seu eciam publicandas. In cuius rei memoriam, presentes concessimus litteras, pendentis sigilli nostri munimine roboratas et alfabeto intercisas. Datum per manus discreti viri magistri Demetrii, lectoris ecclesie nostre, in octavis beati Andre apostoli, anno Domini M° ccc° xl^mo^ nono, ut supra.

Sigillum e rubro et flavo serico pendet. — Orig. membr. in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest, Arch. fam. Balassa.

946.

1349. Buda. 9. Dec. — Ludovicus I. rex, Nicolaum de Csörle, portionem suam in Récse, Dominico et Lucae de Csörle decem marcis oppignorasse perhibet.

assercio magistri Nicolai, dicti *Treutul,* de personis.

Nos *Lodouicus,* Dei gracia rex Hungarie, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod Nicolaus filius Sandor *de Churle,* ab una, item parte ex altera Dominicus filius Petri, et Luchachius filius Mathei de Churle, personaliter coram nobis constituti, oraculo vive vocis sunt confessi, quod predictus Nicolaus possessionariam porcionem suam, in possessione *Reche* vocata, in comitatu *Posoniensi* existenti habitam, eisdem

Dominico et Lukachio pro decem marcis, marcam quamlibet cum decem pensis computando, per spacia duodecim annorum et non antea redimendam ab eisdem, pignori obligasset, *ymo* obligavit coram nobis. Ex quibus quidem decem marcis, tres marcas cum promta pecunia et tres ex eisdem cum estimacione condigna, in octavis festi Epiphanie Domini, nunc venturis, eidem Nicolao plene dare et persolvere tenerentur, Dominicus et Lukachius prenotati. Item dimidietatem residuarum quatuor marcarum similiter cum prompta pecunia, aliam vero rectam dimidietatem earumdem, modo simili estimacione condigna, feria quinta proxima post diem medii xlme nunc affuturum eidem persolvere tenerentur. Tali vinculo mediante, quod si predicti Dominicus et Lukachius, primum terminum crastinarent insolutum, penam dupli incurrere deberent eo facto, si vero secundum terminum obmitterent in solvendo, extunc pecunia, prius persoluta, omnino cassa et deperdita haberetur. Elapsis autem ipsorum duodecim annorum curriculis, quandocumque predictus Nicolaus dictam suam porcionem possessionariam pro eadem sumpma pecunie redimere vellet ab eisdem, redimendi plenariam haberet potestatem, ac predicti Dominicus et Lukachius, rehabita eorum pecunia predicta, eandem remittere et resignare tenerentur. Hoc eciam interserto, quod si predictus Nicolaus, dictam porcionem suam possessionariam, modo premisso ipsis pignori obligatam, usque revolucionem predictorum duodecim annorum, aliis quibuscumque clam, vel aperte vendere vellent, vel pignori obligare, extunc predicta porcio possessionaria in manus predictorum Dominici et Lukachii perpetuo et irrevocabiliter devolvi deberet et assignari et insuper in facto succubitus duelli potencialis convinci deberet, contra eosdem, Nicolaus antedictus. Adicit eciam idem Nicolaus, ut si predicti Dominicus et Lukachius, quandam aliam porcionum suam in eadem Reche, nunc aput dominam relictam Sandur, novercam suam, pro dote et rebus parorphanalibus (sic!) habitam, ipsum contingentem, ab eadem domina redimere possent, eisdem redimendi prebuisset facultatem; ad que omnia partes predicte se sponte obligarunt coram nobis, propriis eorum in personis. Datum *Bude,* secundo die festi Concepcionis beate Virginis, anno Domini M° ccc° xl^mo nono.

1350. 13. Jan.

1350. 4. Mart.

assercio magistri Nicolai dicti Treutul de personis.

Sigillum tergo fuit appressum, sub quo voces in fronte et fine diplomatis adnotatae denuo recurrunt, manifesto iudicio, quam caute in designandis personis processum fuerit. — Origin. in Arch. Capit. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 16. nr. 31.

947.

1349. — —. — Capitulum ecclesiae Strigoniensis, Ladislaum praepositum s. Georgii mart. de Strigon. et consangvineos ejus, super possessione Cseri pacis unionem inivisse, perhibet.

Ed. Kubinyi F.: Dipl. Hontense P. I. p. 177. (Monum. Hung. Hist. Dipl. T. II.)

948.

1330—1349. Oszlár. — Relicta Theodori de Széphely et relicta Pauli Dedalus, ratione quartae puellaris eisdem e possessionibus Acsád et Ujudvar competentis, tutelam Chanadini archiepiscopi exorant.

Venerabili in Christo patri *Chenad,* Dei gracia archiepiscopo Strigoniensi, domino earum reverendo, nobilis domina relicta quondam magistri Theodori de

Scephel et de *Veytih,* ac per Deum vestre orphane relicta Pauli, filii Dedalus, videlicet que vestre pietati de sua causa conquesta extitisset; nec non et altera filia mea, quam vestre dominacioni denotassem, circa me adhuc *in forma virginali* existens, Deum pro vestra salute exorantes continue, in quantum earum voces et peticiones dedignabuntur acceptari et exaudiri, in Christo pro nobis crucifixo. Hinc est, quod nos post Deum, in homine ullo, in nostra necessitate et paupertate maiorem spem et fiduciam in nostro refrigerio habeamus, nisi in vestra paternitate et pietate; ob hoc, iuxta continenciam vestre permissionis, adhuc petimus nos propter vestram salutem humiliter conquerendo, quod nos prout dixistis, sub specialem proteccionem vestram et dileccionem qualicumque nostra necessitate nos abduci ad vos facere possemus reciperetis, et secundum iusticiam et consuetudinem regni, nostram porcionem de possessionibus *Achad, Vyuduor* et ad eam pertinentibus, quas possessiones nunc magister *Gallus* indebite et illicite sibi occupavit et possidet, quartam partem nobis, que de iure nos contigit, serie litis agendo requiretis, recipiendo et reinveniendo in eisdem usque ad vitam nostram vos conservaretis. Ut cumulus vestri boni operis ad Deum augeatur meritorum et nos ex inde quam diu vixerimus pro vestra salute Deum creatorem, Jehsum redemptorem, genitricem Mariam continuo affectu exoremus, ut ipsorum auxilio et sanctorum omnium presidio ad eternam patriam ubi requies sine fine possitis pro vestris temporalibus benefactis pervenire. Unde de nostra causa et necessitate, quicquid vestre paternitatis pietati et dominacioni fieri videbitur (expunct.: per hec) per exhibitorem presencium nobis in vestris litteris renuncietis. Datum in *Ozlar,* sabbato proximo ante dominicam Letare.

Extus: Venerabili in Christo patri Chenad archiepiscopo Strigoniensi, domino earum reverendo. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest, Mat. Vet. e collect. Véghelyi.

949.

1331—1349. Esztergom. 11. Jun. — Chanadinus archiepiscopus Strigoniensis sacerdotem de Várkony, ad suam praesenciam citat.

Chanadinus, Dei et apostolica gracia archiepiscopus Strigoniensis, locique ciusdem comes perpetuus, karissimo in Christo filio *Nicolao* [sacerdoti de Varkun] benediccionem paternam. Dicit [nobis nobilis vir] Amade, quod vos propter oculorum vestrorum orbacionem [dominis?] patronis et parochialibus populis missarum [sollemnia?] et quelibet alia divina celebrare [non] valeres, nec aliis sacerdotibus et capellanis eorundem vestrorum patronorum missas et alia divina permittere celebrare. Super quo devocioni [. . . . . que] virtute sancte obediencie mandamus, quatenus receptis presentibus, ad octavas beati Jacobi apostoli nunc venturas ad nos venire debeas, [ut tibi coadiutorem ad) ipsa divina celebranda ordinemus, usque ipsis autem octavis, cum uno sacerdote eisdem vestris patronis et parochialibus populis quelibet divina [. . . . . .] impertire, ne ipsi populi a percepcione divinorum officiorum refrigescant, nec [. . . . . .] predicti patroni (expunct.: vestre) nobis conquirando; aliud in premissis non [facturus]. Datum *Strigonii,* in festo beati Barnabe apostoli.

Extus: Karissimo in Christo filio Nicolao sacerdoti de *Varkun.* — Sigillum margini ext. fuit impressum. — Orig. chart., in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest, Mat. Vet. e coll. Véghely.

SUPPLEMENTUM.

950.

1037. — —. — S. Stephanus, rex Hungariae, fundat monasterium ordinis s. Benedicti in Bakonybél.

Tenorem vide sub nr. 230., ubi loco: *Gpmoyno,* potius *Thomoyno* lege.

951.

1243—1254. — S. a. et dat. — Innocentius PP. IV., abbatem B. M. V. de Scepus, priorem fratrum praedicatorum in Patak, et praepositum de Scepus iudices constituit in causa decimarum et quartarum, inter rectores ecclesiarum et episcopum ac capitulum ecclesiae Agriens. agitata.

Tenorem vide sub nr. 195.

952.

1246. — 14. Nov. — Bela IV., rex Hungariae, transsumit et confirmat literas fundationales monasterio ord. s. Benedicti in Bakonybél per Stephanum I. regem concessas.

Tenorem vide sub nr. 230.

953.

1260. (Pécs.) — Oct. — Jurko praepositus et capitulum ecclesiae Quinqueecclesiensis, Martinum de Alma, cum Zuga uxore fratris sui et filiabus eiusdem, super dote et quarta puellari, concordasse testantur.

Tenorem vide sub nr. 599.

954.

1263. Esztergom. 9. Apr. — Philippus, archiepiscopus Strigoniensis, parochialem ecclesiam in Lipcse, comitatus Liptoviensis, construendi dat licentiam.

Tenorem vide sub nr. 95.

955.

1272. — —. — Moys palatinus, comes Stephanus, Salamon cancellarius dapiferorum et magister Alexander, monasterium b. Mariae Virginis de Abraham dotant.

Nos *Moys palatinus,* comes *Supruniensis* et iudex Cumanorum, comes Stephanus, filius comitis Nicolay, magister Salomon, cancellarius dapiferorum domini regis, filius magistri Nicolay, et magister Alexander, filius comitis Alexandri, significamus universis, quod cum considerantes esse omnia transitoria et ad spiritualia quedam ordinare optassemus, ob remedium animarum nostrarum, quasdam possessiones nostras, que inferius inseruntur, monasterio beate Virginis *de Abraam* contulimus, donavimus, et concessimus, perpetuo et irrevocabiliter

Fővárosi Budapesti Főegyházmegye Esztergomi Érseki Levéltár

possidendas, scilicet omnem terram nostram et iura, que in Abraam habuimus, exceptis sessionibus nostris; preterea villam *Olfolu* et quandam villam *Warelwy* vocatam, villam *Chyka,* villam *Kuurd,* ubi est *ecclesia fundata,* cum duobus molendinis ibidem constructis et duabus vineis, item villam *Laaz,* villam *Popd,* villam *Nempthy,* villam *Tengueld* cum vineis, villam *Both,* item iura nostra, que in *Keurushyg,* habemus, cum vineis ad eadem iura nostra pertinentibus, item in *Wyz* unum molendinum, duas vineas et decem iugera terrarum, ac fenilia nobis attinencia; item villam *Pychur,* preterea iura nostra, que in villa *Euse* habemus, que omnia prescripta pleno iure reliquimus ipsi monasterio, sicut superius est expressum possidere. Contulimus eciam eidem monasterio seruuos (sic) et ancillas, quorum nomina sunt hec: videlicet in Abraam Poucam cum matre, uxore et una filia sua; item quandam mulierem videlicet relictam Damiani, cum uno filio suo nomine Petro; item Rachey cum uxore, duobus filiis et totidem filiabus; item in villa Chyka superius annotata Wxam, cum uxore et tribus filiis et una filia. Item Sebastianum, quartum filium predicti Wxa, cum uxore; item Rachyn cum uxore et uno filio; item in predicta villa Both, Wodos cum uxore et tribus filiabus; item Dominicum cum uxore et una filia; item in villa Tengueld, Terebuk cum uxore et sex filiis, ac una filia; item quemdam servum nomine Ladizlaum, fratrem Rachey antedicti. Et nos Moys palatinus specialiter condonavimus eidem monasterio totam nostram porcionem in *Dalacha* existentem, cum pisscinis et aliis pertinenciis; item in villa *Buguzlou* terram nostram a domino rege nobis collatam et donatam, cum stagnis et suis pertinenciis, prope terram Dalacha adiacentibus, quod quidem monasterium commisimus ordini Sisterciensi, ubi viri religiosi de ipso ordine conservantur; nec ab ipso ordine revocare possumus collacionem nostram prescriptam, ad quod eciam iidem fratres pro ipso ordine se obligarunt, ut processu temporis tam prosperitate, quam in sinistra nunquam possent se retrahere de ipso monasterio, nec aliquatenus resignare. Ut autem huius nostre collacionis series non possit ullo unquam tempore revocari, presentibus duximus confirmandam. Anno Domini M° cc° septuagesimo secundo.

Extus: Nos Moys. Otis (?) servus meus est nun . . . . . Privilegium de Habram. — Sigillum deperd. — Orig. membr., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 73. Acta Extr.

956.

1273. Civita Vecchia. 23. Jan. — Gregorius X. PP., archiepiscopo Strigoniensi committit, quatenus domibus ordinis militiae in Hungaria, defensionis praesidio assistat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri . . *archiepiscopo Strigoniensi,* salutem et apostolicam benedictionem. Et si quibuslibet ecclesiis et personis ecclesiasticis ex iniuncte nobis servitutis officio defensionis presidio assistere teneamur; illis tamen specialius et efficatius adesse nos convenit, qui non sua, verum etiam semetipsos salubriter abnegantes, contra inimicos crucis Christi pro fidei defensione pugnando, se morti exponere non formidant. Cum itaque, sicut ex parte dilectorum filiorum *magistri et fratrum domorum ordinis militie sancti Jacobi in Vngaria* fuit propositum coram nobis, iidem a nonnullis, qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, diversis affligantur molestiis et iacturis: nos eorundem magistri et fratrum providere quieti et malignorum

malitiis obviare volentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus eisdem magistro et fratribus efficaci presidio defensionis assistens, non permittas eos contra indulta privilegiorum apostolice sedis ab aliquibus indebite molestari, molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam compescendo; attentius provisurus, ne de hiis que cause cognitionem exigunt, vel que indulta huiusmodi non contingunt, te ullatenus intromittas. Nos enim si secus presumpseris, tam presentes litteras, quam etiam processum, quem per te illarum auctoritate haberi contingerit, omnino carere viribus, ac nullius fore decernimus firmitatis. Huiusmodi ergo mandatum nostrum sic prudenter et fideliter exequaris, quod eius fines quomodolibet non excedas. Presentibus post triennium minime valituris. Datum apud *Vrbemveterem* x. Kalend. Februar. Pontificatus nostri anno primo.

Bulla deperdita. — Orig. in Arch. Status, hactenus Arch. caes. et reg. famil., Vindobonae. — Copia Arpádi Károlyi, Ferdinando Knauz a. 1883. submissa.

957.

1307. Pictavia, 8. Aug. — Clemens V. PP., cardinali Gentili, nuntio ad partes Hungariae misso, de centum beneficiis vacantibus, conferendi potestatem concedit.

Tenorem vide sub nr. 600. p. 433.

958.

1307. Hetény, 4. Dec. — Thomas archiepiscopus nobilibus in Kisbucsány capellam construendi licentiam concedit.

Nos Thomas, Dei gracia archiepiscopus Strigoniensis, eiusdemque loci comes perpetuus memoriae commendamus, significantes quibus expedit universis per praesentes, quod Petrus et Nicolaus filii *Bodok,* nobiles in *Kis Bucsan,* ad nostram accedendo praesentiam summa nobis conquestione demonstrarunt: quod quia *ecclesia beati Georgii* mart[iris] *de Maniga,* ad quam ipsi de jure pertinere dignoscuntur nimium distat ab iisdem, magnum dispendium salutis paterent ac gravamen animarum suarum formidarent sive detrimentum, tum ex eo, quia vota sua ut deberent continue propter eandem distantiam non possent effundere suo creatori; tum etiam pro eo quia plurimi de ad ipsos pertinentibus absque procuratione et perceptione divinorum mysteriorum, videlicet receptione corporis dominici et unctione sancti olei viam universae carnis ingressi fuissent. Quare licentiam aedificandi capellam, sive oratorium in villa sua Kis Bucsán praedicta a nobis habere postularunt. Verum quia nobis veritas non constabat de praemissis, dilecto nobis in Christo [patri, domino] archidiacono de *Granua* exquiri severe commisimus harum rerum veritatem, qui in conscientia sua rescripsit praemissa dicta illorum concludere et communem veritatem. Unde nos prout ex officio et cura pastorali paternali divinitus nobis commissis incumbit, volentes praecavere dispendia animarum gregis nobis concrediti ut teneremur, ipsorum instantissimis supplicationibus annuentes admisimus, quatenus in eadem villa Kis Bucsán capellam seu oratorium honori beate Margaritae virginis aedificent ex nostra licentia et permissione pastorali, tamen sine praeiudicio

matris ecclesiae sancti Georgii martiris supradictae; ita videlicet, quod in eadem capella missas et alia divina officia capellanus de eadem prope residens valeret exercere baptisteria, catechisationes, confessiones et unctiones infirmorum possint percipere ab eodem tempore necessitatis incumbente, excepta sepultura, quam matri ecclesiae supradictae mandamus praesentibus reservari, sicut antea fuerat consuetum; caeteras etiam obventiones seu proventus eiusdem matris ecclesiae, scilicet decimas et similia quae sunt de specialibus proventibus dominicae ecclesiae, iidem ipsi matri ecclesiae ad plenum administrare teneantur. In cuius rei testimonium praesentes concessimus authentico praesentis sigilli nostri communitas. Datum de *Hetén,* secunda feria proxima ante festum beati Nicolai confessoris, anno 1307.

E fragmento MSS. Saec. XVIII. ineunt.: Analecta Strigon. Dioec. intitulato, in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 75.

959.

1308. Püspöki. 5. Jan. — Thomas archiepiscopus Strigoniensis, nobilibus de Karcsa, dat licentiam capellam in eadem Karcsa construendi.

Nos Thomas, miseratione divina archiepiscopus Strigoniensis, eiusdemque loci comes perpetuus, memoriae commendantes significamus, quibus expedit universis praesentium per tenorem, quod accedentes ad nostram praesentiam nobiles viri, comites Salamon *And* dictus, Saulus filius Thomae *Ehub,* Nicolaus filius Gregorii, filius *Oase,* Petrus filius Valentini, Joannes filius *Lodbrech,* Dionysius Kilianus de *Karcha,* sua nobis conquestione demonstrarunt, quod ecclesia *sancti Jacobi de Varkun,* ad quam ipsi jure patronatus dignoscuntur pertinere, nimium distaret ab eisdem, cuius distantia tum propter lacuum iter rumpentium, tum etiam propter aquarum inundationem continuam magnum dispendium salutis ipsorum generaret, ita quod ipsi et eorum familia, ac jobbagyones nequirent comode pro audiendis divinis, et percipiendis ecclesiasticis sacramentis ad ecclesiam accedere memoratam. Quare capellam in praedicta Karcsa aedificandi a nobis licentiam, cum devota precium instantia postularunt. Quorum quia veritas nobis non constabat de praemissis, honestum virum Emericum sacerdotem de *Cheten,* nostrum fidelem capellanum, ad exequendam et sciendam huius rei veritatem misimus, qui demum ad nos deambulatis dictis lacubus, et ad praesentiam praedictorum nobilium adveniens, retulit ad suam conscientiam, praemissam petitionem praefatorum nobilium fore justam, proinde admittendam. Unde nos juxta ordinis debitum cupientes divini numinis cultum augmentare et ex officio curae pastoralis paternalis nobis divinitus comissae dispendia animarum gregis nobis crediti volentes praecavere, ut tenemur, ipsorum instantissimis supplicationibus annuentes, admisimus, ut in praedicta Karcha, ubi voluntati eorundem placet et condecet saluti, capellam in honorem beati Nicolai confessoris, ut oraculum aedificent, ex nostra licentia et permissione pastorali, sine praeiudicio tamen matris ecclesiae, videlicet sancti Jacobi supradictae, ita quod divina in eadem capella, cimiterio carente, percipere valeant sacramenta, scilicet missas, confessiones et alia, excepta sepultura, quam matri ecclesiae mandamus reservari, ut antea ad eam pertinebant. Ceteras etiam observationes

seu proventus eiusdem matris ecclesiae, quae sunt de specialibus proventibus dictae ecclesiae, in nullo volumus seu concedimus derogari. In cuius rei memoriam et testimonium praesentes concessimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum in *Pispuki,* ingredientis Epiphaniae Domini, anno eiusdem 1308.

E fragm. MSS. Saec. XVIII. ineunt.: Analecta Strig., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 75.

960.

1308. (Szent-Márton Szepeshely). 12. Maii. — Paulus, praepositus Scepusiensis, Dyonisio de Sigra, capellam in Elsavicha construendi facultatem concedit.

Tenorem vide sub nr. 110.

961.

1310. Pozsony. 9. Sept. — Frater Gentilis cardinalis, legatus apostolicae sedis, licentiam capellam s. Gotthardi de Schöndorf in alium locum transferendi concedit.

Frater Gentilis, miseratione divina tituli sancti Martini in montibus presbiter cardinalis, apostolicae sedis legatus, dilectis in Christo filiis Harduino iudici et Haubatoni, alias civibus Posoniensibus, Strigoniensis dioecesis, salutem in Domino. Benigni promptitudo favoris circa vos in eo debet haberi potissime in quo et Deus honorari conspicitur, et animarum videtur utilitas procurari. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod cum *ecclesia sancti Gotthardi, prope Posonium,* post translationem et destructionem pulchrae villae (Schöndorf) juxta ipsam sitae, quodammodo in loco deserto et ab hominum habitatione remoto remanserit, ac propter incuriam et negligentiam iam ipsius fatis centia (sic) aedificia propinqua ruinae noscantur, ita quod propter hoc non solum divinis obsequiis, verum etiam debita veneratione fidelium remanet destituta, nobis humiliter supplicastis, ut transferendi ecclesiam ipsam, cum dote sive agris nunc ad ipsam spectantibus et construendi de ipsis aedificiis in civitate vestra processionalem ecclesiam de novo in honorem ipsius sancti Gothardi et beati Andreae apostoli, cuius etiam ecclesia prope muros ipsius civitatis per vos destructa fuit, cuiusque ecclesiae sancti Gotthardi dotem augmentare disponitis, vobis licentiam largiremur.

Nos itaque vestris in hac parte iustis supplicationibus grato occurrentes assensu, et volentes ob reverentiam dictorum sanctorum ac venerationem, quam ad eos geritis salubriter providere, devotioni vestrae licentiam concedimus postulatam, ipsamque duximus, authoritate qua fungimur praesentialiter, tenore praesentium transferendam. Caeterum ecclesiam ipsam construendam per vos, ex nunc postquam constructa fuerit, custodiae Posoniensis ecclesiae, qui pro tempore fuerit, eiusdem processionalis ecclesiae, eiusque dotis et agrorum fructus percipiat et proventus, sitque in sacerdotio constitutus, vel se faciat infra annum ad sacerdotium promoveri, quodque jura parochialia quae ad praedictam sancti Gothardi ecclesiam primitus pertinebant, ad rectorem ecclesiae sancti Michaelis juxta Posonium pertinent pleno jure. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis, translationis, annexionis, unionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumserit,

indignationem Omnipotentis Dei et beati Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum *Posonii,* 5 Idus Septembris, pontificatus domini Clementis papae V., anno sexto.

E fragm. MSS. Saec. XVIII. ineunt.: Analecta Strig., in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 75.

962.

1311. Pozsony. 7. Apr. — Frater Gentilis cardinalis, nuncius apostolicus, Joanni de Milisin, canonicatum et praebendam in ecclesia s. Salvatoris Posoniensi, auctoritate apostolica confert.

Tenorem vide sub nr. 600. p. 432. et sq.

963.

1311. Pozsony. 7. Apr. — Frater Gentilis cardinalis, nuncius apostolicus, praeposito sancti Georgii de Strigonio, Albertino de Parma archidiacono de Dobicha et Joanni de Arecio canonico Waradiensi mandat, ut Joanni de Milisin in capitulo Posoniensi, de canonicatu et praebenda provideant.

Tenorem vide sub nr. 600. p. 434.

964.

1311. Pozsony. 27. Maii. — Joannes de Arecio, canonicus eccl. Waradiensis, auctoritate apostolica sibi commissa, mandat praeposito et capitulo Posoniensi, ut Joannem de Milisin in concanonicum recipiant et eidem praebendam vacantem vel vacaturam assignant.

Tenorem vide sub nr. 600. p. 435.

965.

1320. Temesvár. 29. Aug. — Sententia episcoporum Hungariae, super modo vindicandi quartam puellarem domicellae cuidam in aetate minori constitutae.

Nos Thomas miseracione divina archiepiscopus Strigoniensis, eiusdemque loci comes perpetuus significamus, quibus presentes ostendentur, quod accedentes ad nostram presenciam nobiles viri magistri Kokos, Johannes, et Rykolphus, filii quondam Rykolphy de terra Scepusiensi, *nos et venerabiles patres, fratrem Lad(islaum) archiepiscopum Colocensem et alios dominos episcopos in Temuswar congregatos* consulere curarunt, utrum domina relicta quondam Herrici fratris eorundem, nomine et vice filie sue Anna vocate, etatis minoris et inperfecte (sic) possit in figura iudicii petere seu vendicare quartam filialem. Nos vero unacum predictis venerabil*is* patribus dominis archiepiscopo et episcopis eisdem respondimus, quod tunc demum mater vel alius proximus, tutorio seu curatorio nomine, dictam quartam filialem pro filia minoris etatis petere, agere et acquirere possunt in iudicio, cum mater vel proximus, vel alii fide iussores pro eis, sufficientem caucionem, bona sua scilicet immobilia obligando, de racione dicte filie et de expedicione seu defensione proximorum dicte filie, ab omnibus processu temporis dictam quartam vendicare volentibus prestiterint, et tunc demum adiudicata quarta pro filia, possunt proximi a quibus quarta ipsa vendicatur, ipsam quartam seu possessionem pro eadem quarta debitam, secundum consuetudinem regn

iuxta extimacionem (sic) regionis consuetam, pro se redimere et habere. Datum in *Temuswar,* in festo decollacionis beati Johannis baptiste, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo.

Sigillum tergo fuit appressum. — Origin. membr., in Arch. Mus. Nat. Hung. Budapest, Arch. fam. Berzeviczy.

966.

1320. Veszprém. 9. Sept. — Stephanus episcopus Vesprimiensis excommunicat plebanos de Örs et Sasad.

Nos Stephanus, Dei gracia episcopus Vesprimiensis, locique eiusdem comes perpetuus, aulae dominae reginae cancellarius, significamus quibus expedit universis, quod cum omnes ecclesiae sive basilicae, intra quamlibet diocesim constitutae, subsint dioecesano apostolico de jure communi et ad eius ordinationem pertinere dignoscantur, nisi sedis apostolicae privilegio eximantur, et ecclesiae de *Segusdino,* de *Luend,* de *Sasag,* de *Urs,* de *Cheik,* in dioecesi Vesprimiensi constructae, quarum sacerdotes, timore Dei post posito, ab obedientia Vesprimiensis ecclesiae et nostra subtrahentes et procurationem ratione visitationis debitam et alia episcopalia jura denegantes, se et ecclesias suas jurisdiccioni domini archiepiscopi Strigoniensis subiecerunt, introveniente dicti domini archiepiscopi assensu, et nostro consensu minime requisito et dicti sacerdotes de Eörs et de Sasag malum malo addentes, et animarum suarum pericula non verentes, decimas de cultello, de Eörs et Sasag nobis et ecclesiae Vesprimiensi, de regni Hungariae longissima praescripta et apostolica consuetudine debitas, insuper occuparunt de novo et detinent occupatas, et licet pluries eos monuissemus paternaliter, ut ad obedientiam ecclesiae beati Michaelis matris eorum redirent, ipsi tamen spiritu Pharaonis indurati redire minime voluerunt. Nos enim eorum malitiam et duritiam, ac iniuriam et damna nobis et ecclesiae nostrae illatam non valentes ex officio nostri debito ulterius conniventibus oculis pertransire, dictarum ecclesiarum sacerdotes excommunicamus et excommunicatos denunciamus publice in his scriptis. Datum *Vesprimii,* in festo beati Michaelis archangeli autumnali, anno Domini 1320. 1320. 29. Sept.

Et ne idem dominus archiepiscopus Strigoniensis, qui sua interesse dicit, defacto . . . possit cognoscere de eiusmodi sententia excommunicationis an sit iusta vel iniusta, ego *Stephanus* canonicus ecclesiae Vesprimiensis vice et nomine eiusdem domini episcopi Vesprimiensis sedem apostolicam apello et apostolos testimoniales peto instantanee et instantissime peto. Et quae petitio praedicti Stephani canonici episcopi Vesprimiensis, iuri consona videbatur nos litteras nostras testimoniales fecimus sibi dari. Datum in civitate *Albensi,* in festo sancti Vincentii confessoris, anno ut supra (sic). Nicolaus Dei gratia episcopus Jaurinensis.

E fragm. MSS. Saec XVIII.: Analecta Strig. Dioec., in Arch. Capit. Strig. Priv. Lad. 75.

967.

1321. Avignon. 17. Nov. — Joannes PP. XXII., per Ladislaum episcopum Quinqueecclesiensem, causam iurisdictionis in ecclesias Örs, Sasad et Csejk decerni iubet.

Tenorem vide sub nr. 32.

968.

1321. — 27. Nov. — Joannes PP. XXII., Ladislao episcopo Quinqueeccl., causam decimarum inter rectores de Örs et Sassad, ac episcopum et capit. Vesprimiense exortam, decidendi dat potestatem.

Tenorem vide sub nr. 32.

969.

1322. Esztergom. 4. Sept. — Lodomerius, praepositus s. Thomae de Strigon., vicarius Boleslai archiepiscopi, causam sanctimonialium de insula Budensi, contra Stephanum episcopum Vesprimiensem motam, prorogat.

Nos *Lodomerius prepositus sancti Th(ome)* martiris de promonthorio *Strigoniensi,* vicarius venerabilis in Christo patris domini *B(oleslai),* Dei et apostolice sedis gracia archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui, in spiritualibus generalis, damus pro memoria: quod cum venerabilis in Christo pater dominus *St(ephanus),* Dei gracia episcopus *Wesprimiensis,* aulee domine regine cancellarius, contra religiosas dominas sanctimoniales *de insula Budensi* et libello per discretum virum magistrum *Johannem archidiaconum Borsiensem,* advocatum ipsarum, nomine earumdem oblato, in quindenas Assumpcionis Virginis gloriose, termino ad hoc per nos assignato respondere debuisset, adveniente ipso termino, idem venerabilis pater episcopus Wesprimiensis respondit *in scriptis* ad petita per omnia negative; et primo ad primum articulum: quod nesciret vina sua, per tributum dominarum earumdem violenter delata, et se ad tributum solvendum de bonis ecclesie sue cuicumque non tenere; secundum articulum in ipso libello contentum, boves et equos iobagionum earum de *Cholnuk* et de *Chaba,* per suos servientes receptos, negavit simpliciter; ad tercium articulum, quod fratres predicatores vina earumdem dominarum deferentes, dicunt male tractatos et equos spoliatos per familiam suam, respondit negans narrata, prout narratura, et dixit petita admitti non debere. Unde nos, auditis parcium proposicionibus, lite contestata decrevimus: quod idem magister Johannes archidiaconus, procurator ipsarum assercionem suam, nomine (expunct.: ead) earumdem dominarum in libello oblato contentam, in quindenis Purificacionis Virginis gloriose proxime ffuturis (sic), debet probare coram nobis, videlicet in primo articulo: quod dominus episcopus memoratus teneatur ad tributum solvendum (expunct.: predictis sanctimonialibus, et suprascriptum:) cuiquam de bonis ecclesie sue, et quod conductores vini sui prohibuerint a solucione tributi per instrumenta, vel per testes. Reliquos vero articulos in eodem libello suo contentos, prout evidenti poterit similiter tenebitur comprobare. Sed, quia idem dominus episcopus Wesprimiensis, ante satisfaccionem dampnorum et iniuriarum eisdem dominabus, ut dicebant illatarum, et ante huiusmodi litis per diffinitivam sentenciam decisionem, ante sue (expunct.: s) litis contestacione, per libelli (expunct.: de) reconvencionalis oblacionem deparendo (?) iuri coram nobis reconvenit easdem; et nobis non videbatur talis reconvencio ante satisfaccionem esse admittenda, de reconnosscendo (sic) utrum huiusmodi reconvencio fieri possit de voluntate parcium, *diem concilii futuri, per dominum B(oleslaum) archiepiscopum celebrandi, unacum suis suffraganeis* (expunct.: i) duximus prefigendum. Datum *Strigonii,* sabbato

1322. 29. Aug.

1323. 16. Febr.

proximo ante festum Nativitatis Virginis gloriose, anno Domini M° ccc° xx^mo secundo.

Extus: Prorogatoria, super probacionibus quorundam articulorum interius expressorum, per religiosas dominas sanctimoniales de insula Budensi, in quindenis Purificacionis venturis faciendas, contra venerabilem patrem dominum St(ephanum), Dei gracia episcopum Wesprimiensem. Item super connicione (sic) cuiusdam (expunct.: arch.) articuli similiter interius expressi, per dominum B(oleslaum) archiepiscopum et suos suffraganeos ad diem futuri concilii. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Vesprimiens. Epp. Csolnok. Lad. 85. fasc. 5. nr. 11.

970.

1323. Esztergom. 17. Febr. — Vicarii Boleslai archiepiscopi, sanctimoniales de insula Budensi, in causa contra episcopum Vesprimiensem mota, in termino nec comparuisse, nec aliquid comprobasse, perhibent.

Nos magister *Lod(omerius), prepositus* ecclesie *sancti Thome* martiris, et Nicolaus archidiaconus Nitriensis, ac aministrator prepositure Posoniensis, vicarii venerabilis in Christo patris domini *B(oleslai),* Dei et apostolice sedis gracia archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui, in spiritualibus generales, damus pro memoria: quod cum secundum tenorem litterarum nostrarum (expunct.: eiusdem) magistri Lod(omerii) prepositi, discretus vir magister Johannes archidiaconus Borsiensis, adiutor et procurator r[eligios]arum dominarum sanctimonialium *de insula Budensi,* agendo nomine dominarum earundem, certos articulos litteris eisdem insertos, videlicet quod dominus episcopus Wesprimiensis de bonis ecclesie sue eisdem dominabus vel aliis ad tributum solvendum teneatur, et conductores vini sui a solucione prohibue[rit . . . . .]cti per instrumenta vel per testes, reliquos et articulos in suo libello comprehensos, in quindenis Purificacionis Virginis gloriose, termino ad hoc assignato, probare debuisset, ipso termino adveniente coram nobis, *Petro cantore Budensis* ecclesie et *Andrea decano,* canonicis Wesprimiensibus, venerabilis in Christo patris domini *H(enrici) episcopi* Wesprimiensis procuratoribus, sufficienter instructis comparentibus, et usque ad noctis tenebras expectantibus, predicte domine sanctimoniales nec per se, nec per procuratorem, (emansit: venerunt) nec probacionem aliquam super articulis premissis fecerunt, ut debebant. Datum *Strigonii,* in crastino quindenarum predictarum, anno Domini M° ccc° x[x m]. 1323. 16. Febr.

Extus: Pro venerabili patre domino H(enrico) episcopo Wesprimiensi, contra dominas sanctimoniales de insula Budensi, super probacionibus articulorum in octavis Purificacionis beate Virginis non productis. — Sigilla duo tergo fuerunt appressa. — Orig. membr., in Arch. Capit. Vesprim. Epp. Misc. Lad. 25. nr. 15.

971.

1327. Visegrád. 4. Febr. — Nicolaus Jaurinensis, Chanadinus Agriensis et Ladislaus Quinqueecclesiensis episcopi, Boleslaum archiepiscopum causam iurisdictionis nonnullarum ecclesiarum, in territorio eppi Vesprimiensis existentium, nolle definitive ordinare, perhibent.

Nos *Nicolaus Jauriensis, Chanadinus Agriensis* et *Lad(islaus) Quinqueecclesiensis episcopi,* significamus quibus expedit tenore presencium universis, quod

cum nos *ad provinciale concilium venerabilis patris domini B(oleslai),* Dei et apostolice sedis gracia *archiepiscopi Strigoniensis,* eiusdemque loci comitis perpetui, in octavis Omnium Sanctorum celebratum accessemus, 1326. 8. Nov. ibique dum in eius concilio, prout ex debito tenemur, adessemus, venerabilis in Christo pater dominus *Herricus,* Dei gracia *episcopus Wesprimiensis, eiusdemque loci comes,* aule domine regine cancellarius, querelando proposuit: quod ecclesias de *Vyssegrad,* de *Vrs,* de *Cheyk,* de de (sic) *Sasag,* de *Segusd,* de *Luueld,* et quamplures in *magna insula* existentes, in sua dyocesi habitas, que de iure communi et antiqua consuetudine racionabili et prescripta ad ipsum, tamquam verum dyocesanum pertinere noscuntur, idem dominus B(oleslaus) archyepiscopus Strigoniensis; contra Deum et contra bonum consciencie et iusticie occupasset et detineret easdem occupatas. Quare in nostri presencia devote postulabat ab eodem, ut visis iuribus ipsius prout antea sepius promiserat, in presenti concilio, *si episcopis et aliis probis viris* in prenotato concilio existentibus visum fuerit, ecclesias memoratas reddere et restituere curaret. Idem vero venerabilis pater, dominus B(oleslaus), archyepiscopus, similiter in nostri presencia, respondit in hunc modum: ut duas discretas personas eligeret idem dominus archyepiscopus et duas eligeret prefatus dominus episcopus Wesprimiensis, coram quibus iura et instrumenta utraque pars exhiberet et allegaret. Sepedictus vero dominus episcopus Wesprimiensis venerabilem in Christo patrem dominum *Chanadinum, episcopum Agriensem* et magistrum *Johannem archydiaconum Huntensem* pro parte sua; archyepiscopus vero dominum *Nicolaum,* episcopum *Jauriensem* et magistrum *Nicolaum prepositum Posoniensem* nominarunt. Ita tamen, ut quicquis ipsi vel eorum maior pars decernerent, robur obtineret firmitatis. Coram quibus, *in choro sancti Adalberti,* utraque pars iura et instrumenta sua exhibere curavit, et dum finis desideratus imponeretur per eosdem, super ecclesiis memoratis, idem archyepiscopus arbitrum seu laudum eorum rennuens, causas memoratas ad octavas concilii sepedicti *in Vyssegrad* distulit, tali modo, ut illic coram prelatis regni Hungarie prefato negocio finem imponeret competentem. Quo termino adveniente idem episcopus Wesprimiensis comparuit, et decisionem causarum sepedictarum instantissime postulabat, ipse vero dilacionibus supterfugiens iudicium (expunct.: de die) de die in diem prorogando, causas easdem diffinire non curavit, sed prorogavit usque ad quindenas Epiphaniarum Domini, promittens et spopondens, ut in 1327. 20. Jan. quindenis antedictis in presencia prelatorum finem imponeret, absque aliquali dilacione premisso negocio competentem. Demum idem episcopus Wesprimiensis, ut lites effugere non valleret et voluntate eiusdem archyepiscopi adimpleret, in termino antedicto similiter postulabat comparendo, ut finis memoratarum (expunct.: li) causarum, licet qui similiter dilaciones (expunct.: causarum) de die in die exposcens, causas differens memoratas easdem, quia iuris ordo requirit, decidere et diffinire noluit, nec curavit. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras, sigillis nostris communitas. Datum in *Vyssegrad,* tercio die Purificacionis beate Virginis, anno Domini M° ccc° vicesimo septimo.

Sigilla tergo fuerunt appressa. — Orig. membr., in Arch. Capit. Vesprimiens. Epp. Misc. Lad. 85. nr. 16.

972.

1329. Avignon. 27. Jan. — Oliverius de Cerreto, canonicus Pictaviensis, capellanus papalis et sacri palatii causarum primi gradus auditor, cruciferos de Strigonio, contra Henricum episcopum et capitulum Vesprim., ratione decimarum et quartarum de Calidis Aquis, de Tâth et aliis, citari iubet.

Edid. Monum. Rom. Eppatus Vesprim T. II. p. 49. et sq.

973.

1329. (Esztergom.) 14. Aug. — Strigoniense capitulum, cruciferos de Strigonio, contra Henricum episcopum et capit. Vespr., ratione decimarum et quartarum lite agitatarum, citasse, perhibet.

Edid. Monum. Rom. Eppat. Vesprim. T. I. p. 320. et sq.

974.

1329. Visegrád. 19. Aug. — Benedictus episcopus Chanadiensis, Henricum episcopum et capitulum Vesprimiense, ac Cruciferos de Strigonio, super decimis et quartis in Calidis Aquis, in Tât, Béllye, Zsidód et S. Andrea, in pacis unionem devenisse, testatur.

Nos *Benedictus,* Dei gracia episcopus *Chanadiensis,* memorie commendantes significamus, quibus expedit tenore presencium universis, quod venerabili in Christo patre domino *Herrico,* eadem gracia episcopo *Wesprimiensi,* aule domine regine cancellario et magistro *Johanne preposito* eiusdem loci, pro se et pro capitulo Wesprimiensis ecclesie ab una parte; religioso et Deo amabili viro fratre *Jacobo magistro cruciferorum* domus hospitalis sancti regis Stephani de Strigonio, pro se et pro toto conventu loci eiusdem ab altera; in nostri presencia personaliter constitutis, propositum et relatum extitit per eosdem: quod cum inter ipsum venerabilem patrem dominum episcopum, prepositum et capitulum dicte Wesprimiensis ecclesie et inter eosdem magistrum Jacobum et conventum cruciferorum, super decimacione de Calidis Aquis et super quibusdam ecclesiis, videlicet beate Margarethe de *Bylie,* sancti Georgii de *That,* sancti Thome de *Sydoud* et sancti Andree circa eandem villam sancti regis Stephani quondam existencium, iam diruta et destructa; et super totali decimacione et quartis earundem ecclesiarum mota fuisset materia questionis et tam in curia Romana, quam in presencia iudicum delegatorum ipsa causa inter partes fuisset diucius ventillata, tandem eedem partes iuxta nostram et aliorum proborum et discretorum virorum, quorum arbitro seu composicioni se compromiserant, in talem pacis et concordie devenerint unionem: quod predictam decimacionem, super Calidas Aquas existentem, quam usquemodo idem magister et conventus cruciferorum tenuit et possedit, in duas partes equaliter dividere tenebuntur, quarum una pars scilicet a parte magne decimacionis *Budensis,* ad ipsum dominum episcopum et suos fratres pertinentis, in usum ipsius domini episcopi Wesprimiensis; quarta vero eiusdem medietatis eidem capitulo cum omnibus suis utilitatibus cedet iure perpetuo possidenda; residua vero medietate eiusdem decimacionis in partem dicti magistri et conventus cruciferorum similiter cum suis utilitatibus perpetuo remanente. Ceterum ecclesia sancti Georgii de Thaat, cum omnibus decimis in parrochya eiusdem ecclesie existentibus et spirituali iuris-

diccione, cessit eidem domino episcopo et suo capitulo similiter perpetuo possidenda. Ecclesie vero beate Margarethe de Bylie, sancti Thome de Sydoud et sancti Andree prope villam sancti regis Stephani, licet destructa, ut est premissum, cum omnibus decimis earundem et quarta magistrali, ac spirituali iurisdiccione, eisdem magistro et conventui cruciferorum cesserunt perhemniter possidenda. Hoc non pretermisso, quod vina decimalia eiusdem medietatis decimacionis predicte de Calidis Aquis, anno videlicet presenti, *y*dem magister et conventus cruciferorum percipere debent plene et integre, decimas autem vini de territorio predicte ville Thaat provenientes, preter decimas frugum, quas idem magister cruciferorum hoc anno se recepisse dicebat, idem dominus episcopus et capitulum ecclesie sue percipiet pleno iure. Et ut omnia premissa inconcussa permaneant et perpetuam optineant firmitatem, idem dominus episcopus et prepositus suo et eiusdem capituli nomine, predictus vero frater Jacobus, magister cruciferorum, similiter pro se et pro toto conventu suo, prestito iuramento ad manus nostras, promiserunt et obligaverunt se, ac suos successores, supradict*a* ordinacion*e* et composicion*e* firmam atque ratam perpetuo inviolabiliter observare. Hoc adiecto, quod *y*dem dominus episcopus et prepositus suas litteras proprias, et capituli ecclesie sue, ac Strigoniensis et Budensis capitulorum, super presenti composicione et concordia inter eos habita, et e converso dictus magister Jacobus similiter suas litteras et conventus ecclesie sue, ac capitulorum predictorum, prout expediens fuerit, ad maiorem rei evidenciam mutuo sibi dare et emanari facere tenebuntur, sicut partes se ad id obligarunt spontanea voluntate. Datum in *Vyssegrad*, in vigilia beati regis Stephani, anno Domini M° ccc° vicesimo nono.

Extus: Composicio super decimis cum crucifero de Calidis Aquis. — Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Vesprim. Epp. dec. Bud. Lad. 85. nr. 14.

975.

1334. (Szepeshely.) 17. Febr. — Capitulum Scepusiense transsumit literas suas, super concambio possessionum Komlós et Landek inter filios Ricolfi et Henricum cruciferum inito, a. 1313. editas.

Nos capitulum ecclesie beati Martini de Scepus, memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit universis, quod accedens ad nostram personaliter presenciam discretus vir Michael plebanus de *Crunia* pro nobilibus viris magistro Clemente ac fratribus suis uterinis, filiis magistri Rycolphi, filii quondam comitis Rycolphi, exhibuit nobis litteras serenissimi principis domini nostri, Karoli, Dei gracia illustris regis Hungarie, in quibus recepimus in mandatis, ut universa instrumenta super quaslibet possessiones predictum magistrum Clementem et fratres suos, racione fraterne consanguinetatis, quolibet modo contingentes, per patruos suos magistros, videlicet Kokas et Henricum emanata, in nostro reservaculo existencia requirere et rescribere eisdem deberemus ad cautelam; quarum litterarum tenor talis est:

Capitulum ecclesie beati Martini de Scepus, omnibus Christi fidelibus et cetera, quoniam memorie novercatur oblivio et cetera, proinde ad universorum noticiam et cetera, quod constitutis personaliter in nostri presencia frater Herricus, cano-

nicus Jerosolimitantus (sic) et prepositus *Mechouiensis* de Polonia, pro se et pro fratribus suis ex una parte, Kokas et Johannes magistri, filii quondam comitis Rycolphi ex altera, idem frater Herricus confessus est coram nobis, quod possessionem suam *Komlós* vocatam, in districtu Sarus exist*ens*, Kakas et Johanni predictis in concambium dedisset, donasset et contulisset, sub *hy*sdem metis et terminis eodemque iure et libertate, quibus rex Andreas, pater Bele regis felicis recordacionis ob remedium anime sue sepulcro Domini ad terram sanctam Jerosolimitanam (emans.: donavit), cum omnibus utilitatibus suis et pertinenciis, in filios filiorum suorum iure hereditario perpetuo possidendam, pariter et habendam; pro qua quidem possessione Komlós, Kokas et Johannes prefati, possessionem ipsorum *Landek* vocatam cum silvis, pratis, rubetis, molendinis, ceterisque utilitatibus universis et pertinenciis suis, eidem fratri Herrico cum fratribus suis et successoribus eiusdem dederunt et contulerunt similiter perpetuo possidendam; cuiusquidem possessionis Landek mete hoc ordine distinguntur: prima meta incipit in fluvio *Bela* et currit supra per eundem fluvium usque ad lapidem *Hasthorn* vocatum; deinde tendit usque fluvium *Pribech,* ubi mete Henus et Hermanni se contingunt et deinde vadit usque ad metas ville *Byrbron* et circuit iterum ad fluvium Bela predictum (expunct.: ter) et ibi terminantur mete; tali eciam condicione mediante, quod quicumque ipsum fratrem Herricum, fratres vel successores suos, racione predicte possessionis Landek, inquietare seu impedire attemptaret, idem magister Kokas vel heredes sui tenerentur expedire propriis laboribus et expensis. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, ad instanciam parcium, presentes concessimus literas, sigilli nostri munimine roboratas. Datum, feria quinta proxima post dominicam Invocavit, anno Domini M° ccc° tredecimo. 1313. 8. Mart.

Nos igitur mandatis predicti domini nostri regis Karoli obedire cupientes, illa instrumenta in nostro reservaculo existencia reaquirendo sub eodem tenore eisdem rescribi et presentibus inseri fecimusque nostri sigilli appensione communiri. Datum, feria quinta proxima ante dominicam Oculi mei, anno Domini M° ccc° xxx^mo^ quarto.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Mus. Nat. Hung. Arch. fam. Berzeviczy.

Esztergom- Budapesti Főegyházmegye
Esztergomi Érseki Levéltár

915.

1349. Pozsony. 14. Jun. — Comes Jacobus, iudex Posoniensis, iobagiones archiepiscopales de Csallóköz, a solvendo in vado Vereknye tributo, immunes reddit.

Nos comes Jacobus, iudex Posoniensis, significamus tenore presencium quibus expedit universis, quod nos ad instantem peticionem venerabilis in Christo patris domini *Chanadini,* Dei et apostolica gracia archiepiscopi Strigoniensis, locique eiusdem comitis perpetui annuimus concedendum, ut iobagiones sui in *Chollokuz* existentes, vineas, terras arabiles et possessiones habentes, videlicet qui proprias res ipsorum vina aut fruges suas proprias ad vendendum deferrent, aut pecora seu pecudes, in transitu *Werkenye* temporibus nostris, nullum tributum persolvere teneantur; sed qui cum rebus eorum mercimonialibus procederent, de villa ad villam transcurrerent, cum ad locum seu transitum Werkenye pervenerint, ipsi tales de rebus ipsorum mercimonialibus tributum persolvant more consueto. Tibi igitur tributario nostro de Werkenye, vel vices tuas gerenti firmiter precipientes mandamus, quatenus iobagiones predicti domini archiepiscopi modo premisso racione alicuius tributi in nullo presumpmas molestare. Datum *Posonii,* die dominico proximo post festum Corporis Christi, anno eiusdem M° ccc° xl^mo nono.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Prim. Secul. Lad. S. nr. 2. — Edidit Fejér: Cod. Dipl. T. IX¹. p. 736.

916.

1349. Esztergom. 1. Jul. — Chanadinus archiepiscopus Strigon., omnibus ad fabricam et constructionem ecclesiae s. Salvatoris in Posonio contribuentibus, indulgentias elargitur.

Chanadynus, Dei et apostolica gracia archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem comes perpetuus, universis Christi fidelibus, per suam dyocesim constitutis, quibus presentes ostendentur salutem in Domino, benediccione cum paterna. Pia est fides et sancta devocio, que peccata delinquencium quivis christiane fidei cultor, per elemosinarum suarum largicionibus ablui posse non desperet; hinc est, quod cum ecclesia sancti Salvatoris de *Posonyo,* fabricamentis et constructuris indigere dinoscatur, cui ad preficiendum (sic) propria non suppetat facultas, nisi Christi fidelium subvencionibus adiuvetur; quare vestre universitatis devocionem in Domino monemus et exortamur per presentes, quatenus visis presentibus ad tam pia opera vestra karitativa subsidia porrigere velitis, ut per hec et alia vestra pia opera, eterne beatitudinis premium mereamini adipissci. Nos vero ipsis, elemosinarum suarum largitoribus, de Omnipotentis Dei misericordia, beatorumque Petri et Pauli apostolorum eius, necnon beati Adalberti martiris patroni nostri auctoritatibus confisi, quadraginta dierum indulgencias misericorditer in Domino elargimur. Vobis itaque universis ecclesiarum sacerdotibus et rectoribus nostre dyocesis et specialiter in civitate *Posoniensi* constitutis, in virtute sancte obediencie precipientes mandamus, ut singulis diebus dominicis et festivis, in vestris ecclesiis populis vestris parochyanis, modo premisso, elemosinarum largitoribus ecclesie predicte, ipsas indulgencias quadraginta dierum promulgare et publicare debeatis. In cuius rei testimonium, presentes concessimus nostras litteras, pendentis sigilli nostri munimine roboratas.

INDEX PERSONARUM, LOCORUM AC RERUM.

UNUS NUMERUS PAGINAM NOTAT, E DUOBUS PRIMUS PAGINAM, SECUNDUS DOCUMENTUM INDICAT.

ABBREVIATIONES:

AEppus. = Archiepiscopus.
ADconus. = Archidiaconus.
Can. = Canonicus.
Civ. = Civitas.
Conv. = Conventus.
Cottus. = Comitatus.
Crferi. = Cruciferi.
Eccl. = Ecclesia.
Eppus. = Episcopus.
f. = filius.
fr. = frater.
Hung. = Hungaria.
mag. = magister.
mon. = monasterium.
Nitr. = Nitriensis.
nob. = nobilis.
Poson. = Posoniensis.
poss. = possessio.
Strig. = Strigoniensis.
Vespr. = Vesprimiensis.
v. = vide.

A.

Aba nobilis de cottu. Bihar 253, 374.
Abbates v. Benedictinos et Cistercienses.
Aberth terra 105, 165.
Ablinch terra 29, 56; 56, 98; 63, 107; 67, 112; 67, 115; 82, 143; 99, 161.
Abony villa 2, 3. — de eadem Michael et Sebastianus nobiles 2, 3.
Abos poss. 543, 716.
S. Abrahae Villa v. Ábrahám.
Ábrahám villa 259, 380.
Abram praep. eccl. s. Georgii martiris de Strig. 582, 771. — de Ábrám mon. B. M. V. fundatio 708, 955.
Absolutiones 128, 191; 181, 254; 203, 298; 264, 386; 297, 423.
de Acsa Finta, homo regius 155, 226. — Johannes nob. 406, 587; 408, 591.
Acsád poss. 706, 948.
Acsatelöke poss. 406, 587.
S. Adalberti chorus in Strig. 716, 971.
S. Adalbertus 16, 35.
Adony (Ér) terra 317, 457.
Adrianus, celerarius de Simigio 148, 216. — monachus de Simigio 197, 289.
Archiepiscopi: Colocensis, Januensis, Jadrensis, Manasgardensis, Pisanus, Rossensis, Spalatensis, Strigoniensis.
Ágas domina 534, 700.
Agasones 573, 766; 582, 771.
Agasonum regalium mag.: Blasius, Dionisius, Stephanus.
Agnes regina Hungariae 10, 24; 54, 96; 219, 327.
Agócz villa 235, 351.
Agria 693, 930.
Agria de v. Egri.
Agriense capitulum 185, 265; 202, 296; 283, 410; 300, 428; 378, 548; 524, 683; 531, 688; 543, 716; 552, 726; 568, 751; 595, 783; 707, 951.
Agriensem canonicatum petit Martinus de Haraszt, Paulus Jacobi, Petrus Nicolai.
Agrienses canonici: Johannes, Nicolaus, Petrus, Petrus f. Nicolai. — cantor Martinus. — custos Johannes.
Agriensis dioec. rectores ecclesiarum conquerunt contra Eppum et capitulum 131, 195; 707, 951. — eccl. 185, 265; 498, 661. — Eppus 103, 164; 226, 341; 548, 723; 707, 951.: Chanadinus, Nicolaus. — Eppus auditor causae inter regem et AEppum Colocensem 334, 488; confirmatur per AEppum Strig. et capit. Strig. 22, 45. — lector Johannes, Johannes de Usa, Nicolaus. — praep. 533, 695; Nicolaus, Petrus.
de Ákos genere Ákos, nob. 464, 610.
Ákosmonostora poss. 464, 610.
Ákospalotája poss. 464, 610.
Akuro rector eccl. de Csölösztő 146, 212.
Alba Julia civ. 110, 172. — dioec. 129, 191.
Albanensis Eppus Caucelinus.
Albense capitulum 134, 197; 167, 241; 291, 418; 569, 755, 756; 691, 927.
Albensem canonicatum petit Nicolaus Demetrii.
Albensis civ. 15, 32; 687, 918; 691, 928; 713, 966.
Albensis eccl. canonici: Nico-

laus, de Zala Nicolaus, Stephanus. — clericus: Johannes. — eccl. 243, 360. — lector Gregorius. — praepositura 47, 87. — praepositus: 9, 19; 20, 41; 128, 190; 133, 196; Endre, Ladislaus, Tatamér. — presbyter: Blasius, Laurentius.
Albertus, clericus familiaris capit. Poson. 146, 211. — Eppus Pataviensis 427, 451, 600. — plebanus in Marchgrafen Newsidel 422, 441, 458; 442, 600. — vicarius in Mistelbach 458, 600.
Albus v. Fehér
Alexander, iudex curiae regiae, comes Castriferrei et castellanus de Sár 53, 94; 55, 97; 62, 106; 70, 122; 76, 133; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 109, 170; 110, 172; 116, 179; 117, 180; 119, 184; 126, 189; 360, 527.
Alfalu villa 708, 955. — de eadem Georgius nob. 562, 742.
Alistál poss. 356, 519. — de eadem Bek et alii nobiles 655, 857; 356, 519; — Ladislaus 36, 65. — ibidem eccl. 655, 857.
de Alma Benedictus 420, 599. — Martinus 707, 953.
de Almád abbas 475, 627; 485, 636. — Michael.
Almay poss. 411, 595.
Almud nob. 17, 36; 18, 37.
Alpár poss. 251, 371; 252, 371; 273, 397; 304, 440, 441; 309, 526; 405, 587.
Alsópanyit poss. 283, 410; 285, 410; 286, 410.
Altare: B. M. V. in Jaurino 652, 854. — in Strig. 5, 9; 230, 344. — b. Gotthardi in Poson. 604, 794. — b. Johannis evangelistae in Scepus. 667, 877. — s. Martini ibidem 668, 877. — s. Nicolai 12, 30. b. Petri et Pauli apostolorum in Scepus 667, 877.
Alte gradus v. de Lendenavia.
Altenov v. Olcznó.
Altum Castrum v. Visegrád.
Alus nob. 24, 48.
Ambaxiatores Ludovici regis apud Romanam curiam: Dyonisius, Gregorius, Eppus Chanadiensis, Nicolaus praep. Strigon., Paulus de Nagymarton iudex curiae, Thomas Aladarii.
Ambrosius praep. de Garáb 562, 739.
Anda mag. mercator Strigon. 204, 301.
Andire mag. notarius publicus 458, 600.
Andreas: ADconus de Ujvár 544, 716. — chori Strigon. presbiter praebendarius 362, 527. — custos Quinqueecclesiensis 421, 599. — decanus, can. Vesprimiensis 715, 970. — lector Quinqueecclesiensis 47, 87; 53, 94. monachus de S. Benedicto 626, 821. — praep. Budensis 111, 172. — praep. de Posega, procurator Johannis Eppi Vesprimiensis 651, 852. — presbiter, chori Strig. praebendarius 371, 540. — rex Hungariae 30, 58; 40, 73; 121, 184; 263, 384; 397, 575. — Andreas (II.) rex Hung. 24, 48; 111, 172; 112, 172; 130, 193; 360, 527; 628, 823; 644, 837; 645, 839; 687, 917; 719, 975. — Andreas III. rex Hungariae 59, 103. — secundogenitus Caroli regis filius 410, 593. — Siciliae regis interfectores 594. 781. — sacerdos, praebendarius Strig. 96, 159. — sartor de villa Gelye 2, 3. — Traciensis Eppus, domini papae in Urbe vicarius in spiritualibus generalis 77, 135. — Transilvanus Eppus 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 111, 172; 127, 189; 129, 192; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301; 241, 358; 248, 365; 262, 381; 291, 417; 494, 650; 615, 805; 645, 839; 648, 844. — Varadiensis Eppus 154, 225; 161, 230; 166, 237; 205, 301; 241, 358; 248, 365; 262 384; 494, 650. — vicarius Alberti Eppi Patauiensis in spiritualibus generalis 427, 451; 458, 600. — vicemagister tavarnicorum regalium 658, 861.
Anglia regnum 591, 775.
Anglicus Johannes, Exonensis dioec. publicus auctoritate apostolica notarius 437, 600.
Anselmus fr. abbas Simigiensis 442, 600.
Antalerdő silva 632, 828.
Antipapa: de Corbario Petrus.
Antiqua Villa v. Szepes-Ófalu.
S. Anthonii: Ordo relig. 64, 108. — ordinis abbas Poson. — domus Poson. — magister hospitalis de Myribel Petrus. — praeceptor: de Portatriona Sygo. — vallis prope Dunajec 86, 153. — in valle prope Dunajec Carthusienses v. de Lechnicz.
Antonio can. Vaciensi praepositura ipsius ecclesiae confertur 70, 121.
Anthymus vide Szent-Kozma Damján.
Anularis notarius regis, Stephanus
de Apáca-Somlyó moniales 199, 290. — earundem protector Chanadinus 217, 322.
Apaj villa 259, 380.
Apáti poss. 375, 544; 475, 627; 510, 674; 672, 889. — Maior et minor poss. 254, 375. — iuxta Bajmóc 672, 889. — alio nomine: Karthole 672, 889. Tyukszer 317, 457.
de Apáti Nicolaus nob. 282, 409.
Apeyewremefeye clausura piscium 655, 857.
Apka terra 27, 53; 29, 55; 101, 162; 102, 162.
Apor f. Petrus nob. 572, 765; 573, 766; 577, 771.
Appony castrum 168, 244.

Datum *Strigonii,* in octavis festi Nativitatis beati Johannis Baptiste, anno Domini M° ccc° xL^mo^ nono.

Extus in plicatura manus saec. XV. adnot.: XL dierum indulgencias pro fabrica, archiepiscopus. — Sigillum deperditum. — Orig. membr., in Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa J. fasc. 1. nr. 2.

917.

1349. (Balassa-Gyarmat.) 2. Jul. — Nicolaus palatinus, filios Bitter de Kékkő et Georgium de Bény, super possessionibus Sztregova et Harkány, eidem Georgio iure matris suae obvenientibus, amicam compositionem inisse perhibet.

Tenorem vide sub nr. 945.

918.

1349. Bars. 2. Jul. — Nicolaus palatinus, nonnullas libertates monasterii s. Benedicti de iuxta Gron, confirmat.

[N]os *Nicolaus,* regni Hungarie palatinus et iudex Comanorum, memorie commendantes tenore presencium significamus quibus expedit universis, quod in congregacione nostra generali universitati nobilium comitatus Borsiensis, feria secunda proxima post festum Nativitatis beati Johannis Baptiste, in *Bors* celebrata, vir religiosus dominus frater Syffridus, abbas monasterii sancti Benedicti de *iuxta Gron,* ad nostram personaliter accedendo presenciam, primo quasdam litteras privilegiales serenissimi principis domini *Lodouici,* Dei gracia illustris regis Hungarie, domini nostri, sub anno Domini millesimo ccc° xL^mo^ septimo emanatas, tenorem et formam litterarum privilegialium excellentissimi quondam principis *Karoli,* pridem similiter incliti regis Hungarie, patris sui clare memorie, que litteras privilegiales domini *Andree,* quondam illustris regis Hungarie laudande recordacionis, sub anno Domini M^mo^ cc^mo^ decimo septimo emanatas confirmabant et seriem ac formam earumdem continebant, de verbo ad verbum in se continentes et easdem confirmantes, demonstravit; in quarum litterarum privilegialium ipsius domini Andree regis, inter cetera, hanc clausulam adinvenimus: quatenus cuiuscunque nacionis homines: *Saxones* videlicet, *Hungari, Sclaui* seu alii ad terram monasterii sancti Benedicti de Garon commorandi causa iam convenerunt vel convenire voluerint, prerogativa eiusdem libertatis iure perpetuo gaudeant, qua hospites nostri regales in *Pest, Albe* vel *Bude* commorantes, auctoritatis regie privilegio, tranquilitate perpetua perfruantur; sub hys videlicet excepcionibus, quatenus de omnibus proventibus et comoditatibus, que ad regiam iurisdiccionem pertinerent, tam in tributis et in descensibus, quam in liberis denariis et ponderibus seu aliis quibuscunque debitis, qui in nostro regno solent, vel eciam possent emergere, nec fysco nec cuique hominum respondere teneantur, sed ad ecclesiam (sic!) memorate iurisdiccionem, tam in iudiciis faciendis, quam in aliis que duximus, liberalitate regia sint in perpetuum deputata. (sic!) Posthec litteras privilegiales eiusdem domini *Karoli* regis, prelibato monasterio sancti Benedicti super libertate eiusdem datas et concessas presentavit, postulans nos dominus abbas memoratus, ut easdem litteras privilegiales domini *Karoli* regis, de verbo ad verbum nostris privilegialibus litteris inseri faceremus et

1349. 29. Jun.

1347.

1217.

idem monasterium, ac ipsius populum et ad idem pertinentes, in libertatibus per prefatos reges Hungarie eidem concessis, conservare et pacifice perseverari committeremus; quarum quidem litterarum privilegialium ipsius domini Karoli regis tenor *ys* est:

Sequuntur lit. Caroli I. regis de a. 1328. 18. Mart. datae, et sub nr. 192. ex ipso origin. commun. 1328. 18. Mart.

Nos igitur legitimis peticionibus ipsius domini abbatis favorabiliter inclinati, de tenore litterarum privilegialium ipsius domini *Andree* regis clausulam annotatam, tenorem vero privilegii ipsius domini *Karoli* regis, de verbo ad verbum transcribi, nostrisque litteris privilegialibus inseri fecimus ad cautelam, ipsumque monasterium et eiusdem abbatem, ac populum in libertatibus per prefatos reges Hungarie eidem graciose concessis, pacifice et quiete perseverari ac commorari committentes. Datum, quarto die congregacionis nostre predicte, in loco annotato, anno Domini millesimo ccc° xl^mo nono.

Sigillum, bene convervatum, e flavo et viridi serico pendet. — Orig. membran., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 40. fasc. 3. nr. 16.

919.

1349. Bars. 4. Jul. — Nicolaus palatinus, Stephanum et Egidium de Szente, contra abbatem s. Benedicti, in iudiciis convinctos esse, declarat.

Nos *Nicolaus,* regni Hungarie palatinus et iudex Comanorum, damus pro memoria, quod in congregacione nostra generali universitati nobilium comitatus *Borsyensis,* feria secunda proxima post festum Nativitatis beati Johannis Baptiste, in *Bors* celebrata, religiosus vir dominus Sefridus, abbas monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gron,* de medio aliorum personaliter consurgendo, proposuit tali modo: quod cum iobagiones monasterii dicte ecclesie sue de villa *Beseneu,* quemdam iobagionem, in festo Invencionis corporis sancti Stephani prothomartiris proxime transacto, iuxta regni consuetudinem in eandem villam Beseneu ducere voluisset, Stephanus filius Beke, officialis eiusdem ville *Zenthe,* una cum Egidio viceofficiali suo, ac universis iobagionibus de eadem contra eosdem exeundo, octo boves, duo equos et tres currus cum frugibus repletos, propria ipsorum auctoritate, culpis eorum non requirentibus, abstulissent; tandemque eosdem Stephanum et Egidium, ad octavas diei Cynerum proxime preteritas, ad presenciam domini nostri regis evocasset, de predictis ablatis racionem reddituros. Qui quidem Stephanus et Egidius, ad predictas octavas diei Cynerum ad presenciam comitis Pauli iudicis curie regie non venissent, nec misissent, prout hoc idem dominus abbas per exhibicionem litterarum iudicialium ipsius comitis Pauli declaravit; qui quidem Stephanus et Egidius, ad presentem congregacionem non venerunt, nec miserunt, per prefatum dominum abbatem quinque diebus dicte congregacionis nostre legitime expectati. Unde eosdem, contra ipsum dominum abbatem, commisimus in iudiciis fore convictos, si se racionabiliter non poterunt excusare. Datum sexto die congregacionis nostre predicte, in loco annotato, anno Domini M° ccc° xl^mo nono.

1349. 29. Jun. 1348. 3. Aug. 1349. 4. Mart.

Extus: Pro religioso viro domino Sefrido abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, contra Stephanum et Egidium iudicialis. — Subtus: Besenew. — Sigillum margin. exter. fuit appressum. — Origin. chart., in Arch. Capit. Strigon. Privato Lad. 3. fasc. 1. nr. 6.

920.

1349. Bars. 4. Jul. — Nicolaus palatinus, Petrum officialem magistri Ivanka et Andream, contra abbatem s. Benedicti, in iudiciis convinctos esse, perhibet.

Nos *Nicolaus,* regni Hungarie palatinus et iudex Comanorum, damus pro memoria, quod in congregacione nostra generali universitati nobilium comitatus *Borsyensis,* feria secunda proxima post festum Nativitatis beati Johannis Baptiste, in *Bors* celebrata, religiosus vir dominus Sefridus, abbas monasterii sancti Benedicti *de iuxta Gron,* de medio aliorum personaliter consurgendo, proposuit tali modo: quod Petrus filius Mychaelis, officialis magistri Iwanka *de Zyk* et Johannes viceofficialis eiusdem, nec non Mykle et Andreas filii *Hordo,* familiares eorumdem, feria secunda proxima ante dominicam Ramispalmarum proxime preteritam, ante villam *Beseneu* ecclesie sue predicte, sex boves arantes cum aratro potencialiter et manibus armatis abstulissent et homines cum eisdem aratris procedentes denudassent et percussissent; tandemque eosdem Petrum et Johannem, ad presenciam domini nostri regis ad feriam secundam proximam post octavas festi pasce Domini proxime pretaritas, sine crastinacione (exp.: qui) fecisset evocari, prefatos Mykle et Andream, eisdem statuere committendo; qui quidem Petrus et Johannes (exp.: ac Mykle et Andreas) ad presenciam comitis Pauli iudicis curie regie, ad prenotatam feriam secundam (exp.: proximam) non venissent, nec misissent, nec dictos servientes eorum statuissent, prout hec idem dominus abbas, exhibicione litterarum iudicialium prefati comitis Pauli declaravit; qui quidem Petrus et Johannes, ac Mykle et Andreas, ad ipsam congregacionem nostram non venerunt, nec miserunt, per prefatum dominum abbatem, quinque diebus continuis dicte congregacionis nostre legitime expectati. Unde eosdem, contra ipsum dominum abbatem, commisimus in iudiciis fore convictos, si se racionabiliter non poterunt excusare. Datum, sexto die congregacionis nostre predicte in loco annotato, anno Domini M° ccc^mo^ XL^mo^ nono.

1349. 28. Jun.

1348. 30. Mart.

1349. 20. Apr.

Extus: Pro religioso viro domino Sefrido, abbate monasterii sancti Benedicti de iuxta Gron, contra Petrum, filium Michaelis et alios interius nominatos iudicialis. — Sigillum margini exteriori erat appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 3. fasc. 1. nr. 7.

921.

1349. Gyarmat. 7. Jul. — Nicolaus palatinus, populos de Patak, contra Andream de Kisa, in iudiciis convinctos esse, testatur.

Nos *Nicolaus,* regni Hungarie palatinus et iudex Comanorum, damus pro memoria, quod in congregacione nostra generali universitati nobilium *Neugradiensis* et *Hontensis* comitatuum, feria secunda proxima post octavas festi Nativitatis beati Johannis Baptiste, prope villam *Gyarmath*

1349. 2. Jul.

celebrata, Andreas filius *Kysa* de *Kaladey*, de medio aliorum personaliter exsurgendo, proposuit eo modo: quod populi de villa *Patak*, predictam possessionem suam indebite uterentur, contra legitimas prohibiciones per ipsum eis factas, ac metas dicte possessionis sue destruxissent, in eiusdem preiudicium, atque derogamen. Qui quidem populi de predicta villa *Patak*, per prefatum Andream legitimis diebus dicte nostre congregacionis expectati, non venerunt, nec miserunt; unde eosdem in iudiciis decrevimus fore convictos, si se racionabiliter non poterunt excusare. Datum, sexto die congregacionis nostre predicte, in loco annotato, anno Domini M° ccc° XL^mo nono.

Extus: Pro Andrea filio Kysa de Kaladey, contra populos de villa Patak iudicialis. — Sigillum margini ext. fuit appr. — Orig. chart., in Arch. Primat. Secul. Lad. F. nr. 21.

922.

1349. Neuburg. 18. Jul. — Guido cardinalis, nuncius apostolicus, ad preces reginae Elisabethae, relaxat monialibus de Posonio et Tyrnavia, partem procurationum.

Ed.: Cod. Andegav. T. V. p. 307.

923.

1349. Esztergom. 31. Jul. — Petrus archidiaconus Neograd., vicarius archiepiscopi Strigoniensis, Martinum praepositum Dömösiensem, per plebanum de Maroth, ad praesentiam archiepiscopi citari iubet.

Magister *Petrus*, archidiaconus *Neugradiensis*, vicarius venerabilis in Christo patris et domini, domini *Chanadini*, Dei et apostolica gracia *archiepiscopi Strigoniensis*, in absencia honorabilis viri domini *Thome* decretorum doctoris, auditoris sancti pala*ti* domini pape, vicarii generalis, vobis . . plebano de *Maroth*, in virtute sancte obediencie precipientes mandamus per presentes, quatenus statim visis presentibus, ad *Demes* accedatis, *Martinum prepositum* loci eiusdem citetis ad presenciam dicti nostri archiepiscopi, contra Johannem dictum *Fudur*, nomine ipsi domini Johannis electi Wezprimiensis, ad octavas videlicet festi beati regis Stephani proxime venturas; cui quidem Martino preposito prenotato, novem dies pro secundo, pro tercio et peremptorio termino assignantes; et post hec nobis acta cum subscripcione testium rescribatis. Datum *Strigonii*, feria sexta proxima post festum beati Jacobi apostoli, anno Domini M° ccc^mo XL^mo nono. 1349. 27. Aug.

Extus: Domino plebano de Maroth. — Sigillum plicaturae fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Vesprimiensis, Epp. Misc. nr. 26. Lad. 86.

924.

1349. Temesvár. 6. Aug. — Ludovicus I. rex, a Michaele episcopo Vaciensi inquirit, num decimae vinorum et quarta frugum Capitulo Posoniensi competat.

Tenorem vide sub nr. 932.

925.

1349. — 6. Aug. — Ludovicus I. rex, num decima decimae vinorum comitatus Posoniensis, et quarta frugum civitatis, capitulo Posoniensi competat, per Capitulum Jaurinense, inquiri iubet.

Tenorem vide sub nr. 936.

926.

1349. Temesvár. 6. Aug. — Ludovicus I. rex, a Nicolao episcopo Agriensi inquirit, num decima decimae et quarta frugum civitatis, capitulo Posoniensi competat.

Tenorem vide sub nr. 930, respective nr. 932.

927.

1349. Buda. 8. Aug. — Comes Thomas, iudex curiae regiae, causam Nicolai et fratrum suorum patruelium, contra capitulum Albense, quoad possessionem Körmösd, prorogat.

Nos comes *Thomas,* iudex curie domini regis, damus pro memoria, quod causam quam Nicolaus, filius Gregorii, filii Salamonis, Petrus et Ladislaus, filii Johannis, filii eiusdem Salamonis, contra capitulum ecclesie Albensis ⟨expunct.: pro quo prefatus), iuxta continenciam (expunct.: dictus) litterarum comitis *Pauli, quondam iudicis curie* regie, in octavis beati Jacobi apostoli, in facto prohibicionis, percepcionis usuum et utilitatum possessionis *Kurmesd* vocate, movere habebat coram nobis, de regio litteratorio mandato, ad octavas beati Andree apostoli nunc (expunct.: pro) venturas, sub priori statu duximus perhemptorie prorogandam. Datum *Bude,* octavo die termini prenotati, anno Domini M° ccc° xL^mo nono.

1349. 1. Aug.

1349. 7. Dec.

Extus: Pro Nicolao, filio Gregorii, filii Salamonis, Petro et Ladislao, filiis Johannis, filii eiusdem Salamonis, contra capitulum ecclesie Albensis, ad octavas beati Andree apostoli prorogatoria. — In tergo diametr. sequens not. iudicis leg.: N[icolaus] personaliter et pro Petro cum Vesp(rimiensis), ac Ladislao Thomas cum capituli St(rigoniensis). — Et subtus: [Ami]cis suis reverendis capitulo. — Sigillum margini exteriori fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Capit. Strigon. Publ. Capsa 5. fasc. 6. nr. 1.

928.

1349. — 14. Aug. — Elisabetha regina, capitulum Strigoniense, ad transmittenda sua instrumenta super tributo Strigoniensi, provocat.

Elizabeth, Dei gracia regina Hungarie, fidelibus suis, capitulo ecclesie Strigoniensis salutem et graciam. Noveritis, nos Franciscum, iuvenem aule nostre, in legacionibus nostris ad vos destinasse, cuius verbis et dictis, tanquam nostris propriis, fidem credulam debeatis adhibere. Ceterum ad festum sancti regis Stephani in Albam Regalem sciatis nos venturam. Quare vestram fidelitatem presentibus requirimus et vobis firmiter precipiendo mandamus, quatenus de Alba nobis in Budam redeuntibus, in octava predicti festi sancti regis, instrumenta vestra, super ipso tributo contencioso habita, per duos ex vobis nobis transmittere debeatis, ut usque ad adventum domini regis, filii nostri karissimi, de partibus Transsiluanis in Budam, super iuribus vestris et civium nostrorum de Strigonio deliberare valeamus, quia

1349. 20. Aug.

1349. 27. Aug.

omnimode dominus rex, filius noster et nos deliberare et iudicium fieri volumus inter vos et cives nostros prenotatos. Datum *Bude,* in vigilia festi Assumpcionis Virginis gloriose.

Extus: Fidelibus suis, capitulo ecclesie Strigoniensis. — Sigillum anulare cerae rubrae impressum, in medio literam K exhibet, cum epigraphi: Sigillum secretum. — Ed., sed sine epigraphi, Pray de Sig. tab. I. fig. 4., et Perger: Bevezetés a diplomatikába, IV. táb. 4. — Orig. chart., in Arch. Cap. Strigon. Priv. Lad. 41. fasc. 10. nr. 28.

929.

* *1349.* (Esztergom.) 21. Aug. — Capitulum Strigoniense, Joannem filium Aladarii, censum vineae in Nyirmál sitae, Leustachio civi Strigon. remisisse testatur.

Nos capitulum ecclesie Strigoniensis, significamus tenore presencium quibus expedit universis, quod Johannes, filius Aladarii pro se, ac domina matre sua, et Petych vitricus suus, personaliter ad nostram accedentes presenciam, dixerunt in hunc modum: quod censum vine (sic) Leustasii civis Strigoniensis, fratris Demetrii sacerdotis, canonici ecclesiae sancti Georgii martiris, in territorio *Nyrmal* et in terra eorum existentis, pro beneficiis, que ab eodem Leustasio in multis eorum necessitatibus recepissent, eidem Leustasio et suis heredibus perpetuo relaxassent; ita nichilominus, quod si ipsa vinea ad alias personas aliquo casu temporis in processu transiret, tunc ipsa gracia sibi facta exspiraret et ita censualis ipsa vinea extiteret, sicut extitit usque modo; et quia medietas ipsius terre *Nyr* ad nos titulo impignorativo, cum omnibus suis utilitatibus pertinere dignoscitur, ideo pro ipso censu nobis similem censum relinquerunt percipiendum et assignaverunt. Datum, in crastino festi beati Stephani regis, anno Domini M° ccc^mo^ XL^mo^ nono.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Strigon. Priv. Lad. 29. fasc. 1. nr. 12.

930.

1349. Eger. 24. Aug. — Nicolaus episcopus Agriensis, capitulum Poson. semper decimam vinearum et quartam frugum habuisse, Ludovico I. regi rescribit.

Nos *Nicolaus,* miseracione divina et apostolica gracia *episcopus Agriensis,* significamus quorum interest vel intererit tenore presencium universis, quod nos anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono, in festo beati Bartholomei apostoli, litteras excellentissimi principis domini Lodovici, Dei gracia illustris regis Hungarie, domini nostri nobis presentatas recepimus in hec verba: 1349. 24. Aug.

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fideli nostro venerabili in Christo patri domino *Nicolao,* episcopo *Agriensi,* salutem et graciam.

Continuat. ut nr. 932.

Ad quas eidem domino nostro regi respondimus in hunc modum: quod tempore quo prepositus Posoniensis extitimus, decima pars decimarum vini civitatis et comitatus Posoniensis, et medietas decimarum frugum eiusdem civitatis, ad ecclesiam Posoniensem, *sew* ad prepositum et capitulum pertinebat, et

per nos ac ipsum capitulum percipiebatur, absque contradiccione aliquali; et sicut tunc referebatur, eodem modo temporibus predecessorum nostrorum extiterat observatum. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras, nostro sigillo auttentico consignatas. Datum *Agrie,* anno et die prenotatis.

E transsumpto conventus sacri montis de Pannonia a. 1502. 30. jun. exarato. — In Arch. Cap. Poson. Priv. Capsa G. fasc. 6. nr. 145.

931.

1349. — 26. Aug. — Capitulum Posoniense transscribit literas capituli Budensis, super oppignoratione possessionis Csepen, editas.

Universis Christi fidelibus, presentes litteras inspecturis, capitulum ecclesie Posoniensis salutem in salutis largitore. Ad universorum noticiam tenore presencium volumus pervenire, quod Andreas, filius Mese, nostram personaliter accedens presenciam, attulit nobis litteras honorabilis capituli Budensis ecclesie, infrascriptum tenorem continentes, petens nos instanter, quatenus ex eisdem racione maioris firmitatis et cautele uberioris, litteras privilegiales facere dignaremur; quarum tenor talis est:

Nos capitulum Budensis ecclesie memorie commendantes, tenore presencium significamus, quibus expedit, universis, quod nobilis domina, relicta Petri *de Chepen*, filia videlicet Andree filii Jakov, una cum Nicolao filio suo ab una; item magister Mese, filius Stephani, viccecastellanus magistri Laurencii dicti *Tonch de Temechen,* et Andreas filius eiusdem magistri Mese, parte ab altera, in nostri presencia personaliter constituti, per eosdem dominam Elizabeth et Nicolaum filium suum propositum extitit ministerio vive vocis et relatum, quod ipsi terciam partem predicte possessionis ipsorum, Chepen nominate, que olym *Boz* nuncupabatur, in comitatu *Posoniensi* existentis, cum omnibus suis utilitatibus et pertinenciis universis, terris videlicet arabilibus, fimatis et campestribus, silvis, nemoribus, molendino, aquis, aquarumque decursibus et aliis quibuslibet, undique ad eandem terciam partem de iure provenire debentibus, prefatis magistro Mese et Andree filio suo, pro viginti sex marcis, compoti Budensis, plene, ut dixerunt, ab eisdem receptis et habitis, titulo inpignoracionis obligassent et obligarunt coram nobis, tali modo: quod quandocumque processu temporum prefata domina Elizabeth, vel Nicolaus filius eiusdem ipsam possessionariam porcionem, modo premisso annotato magistro Mese et Andree filio suo impignoratam, redimere possent: extunc iidem magister Mese, vel Andreas filius suus annotatus, similiter cum suis utilitatibus omnibus, quo supra, absque impedimento aliquali reddere et resignare tenerentur; ita tamen, quod si prescripti magis*tri* Mese, vel Andreas filius eiusdem, domos, molendinum, vel aliqua alia edificia in facie eiusdem tercie partis ipsius possessionis edificaverint, prefata domina Elizabeth, vel Nicolaus filius suus valorem earumdem, iuxta estimacionem proborum virorum, exceptis domibus iobagionum, in eadem congregatorum, aut congregandorum, ipsis tempore redempcionis ipsius possessionarie porcionis persolvere deberent et tenerentur. Assumpmendo nichilominus prenominatos magistrum Mese et Andream filium suum, racione dicte tercie partis antedicte possessionis Chepen vocate, per memoratos dominam Elizabeth et Nicolaum filium suum inpignorate, ab omnibus inpeti-

toribus defendere et in pacifico inpignorativo dominio eiusdem tercie partis conservare, donec redimere possent ab eisdem, suis propriis laboribus et expensis; et idem magister Mese spontanea sua voluntate assumpsit hoc coram nobis, ut prefatis domine et Nicolao filio suo, ac aliis filiis eiusdem domine, temporibus oportunis adesse, prodesse et eosdem in omnibus ipsorum necessitatibus iuvare, defendere et protegere et ipsis benefacere promptus esset et paratus. Datum, feria tercia proxima post festum Omnium Sanctorum, anno Domini Millesimo ccc° xl^mo octavo. 1348. 3. Nov.

Nos itaque eiusdem Andree precibus permolliti, prefatas litteras, verbotenus preinsertas, in presentes redigi fecimus, nostrique sigilli appensione communiri. Datum, feria quarta proxima post festum beati Bartholomei apostoli, anno Domini M° ccc° xl^mo nono.

A. B. C.

Sigillum integrum e rubro serico pendet. — Orig. in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 14. fasc. 3. nr. 8.

932.

1349. Vácz. 26. Aug. — Michael episcopus Vaciensis, capitulum Poson. decimas vinearum in comitatu Poson. et quartam frugum civitatis, semper pacifice habuisse, Ludovico I. regi rescribit.

Nos *Mychael,* Dei et apostolice sedis gracia *episcopus Wachyensis,* significamus quorum interrest, vel intererit tenore presencium universis, quod nos anno Domini M° ccc° xl^mo nono, feria quarta proxima post festum beati Bartholomei apostoli proxime iam preteritum, litteras excellentissimi principis, domini Lodouici, Dei gracia illustris regis Hungarie, domini nostri, nobis presentatas recepimus in hec verba: 1349. 26. Aug.

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fideli suo venerabili in Christo patri domino Mychaeli episcopo Wachyensi, salutem et graciam. Dicit nobis discretus vir magister *Stephanus* canonicus ecclesie sancti Salvatoris de *Posonio* sua, capituli loci eiusdem vice et nominibus, quod decima pars decime vinorum comitatus Posoniensis et quarta pars frugum civitatis nostre Posoniensis ipsorum esset et omni iure ad ipsos pertineret; quas decimam vinorum dicte decime et quartam partem frugum ipsi ab ipso tempore, quo non extaret memoria et eciam in vestris, ac predecessorum prepositorum temporibus percepissent et pro se ipsis recipi fecissent et nunc reciperent. Quare, fidelitatem vestre paternitatis presentibus requirimus, nichilominus vobis precipiendo mandamus, quatenus prout exinde vobis veritas constat: utrum modo premisso dictum capitulum ecclesie Posoniensis, vestris predecessorum temporibus ipsas decimas receperint nec-ne, in vestris litteris fideliter rescribatis. Datum in *Themeswar,* secundo die festi beati Dominici confessoris, anno Domini M° ccc° xl^mo nono. 1349. 6. Aug.

Ad quas eidem domino regi respondemus in hunc modum: quod tempore quo prepositus Posoniensis extitimus, decima pars decimarum vini civitatis et comitatus Posoniensis et medietas decimarum frugum eiusdem civitatis, ad ecclesiam Posoniensem, seu ad prepositum et capitulum pertinebat et per nos ac ipsum capitulum percepiebatur absque contradiccione aliquali, et sicut tunc referebatur, eodem modo temporibus predecessorum nostrorum extiterat obser-

vatum. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras, nostro sigillo autentico consignatas. Datum *Wachye,* anno et die prenotatis.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. membr., in Arch. Capit. Poson. Priv. Capsa G. fasc. 6. nr. 148.

933.

1349. Intra 31. Jul.—27. Aug. — Plebanus de Maroth, praeposito Dömösiensi literas citatorias exhibuisse, vicario archiepiscopali, rescribit.

Honorabili viro magistro *Nevgradiensi* doctori decretorum, nec non reverendi in Christo patris domini *Chenadini,* archiepiscopi Strigoniensis vicario generali, *Sifridus plebanus* ecclesie de *Moroth,* cum debita subieccione, oraciones in Christo humiles ac devotas. Scire dignetur vestra discrecio plurimum reverenda, quod receptis, visis et perlectis vestris literis, cum propter corporalem infirmitatem virtute dictarum literarum ad citandum dominum Martinum prepositum de Demys accedere non possem propria in presencia, literas citatorias per Petrum officialem domini Danielis, abbatis (expunct.: ac) Wissegradiensis, ac Petrum clericum meum transmisi, qui venientes ibidem in die ad vincula sancti Petri, circa horam nonam, antedictum dominum prepositum in presencia suorum canonicorum, videlicet Henrici custodis ecclesie eiusdem, Jacobi decani, Petri canonici et aliorum fide dignorum citarunt et ad vestram presenciam evocarunt, diem et terminum ad comparendum (expunct.: eundem) eidem coram vobis *a*signantes, secundum vestrarum formam et continenciam literarum in signum (expunct.: exes) executionis vestri mandati; cum sigillo proprio caream, sigillo religiosi viri fratris Johannis, prioris sancti Andree de Wissegrad usus sum inpresenti.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. chart,. in Arch. Cap. Vesprim. Lit. Eppatus mancae. Lad. 91. nr. 18. Quoad data cf. nr. 924.

934.

1349. 3. Sept. — Capitulum Posoniense, Nicolaum de Csölle, Lucae de eadem, unum integrum laneum in Récse, quinque libris denariorum oppignorasse testatur.

Capitulum ecclesie Posoniensis, significamus tenore presencium, quibus expedit, universis, quod Nicolaus, filius Sandor de *Cherle,* coram nobis personaliter constitutus, profitebatur, quod ipse quinque libras denariorum Wiennensium a Luca, filio Mathey de eadem Cherle, qui eciam presens ad*h*erat, super uno integro lanco, quem eciam prius per alias litteras nostras eidem Luce de parte sua possessionaria in *Reche,* titulo pignoris ad utendum collocarat, recepisset et haberet per hunc modum: ut postquam anni, ad quos sibi iuxta seriem iam dictarum litterarum nostrarum impignoravit, ex*p*irabunt, ultra ipsos annos iterum quinque annis aliis tenere et possidere debeat laneum annotatum, qui, si elapsis annis prioribus et eciam posterioribus, ut littere super eo confecte innuunt, cum pecunia prius et eciam posterius sibi data et concessa, a dicto Lucha ipsum laneum redimere poterit et liberare, bene quidem; alioquin ultra ipsos annos tamdiu tenebit et possidebit, donec pecunia sua totalis ad plenum sibi non fiet (sic) restituta; defendere autem racione dicti lane*y* medio tempore et utilitatum

eiusdem prelibatum Lucham ab omnibus, prefatus Nicolaus filius Sándor, tenebitur suis laboribus et expensis. Datum, feria quinta proxima post festum beati Egidii abbatis et confessoris, anno Domini M° ccc° xL^mo nono.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. in Arch. Cap. Poson. Publ. Capsa 7. fasc. 1. nr. 10.

935.

1349. Buda. 6. Sept. — Ildebrandinus, episcopus Paduanus, Joannem procuratorem Petri Begonis, literas apostolicas, super exhibenda decima biennali, pro succursu terrae Nigripontis, Chanadino archiepiscopo exhibuisse, perhibet.

Nos *Ildebrandynus,* Dei gracia episcopus *Padwanus,* notum facimus universis, quod cum nos in quibusdam negociis reverendissimi in Christo patris domini *Guidonis,* tituli sancte Cecilie presbiteri cardinalis, apostolice sedis legati domini nostri, per ipsum destinati, ad serenissimam principissam dominam reginam Hungarie in civitate *Budensi,* sexto die mensis Septembris venissemus, magister *Johannes,* procurator domini Petri Begonis, procuratoris reverendi patris domini *Guillermi* sancte Marie in Cosmedyn dyaconi cardinalis, proventuum suorum in omnibus partibus regni Hungarie, ad nostram personaliter accedens presenciam dixit, se exhibuisse seu tradidisse quasdam litteras apostolicas, super exhigenda decima byennali pro succursu terre Nigripontis, decimo octavo die mensis Augusti, anno in presenti reverendo patri domino *Chanadino* archiepiscopo Strigoniensi et in ipsius domini archiepiscopi persona, procurator eiusdem, videlicet magister *Mathias* archidiaconus *Komaruniensis,* per ipsum dominum archiepiscopum recepisse die et loco ut supra. Anno Domini M° ccc° xL^mo nono.

1349. 6. Sept.

1349. 18. Aug.

Sigillum cerae rubrae in margin. ext. appressum. — Origin. membran., in Arch. Prim. Arch. Eccl. Vet. nr. 27/4.

936.

1349. (Győr.) 10. Sept. — Capitulum Jaurinense, decimam decimae vinorum et quartam frugum capitulo Posoniensi competere, regi rescribit.

Serenissimo principi domino *Lodouico,* Dei gracia illustri regi Hungarie, domino eorum post Deum super omnia metuendo, capitulum Jauriensis ecclesie oracionum suffragia devotarum, in omnium Salvatore. Litteras serenitatis vestre honore quo decuit et conveniens fuit recepimus, hunc tenorem continentes:

Lodouicus, Dei gracia rex Hungarie, fidelibus suis capitulo ecclesie *Jauriensis,* salutem et graciam. Dicit nobis discretus vir magister Stephanus canonicus ecclesie sancti Salvatoris de Posonio sua et capituli loci eiusdem vice et nominibus, quod decima pars decime vinorum comitatus Posoniensis et quarta pars decime frugum civitatis nostre *Posoniensis,* ipsorum esset et omni iure ad ipsos pertineret; quas decimam decime vinorum et quartam partem frugum, ipsi ab eo tempore, quo non extaret memoria, percepissent et pro se ipsis recipi fecissent et nunc reciperent. Quare fidelitati vestre precipiendo mandamus, quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente magister Andich de *Ogiad,* vel magister Leucus, filius Abrahe Ruffi de *Checlez,* ac Far-

casius de *Hidegheth,* aliis absentibus homo noster, ab omnibus nobilibus et ignobilibus civitatensibus et ab aliis quibus decuerit et licuerit et specialiter in civitatibus *Thyernauiensi* et *Posoniensi* sciat et inquirat de premissis omnimodam veritatem; et post hec prout exinde vobis veritas constiterit, nobis fideliter rescribatis. Datum, secundo die festi beati Dominici confessoris, anno Domini M^mo^ ccc^mo^ XL^mo^ nono. 1349. 6. Aug.

Nos igitur preceptis, vestre celsitudinis parere cupientes, ut tenemur, una cum Farcasio de Hidegheth, homine vestro, magistrum Stephanum socium et concanonicum nostrum, pro testimonio fidedignum duximus transmittendum; qui demum ad nos reversi nobis concorditer retulerunt: quod ipsi fidelicet (sic!) predictus homo vester et nostrum testimonium annotatum, feria tercia, scilicet in festo Nativitatis beate Virginis iam proxime preterita, a nobilibus et ignobilibus civitatensibus et ab aliis a quibus conveniens et licitum fuisset pala et oculte, diligenti scrutinio inquirendo et specialiter, a civibus civitatum Thyernauiensis et Posoniensis et ab aliis communibus hominibus dicti comitatus, talem de premissis rescire potuissent veritatem: quod decima pars decime vinorum comitatus Posoniensis et quarta pars decime frugum civitatis vestre Posoniensis ipsorum fuisset et omni iure ad ipsos pertinuisset; quas decimam decime vinorum et quartam partem decime frugum ipsi de capitulo Posoniensi sancti Salvatoris, ab eo tempore cuius non extitisset memoria, percepissent et pro se recipi fecissent et nunc recipere deberent. Datum, quinta feria proxima post predictum festum Nativitatis beate Virginis, anno Domini supradicto. 1349. 8. Sept.

Sigillum tergo fuit appressum. — Orig. chart., in Arch. Cap. Poson. Privat. Capsa G. fasc. 6. nr. 149.

937.

1349. Esztergom. 27. Sept. — Guido cardinalis, legatus apostolicae sedis, Ildebrandinum episcopum Paduanum, pro partibus Ungariae nuntium suum, cum diurno 12. flor. auri, constituit.

Universis presentes litteras inspecturis *Ildebrandinus,* permissione divina episcopus *Paduanus,* salutem et sinceram in Domino caritatem. Noveritis nos reverendi patris et domini, domini *Guidonis,* tituli sancte Cecilie presbiteri cardinalis, apostolice sedis legati, litteras recepisse, continencie subsequentis:

Guido, miseracione divina tituli sancte Cecilie presbiter cardinalis, apostolice sedis legatus, venerabilibus in Christo patribus . . . . archiepiscopis et episcopis et dilectis in Domino . . . . abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, plebanis, archipresbiteris et quorumcunque monasteriorum et ecclesiarum capitulis et conventibus, ac rectoribus quibuscunque, salutem in Domino. Dudum sanctissimus pater et dominus noster, dominus *Clemens,* divina providencia papa VI., nos ad regnum Vngarie, ac Lombardie et nonnullas alias partes in litteris suis, nobis super nostra legacione concessis, specialiter nominatas, cum plene legacionis officio, pro urgentibus et arduis ecclesie Romane negociis destinans, ut in commissis nobis negociis eo possemus prosperari felicius, quo maiori essemus auctoritate muniti, concessit nobis suas apostolicas litteras in hec verba:

Clemens, episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Guidoni, tituli sancte Cecilie presbitero cardinali, apostolice sedis legato, salutem et apostolicam benediccionem. Cum nos te ad regnum Vngarie et Lombardie et nonnullas alias partes, in litteris nostris tibi super tua legacione concessis specialiter nominatas, cum plene legacionis officio destinemus, ut in commissis tibi negociis eo possis prosperari felicius, quo maiori per nos fueris auctoritate munitis (sic!), discrecioni tue compellendi auctoritate nostra, per te vel alium, seu alios prelatos cuiuscunque preheminencie vel dignitatis extiterint, nec non personas quascunque tam Cisterciensis, Premonstratensis, Cluniacensis et aliorum ordinum magistros, quoque priores, perceptores et fratres hospitalis sancti Johannis Iherosolimitani et quorumcunque aliorum hospitalium seu domorum, quam alias personas ecclesiasticas, cathedralium et aliarum ecclesiarum, sive monasteriorum exemptorum et non exemptorum, per censuram ecclesiasticam, ad providendum in necessariis nunciis tuis, quos pro dictis tibi commissis negociis destinabis, non obstantibus quibuscunque privilegiis et indulgenciis apostolicis, per que possent in hac parte quomodolibet se tueri et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris debeat fieri mencio specialis, plenam tenore presencium concedimus facultatem. Volumus tamen, quod ad vitandum ecclesiarum gravamina, parce utaris huiusmodi facultate. Datum *Auinione,* II kalendas Decembris, pontificatus nostri anno septimo. 1348. 30. Nov.

Cumque pro exequendis negociis supradictis venerabilem in Christo patrem dominum *Ildebrandinum,* episcopum *Paduanum* socium, et cum eo magistros *Nicolaum,* sacre theologie professorem, ac *Lodouicum* canonicum Laudunensem, cappellanos nostros commensales, ad serenissimum principem dominum *Lodouicum regem* Vngarie illustrem et prefatum regnum et certas alias partes presencialiter destinemus, vos et vestrum quemlibet auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, presencium tenore requirimus et monemus, vobisque nichilominus in virtute sancte obediencie, sub excommunicacionis pena mandamus, quatenus prefato episcopo, cum ipsum per partes et loca vestra transire contingerit, vel eciam declinare, benigne recipientes et honeste tractantes eidem de *duodecim florenis* auri, pro qualibet die, quos pro expensis suis necessariis et sue familie deliberacione prehabita taxammus, et *securo conductu* velitis libere *providere.* Committentes sibi eadem auctoritate, quatenus vos et singulos vestrum, ad solvendum dictos duodecim florenos auri, pro die qualibet, in totum vel in partem, nec non ad contribuendum cum aliis in prefata solucione, prout sibi videbitur, per censuram ecclesiasticam et quecunque alia remedia valeat compellere et eciam *cho*artare. Nos enim sentencias quas occasione predicta tulerit in rebelles, ratas et gratas habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. In quorum omnium testimonium presentes litteras scribi mandavimus et sigilli nostri impressione muniri. Datum *Strigonii,* anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono, indiccione secunda, die lune XXVIII mensis Septembris.

Sigillum in fine texti cerae rubrae impressum est, in charta sigill. tegenti legitur: Chanad. Chanadynus. — Orig. chart., in Arch. Primat. Arch. Eccl. Vet. nr. 27/3.

938.

1349. Esztergom. 28. Sept. — Ildebrandinus, episcopus Paduanus, ratione diurnorum, centum et triginta duos florenos postulat a Chanadino archiepiscopo, pro expensis suis.

Reverendis in Christo patribus dominis . . . . . archiepiscopo Strigoniensi, episcopo Jauriensi ac electo Vespremiensi, et providis viris eorum in spiritualibus seu temporalibus vicariis, officialibus, camerariis vel receptoribus, quocunque nomine censeantur, *Ildebrandinus,* permissione divina *episcopus Paduanus* (exp.: nuncius), per reverendissimum patrem dominum *Guidonem* tituli sancte Cecilie presbiterum cardinalem, apostolice sedis legatum, ad serenissimum principem dominum *Lodouicum* Vngariae *regem* et partes aliquas eiusdem regni nuncius destinatus, salutem et sinceram in Domino caritatem. Noveritis, quod cum prefatus dominus noster, dominus legatus, ad serenissimum principem dominum Lodouicum regem Vngarie et aliquas partes eiusdem regni nos transmiserit, prout in eiusdem domini legati litteris, quaram copiam sub sigillo nostro vobis transmittimus, lacius continetur, ac nos in prosecucionem negociorum, nobis per prefatum dominum legatum commissorum, in civitatibus et diocesibus vestris eundo, stando et redeundo, una cum venerabilibus viris magistro Nicolao, ordinis fratrum heremitarum, sacre theologie professore; et domino Ludouico, canonico Laudunensi, prefati domini legati capellanis, sociis nobis deputatis, decem diebus moram fecerimus et adhuc duobus aliis facturi simus, et secundum tenorem predictarum litterarum, pro quolibet die pro expensis nostris et nostre familie, duodecim floreni auri nobis debeantur, eo sic diebus omnibus computatis centum et quadraginta quatuor florenos auri a vobis recipere et levare possemus; et ex certa causa centum et triginta duos florenos a vobis recipere et levare velimus, quos inter vos, ut *h*onus divisim in partes facilius sic supportetur, ut sequitur duximus dividendos videlicet: quod de tota summa predicta vos domine archiepiscope, pro mensa vestra et ecclesiis et personis ecclesiasticis, civitatis et diocesis vestre, medietatem nobis solvere debeatis, que medietas ascendit ad sexaginta sex florenos auri; de reliqua vero medietate vos domine episcope Jauriensis triginta tres; et vos domine electe Vesprimiensis alios triginta tres pro mensis vestris, ecclesiis et personis ecclesiasticis vestrarum civitatum et diocesium, similiter solvere debeatis. Et cum vos, domine archiepiscope, ad requisicionem et mandatum nostrum, nobis solveritis et assignaveritis totam et integram summam predictam, scilicet centum et triginta duos florenos, ne huiusmodi *h*onus super vos duntaxat remaneat, ad solucionem quantitatis predicte, prout superius est expressum, contributores, auctoritate qua in hac parte fungimur vobis assignamus, prefatos venerabiles patres episcopum et electum, cum omnibus personis ecclesiasticis exemptis et non exemptis suarum civitatum et diocesium, nec non omnes ecclesiasticas personas exemptas et non exemptas ecclesie civitatis et diocesis Strigoniensis. Quocirca vos, venerabiles patres dominos episcopum et electum requirimus et monemus, vobisque cum debita reverencia et prefatis vicariis vestris, officialibus, camerariis, vel receptoribus et cuilibet eorum, qui super hoc fuerit requisitus, sub excommunicacionis pena precimus (sic!) et mandamus, quatenus infra terminum quindecim dierum, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo et quinque reliquos pro tercio ac per*h*emptorio termino et monicione canonica vobis et

Apród dictus Jacobus nob. 466, 611.
Apróhalom terra 347, 504.
Aprónyárfa arbores 343, 501.
Apsa nobilis 186, 268.
Aquilaeensis patriarcha: Bertrandus.
Aradienses praepositi: Berend, Johannes.
Aranyos civ. 416, 597; 560, 738.
iuxta Aranyos existentes Siculi 110, 172.
Aranyosvincz poss. 111, 172.
Archidiaconi: Blasius, Michael, Nicolaus, Paulus, Petrus, Barsiensis, de Borsod, de Borsva, de Dobicha, Gömöriensis, Graduensis, de Heves, Hontensis, de Kemey, Komaromiensis, de Liptó, de Maramaros, de Marchia, Mosoniensis, Nitriensis, Nógrádiensis, de Osinach, de Pata, Pestiensis, de Sombon, Strig. Cathedralis, de Szabolcs, Scepusiensis, de Szigetfő, de Szolnok, Trencséniensis, de Ujvár, de Zemplén, Zólyomiensis.
Archleb Thomas et Voythyh nobiles 396, 574.
de Arecio Johannes, can. Varadiensis 434, 435, 600; 712, 963, 964.
Árkos monticulum 38, 69.
Arma terra 343, 501.
Arnoldus monachus de Sacro Monte Pannoniae 654, 856.
Árok meta 63, 106.
Áron földe meta 63, 106.
Árpás villa et portus (Ao 1037) 160, 230.
Ártánd poss. v. Rykaics.
Árva castrum 240, 358; 649, 847.
Aryul terra 346, 504.
Augustiniani: de Insula Maiori, de Sáros, de Strig., de Ujhely, de Mező Somlyó.
Aurifodina 548, 724.
Austriae dux Albrecht 667, 876.
Asszó poss. 650, 850.
Atak (Alsó et Felső) villae 475, 627; 510, 674.
Avignon 6, 11; 7, 13; 8, 14; 8, 15; 8, 16; 9, 17; 9, 18—20; 11, 26; 11, 28; 15, 32; 47, 85, 86, 87; 54, 96; 61, 105; 69, 117; 70, 120; 70, 121; 106, 166; 109, 170; 115, 177; 115, 178; 125, 186; 128, 190; 128, 191; 140, 203; 145, 211; 157, 227; 179, 250; 180, 251; 180, 252; 183, 260; 185, 263, 264; 187, 272; 189, 274—6; 201, 294, 295; 203, 298; 215, 317, 318; 216, 321; 219, 328; 222, 330; 226, 341; 236, 353; 239, 355; 262, 380; 264, 386; 267, 394; 297, 423, 424; 347, 505; 366, 528; 368, 534; 371, 539; 388, 560; 389, 562; 408, 592; 421, 457, 600; 472, 620; 546, 717; 592, 775; 598, 787; 602, 791.
Aydua vinea Strig. 96, 159.
Aynardus f. Nicolai nob. 644, 837. — assessor sedis Tavarnic. 628, 823; 629, 824—25; 630, 826.
Azna poss. 489, 644.
Azo marchio Estensis 47, 85.

B.

Baas nob. 387, 558; 390, 564. — filii Mark et Johannes 396, 575.
Baba portus (Ao 1037.) 160, 230.
de Bábolna Alexander homo regius 358, 524; 377, 546.
Baccalaureus in iure canonico Johannes de Usa.
Bács villa 3, 6.
de Bács nobiles 4, 6.
de Bácsa nob. 3, 4; 23, 48.
Bachan (Inferior et Superior) villa 259, 380.
Bácsfa villa 123, 185.
Bacsiense capit. 290, 414; 403, 585; 409, 593; 548, 724.
Bacsiensis can. Dominicus. — praep. Petrus.
Bacyn civis Strig. 183, 259.
Bagatfölde terra 225, 339.
Bagdan v. Bogdány.
Báhony villa 259, 380; 618, 811. — de eadem Johannes dictus Pap nob. 618, 811; 674, 893.
Bajmóc villa 672, 889.
Bajna poss. 358, 524.
Bajon terra 96, 159. — ibi rector eccl. 685, 913. — de eadem Egidius comes 191, 279; 211, 311; 228, 344; 371, 540.
Bajót villa 69, 116. — de eadem nobiles 68, 116. — Geletus comes iuratus Strig. 393, 569; 499, 663. — Paulus comes civis Strig. 499, 663.
Baka civitas 308, 445.
Bakabánya civitas 308, 445; 565, 745.
Bakó dictus Nicolaus nob. 332, 483.
Bakony silva 159, 160, 230.
de Bakony cist. abbas 234, 350.
de Bakonybél, abbas Jacobus. — tantum Strig. AEppi potestati subiacet 160, 230. — monasterii b. Mauritii fundationales 159, 230; 707, 950, 952.
de Balak Petrus homo palatinalis 253, 374.
Balase nob. 384, 555.
Balathym fluv. 634, 828.
Balatonfő stagnum 156, 226.
Baldner Ruedlinus civis Poson. iudexque Judaeorum ibidem 276, 402.
Balduini fil. Nicolaus iudex Strig. 204, 301.
Balhás terra 156, 226.
Balnei domus elocatio in Bars 679, 906.
Balog villa 170, 246.
Bálvány praedium 184, 262. — de eadem Csepán et Benedictus homines regii 192, 284. — Dominicus homo regius 610, 800. — Mikcs homo regius 677, 904.
de Bálványos nobiles, homines regii 580, 771.
Balya in vinea Strig. 499, 663.
de Bana castrenses 573, 766; 582, 771.
Banapataka fluv. 402, 579; 553, 729.
Banavár castrum 574, 766; et 586, 771.
Band mag. castellanus de Hegyesd 475, 626, 627; 485, 636.
Banderium AEppale 524, 683.

Bani: de Macsó, totius Sclavoniae, de Szörény.
Bánk villa 270, 395. — iobagio 375, 544.
Bánkvök poss. 149, 217; 312, 446; 313, 449; 345, 502. — de ea nobiles 344, 502.
Bany Paulus castellanus de Revisnye 263, 383.
de Baracska Michael nob. 290, 416. — Stephanus nob. 482, 632.
Barak villa 13, 30.
Barakon nob. 283, 410.
de Barancs Thomas, homo regius 378, 548.
de Baranya dicti nob. 659, 862.
Barát terra 155, 226.
Barátka poss. 635—641, 829. pluries; 646, 840, 841. — ibidem eccl. s. Martini 646, 840, 841. — de eadem Benedictus litteratus et Johannes, filii Thomae 635—641, 829. pluries.
Barchz lacus 347, 504.
Barcsa aqua 81, 142.
Barnabas sacerdos de Gamás 303, 435; 442, 600.
Barnabásfalva poss. 356, 519; et nobiles 356, 519.
Bars (Ó) civitas 16, 35; 41, 75; 226, 340; 262, 383; 263, 384; 290, 416; 339, 494; 348, 506; 367, 531; 368, 533; 383, 550; 403, 586; 459, 601; 490, 647; 536, 706; 646, 842; 687, 918; 688, 919; 689, 920. — civitatis sigilli amissio, et novum sigillum 679, 906. — de ead. Petrus f. Endre nob. 290, 416. — Szente famulus 536, 706.
Barsiensis ADconus Johannes. — cottus 16, 35; cottus congr. generalis 400, 577. item sine palatino 635, 829; — cum palat. 637, 829; 687, 918; 688, 919; 689, 920. — tributum 263, 384. — vice ADconus et rector ecclesiae Michael.
Bart poss. 486, 639; 606, 795.
Bartholomaeus prior crferorum eccl. S. Trinitatis de Calidis Aquis 383, 551; 383, 554; 514, 677; 552, 727; 594, 782. — rector capellae S. Spiritus, can. Vaciensis 676, 900. — sacerdos, capellanus domini regis 19, 39.
Báth civitas 308, 445.
de Báta abbas 293, 420. de Bohemia Welislaus.
de Bátha domina 507, 670.
Bathafölde alio nomine Bylegh poss. 200, 292.
Bathe comes 665, 874.
de Bavaria Ludovicus haereticus imperator Romanorum 173, 250.
Bazin poss. 356, 517; 356, 518; 359—63, 527. — castrum 576, 768. — de eodem decimae 208, 306. — ibidem capella s. Ladislai regis et eius plebanus Conradus de Buda 576, 768.
de Bazin Achilleus comes 360, 527. — Sebös mag. 326, 473; 331, 479; 356, 517; 356, 518; 359, 527; 488, 643; 495, 655; 499, 662; 501, 665; 550, 725; 612, 802; 657, 860; 664, 873.
Bebek Dominici filii 283, 410; 548, 721; 548, 724. — Georgius comes de Hevesujvár 675, 898; 899. — Stephanus 223, 332.
de Becse dictus Emericus castellanus de Saskő 374, 542; 376, 545. — castellanus de Léva 541, 712; 547, 718; 553, 728.
de Becske Jacobus aulae regiae notarius et fratres eius 237, 354.
Bede comes 46, 82. — castellanus de Horsow 341, 500; 343, 501.
Beder iobagio 300, 426.
Begonis Petrus mag., iuris peritus, procurator Guillelmi de Judicis 622, 816; 696, 935.
Beke civ. Strig. 252, 373; 338, 491. — Beke nob. 135, 198; 167, 241; 412, 595; 620, 813; 677, 904. — ADconus Scepusiensi 26, 51. — Johannes ADconus de Zólyom 538, 708. — aulae regiae tavarnicus, homo regius 569, 756. — fr. crfer de Calidis Aquis 384, 554. — fr. Petri Eppi Sirmiensis 486, 639. — f. Stephanus officialis de Szente 688, 919. — homo cap. Scepus 550. 724.
Beck f. Michaelis nob. 96, 159.
Béke villa 72, 123.
Békéstelek poss. 385, 556.
Bekő Thomas praeposituram s. Thomae Strig. petit 675, 896.
Bekud udvornicus 17, 36; 18, 36; 18, 37; 81, 142.
Bél poss. 28, 54; 29, 55; 92, 157; 102, 162; 186, 268; 259, 380; 341, 500; 668, 878. — (Kis) terra 28, 54. — alio nomine Földespéterfölde terra 341—43. 501. — de Bél Dominicus, iob. castri Poson. 27, 53; 28, 54; 90, 157; 102, 162. — Mike nob. 186, 268. — nobiles 91, 157; 668, 878.
Bela: reges Hung. 24, 48; 29, 56; 114, 176; 286, 410; 284, 410; 464, 611. — I. 143, 207; 390, 564. — III. 644, 837. — eius bulla aurea 628, 823. — IV. 39, 72; 54, 95; 67, 114; 70, 119; 78, 136; 99, 161; 159, 230; 112, 172; 161, 230; 207, 302; 207, 303; 211, 310; 328, 477; 330, 478; 336, 490; 360, 527; 495, 656; 502, 666; 508, 671; 512, 676; 519, 680; 572, 765; 574, 766; 581, 771; 582, 771; 626, 816; 707, 952.
Bela terra 369, 536.
Benak nob. 73, 126.
Benche nob. 464, 611. — filius Blasius 525, 684.
Bene f. Nicolai in Bajon 96, 159.
Benedictinae moniales de Apácza-Somlyó.
b. Benedicti ordo 220, 330.
S. Benedicti Ordinis generalis, capituli celebratio 118, 182.
Benedictinorum super annuali capitulo bulla papalis 213, 314; 219, 330. — capitulum provinciale 468, 615. — monasteria reformari et restaurari petuntur 536, 704.

Benedictini abbates: de Dombó, — de Kolos, — de Kolozsvár, — de Ludány, — de Pécsvárad, — de Simigio, — de Sancto Benedicto, — de Széplak, — de Zobor.
Benedictini: eorum monasteria de Almád, — de Bakonybél, — de Báta, — de Bulcs, — Crassensis, — S. Demetrii, — de Kluza, — de Lekér, — de Madocsa, — Nonensis, — S. Montis Pannoniae, — — Pécsvárad, — de Simigio, — Sexardiensis, — de Széplak, — in Vienna, — in Visegrád, — Zobor.
Benedicti mons in Récse 140, 204.
Benedictus: abbas de Széplak 118, 182. — AEppus Strig. 503, 666; 519, 680. — Eppus Csanadiensis 3, 5; 22, 45; 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 122, 184; 127, 189; 129, 192; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301; 717, 974. — lector Budensis 624, 816. — nuntius et procurator Chanadini AEppi 542, 715. — papa XII. 264, 386; 265, 389; 267, 394; 274, 399; 293, 420; 297, 423—24; 316, 455; 321, 465; 321, 466; 333, 486; 333, 488; 347, 505; 371, 539; 388, 560; 389, 562; 420, 598; 421, 456; 600; 471, 620. — rector ecclesiae de Sasad 651, 852; 680, 908; 684, 911; 684, 912. — sacerdos de Gicze 314, 450. — sacerdos capellanus conv. Zobor 568, 754.
Benk nob. 73, 126; 227, 344.
Benke udvornicus 81, 142.
Bense villa et de eadem nob. 23, 48; 24, 48.
de Bény Georgius nob. 687, 917; 703, 943.
Berchtoldus: Eppus de Freisingen 667, 876. — medicus Caroli regis 167, 239; 167, 240; 168, 242; 191, 279; 203, 300; 204, 301; 205, 301; 206, 301; 211, 311. — plebanus in Maraw, procurator Michaelis praep. Poson. et Nicolai de Zala 403, 422, 600. — fr. procurator monasterii b. Martini S. montis Pannoniae 220, 330.
Bércz: locus 247, 365; 359, 524. — meta 153, 225. — cuiusdam montis, quae vocatur Kökényfeket 287, 410. — planities 242, 360. — via 270, 395.
Bereczki villa 235, 351.
Bere clericus 532, 694.
Berek nemus 606, 795; 634, 828.
Berencs castrum 260—61, 381.
de Berench Moyus nobilis 200, 292.
Berencse villa 287, 410.
Berend Johan. Martini, praep. Aradiensis 471, 620.
Berengarii Jacobus operarius monasterii Crassensis, Ord. S. Bened., Carcassonensis dioec. collector decimarum sexennalium et nuntius apostolicus 185, 263, 264; 187, 272; 189, 274, 275; 193, 286; 316, 456; 347, 505.
Berengarius episcopus Portuensis 7, 13.
Berkesz nob. 243, 361; 250, 368.
de Berki homines 74, 127.
Berl fluvius 72, 123.
Bernardus: Canensis Eppus 365, 528. — Satacensis eccl. can. 368, 534.
Berő Cumanus 532, 692.
Bersen mons 402, 579.
Bertrandus patriarcha Aquileaeensis nuntius apostolicus 593, 778.
Besenyő poss. 169, 244; 369, 537; 485, 635; 497, 658; 556, 734, 736; 677, 904; 688, 919; 689, 920. — ibi eccl. B. M. V. et eius plebanus Paulus.
Besenyőkutja puteus 82, 146; 228, 344.
Besztercze villa 314, 450.
de Bety Andreas homo regius 537, 707.
Bew v. Bő.
Bibócz poss. 543, 716.
de Bicske Michael nob. 377, 546.
Bik, Bikfa arbor meta 153, 225; 156, 226; 287, 410.
Biksevnicze fluvius 565, 745; 592, 776; 621, 814; 650, 848. — alias Maior Rivulus vel Rivulus Abbatis 658, 861.
Biksevniczpataka riv. 611, 801.
Biter comes 237, 354.
Blasius: ADconus, vicecomes capellae regiae 651, 852. — can. Vespr. notarius Eppi Vespr. 684, 912. — mag. agasonum regalium, comes Hontensis et Nitriensis 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 69, 119; 76, 133. — presbyter chori eccl. Albensis 570, 756. — vice castellanus de Saskő 540, 711; 541, 713.
Boch v. Bács, Bácsfa.
Bodizlaus v. Boleslaus.
Bodó: praedialista AEppalis 345, 504. — f. Stephanus nob. 701, 941. — f. Husvét udvornicus 81, 142.
Bodok utraque villa 266, 392; 267, 393.
de Bodony Sebastianus homo regius 409, 593.
Bodor comes 163, 234. — f. Nicolaus nob. 411, 595.
Bodon nob. 4, 7; 4, 8.
Bodrog fluv. 234, 351.
Bogar f. Martinus 652, 854.
in Bogdanócz decimae 507, 670.
Bogdány poss. 301, 431; 341, 500.
Bogeslaus v. Boleslaus.
Bogomerius: cantor Scepusiensis 26, 51. — comes de Liptovia 4, 7; 4, 8. — decanus capituli Strig. 5, 9.
Bogon nob. 4, 7; 4, 8. — filii 701, 941.
Bogus mag., vicecomes et castellanus de Scepus. 564, 743.
Bogyoszló villa 708, 955.
de Bohemia: Paulus can. Strig. 701, 939. — Welislaus, abbas de Báta 368, 534. — denarii 212, 311. — grossi 416, 597; 196, 288.
Bohemiae rex Johannes.

Bohemus Stephanus aemulus regni 260, 381.
Bohosnicze poss. 149, 218.
Bohun v. Báhony.
Bojtorján poss. 388, 561.
de Bokowa provincia 152, 225; 153, 225.
Boldogasszonyfalva villa 259, 380. — de eadem Nicolaus comes 534, 701.
Boleslaus: archielectus Strig., scholasticus ecclesie Cracoviensis 1, 1; 6, 11; 10, 23. — AEppus Strig. dux Tostensis 19, 40; 21, 44; 22, 45; 37, 69; 44, 78. — AEppus Strig. 7, 12; 7, 13; 8, 14; 8, 16; 9, 17—19; 9, 21; 17, 35; 19, 38; 19, 39; 19, 40; 20, 42; 23, 46; 23, 48; 25, 49; 25, 50; 26, 51; 32, 59; 33, 60; 37, 69; 40, 72; 40, 73; 41, 73; 43, 77; 45, 80; 46, 81; 47, 86; 48, 87; 50, 91; 53, 94; 53, 95; 55, 97; 65, 109, 110; 66, 111; 67, 114; 69, 118; 73, 125; 75, 133; 76, 134; 77, 135; 78, 136; 84, 146; 84, 147; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 103, 163; 105, 165; 113, 173; 114, 175; 129, 192; 134, 197; 157, 227; 171, 247; 180, 251; 185, 264; 227, 342; 714, 969; 715, 970; 716, 971. — suum fratrem vi in Eppatum Nitr. intrudit. 134, 197. — ei indulget Johannes XXII. papa, ut indulgentias XL. dierum valeat elargiri 8, 16. — eius mobilia relicta in Visegrád 170, 247.
Bolhas v. Balhás.
Bolug v. Balog.
Bolyár poss. 543, 716.
Bona ecclesiastica suffraganeus cum consensu metropolitae alienat 224, 337.
Bonifacius VIII. papa 45, 80.
de Bonefato Raymondus rector oratorii eccl. S. Michaelis, Lemovicensis dioec., collector decimarum sexennaliam et nuntius apostolicus 185, 263, 264; 187, 272; 189, 274, 275; 193, 286; 219, 329.
Bononiensis studii rector Johannes de Usa.
de Borbach Johannes mag. can. Brixinensis, iurisperitus 422, 600.
Borch poss. 113, 173.
Borkúta vinea in Strig. 191, 279; 203, 300; 206, 301; 211, 311.
Bors v. Bars.
Borsi villa 235, 351.
Borsa poss. et de eadem nob. 660, 864.
de Borsod ADconus Johannes.
de Borsva ADconus Dominicus.
Borsy Petrus civis Strig. 487, 640.
Bortal nob. 18, 36.
Bosnensis: Laurentius can. Strig. 538, 708. — canonicus Dominicus Petri. — Eppus Laurentius. — Petrus fr. — praep. Johannes. — sedes vacat 241, 358; 248, 365; 262, 381.
per Bosniam inquisitores haereticorum 115, 177.
de Bossány: nobiles 114, 176. — Baka 114, 176. — Baka et Janka 136, 200. — Jvánka 534, 700. — ecclesiae decimae 296, 421.
Bót villa 708, 955.
Both: f. Johannes iudex de Csötörtökhely 490, 647. — famulus 191, 280.
Bothuk f. Johannes iuratus Budensis 222, 331.
de Bottyán Petrus nob. 198, 289.
Boya terra 52, 94.
Boyncz villa 672, 889.
Boynülése locus 156, 226.
Boyod v. Bajót.
Royon v. Bajon.
Boyrin poss. 69, 116.
Boz, (Bozd) v. Csöppöny.
Bozingo v. Bazin.
de Bozók: ecclesia 182, 257. — mon. s. regis Stephani 191, 281. — praep. Michael.
Boztch: poss. 330, 478; 334, 489; 335, 490. — de eadem Desk et alii nobiles 329, 478; 334, 484; 335, 490; 377, 546. — Petrus nob. 530, 686.
de Bo monasterium S. Crucis 52, 94.
Börzsöny poss. 612, 803.
Brácsa terra et nobiles de de eadem 2, 2.
Brakcsa: poss. 12, 30. — de eadem Gewd 12, 30. — Ivánka 12, 30. — Juan 12, 30. — nobiles 12, 30.
Breviarium 508, 670; 668, 877.
Briccius praep. Jauriensis 299, 425; 284, 410; 331, 480.
Briccii fil. Johannes comes Szathmariensis 284, 410.
Brixinensis can. Johannes de Borbach.
Brod dicti Nicolai filii, Chama et alii nob. 360, 527.
de Broda Nicolaus fr. monachus de S. Benedicto absolvitur ab irregularitate 129, 191.
Bubek v. Bebek.
in Bucsán (Kis-) capellae fundatio in hon. b. Margarethae 709, 958. — et de eadem Bodok filii nob. 709, 958.
Bud poss. 91, 157.
de Bud Csunkur nob. 91, 157.
Bud (Bwd) dictus Nicolaus nob. 28, 54; 120, 184; 126, 189.
Buda mag. notarius quondam Mathaei palatini 35, 63; 63, 107.
de Buda Conradus plebanus de Bazin 576, 767.
in Buda congregatio cleri Hung. (Ao 1331.) 194, 286.
Buda 481, 631; 501, 664; 539, 710; 612, 803; 618, 810; 619, 811; 620, 813; 625, 817; 628, 823; 641, 829; 644, 837; 645, 838; 647, 844; 650, 848; 651, 852; 652, 853; 658, 860; 659, 862, 863; 660, 865; 664, 873; 669, 879; 670, 881; 676, 900; 677, 902; 678, 904; 684, 909; 691, 927; 691, 928; 703, 944; 704, 946. — camerae com. Lorandus. — castrum 552, 727; 516, 677; 623, 816. — de eius suburbio Jacobus f. Nicolai civis 340, 496. — cives 222, 331; 500, 664. — civitas 222, 331; 515, 677; 687, 918; 696,

935. — civitatis consuetudo faciendi iudicium inter duas missas 501, 664; 527, 684. — magistratus 150, 220; 157, 228; 340, 496; 619, 811. — via 82, 146; 62, 106. — curia et vinea 667, 877. — examinator Nicolaus. — magna decimatio 717, 974.
Buda (Vetus) v. Ó-Buda.
Budense capitulum 58, 102; 61, 106; 74, 127; 118, 183; 227, 344; 252, 371; 252, 372; 253, 374; 273, 397; 283, 410; 290, 413; 340, 496; 357, 522; 359, 526; 369, 535; 378, 548; 405, 587; 462, 605; 502, 666; 508, 671; 509, 672; 511, 676; 518, 680; 525, 684; 535, 702; 548, 722; 622, 816; 626, 818; 670, 883; 693, 931; 718, 974.
Budensis: abbas 224, 336. — canonicus Dominicus, Jacobus, Johannes, Kőrösi Johannes, Ladislaus, Laurentius, Michael, Nicolaus, Olaszi Johannes, Petrus, Posonius, Thomas. — cantor Petrus. — capella B. M. V. 405, 587 et eius canonicus Michael. — clericus Emericus, Johannes. — crfer. Nicolaus fil. Petri, Petrus, v. etiam de Calidis Aquis. — custos Jacobus de Posonio, Michael. — decanus Petrus. — ecclesiae S. Spiritus crferorum structura 158, 228. — Sancti Petri 9, 20. — lector Benedictus, Petrus. — plebania 47, 84. plebanus Nicolaus de Hunsdorf. — praep. Andreas. — presbyter Nicolaus. — sacerdos Johannes. — succentor Thomas.
de Budensi: Insula Moniales 39, 70 v. etiam de Leporum Insula. — suburbio crferorum mag. Ortolfus; rector Hermannus; domus hospitalis S. Spiritus 157, 228.
Buded terra 124, 186.
Budmer nob. 355, 516.
Budo nob. 124, 185.
Budur nob. 124, 185.
Budy terra 28, 54.
Bugumerius v. Bogomér.
Buhturian v. Bojtorján.
Buhtus nob. 18, 36.
de Bulcs monasterii abbas 220, 330.
Bulcsu: incola Poson. 507, 670. — praedialista AEppalis 503, 666; 519, 680.
Bulla aurea III. Belae regis 284, 410; 628, 823; 644, 837.
Burian dictus Benedictus civis Strig. 499, 663.
Burkuth v. Borkut
de Busócz plebanus Johannes.
de Bussundorph plebanus Johannes.
Buziás terra 124, 185.
Bwczy rivulus (Ao 1037.) 160, 230.
Bwgur domina 523, 682.
de Bwsca Johannes, notarius publicus 306, 443.
Bükkerdő silva 382, 548.
Byden v. Bodó.
Byk Jasigus 61, 104.
Byleg poss. 218, 325. — alio nomine Bathafölde poss. 200, 292.
de Bylie eccl. b. Margarethae 717, 974.
Byrbron villa 719, 975.
Byter f. Petrus nob. 302, 432.

C.

Calatravensis ordo crferorum 193, 286.
Calidae Aquae villa 623, 816.
de Calidis Aquis: conventus crferorum 383, 551, 552, 553; 525, 684; 594, 782; 660, 867. — eorum magister Paulus, Paulus Latinus. — prior: Bartholomaeus. — crfer. Beke. — decimae 717, 972; 717, 974. — hospites 594, 782.
Calliensis Eppus Petrus.
Calvus v. Kopasz.
Camaldulensis Ordo 193, 286.
Camarin forum (Ao 1037.) 160, 230.
Camarun v. Komárom.
Camera regia ultra Dravam 207, 303.
Camerarum regiarum territoria et elocationes: de Körmöczbánya 255, 379. — de Szomolnok et Körmöcz 306—312, 445. — de Sirmia et de Quinqueecclesiis 412, 597; 558—562, 738. — Transilvanae 278, 408. — comitibus palatinus datur protector 308, 445.
pro Camera Apostolica fructuum collectio 517, 678.
Campanae fusio 507, 670.
Campanille in Karcsa 370, 538.
Cancellarius dapiferorum reg. Salamon.
Canensis Eppus Bernardus.
Canonicatu super Posoniensi processus 421—459, 600.
Canonici: Agriensis, Albensis, Bosnensis, Brixinensis, Budensis, Cracoviensis, Dömösiensis, Jauriensis, Laudunensis, Nitriensis, Pictaviensis, Posoniensis, de Pozsega, Quinqueecclesiensis, Satacensis, Scepusiensis, Strigoniensis, Vaciensis, Varadiensis, Verulanae, Vesprimiensis, Vivariensis, Werdensis, Zagrabiensis ecclesiarum et Gervassi Petrus.
Canonicorum investiturae modus 438, 600.
in Canonico iure scolaris Petrus Nicolai 533, 697. et provectus Paulus Pauli ibidem. — baccalaureus Johannes de Usa.
Canonici iuris professores 26, 51.
Cantores: Agriensis, Budensis, de Jászó, Jauriensis, Quinqueecclesiensis, de S. Benedicto, Scepus, de Simigio, Strigoniensis.
Capella seu carnarium in cimiterio Poson 49, 90.
Capellae: S. Andreae in Scepus 667, 877. — s. regis Ladislai de Posonio 507, 670. — s. Ladislai regis in castro Bazin 576, 768. — in hon. B. Margarethae in Kis-Bucsán 709, 958. — B. M. V. Budae 340, 496. — in Scepus eccl.

667, 877. — s. Nicolai conf. in Karcsa 710, 959. — in Poson 604, 794. — de Zólyom 65, 109. — S. Spiritus in Vácz 676, 900. — in Dörögd (Alsó), Gyarmat, Győröd, Hamburg, Olsavicza, in terra Raaz 46, 81. — Sarló, Tornalja, Várad.
Capellae iura 616, 807.
Capellanus perpetuus unius missae 385, 557.
Capitula: Agriense, Albense, Bacsiense, Budense, Colocense, Jauriense, Nitriense, de Posega, Posoniense, Scepusiense, Strig.: b. Adalberti, s. Georgii martiris, s. Thomae martiris; Transilvanum, Vaciense, Varadiense, Vesprimiense.
Capo Andreas civis Strig. 201, 293.
Carcassonensis dioec. 189, 274.
de Carceribus Galhardus, praepositus Titeliensis, nuncius apostolicus 297, 424; 306, 443; 312, 447; 331, 481; 404, 587.
Cardinales: Berengarius, Gentilis, Guido, Johannes, de Judicis Guillelmus, Napoleon.
Carnarium v. Capella.
Carolus rex Hung. 8, 15; 10, 23; 24, 49; 26, 51; 27, 52; 30, 58; 31, 59; 32, 60; 34, 62; 37, 66; 37, 67; 39, 72; 40, 73; 41, 75; 42, 77; 43, 77; 46, 83; 47, 84; 51, 94; 54, 99; 54, 97; 56, 98; 56, 99; 58, 101; 59, 103; 61, 105; 67, 112; 113; 69, 117; 70, 122; 74, 127; 75, 132; 133; 80, 139; 141; 82, 143; 144; 146; 85, 148; 149; 86, 153; 87, 155; 88, 156; 90, 157; 93, 158; 94, 159; 97, 160; 101, 162; 103, 163; 104, 165; 108, 169; 109, 170; 113, 173; 174; 117, 180; 119, 183; 184; 121, 184; 126, 189; 129, 192; 130, 193; 134, 197; 140, 205; 142, 207; 147, 214; 148, 217; 150, 221; 151, 223; 224; 152, 225; 155, 226; 159, 230; 162, 231; 163, 233; 235; 236; 164, 237; 167, 239; 240; 168, 242; 171, 247; 181, 255; 256; 188, 273; 190, 277; 278; 191, 281; 282; 192, 283; 284; 194, 286; 195, 188; 202, 296; 203, 298; 204, 301; 207, 302; 303; 208, 304; 211, 310; 311; 211, 312; 313; 215, 318; 319; 320; 216, 321; 217, 322; 223, 333; 335; 227, 344; 230, 344; 240, 357; 241, 359; 241, 360; 243, 361; 244, 364; 246, 365; 249, 366; 251, 369; 260, 381; 263, 384; 264, 385; 266, 392; 273, 397; 398; 274, 399; 275, 400; 401; 277, 404; 405; 281, 409; 290, 414; 301, 430; 302, 433; 304, 441; 306, 444; 312, 446; 447; 313, 449; 315, 453; 315, 454; 316, 457; 319, 460; 321, 463; 464; 322, 468; 323, 469; 324, 471; 325, 472; 326, 473; 331, 479; 334, 489; 335, 490; 340, 496; 341, 499; 344, 502; 349, 508; 509; 354, 513; 355, 515; 357, 520; 523; 358, 524; 359, 527; 366, 530; 367, 531; 532; 368, 533; 371, 540; 373, 542; 377, 548; 380, 548; 383, 553; 554; 390, 564; 392, 567; 568; 394, 570; 571; 396, 574; 575; 399, 576; 403, 582; 409, 594; 411, 594; 460, 602; 461, 603; 466, 613; 467, 614; 468, 615; 483, 634; 488, 642; 493, 650; 497, 658; 502, 660; 515, 677; 518, 680; 540, 711; 549, 724; 566, 746; 567, 747; 570, 756; 613, 804; 614, 805; 621, 813; 628, 823; 644, 837; 645, 839; 687, 917; 718, 975. — Strigonii moratur 5, 10. — iudex suspectus 60, 103. — eius foedus cum Joanne, rege Bohemiae 106, 167. — accessus ad partes Transilvanas 110, 172. — novum sigillum (anno 1323.) 31, 58. — contra eum quaerelae Epporum Hungariae 321, 465; 466.
Carolus parvus, primo genitus Caroli regis mortuus 27, 52.
Carthusiensium monasteria de S. Anthonii valle, de Lapide Refugii, Lechnicz.
Carthusienses monachi: Johannes, Martinus.
Casmer dictus Johannes de Posonio 366, 528; 385, 557.
Castellanensis Eppus Jacobus.
de Castroferreo Vitus v. Vitum Eppum Nitr.
Castrum: Árva, Banavár, Bazin, Berencs, Buda, Csáktornya, Csejte, Csesztve, Csókakő, Dévény, Drégely, Fejérkő, Gesztes, Ghimes, Hegyesd, Horsow, Jaurinum, Jeszenő, Komárom, Léva, Nitria, Poson, Pottenburg, Revisnye, Saskő, Sempte, Stomfa, Strig., Strigó, Sz. György, Scepus, Temetvény, Trencsén, Ujhelyvára, Ujvár, Vöröskő, Zaard.
Castrenses: de Csicsei 91, 157. — de Kürt 43, 77; 44, 77; 45, 79; 55, 97. — de Paka 136, 198. — homines 42, 77; 573, 766; 582, 771. — iobagio 90, 157; 102, 162; 121, 184; 360, 527.
Catharensis Anselmus, monachus monasterii S. Ambrosii Nonensis 182, 258.
Catherina clarissa Posoniensis 140, 204.
Caucelinus Eppus Albanensis 128, 191; 472, 620.
Chabya villa 7, 12.
Challoukuz v. Csallóköz.
Chanadinus: praepositus Varadiensis, secretarius notarius, Comes capellae Caroli regis, decretorum doctor, electus Agriensis Ep. 22, 45. — idem Eppus Agriensis 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 127, 189; 130, 192; 132, 195; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301; 715, 971. — idem AEppus Strig. 180, 251; 182, 258; 185, 265; 193, 286; 199, 290; 199, 291; 200, 292; 201, 294; 295; 202, 296; 207, 302; 207, 303; 208, 304; 306; 210, 309; 215, 319; 320; 216, 321; 217, 323; 218, 325; 326; 219, 326; 219, 328;

224, 337; 225, 338; 227, 342; 233, 350; 235, 353; 243, 361; 244, 362; 250, 367; 251, 370; 251, 373; 254, 378; 258, 380; 260, 382; 265, 387; 266, 392; 267, 393; 271, 396; 274, 399; 276, 402; 283, 410; 288, 411; 290, 415; 291, 417; 418; 293, 420; 294, 421; 297, 424; 300, 426; 301, 431; 303, 434; 305, 443; 306, 444; 314, 450; 315, 452; 316, 455; 317, 457; 319, 459; 328, 477; 329, 478: 332, 482; 335, 489; 490; 338, 491; 339, 493; 341, 500; 501; 345, 504; 357, 521; 366, 528; 377, 547; 388, 561; 392, 566; 396, 574; 403, 581; 408, 592; 422, 600; 460, 602; 461, 603; 462, 604; 605; 470, 618; 486, 639; 487, 640; 641; 493, 650; 495, 654; 497, 658; 502—4, 666; 507, 670; 511, 676; 517, 679; 518—23, 680; 523, 682; 524, 683; 542, 715; 544, 716; 548, 721; 724; 552, 727; 554, 731; 572, 763; 572, 765; 573, 766; 582, 771; 596, 785; 599, 790; 604, 794; 605, 795; 607, 797; 616, 806; 617, 809; 626, 819; 650, 849; 651, 852; 660, 866; 665, 875; 669, 879; 670, 882; 672, 889; 674, 894; 680, 908; 680, 909; 684, 911; 686, 915; 916; 690, 923; 695, 933; 696, 935; 701, 939; 940; 705, 948; 706, 949. — in clausulis privileg. 241, 358; 248, 365; 262, 381; 465, 611; 494, 650; 614, 805; 645, 839; 648, 844. — compater regis 211, 310; 217, 322. — plenam ei absolutionem dare potest confessarius 180, 252. — eius soror 538, 709.

Chanka nob. 18, 36.

Chatharth Jazigus 61, 104.

Chate domina 679, 907.

Chathe v. Csataj.

Cheet udvornicus 81, 142.

Chehte v. Cseszte.

Chempelinus Endre comes camerae Sirmiensis et Quinqueecclesiensis 392, 566; 412, 597.

Chendekuta clausura piscium 655, 857.

Chepel v. Csepel.

Chepen (Chepel) v. Csöppöny.

Chescua nomen personale 34, 61.

de Cheton Emericus can. Poson. 133, 196.

Cheuz v. Csősz.

Cheuzuezy v. Csőszvizi.

Chew v. Csév.

Cheyk v. Csejk.

de Chifech ecclesiae decimae 296, 421.

Chisur nob. 674, 893.

Choarch v. Kovárcz.

Choch gaza, hung. kohó 649, 847.

Chollokuz v. Csallóköz.

Chomar Nicolaus civis 615, 806.

Chondol v. Csandal.

de Chorchaw eccl. sacerdos Michael v. Kortho.

Chötse villa 666, 876.

de Chrabor Andreas nob. 327, 476.

Chremnik poss. 616, 806.

Christianus scultetus de Szepes-Ófalu 171, 248.

Christophorus lector Scepus. 191, 280.

Chuaz nob. 358, 524.

de Chubay Philippus homo regius 361, 527.

Chugud udvornicus 18, 36; 37; 81, 142.

Chukar v. Csukár.

de Chulchtu Georgius homo regius 119, 184; v. etiam Kulcsod.

Chulnuk v. Csolnok.

Chumur iobagio udvornicorum 17, 36.

Chuna domina 679, 907.

Chuncius comes (Anno 1037.) 161, 230.

Chunradus mag. procurator eccl. s. Stephani in Wienna, iurisperitus 424, 600. — plebanus in Heckenthal 458, 600.

Churle v. Csölle.

Chyche v. Csicse.

Chykfuenye lacus 346, 504.

Chykles v. Cseklész.

Chyliztu v. Csölösztő.

Chyrgetykhat locus 346, 504.

Chytnuk v. Csetnek.

Chytwar v. Csitvár.

Cece nob. 5, 8.

Celerarius de Simigio.

de Cerreto Oliverius capellanus papalis et sacri palatii auditor 717, 972.

Ceruchaza v. Cserőháza.

de Cesena Michael depositus ob haeresim Fr. Minorum generalis minister 177, 250.

Cibinium (Cibiniensis) v. Szeben.

Cinke Michael, can. Poson petit canonicatum Wesprim. 571, 761.

Cistercienses abbates: de Kedhely, de Bakony, de Heiligen Kreuz, de Pilis, de Savnik, seu in Scepus; et praeter eorum monasteria occurrunt monasteria de Ábrahám, de Báta.

de Citrawag Nicolaus nobilis 90, 157. — Elek homo cottus 102, 162.

Civitates: Alba (Regia), Aranyos, Bakabánya, Bars (Ó), Bát, Buda, Csehi, Engh, Esztyén, Gnezda, Gölniczbánya, Haimburg, Kassa, Körmöczbánya, Lábad, Lónya, Lipcse, Lőcse, Lubló, Maros (Nagy), Nagyolasz, Neapolis, Pest, Pécs, Podolin, Posonium, Quinqueecclesiae, Rozsnyóbánya, Segösd, Selmeczbánya, Szentha, Szent Demeter, Szomolnokbánya, Temesvár, Torda, Tyrnavia, Ujbánya, Veszprém, Vienna, Zalánkemény, Zimony, Zólyom.

Clarissae: Posonienses, Tyrnavienses.

Clemens V. papa 185, 263; 432—33, 600; 709, 957.

Clemens VI. papa 471, 620; 490, 646; 494, 651; 495, 653; 654; 504, 667; 511, 675; 517, 678; 523, 681; 531, 687; 689; 532, 693; 694; 533, 695—98; 536, 704; 705; 537, 708; 544, 717; 548, 723; 556, 735; 571,

759; 572, 764; 576, 769; 590, 773; 775; 593, 778; 594, 779; 781; 596, 785; 597, 787; 601, 791; 607, 797; 609, 798; 617, 809; 626, 820; 660, 866; 661, 868; 667, 877; 671, 884; 886; 697, 937; 700, 939.
Cleri Hung. congregatio (Anno 1331.) 194, 286.
Clerici: de Alba Regali, Budenses, Colonienses, Jaurienses, Nitr., Olomucensis dioec., de Posega, Posonienses, Quinqueecclesienses, Strig., Varadienses, Vespr., Wratislavienses, — Bere, Johannes Dominici, Nicolaus, Nicolaus Demetrii, Petrus Johannis, Petrus Stephani, de Marót.
Cluniacensis ordo 193, 286.
Cluswar v. Kolozsvár.
Collecta cottuum ad restaurationem castrorum 261, 381.
Colocensis: AEppus 20, 41; 47, 85; 103, 164; 115, 177; 220, 330; 226, 341; 293, 420; 494, 651; 517, 678; 548, 723; 626, 820. — Ladislaus, Stephanus. — AEppi causa contra regem 334, 488. — AEppo Ludovicum regem coronandi potestas a papa conceditur 215, 318. — sedes vacat 494, 650. — capitulum 10, 23.
Colomannus, Caroli regis filius illegitimo thoro natus, a defectu natalium absolvitur 264, 386. — praepositus Strig. 283, 410; 288, 410; 297, 423. — Eppus Jauriensis 297, 423; 331, 480; 331, 485; 494, 650; 615, 805; 645, 839; 648, 844. — eius mag. Paulus 131, 194. — plebanus in Witzlenistorf 458, 600.
Coloniensis dioec. clericus Wilhelmus de Yissem.
Colychs domina 679, 907.
Comitatus honoris reservatio, disiungendo a donato castro 240, 358.
Concilium praelatorum Hungariae 593, 778. — provinciale in Strig. 716, 971.
Confessarius Chanadini AEppi Jacobus fr.
Congregatio generalis praedialistarum AEppalium 300, 426. — plurium cottum post insultus Tartarorum 503, 666; 519, 680.
de Constancia Johannes dictus Spul, notarius publicus 424, 600.
de Corbario Petri, fr. ordinis Minorum antipapae retractationes 172—179, 250.
Coronandi Ludovicum regem per AEppum Colocensem potestas a papa conceditur 215, 318.
Corporis iuris canonici citationes 453—55, 600.
de Cosmal Izsó f. Macsa nob. 290, 416.
Cosmas fr. praepositus mon. S. Benedicti 348, 506; 368, 535. — can. Nitr. 368, 533.
in Cotze plebanus Petrus.
Coyn udvornicus 69, 119.
Cracoviensis: ecclesia 6, 11. — Eppus 66, 111; 74, 128; 202, 297; 420, 598; Nankerus. — can. Urovinus. — scholastria 9, 21.
Crakew v. Krakován.
Cranus Dulcinensis Eppus 365, 528.
Crassensis monachus Jacobus Berengarii.
Cremnuch v. Körmöczbánya.
Crisius v. Körösi.
Cridha edictum 22, 45.
Cruciatum bellum contra Turcos 531, 689.
Cruciferi: de Budensi suburbio, de Calidis aquis, de Darócz, de Quinqueecclesiis, Strig., de Landek, de Perusa et Calatravensis. — Beatae Mariae Teutonicorum, S. Jacobi, S. Johanni Jerosolimitani, S. Sepulchri Dominici, ordinum.
Cruciferorum per Hungariam generalis praeceptor Ortolfus.
Crunia v. Kravlyán.
Cumanorum generatio: Halas. — iudicatura 532, 692.
Cuppan villa (Ao 1037.) 161, 230.
Curiosum iudiciale 644, 837.
Custodes: Agriensis, Budensis, Dömösiensis, Jauriensis, Nitriensis, Poson., Quinqueecclesiensis, Simigiensis, Strigon., de Varadiensi Promontorio. — custodis Poson. scolaris Johannes. — custos, qui non est simul canonicus 439, 600.
Csaba (Pilis) terra 248, 365; 714, 969. — circa eam commorantes Jazigi 61, 104.
Család (Mária) poss. 200, 292. — in ea ecclesia ad honorem Matris Misericordiae fabricata 200, 292.
Csákány villa 388, 561.
Csáky ut, meta 107, 168.
Csáktornya castrum 240, 358.
Csalló aqua 92, 157; 98, 160; 149, 217; 299, 425 320, 461; 344, 502.
de Csalló Laurentius procurator 657, 860.
Csallóköz: districtus 12, 29; 16, 34; 17, 36; 18, 37; 43, 77; 67, 114; 113, 174; 208, 306; 351, 509; 392, 565; 617, 808; 554, 856. — de eodem nobiles 42, 77. — vicearchidiaconus Johannes. — ibi habitantes iobagiones AEppales 686, 915.
Csama nob. 358, 524.
Csamaszombata poss. 358, 524. — de eadem Petrus nob. 377, 546.
de Csanád genere homines 332, 482; 493, 650.
Csanadiensis Eppus 103, 164; 264, 386; Benedictus, Gregorius.
Csanak terra 355, 514.
Csandal poss. 82, 144; 89—93, 157; 259, 380. — (Tornyos) poss. 319, 461.
Csanik terra 188, 273.
Csasmensis praep. Gregorius.
Csáth poss. 468, 616; 473, 622; 483, 634. — ibidem eccl. lapidea 484, 634.
Csataj poss. 259, 380; 660, 864.
Csató nob. 203, 299.

Csécs villa 506, 669.
Csehi civitas 416, 597; 560, 738.
de Csehi Lodomerius et alii nobiles 227, 343; 327, 476. — Petrus homo regius 671, 888.
Csejk villa 14, 32. — ibidem eccl. 713, 966; 967; 716, 971. — eius sacerdos 713, 966; Nicolaus.
Csejte castrum 577, 771; 628, 823—26.
Cseke villa 343, 501.
Cseklész villa 259, 380; 298, 425. — de eadem Andreas et Meynoldus homines regii 361, 527. — Johannes fil. Abrahae Rufi nob. 612, 802. — Lőkös mag., homo regius 696, 936. v. et Vörös.
Cselén comitis filii 283, 410; 674, 894.
Cselle nob. 254, 378.
in Cselle (Csalló) tributum 661, 869; 663, 870.
Csene nob. 18, 36.
Csenik castellanus de Vörőskő 361, 517; 674, 893.
Csepán Parvus nob. 575, 766; 582, 771.
Csepani f. Elias homo regius 405, 587.
Csepel villa 37, 66.
Csepel Sziget insula 716, 971.
Cseri poss. 705, 947.
Cserlek poss. 403, 582; 585; 409, 593.
de Cserőháza Paulus nob. 464, 611.
Cseszte castrum 361, 527.
Cseszlve: poss. 514, 676; 522, 680. — nob. 148, 217; 344, 502.
Csethe poss. 382, 548.
de Csetény sacerdos Emericus.
Csetnek: villa 287, 410. — de eadem Benedictus 223, 332. — Ladislai filii nob. 572, 763. — Petrus nob. 684, 910. — nobiles 283, 410.
Csév: poss. 7, 12; 85, 149; 104, 165; 137, 201; 202; 235, 352; 247, 365; 596, 784. — de eadem Mikocsa f. Elek nob. 7, 12; 82, 146; 83, 146; 85 149; 104, 165; 147, 214; 235, 352; 246, 365.
de Cseveyház Paulus nobilis 412, 596.
Csicse poss. 82, 144; 89—93, 157.
Csiha famulus 674, 893.
Csika villa 708, 955.
Csile udvornicus 81, 142.
Csitár: poss. 354, 512; 266, 392; 267, 393. — de eadem Andreas nob. v. de Kaladey. — Benedictus homo regius 213, 315. — French f. Benedicti nob. 354, 512. — Laurentius homo regius 323, 469; 523, 682. — Petrus dictus Korom nob. 524, 682. — Thomas homo regius 169, 245.
Csitvár dictus Andreas homo regius 95, 159.
Csókakő castr. v. Thomas.
de Csokonya nob. 634, 828.
Csolk iobagio 340, 496.
Csolnok: poss. 39, 70; 137, 201; 202; 714, 969. — mag. vicecomes Hontensis 69, 119.
de Csoltó Michael Kis nob. 283, 410; 314, 450.
Csomor udvornicus 81, 142.
Cson poss. 351, 509; 548, 722.
Csongradiensis cottus magistratus 118, 181.
Csontos dictus Gregorius, filius Gyulae, aulae regiae iuvenis 242, 360.
Csorba villa 5, 8.
de Csorna: Praemonstratenses 23, 47. — praepositus Paulus. — Emericus nob. 23, 47.
Csölle: poss. 208, 305; 239, 356; 331, 479; 703, 944. — de eadem Andreas iudlium Posoniensis 27, 53; 28, 54; 35, 63; 42, 77; 89, 157; 101, 162; 208, 305; 365, 527. — homo regius 90, 157; 91, 157; 98, 160. — comes 239, 356; 298, 425. — nob. 350, 509. — Nicolaus f. Sándor et alii nob. 576, 770; 704, 946; 695, 934.
Csölösztő villa 38, 69. — ibidem ecclesiae rector Akuro. — de eadem Johannes nob. 145, 212.
Csöppöny: poss. 665, 874; 670, 883; 693, 931. — de eadem Petrus nob. 670, 883; 693, 931.
Csősz dicti homines 41, 74; 43, 77.
Csőszvize piscatura 37, 67; 42, 77; 55, 97.
Csuka dictus Nicolaus vicecomes Nitr. 191, 282. — comes 538, 709.
Csukár comes, nob. iobagio castri Poson. 98, 160; 121, 184; 360, 527. — eius generacio 122, 184.
Csukárd poss. 188, 273; v. etiam Türnye.
Csukárfalva: poss. 356, 517; 359, 525; 359—64, 527. — alias Türnye poss. 119, 184; 121, 184; 126, 184; 359, 527.
Csukárfölde terra 86, 151; 98, 160.
Csukárpataka fluv. 364, 527.
Csunkur civis Strig. 252, 373; 338, 491.
Csupor domina 523, 682.
Csurgó villa 156, 226.
de Csuta Nicolaus aulae regiae miles, homo regius 494, 650.
Csuth insula 219, 326.
de Csuth ecclesiae b. Eustachii praepositus Jacobus. — ecclesiae villa 96, 159. — Cosmas nob. 61, 103.
Csütörtök villa 702, 942.
Csütörtökhely: civitas 404, 586; 406, 588; 459, 601; 490, 647; 496, 657. — de eadem Marcus comes, civis Barsiensis 679, 906.
Cyne domina 200, 292.
Cynys dictus Petrus civis Budensis 619, 812.
Cyprus regnum 591, 775.
Cyps v. Scepus.
de Czarnowan praep. 47, 86; Bartholomeus, Prothus.
Czege clausura piscium 331, 480.
Cziffer villa 259, 380.
Czikó castellanus de Fejérkő 284, 410. — nob. 131, 194.

D.

de Dág nobiles 265, 387.
Dalacha villa 708, 955.

Dályán terra 359, 527; 363, 527. — de eadem Petrus nob. 36, 64.
Dama terra 320, 461.
Damaka serva 420, 599.
Damás villa 570, 756.
Damasa udvornicus 69, 110.
Damásd: villa 395, 571; 401, 578; 484, 634. — locus venationis regis 467, 612.
Damianus praep. de Sow, canonicus eccl. Quinqueeccl. 15, 32.
Dancs: comes de Zólyom 39, 71; 53, 95; 240, 358; 302, 432. — eius filii 575, 766; 626, 818; 678, 905. — iidem de Komárom dicti 680, 909. — famulus 282, 409.
Danubius: flumen 223, 335; 240, 358; 241, 360; 249, 366; 277, 403; 299, 425; 338, 491; 351, 509; 666, 876. — Magnus fluv. 351, 509. — Parvus fluv. 38, 69. — de Danubii foro Petrus, iuratus Budensis 619, 812. — insula moniales v. Leporum Insula.
Danus nob. 66, 110.
Dapiferorum regalium: cancellarius Salamon. — magistri: Ivánka, Nicolaus. — vicemagister: Nicolaus.
Darázs poss. 353, 511; 497, 659; 672, 889.
de Darócz crferi 684, 911. — eorum commendator Guido.
David ADconus de Szabolcs 202, 296; 544, 716.
Daytha villa 259, 380.
Deák v. Litteratus.
Deáki 30, 57; 82, 144; 89, 157. — alio nomine Kis-Körmösd villa 28, 54; 652, 854.
Debercsény poss. 265, 388; 267, 398.
Debrechepatak 184, 262.
Decani: Budensis, de Dömös, Quinqueecclesiensis, de Simigio, Strig., Varadiensis, Vesprimiensis; Witigo.
Decimae 14, 15, 32; 20, 43; 31, 59; 47, 84; 48, 49, 89; 66, 110; 67, 114; 75, 134; 76, 134; 171, 247; 185, 263; 187, 272; 189, 274; 275; 207, 303; 208, 304; 306; 219, 326; 329; 258, 380; 266, 372; 272, 396; 277, 407; 289, 411; 294, 421; 332, 481; 371, 548; 388, 561; 463, 608; 473, 623; 507, 670; 514, 677; 523, 681; 529, 684; 622, 816; 656, 857; 665, 875; 669, 879; 672, 889; 685, 713; 690, 924; 691, 925; 926; 692, 930; 694, 932; 696, 935; 713, 968; 717, 972; 717, 973; 974.
Decretales libri 668, 877.
Decretorum doctores: Chanadinus, Jacobus, Altegradus de Lendenavia, Petrus, Thomas.
Dedalus nob. 706, 948.
Deez nob. 3, 6.
Dejtár poss. 169, 245; 170, 246; 514, 676; 522, 680; 643, 836.
Deme terra 28, 54.
Demetrius: can. Scepus 473, 623. — et plebanus de Mindszent 668, 877. — decanus eccl. Strig. 209, 307; 353, 511; 229, 344. — Eppus Varadiensis 615, 805; 645, 839; 648, 844. — lector Strig. 704, 945. — sublector et can. Jauriensis 574, 766; 586, 771. — sacerdos, can. eccl. S. Georgii mart. de Strig. 692, 929. — mag., subnotarius conv. Simigiensis 52, 94. — tavarnicorum reg. magister, comes Bácsiensis et Trencséniensis 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 37, 66; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 111, 172; 122, 184; 127, 189; 130, 192; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301; 226, 340; 241, 358; 248, 365; 262, 385; 284, 410; 311, 445; 332, 483. — protonotarius Stephani magistri tavarnicorum regalium 504, 666; 508, 675; 676; 519, 680. — viceiudex domini Boleslai AEppi Strig. ducis Tostensis et comitis de Posega 21, 44. — serviens Chanadini AEppi 292, 418.
Denk f. Nicolaus nob. 548, 720.
Deprehtus comes, civis Posoniensis 44, 78.
Ders nob. 198, 289; 467, 614.
Dezső: iudex curie dominae reginae, comes de Sopron 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 93, 157; 94, 158; 105, 165; 109, 169; 127, 189; 130, 192; 143, 207; 163, 231; 166, 237. — viceiudex curiae regiae 465, 611.
Dethmarus abbas Pécsváradiensis 61, 106.
Detricus: rector curiae seu domus S. Crucis in Posonio 298, 425. — curialis comes Posoniensis 16, 34; 17, 36; 18, 37. — nob. 372, 541.
Dévény castrum 208, 306; 362, 527.
Dézmástelek poss. 290, 415.
Diak (Egyház et Vásár) v. Divék.
Diclinus clericus, privatus a canonicatu Poson. 82, 145; 438, 600.
Dienesdi villa 67, 114; 114, 175.
Dietbmus iudex Tyrnaviensis 656, 858.
Dinus AEppus Januensis (Genova) 408, 592.
Diós poss. 464, 610. — de eadem Ivánka nob. 401, 578.
Diós-Győr villa 532, 692.
Diósvölgy rivulus 382, 548.
Diószeg villa 259, 380. — de eadem Johannes nob. 312, 448.
de Disznós Paulus f. Galli infidelis 394, 571.
Divék (Egyház) poss. — et ibidem plebaniae et scholae fundatio 468, 617. — de ead. Csorba Thomae filii 468, 617.
Divék (Vásár) poss. 468, 617.
Doba poss. 395, 572.
de Dobicza ADconus: Albertinus de Parma.
Dobonyk patak fluv. 153, 225.
de Doborgáz nob. 23, 48. — de eadem Csimir Johannes 507, 670.
Dobrotok villa 682, 889.

de Dolina Johannes f. Detrici nob. 671, 887.
Domanig (Német et Tót) poss. 191, 281.
Domb meta 363, 527.
de Dombo abbas 129, 191.
Dominicanae Sanctimoniales: de Insula Leporum.
Dominicus: ADconus de Borsva 544, 716; de Szigetfő 471, 620; de Ujvár 202, 296. — AEppus Spalatensis 615, 805; 645, 839; 648, 844. — AEppus (sine nomine dioec. Ao 1037.) 161, 230. — canonicus Bosnensis, cantor Strigon. 11, 28. — can. Budensis 119. 183. — praep. de S. Ireneo, can. Bacsiensis 410, 593. — plebanus de Pereszlény, vicearchidiaconus Nitriensis 13, 31. — Michaelis, presbyter Strig. dioec., capellanus Viti Eppi Nitr. 532, 693. — sacerdos, chori Strig. praebendarius 242, 360. — sacerdos de Kápolna, vice ADconus Gömöriensis, vices gerens vicarii AEppi Strig. 469, 618. — sacerdos, conventualis de Zobor 611, 801. — castellanus de Trencsén 393, 569. — banus de Macsó 494, 650; 615, 805; 628, 823; 629, 824; 825; 630, 826; 644, 837; 645, 839; 648, 844. — mag., iudex curiae Thomae voivodae Transilvani, magisterii tavarnicatus domini regis, ac comitis Neugradiensis 348, 506. — f. Karachini sacerdotis 3, 4.
Domján poss. 226, 339.
de Domo Dei praep. 224, 336; v. etiam Czarnovan.
Doneyz v. Dunajecz.
Donk officialis AEppi Strig. 582, 771.
Donkus f. Dominici praedialista AEppalis 503, 666; 519, 680. — decimator 509, 671; 512, 676; 521, 680.
Donzo comes v. Dancs.
Dopla poss. 374, 542; 376, 544.
Doplicze poss. 374, 542; 376, 545.
Dopopoth terra 69, 70, 119.
Dornik terra 299, 425.
Dorog poss. 73, 126; 82, 146.
Dömösiensis: ecclesia collegiata S. Margaritae 9, 20. — praepositus 10, 25; 468, 616; 473, 622; Martinus. — can. Petrus. — custos Henricus. — decanus Jacobus.
in Dörögd parochia, et capella 319, 459.
Drauch v. Darócz.
Dráva fluv. (Ao 1037.) 160, 230; 240, 358. — ultra illum camera regia 207, 303; et decimae 208, 304.
Drégely castrum 463, 607.
Dresk nob. 21, 44.
Drugeth: Johannes palatinus 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301. — Wyllermus mag., comes de Szepes, de Sáros et de Ujvár 143, 207; 217, 323. — idem, palatinus et iudex Cumanorum 241, 358; 248, 365; 253, 374; 262, 381; 262, 383; 263, 384; 273, 398; 277, 406; 301, 430; 308, 445; 328, 477; 332, 482; 372, 541; 374, 543; 375, 544; 395, 572; 396, 573; 400, 577; 578; 411, 595; 470, 619; 472, 621; 473, 624; 625; 475, 628; 485, 637; 635, 828. — eiusdem testamentum 171, 249. — vidua Maria 490, 644.
Drywastensis Epp. Dyonisius.
Dubnykfő caput fluvii 153, 225.
Duburgazyg v. Doborgáz.
Dudvág fluvius 676, 901.
Dudvágszeg villa 259, 380.
Duellum: 245—46, 364. — per pugilem ad definitionem iustitiae reprobat papa 548, 723.
Dulcinensis Eppus Cranus.
Dunajecz: fluv. 301, 430. — prope illum vallis S. Anthonii 86, 153.
Durug v. Dorog.
Dyaky v. Deáki.
Dycusch iudex de Bakabánya 565, 745.
Dyenus v. Dienesdi.
Dyonisius: Eppus Drywastensis, suffraganeusque Strig. 168, 243. — fr. lector de Ordine Minorum, capellanus regis 498, 659; 660. — fr. Ordinis Minorum, ambaxiator Ludovici regis 633, 698. — fr. in Lapide Refugii in ord. Carthusiensi Domino famulans 4, 7; 8. — agazonum regalium magister 494, 650; 615, 805; 645, 839; 648, 844. — mag. dapiferorum regalium, castellanus de Miháld 32, 59; 33, 60; 35, 62; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 127, 189; 130, 192; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301; 241, 358; 248, 365; 262, 381. — comes Borsiensis 187, 271.

E.

Ebed poss. 242, 360; 301, 431.
Ebedecz poss. 114, 176; 355, 515; 391, 564; 489, 644. — idem quod Zalathnuk 399, 575.
Eberhard villa 148, 217; 208, 306; 298, 425; 610, 799. — ibidem eccl. b. Petri 58, 101; 344, 502. — eius rector Johannes.
de Ebes Matheus, procurator Eppi Vesprimiensis 483, 634.
Eburharth v. Eberhard.
Ecclesiae: b. Adalberti de Strigonio 75, 133; 77, 134; 186, 268; 276, 402; 486, 634; 567, 747; 567, 749; 583, 771; 612, 803; 625, 817; 672, 889. — s. Ambrosii Strig. 183, 259. — s. Andreae prope Esztergom-Szent-Király 717, 974; in Poson 57, 100; 711, 961; in Sasad 63, 106; de Tarsalh 571, 762. — b. Annae Strig. 675, 897; in Panyit 674, 894. — b. Bartholomaei apostoli in Karcsa 346, 504; 370, 538; Nyznyz 86, 153. — s. Benedicti abbatialis de iuxta Gron v. ibi. — b. Clementis papae in Kér 672

889. — S. Dominici in Strig. 96, 159; 206, 301; 211, 311; in Túrnye 119, 184. — b. Egidii de Simigio v. ibi. — s. Elisabethae in suburbio Budensi 425, 600; in Lubeta 339, 493. — s. Georgii martiris in Strig. 5, 9; 294, 421; 651, 853; de Maniga 709, 958; de Tát 717, 974; in Temesvár 22, 45; Zyridahel. — s. Gotthardi prope Poson 57, 100; 711, 961; S. Jacobi apostoli iuxta Keszö 102, 162; de Szenna 704, 945; in Tyrnavia 106, 167; de Várkony 710, 959. — S. Joannis penes Papnépe 298, 425. — b. Johannis Baptistae in Ivanosy 668, 877; Baptistae de Jászó v. ibi; in Libád 71, 122; in Liptó 702, 941. — Sancti Laurentii in Poson 49, 90; Vratislaviensis 224, 336. — b. Margarethae de Bylie 717, 974; Dömösiensis 9, 20; 96, 159. — B. M. V. in Besenyö 556, 736; B. M. V. in Hetény 575, 766; 582, 771; 587, 771; de Kluza 168, 243; Pilisio 388, 561; in Podolin 77, 135; de Rodona 65, 109; de Ság v. sub nomine praepositorum eiusdem monasterii; de Scepus 64, 108; in Szurdok-Püspöki 380, 548; de Szöllös et de Ugocsa 1, 1. — minor B. M. V. Varadiensis 3, 4. — s. Martini in Barátka 646, 840; 841, de villa Maros (Nagy) 75, 133; 77, 134; S. Martini de Sacro Monte Pannoniae 115, 178; 654, 856; de Posonio 79, 138; 662, 870, in Ság 407, 589; in Scepus v. ibi; de Staul 36, 65. — Matris Misericordiae in Család 200, 292; in Jaurino 507, 670. — b. Mariae Magdalenae de Nádasd 702, 941. — Eccl. b. Michaelis archangeli in Csallóköz 289, 412; de Csorna 23, 47; de Insula Leporum 535, 702; Lemovicensis dioec. 189, 274; in Liptó-Szent-Mihály 616, 807; in Marczelfalva 481, 631; in Patony; in Poson 711, 961; 599, 790; in Szentmihályfa 102, 162; in Tárnok 493, 650; Vespr. 713, 966. — Altaris sancti Nicolai de Brakcsa 12, 30; S. Nicolai 28, 54; de Alba Regali 284, 410; Haraszt 641, 831; in Nitria 401, 578; in Olsavica 66, 110; de Püspöki 507, 670; de Szempcz 102, 162; in Tyrnavia parochialis 665, 875. — Omnium Sanctorum de Egyház-Divék 468, 617; in Szodó 301, 431. — S. Pauli de villa Szent Pál 265, 387. — b. Petri apostoli de villa Eberhardi 58, 101; 148, 217; 344, 502; de Gelle 136, 199; de Paach 35, 64; Posega 73, 126; in Szenyér 570, 756; in Veteri Buda 9, 26. — Sanctae Crucis 135, 198; iuxta Gron 425, 600; S. Crucis Vratislaviensis 224, 336. — s. Salvatoris in Poson v. Poson cap., praesertim 661, 869; 662, 870; ad fabricam eiusdem indulgentiae 686, 916. — S. Spiritus in suburbio castri Budensis 157, 228. — b. Stanislai mart. de Sáros 595, 783. — b. Stephani protomartiris in Muzsla 301, 431; de Varadiensi Promontorio v. ibi; S. Stephani in Wienna 424, 600. — S. Regis Stephani de Bozók 191, 281; in Strig. v. Strig. crferos; de Ujhely 235, 351. — S. Thomae de Mezö-Somlyó 162, 231; de Quinqueecclesiis 784, 410; de Surány 532, 644; 533, 699; T. Thomae de Promontorio Strig. v. Strig; de Sydoud 717; 974; (in Szent-Tamás) Kürt 131, 194; 251, 370. — S. Trinitatis de Calidis Aquis v. de Calidis Aquis crferos. — b. Ypoliti mart. de Zobor v. ibi. — Agriensis; Albensis 243, 360; de Alistál 655, 857; de Bozók 182, 257; de Korthó; Cracoviensis 9, 21; 713, 966; de Csejk 14, 32; in Csát 484, 634; de Csölösztö 146, 212; de Csút 96, 159; de Elefánt 13, 31; de Korpona; de Fyast 85, 148; de Gamás 442, 600; de Gnezna; de Kana 63, 106; de Kiliti 146, 212; in Kurd; de Leek 216, 320; de Lövöld 14, 32; de Lubló; de Örs 14, 32; 713, 966; de Pelsöcz 223, 332; de Podolin; de Sassad 14, 32; 713, 966; de Segösd 14, 32; 713, 966; de Selmeczbánya; de Simigio parochialis 442, 601; de Somorja 158, 229; Szebeniensis parochialis 11, 26; de Szempcz 547, 719; in Szmrecsány 702, 941; de Terpech 155, 226; in Túrnye 127, 189; in Üztörfalu 555, 731; de Vereb 199, 291; Vesprimiensis 335, 489; de Vica 442, 600; in Visegrád constructa 69, 117; Zagrabiensis; de Vereb patronatus 210, 309;

Echem praedialista AEppalis 503, 666; 519, 680.

Ecset poss. 265, 388; 267, 395; 276, 402.

Edde poss. 566, 746; 613, 804; 614, 805.

Edeuch nob. 243, 361; 250, 368.

Egeg poss. 685, 914. — ibidem sacerdos Petrus.

Egerfa arbor meta 287, 410; 632, 828.

Egidius v. ADconus de Gömör 223, 332.

Egri Demetrius can. Strig. ex consideratione Roberti, reg. Siciliae 181, 255. — Jacobus civis Budensis 151, 222; 222, 331. — Johannes iuratus Budensis 619, 812. — Nicolaus procurator 408, 592.

Egyházkereki poss. et de eadem Michael nob. 462, 605.

Ekeások föld terra 346, 504.

Ekecs poss. 678, 905; 680, 909.

Elbulinus aurifaber civis Budensis 619, 812.
Eleek nob. 27, 53; 28, 54.
Elefánt: (Superior et Inferior) villae 13, 31; 259, 380. — ibidem eccl. 296, 421. — eiusdem rector Johannes. — de eadem Mathias et Martinus comites 13, 31. — de Mog homo regius 90, 157. — Moys nob. 98, 160. — Nicolaus comes 327, 476; 680, 849.
Elekfölde terra 676, 901.
Eles domina 150, 222.
Elisabetha regina Hung. 73, 124; 80, 140; 185, 266; 267; 189, 277; 197, 289; 198, 289; 199, 290; 223, 335; 234, 351; 239, 357; 242, 360; 283, 410; 490, 645; 494, 650; 495, 653; 495, 656; 497, 659; 550, 724; 555, 732; 603, 792; 793; 658, 861; 675, 897; 684, 910; 685, 914; 690, 922; 691, 928; 696, 935.
Elocatio possessionis 318, 458.
Elővölgy prima vallis 676, 901.
Elsawycha v. Olsavica.
de Elya Elias nob. 466, 612.
Emericus: reg. Hung. 50, 92; 628, 823; 644, 837. — can. Posoniensis 29, 56; 67, 115; 75, 131. — clericus chori capituli Budensis 228, 344. — clericus chori crferorum de Strig. 578, 771. — fr., procurator mon. s. Benedicti 384, 554; 390, 564; 396, 575; 404, 586; 406, 588; 408, 591. — sacerdos de Csetény 710, 959. — castellanus de Léva 41, 75; 254, 375. — f. Deez nobilis Iobagio AEppalis de villa Boch 3, 6.
de Emőke: Dezső nob. 277, 405; 357, 521; 400, 578. — Zobonya nob. 460, 601; 462, 604.
Endre: lector Quinqueeccleslensis, vicecancellarius 39, 72; dein praep. Budensis 53, 95; 55, 97; 56, 98; postea praep. Albensis 76, 134; 84, 146; 93, 152; 97, 159; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 111, 172; 122, 184; 127, 189; 129, 192; 130, 193; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 170, 247; 205, 301. — f. Geletus iuratus Strig. 393, 569; 499, 663.
Endryo vicecomes Simigiensis 466, 612; 491, 648.
Engh civ. 416, 597; 560, 738.
Engelschalcus capellanus canonicorum Poson. 441, 600.
Enricus comes Barsiensis 16, 35.
Enud nob. 36, 65.
de Enyiczke Szomor f. Aryus nob. 480, 630.
Enykey v. Emőke.
Eppi: Agriensis, Albanensis, Albensis de Nándor, Bosnensis, Calliensis, Canensis, Castellanensis, Cracoviensis, Csanadiensis, Drywastensis, Dulcinensis, de Freisingen, Jauriensis, Lucanus, Milkoviensis, Montis Marani, Nazariensis, Nitriensis, Olomucensis, Paduanus, Pataviensis, Polensis, Portuensis, Quinqueecclesiensis, Reatinensis, de S. Yreneo, Sirmiensis, Tergestinensis, Traciensis, Transilvanan., Vaciensis, Varadiensis, Veriensis, Vesprimiensis, Warmacensis, Wratislaviensis et Zagrabiensis, ecclesiarum.
de Epöl Michael Iobagio Capituli Strig. 48, 89. — Pete nob. 467, 613.
Ér fontana 633, 828. — fluvius 317, 457.
Ér-Tarcsa poss. 315, 452.
Erhardus plebanus de Mullenbach 64, 108.
Erdőfalva poss. 548, 720.
Estenses marchiones 47, 85.
Esztyén civ. 416, 597; 560, 738.
Éte (Polda-) v. Itipolda.
Ethele nob. 152, 225.
de Etrekarcsa Petrus et Nicolaus homines regii 659, 863.
de Eugubio Andreas mag. clericus, medicinalis scientiae professor, can. Strigon. ex consideratione Caroli regis Hungariae et plebanus de Patak sine onere residentiae 181, 255; 203, 298.
Euzidinus nob. 646, 840; 841.
Ewrmen v. Ürmény.
Examen promovendorum ecclesiasticorum 532, 694; 533, 695.
Examinator Budensis Nicolaus.
Exercitus missus in Poloniam contra Tartaros 473, 625.
Exonensis dioec. 437, 600.
Expensae nuntii apostolici 316, 456.
Eysal domina 542, 714.
Ezbeg v. Özbég.
Ezeren terra 287, 410.

F.

Fablanus: religiosus ord. Fr. Minorum, inquisitor per Bosniam 115, 177. — sacerdos Poson 441, 600.
Facultas dispensare super natalium defectus Boleslao AEppo data 9, 7.
de Fakos Benedictus clericus Vesprimiensis propositus ad canonicatum Varadiensem 531, 691.
Falsificatio litterarum 60, 103.
Fancsal villa 259, 380.
Fantini Johannes, capellanus Eppi Paduani 701, 939.
Faristar v. Felistál.
Farkashida villa 653, 855.
Farnad poss. 461, 603.
Fata Iobagio 510, 674.
Fegyvernek poss. 46, 82.
Fehér: Andreas nob. 377, 547. — Paulus nob. 668, 878. — dictus Petrus civis Poson 542, 714.
Fehéregyház: poss. 148, 216. — de eadem Andreas nobilis 197, 289. — Gregorius, dictus Orros, iudlium Simigiensis 198, 289. — Paulus comes 47, 88; 50, 93; 51, 94; 53, 94; 145, 210; 147, 216.
Feerkew lapis (Ao 1037.) 160, 230.
Fejérkő castrum 284, 410.
Fekete: Benedictus castellanus de Saskő 282, 409; 278, 407. — Dyonisius comes 361, 527.
Feketeerdő poss. 552, 726.
Fél (Nagy): villa 610, 799. — de eadem Bodó. — Balsar. — Botond. — Sisa et Wechyl nobiles 58, 101.

Felistál terra 299, 425. — de eadem dictus Taró Stephanus nob. 563, 742.
Felsőpanyit poss. 284, 410.
Felkewpataka rivulus 553, 729.
Felvincz: poss. 109, 171; 110, 172; 116, 179; 117, 180. — de eadem Siculi 555, 732; 555, 733; 563, 741.
Fenkupataka fluv. 402, 579.
Fenyérd terra 96, 159.
Fenyőerdő silva 288, 410.
Fenyősevnicze fluv. 565, 744; 569, 754; 658, 861.
Fenyősevniczpataka rivulus 611, 801.
Ferench civis de Csütörtökhely 496, 657.
Fertő lacus 10, 24.
Feudum 392, 565.
Feyryghaz v. Fejéregyház.
Fintha nob. 72, 123.
de Finta nob. 595, 783.
Fischwaid locus 666, 876.
Flanczendorf poss. 25, 49; 46, 83; 85, 150; 88, 156; 108, 169.
Fodor Stephanus, iudex de Bars 490, 647.
Fogas Egidius nob. 548, 722.
Fok locus 317, 457.
Forgács dictus Nicolaus nob. 572, 763.
Födémes 259, 380.
Földe nob. 68, 116.
Földes Petrus nob. 342, 500.
Földespéter földe alio nomine Bél terra 342—43, 501.
Főrév poss. 617, 808; 642, 834.
Francia regnum 591, 775.
Franciscus: Eppus Tergestinus, nuntius apostolicus per Hungariam 590, 773; 593, 778; 602, 791; 607, 797; 608, 798. — sacerdos ecclesiae de Sassad 14, 32. — aulae reginae iuvenis 691, 928.
Frank filius Stephanus comes, iudex Strig. 393, 569; 643, 837; 499, 663.
de Frankenfurda Johannes iuvenis, clericus Moguntiensis dioec., iuris peritus 427, 458, 600.
Franko civis Strig. 96, 154.
Frankynus civ. Strig. 137, 202.
Fredlinus civis Strig. 393, 569.
de Freisingen Eppus: Berchtolt.
Fridericus: cantor de Simigio 148, 216. — plebanus de Szent-György 599, 790.
Frithko magister, comes camerarum de Szomolnok et Körmöcz 306—312, 445.
Frwynus can. Scepus. 306, 443.
de Frybruch Theodoricus clericus Olomucensis dioec. 422, 600.
Fuko nob. de Csallóköz 17, 36.
Fulwynch v. Felvincz.
Füss: poss. 489, 644. — de eadem Petrus nob. 355, 515.
Fűzbokor arbor, meta 632, 828.
Füzes terra 346, 504; 530, 686.
de Fyast ecclesia 85, 148.
Fynisar stagnum 18, 36.
Fyus v. Füss.
Fyuzeg vallis 343, 501.
Fyzegh fluv. 483, 484, 634.

G.

Gaal nob. 198, 289.
Gahan f. Mauricii villicus Strig. 48, 89.
de Galla Demetrius et Thomas nob. 377, 546.
Galánta villa 28, 54; 102, 162.
Galatya domicella 420, 599.
Gallici Ep. 103, 164.
Gallicus: Benedictus civ. Strig. 96, 159. — Paulus v. Latinus.
Gallus: mag. nob. 706, 948. — Famulus praep. Scepusiensis 306, 443; Scepus 322, 467.
Gálospetri poss. 462, 604.
de Gamás eccl. sacerdos Barnabas.
de Garábi: praep. 517, 679; Ambrosius.
Garag nobilis 16, 35.
Garam fluvius 290, 416; 301, 431; 390, 564; 343, 501; 397, 575; 541, 712; 547, 718; 553, 728; 565, 744; 606, 795; 650, 848; 658, 861; 679, 906. — fluv. 606, 795.
de Gargon Hank, f. Arnoldi nobilis 191, 280.
Gatal generacio 153, 225.
Gayzmyr dictus Johannes de Posonio v. Casmer.
Geech poss. 461, 603.
Geeg villa 296, 421.
Gehan: Cumanus 531, 692. — pistor Strig. 206, 301.
Gekmynus apothecarius regis 225, 339; 486, 640; 487, 641.
Geletnek villa 541, 712; 542, 718; 553, 728.
Gelle: villa 2, 3; 72, 123. — de eadem eccl. b. Petri ap. 136, 199. — Johannes, Michael.
Gellye: villa 441, 600. — de eadem Nicolaus f. Johannis scholaris chori Poson., canoniam Poson. praetendens 303, 435; 303, 436 v. etiam de Simigio.
Genegundis domina 542, 714.
Genera Hung.: Ákos, Csanád, Gathal, Hont-Pázmány, Nolcsa, Pudur, Rosd, Waras, Udvornicorum.
Genova v. Januensis.
Genőcze poss. 9, 22.
Gentilis fr. Sancti Martini in Montibus presb. cardinalis legatus apostolicus 31, 59; 57, 100; 432, 600; 600, 790; 709, 957; 711, 961; 712, 962; 712, 963.
Georgius: ADconus de Maramaros 202, 296. — can. Strig. 48, 89. — cantor Jauriensis 299, 425. — capellanus perpetuus missae fundatae in eccl. Poson. 385, 557. — Eppus de Sancto Yreneo alias Sirmiensis 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 127, 189; 129, 192; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301. — praep. Örsiensis et can. Vesprimiensis 510, 674. — sacerdos chori Nitr. praebendarius 324, 471. — presb. de Sancto Georgio (Jaur. dioec.) 150, 219. — chori Strig. presbiter praebendarius 362, 527: 484, 634;

398, 575; 547, 718. — presbiter, succentor cap. Scepusiensis 372, 541; 668, 877. — famulus praep. Scepusiensis 306, 443.
S. Georgii societatis militiae constitutiones 103, 163.
Geraldus ordinis fratrum minorum generalis minister 352, 510.
Gerardus (postea sanctus) monachus de Venetia (Ao 1037) 160, 230.
de Geráltfalva Nicolai filii 680, 880.
Geregen villa 259, 380.
Gerencsér poss. 259, 380; 656, 858.
Germen (Gyermen) poss. 335, 489.
Geroldus iobagio Varadiensis 3, 4.
Gerund v. Győröd.
Gerungus: fr., prior de Kedhely 87, 156. — abbas de Kedhely 88, 156; 108, 169. — civis Poson. 542, 714.
Gervasii Petrus, can. Vivariensis, nuntius apostolicus 297, 424; 316, 456; 331, 481; 463, 608.
Gesztes castrum v. Thomas.
Geszt villa 259, 380.
Geubul litteratus procurator crferorum Budensium 526, 684.
Getrecz fragmentum terrarum 615, 806.
Géza I. rex Hungariae 107, 168; 390, 564; 397, 575; 636, 829. — Géza II. rex Hung. 646, 841.
de Ghicca Michael praedialista 300, 426.
Ghimes castrum 168, 244; 169, 244; 184, 262; 369, 537; 497, 658.
de Gicze sacerdos Benedictus.
Gylethi: filii 337, 490. — filius Johannes, comes de Turócz 628, 823; 629, 824; 629, 825; 639, 826; 644, 837. — filii Nicolaus et Johannes, comites de Turócz 465, 611. — f. Stephanus civis Strig. 204, 301. — f. Geletus iuratus Strig. 499, 663.
Girincs poss. 505, 668.
Glyris Mons in cottu Posoniensi 28, 54; 102, 162.
Gnézda civ. 47, 86; 73, 125; 74, 128. — ibi parochia 66, 111. — eiusdem iurisdictio 202, 297; 224, 336.
Gobel iobagio de Németi 125, 188.
Gobul litteratus, procurator crferorum de Calidis Aquis 516, 677.
Gocznód villa 259, 380.
God nob. 405, 587.
Godinus: comes, civis Strig. 137, 202. — f. Godini iuratus Strig. 499, 663. — f. Stephanus comes iuratus Strig. 204, 300; 393, 569.
Gomba: villa 680, 881. — de eadem Kumpurd, Kupe et alii nobiles 680, 881; 593, 777; 607, 796.
Goor dictus Nicolaus nobilis 244, 363.
Gormoth v. Gyarmat.
Gozancha villa 541, 712; 547, 718; 553, 728.
de Gölnicz Jekkel nob. 195, 287.
Gölniczbánya civitas 550, 724.
Gömör villa 314, 450; 470, 618.
Gömöriensis: archidiaconus 46, 81; Johannes. — cottus congreg. gen. (Ao. 1255.) 503, 666; 519, 680. — cutellus decimarum 294, 421. — vice ADconus Dominicus, Egidius, Laurentius.
Göncöl lector Quinqueecclesiensis 421, 599.
de Görgeteg Petrus homo regius 99—100, 161.
Gradisahegye terra 315, 453.
Gradnensis ADconus 709, 958; Paulus.
Grandimontensis Ordo 193, 286.
de Granicha Michael nobilis 21, 44.
Gregorius: abbas de Zobor 118, 182. — can. Jauriensis 683, 909. — can. Strig. 116, 179; 117, 180. — can. Strig. Eppus Csanadiensis 571, 759. — Eppus Csanadiensis, ambaxiator Ludovici regis 575, 767; 615, 805; 628, 823; 629, 824; 629, 825; 629, 826; 644, 837; 645, 839; 648, 844. — Eppus Sirmiensis 262, 381. — papa X. 708, 956. — praep. Csasmensis 284, 410. — praep., ambaxiator Ludovici regis apud sedem Apostolicam, supplicat pro canonicatu Strig. 494, 652. — lector Albensis 292, 418. — Nicolai, clericus Jauriensis, canonicatum Jauriensem petit 533, 695. — presb. chori Scepus praebendarius 375, 543.
Groe civis de Ujbánya 615, 806.
Gron v. Garam.
Groseer, quae vocatur Meynoldsprun, vinea in Poson. 386, 557.
Grwb v. Gurab.
Guche v. Gicze.
Guege nob. 197, 289.
Guerbouch mons 287, 410.
Guido tit. s. Caeciliae cardinalis, legatus apostolicus 402, 580; 671, 884; 671, 886; 675, 895; 690, 922; 696, 935; 697, 937; 699, 938; 700, 959; 701, 940. — ord. s. Anthonii magister et commendator in Dravecz 64, 108.
Guillelmus: Lucanus AEppus 174, 250. — auctoritate apostolica notarius 233, 350,
Gulia v. Gellye.
Guncelinus v. Göncöl.
Gung v. Gyöngy.
Guot Stephanus nob. 146, 212.
Gurab villa 259, 380.
Gurgetegh v. Görgeteg.
Gurk iobagio udvarnicorum 17, 36. — v. Györk.
Gurugui v. Gyerk.
Gúta: poss. 678, 905. — de eadem populi 680, 909.
de Gutor: Petrus iudlium prov. Csallóköz 17, 36; iudlium Posoniensis 27, 53; 28, 54; 35, 63; 42, 77; 89, 157; 101, 162. — Sigillum eius 47, 77.
Guztetun pataka fluv. 287, 410.
Gyarak poss. 215, 320; 260, 381; 677, 904.
Gyarmat: poss. 143, 208; 144, 208; 223, 334; 239, 357; 249,

366; 377, 546; 630, 827; 643, 836. — (Balassa-) 689, 921; 704, 945. — in ea capella 498, 661. — de eadem Johannes nobilis 671, 888. — Georgius comes 78, 136. — iobagio Petrus 143, 208.
Gyarmatszigete insula 242, 360.
de Gyékényes Johannes Ponch clericus Strig. dioec. supplicat canonicatum Scepus. 531, 691.
Gyep terra inculta 606, 795.
Gyerk poss. 69, 119; 210, 308; 315, 453.
Gyertyánfa meta 287, 410.
Gyesse v. Géza.
Gyesznós v. Disznós.
de Gyogh Georgius homo reg. 110, 172.
Gyos v. Diós.
Gyosgewr v. Diós-Győr.
Gyozeg v. Diószeg.
Gyöngy femina 36, 64.
Győr: villa 475, 627; 510, 674.
Győred: poss. 367, 530. — ibi capella 498, 661. — de eadem Nicolaus homo regius 367, 531, 368, 533; 391, 564; 398, 575. — Nicolaus 660, 867; 678, 904. — Pobor f. Mike et alii nobiles 244, 364; 345, 503; 367, 530. — nobiles 460, 601.
Győri: Nicolaus civis Budensis 151, 222; 222, 331. — Petrus iuratus Budensis 619, 812.
Györk udvornicus 81, 142.
Gyuge iobagio 482, 632.
Gyula: comes terranorum in Scepus 64, 108. — comes Saxonum Scepusiensium 64, 108; 74, 130. — nob. 131, 194.
Gyurgus officialis AEppi Strig. 582, 771.
Gyurug v. Gyorok.
Gyürke nob. 618, 811.
Gyuky v. Gyerk.
Gyrug v. Gyarak.

H.

Hacsok: poss. 223, 334; 412, 596; 463, 606; 463, 609; 464, 611. — idem quod Honti 464, 611.
Haeresis: quod Christus Dominus et eius apostoli in bonis, quae habebant, tantum facti usum habuerint 138—40, 203.
Haimburg civitas 667, 876.
Halad praedialista AEppalis 503, 666; 519, 680.
de Haláp Georgius nob. 377, 546.
Halas generatio Cumanorum 532, 692.
Halom meta 574, 766; 587, 771.
Hambates Prayten ager in Poson. 492, 649.
Hambatho comes, iudex Poson. 49, 90; 57, 100. — nobilis, civis Poson. 37, 69; 711, 961. — eius nepos Jacobus civis Poson. 492, 649.
Hamburg poss. 142, 206; 372, 541; 478, 680. — ibi capella 478, 628.
Hannus civis Strig. 392, 567; 568, 393; 569.
Hanusfalva poss. 548, 720.
de Hanva Hunch filii et alii nobiles 524, 683.
Harabur v. Chrabor.
Harakócz: poss. 473, 623. — ibidem ecclesia et eius rector Ladislaus.
de Haraszt: Martinus f. Thomae, can. Strig. et Vaciensis, canonicatum Agriensem petit 641, 830; idem pro eccl. s. Nicolai de Haraszt indulgentias petit 641, 831. — arbor, meta 153, 225.
Harduinus iudex Poson. 711, 961.
Harmacz poss. 650, 850.
Hársfa arbor 288, 410.
Haruncsár: poss. 473, 625. — de eadem nobiles 473, 625.
Hartyán poss. 687, 917; 704, 945.
Hasthorn lapis 719, 975.
Hasvize aqua 632, 828.
Hatvan villa 382, 548.
Hebecs: poss. 226, 339. — civis de Csütörtökhely 496, 657.
in Heckenthal plebanus Chunradus.
de Hedrici castri insula Leupoldus 16, 33.
Hegun f. Benedictus nob. 562, 742.
Hegyesd castrum 475, 626; 475, 627; 510, 674.
Hegeskew lapis (Ao 1037) 160, 230.
Heiligen Kreuz monasterii domus Poson. 56, 99. — eiusdem mon. abbas Otto.
Hench veculator Strig. 251, 373.
Henclinus civis Posoniensis 49, 90.
Henricus: abbas eccl. S. Mariae Scotorum in Vienna 389, 562; 421, 600. — canonicus Jerosolimitanus et praep. Miechoviensis de Polonia 719, 975. — cantor Quinqueecclesiensis 421, 599. — custos de Dömös 695, 933; decanus de Simigio 148, 216. — fr. monachus de S. Benedicto 626, 821. — plebanus in Weykendorf iuris peritus 427, 600. — praep. Scepusiensis 20, 43. — idem eppus. Vesprimiensis et aulae dominae reginae cancellarius 25, 49; 26, 51: 32, 59; 35, 60; 33, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 122, 184; 127, 189; 129, 192; 143, 207; 154, 225; 157, 227; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 171, 247; 190, 277; 199, 289; 205, 301; 235, 353; 715, 970; 716, 971; 717, 972; 717, 973—974. — nob. AEppalis 25, 50.
Henzlini domus meta 38, 69.
Herbipolensis dioecesis Petrus Chonradi.
Herbordus: nob. 225, 339. — f. Andreae homo regius 625, 817. — f. Nicolai homo regius 484, 634.
Herczegh dictus Petrus 497, 659.
Herencs praedium 163, 234.
Héreg poss. 85, 148.
Herestyén villa 677, 904.
Herestyén (Kis): poss. 627, 821. — de eadem Johannes dictus Gyepes nob. 627, 821.

de Herman Martinus homo regius 502, 666; 518, 680.
Hermannus: abbas S. Montis Pannoniae 44, 78. — rector hospitalis s. Elisabeth in suburbio Budensi 425, 600. — mag. plebanus in Walchunschirchen iuris peritus 422, 600.
Hermani fil. Stephanus civis Strig. 204, 301; 393, 569.
Hero terra 234, 337.
Hertlinus iudex Poson. 57, 100; 351, 509; 433, 600; 438, 600.
Hertul iobagio cap. Poson. 653, 855.
Herveg terra 156, 226.
Hetény: poss. 568, 753; 572, 765; 573, 766; 577—588, 771 pluries; 710, 958. — ibidem eccl. B. M. V. 575, 766; 582, 771; 587, 771. — de eadem Petrus f. Apor homo regius 682, 909.
de Hetes Gebeth nob. 198, 289.
Heteu nob. 18, 36.
Hétitófő lacus 351, 509.
Hét (Hideg): poss. 239, 356; 350, 509; 562, 742. — de eadem Demes, Bodor et alii nob. 563, 742. — Farkasius homo regius 617, 808; 642, 834; 652, 854; 653, 855; 697, 936.
de Heves ADconus Petrus.
Heydenricus fr., abbas de Kolozsvár, a regimine amotus 128, 191.
Hewr v. Ör.
Hideghét v. Hét (Hideg).
Hidvég villa 227, 475; 524, 682; 649, 845.
Hilény poss. 244, 363.
de Hind: Dyonisius homo reg. 192, 284; 282, 409. — Michael homo regius 324, 471; 547, 718. — Salamon homo reg. 231, 346; 325, 472; 349, 508; 391, 564; 459, 601; 540, 711; 564, 744; 611, 801; 636, 829. — Stephanus homo reg. 540, 712; 541, 713; 636, 829. — Syke homo regius 282, 404; 373, 542; 375, 544; 376, 545. — Michael fr. Sike, Stephanus, et Ivan dictus Ördög homines regii 557, 736.
Hispaniae regnum 591, 775.
Hoboy praedium 420, 598.
Hohney vinea in Posonio 386, 557.
de Hodi Ferench iudlium Poson. 702, 942.
Homicidales marcae ab interfectorum funeribus receptae sufferuntur 274, 399.
Homok terra arenosa 149, 217; 344, 502.
Humuro fluv. 72, 123; 344, 502; 392, 565.
Hona nob. 18, 36.
de Honor, Dominicus f. Martonos homo reg. 484, 634.
Honorius III. papa 118, 182; 220, 330.
Hontenses ADconi: Johannes, Nicolaus.
Hontensis cottus: congr. generalis 480, 629; 503, 666; 519, 680; 630, 827; 689, 921. — palatinalis 643, 836. — eiusdem cottus magistratus 211, 313; 214, 316; 463, 617; 321, 462. — vice ADconus: Petrus.
Honthi: poss. 412 596. — idem est quod Hacsok 464, 611.
Hont-Pázmány genus 650, 850.
Hordó famulus 676, 904; 689, 920.
Horhathy poss. 385, 556.
Horsow castrum 341, 500.
Hortung civis Poson. 542, 714.
Horvát Stephanus castellanus Eppi Nitr. 401, 578.
de Horvátkut Johannes homo regius 197, 289.
Hospitalarii v. Crferi.
Hospitalia: Quinqueecclesiensis, Poson., Tyrnaviensis.
Hothkompa fluv. 343, 501.
Howchstraz contrata in Poson. 386, 557.
Hugo rex Cypri 591, 775.
Humon aqua 149, 217.
Humoro poss. 388, 561.
Hungari episcopi 103, 164.
Hungariae: Epporum quaerelae contra Carolum regem 321, 465. — praelatorum convocatio 593, 778. — rex feudatarius s. Romanae ecclesiae 103, 164.
Hungarorum platea in Poson. 539, 709.
Hungarus Paulus, delegatus Caroli regis 171, 247.
Hurrici f. Stephanus civis Strig. 204, 301; 393, 569; 499, 663.
de Hunsdorf Nicolaus can. Scepus et plebanus de Buda 480, 630.
Husvét udvarnicus 17, 36; 81, 142.
Hylia praedialista AEppalis 345, 504.
Hypolitus: castellanus de Árva 255, 379. — comes de Körmöczbánya 536, 706.

I.

Ibrahun terra 343, 501.
Ibur: nob. 2, 2. — f. Herbordi nob. 225, 339.
Iburharth v. Eberhard.
Igrám villa 259, 380; 660, 864.
Igriczi: poss. 506, 669. — de eadem nobiles 506, 669.
Ihar arbor, meta 153, 225.
Iharfa dumus 271, 396.
Ikonye nob. 198, 289.
Ikrösegerfa meta 287, 410.
Ildebrandinus Eppus Paduanus, Guidonis legati nuntius 696, 935; 647, 937; 699, 938; 700, 939.
Ilka v. Jóka.
Incs domina 227, 343.
Indulgentiae concessae 8, 15; 8, 16; 69, 117; 77, 135; 84, 147; 168, 243; 339, 492; 365, 528; 531, 687—689; 532, 694; 533, 694; 571, 762; 641, 831; 675, 897; 675, 899; 686, 916.
Informatores: Johannes, Nicolaus, Paulus.
Innocentius: III. papa 220, 330; 598, 787. — IV. papa 131, 195; 707, 951.
Inquisitores haereticorum per Bosniam 115, 177.
Insula Leporum v. Leporum Insula.
de Insula Maiori ord. S. Augustini lector Nicolaus. — monachus: Nicolaus.
de Insula v. Szigeti.

Interfectionis casu, quia vergit ad sanguinem, conventus Pécsváradiensis denegat inquisitionem 10, 25.
Ipoly fluv. 210, 308; 243, 361; 323, 469; 324, 470; 326, 474; 333, 487; 402, 579; 495, 656.
de Italia rediturus Ludovicus rex 660, 865.
de Itipolda Polda nob. 649, 846.
Iva poss. 463, 690; 464, 611; 223, 334.
Ivánka: Varadiensis Eppus. 1, 1; 23, 45; 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 127, 189; 129, 192. — mag. dapiferorum regalium 615, 805; 645, 839; 648, 844; 671, 888. — comes, nob. de Braccha 2, 2. — mag., can. Poson. 208, 306; 424, 459; 600 pluries; 619, 811; 661, 869; 662, 870. — praep. de Ság 69, 119.
Ivánkateleki terra 266, 392; 267, 393
Ivánosy: villa 667, 877. — ibidem eccl. b. Johannis Baptistae 668, 877.
Iványi: poss. 298, 425; 208, 306. — ibidem sacerdos Laurentius.
Iwahun nob. 18, 36.
Iwuschet civis de Ujbánya 615, 806.
Izsép: poss. 353, 511; 497, 659. — iudex curiae Wyllermi Drugeth palatini 372, 541; 374, 543; 476, 628. — f. Nicolaus nob. 668, 878.

J.

Jacobus: fr. abbas monasterii b. Mauritii de (Bakony) Bél 159, 230; 161, 230. — abbas de Kedhel 108, 169; 85, 150; 87, 156; 88, 156. — can. Budensis 119, 183; 624, 816. — can. Poson. 57, 100. — Leupoldi can. Poson. pleb. eccl. Sancti Laurentii 49, 90. — mag. can. Strig. 639, 829. — f. comitis Frankyni, can. Strig. 95, 159; 183, 259. — cantor Strig. 5, 9. — decanus de Dömös 695, 933. — Eppus Castellanensis 176, 250. — Eppus Csanadiensis 241, 358; 262, 381; 291, 417; 494, 650. — Eppus Zagrabiensis 615, 805; 645, 839; 648, 844. — fr. confessor Chanadini AEppi 306, 443. — magister crferorum de Strigonio 7, 12; 46, 82; 50, 92; 61, 104; 63, 107; 83, 146; 113, 172; 164, 237; 210, 308; 242, 360; 250, 368; 251, 370; 276, 402; 717, 974. — monachus de S. Benedicto 168, 244; 580, 771. — mon. S. Benedicti praepositus 192, 284; 300, 427; 369, 537; 354, 513; 496, 657; 497, 658. 536, 706; 635, 829. — praepositus ecclesiae b. Eustachii de Csúth 218, 326. — praep. Scepus 87, 154. — fr. praepositus eccl. S. Stephani de Promontorio Varadiensi 22, 45. — rector eccl. de Szent-István (Liptó) 616 807. — rector eccl. b. Michaelis arch. in Liptó-Szent-Mihály, et vice archidiaconus Liptoviensis 616, 807. — sacerdos chori Nitr. 552 728; 636, 829. — fr. sacerdos e conv. Zoboriensi 459, 601. — s. Thomae praep. de Promont. Strig., decretorum doctor, vicarius Chanadini AEppi 377, 547; 469, 618; 523, 682; 572, 763; 604, 794; 607, 797. — aurifaber Strig. 239, 419. — civis de Bakabánya 592, 776. — comes, civis Posoniensis, officialis Thomae AEppi de Csallóköz 12, 29. — civ. Strig. 137, 201; 202. — f. comitis Deprehti iudex Posoniensis 44, 78; 57, 100; 276, 403; 392, 565; 571, 758; 588, 772; 661, 869; 662, 870; 686, 915. — f. Thomae nobilis iobagio s. Strig. ecclesiae de villa Bácsfa 123, 185. — notarius publicus 458, 600.
Jacobi militiae ordinis domus in Hungaria 708, 956.
Jadrensis AEppus Nicolaus.
Jakabfalva poss. 403, 582; 585, 409—10, 593.
Jákó nob. 131, 194.
Jamnik poss. 616, 807.
de Janduno Michael haereticus 172, 250.
Janitorum reg. mag. Johannes (Ivánka.)
Jánosfalva villa 21, 43.
Januensis AEppus Dinus.
Janus v. Jánosfalva.
Jaroslaus cancellarius Cracoviensis 66, 111.
Jász dictus Paulus iudex de Bars 404, 586; 678, 906.
de Jászó conv. 379, 548; 531, 690. — cantor: Johannes. —. praepositus: Paulus.
Jaurinum: altare B. M. V. et eius mag. Lucas 652, 854. — canonici: Demetrius, Gregorius, Nicolaus, Stephanus. — canonicatum petit Gregorius Nicolai. — cantores: Georgius, Nicolaus. — Capitulum: 23, 47; 58, 103; 67, 115; 74, 131; 75, 132; 82, 143; 82, 144; 86, 151; 90, 157; 98, 160; 99, 161; 114, 175; 119, 120; 184, 119; 184, 121; 184, 150; 219, 330; 298, 425; 312, 446; 312, 449; 319, 461; 326, 473; 327, 474; 331, 479; 361, 527; 499, 662; 502, 665; 573, 766; 652, 854; 653, 855; 678, 905; 680, 909; 681, 909; 691, 925; 696, 936. — eius notarius Nicolaus. — castrum 506, 670. — ibidem plebanus Lucas. — clericus Gregorius Nicolai. — custodes: Michael, Petrus. — eccl. 262, 382. — eccl. Matris Misericordiae 507 670. — Eppus 103, 164; 699, 938; 700, 939; Colomannus, Nicolaus. — Eppatus Romanae sedi reservatur 70, 120. — lector Mathias. — praep. Briccius. — sacerdos Nicolaus. — sublect. Demetrius.

de Jaurino v. Győri.
Jazones circa Csabam (Pilis) commorantes 61, 103; 228, 344.
Jehul: f. Dominicus homo regius 537, 707. — f. Ludveg civis Strig. 195, 288.
Jenslinus: civis Poson. 492, 649. — civis Strig. 393, 569. — villicus de Csütörtökhely 702, 942.
Jerosolimitanum capitulum ord. s. Sepulchri Dominici 470, 619.
Jerud v. Győred.
Jexe nob. 46, 82.
Joachim comes 46, 81.
Job AEppus Strig. 295, 421.
Jobbágyi villa 381, 548.
Johannes: abbas mon. S. Mariae de Kluza 168, 247. — B. M. V. de Scepus 191, 280. — ADconus: Barsiensis 714, 969; 715, 970. — de Borsod 544, 716. — Gömöriensis 288, 410; 306, 443; 317, 457. — et vicarius Chanadini in spiritualibus generalis 680, 908; 684, 911. — Hontensis 111, 172; 716, 971. — de Osinach petit canonicatum Strig. 571, 760. — de Pata 544, 716. — Zólyomiensis 306, 443. — et procurator cap. Strig. 628, 823; 630, 826; 643, 837. — Archiepp.: Rossensis 365, 528. — Archieppus Strigon. 111, 172. — can. Agriensis et Vesprimiensis, praeposituram Scepus petit 674, 891. — can. Budensis 119, 183. — fil. Alexandri can. Poson. 428, 600; 619, 811. — Longus c. Poson. 29, 56; 363, 527; 424, 600; 661, 869; 662, 870. — f. Lowicz can. Poson. 437, 600. — fr. mag. Nicolai, can. Poson. 428, 600. — Wigandi canonicatum Poson. petit 571, 761. — can. Strig. 463, 609. — f. Dominici can. Strig. 48, 89; 49, 89; 181, 255. — f. Pauli can. Strig. 571, 759. — canonicus ac decanus Strig. ecclesiae et in Agriensi ecclesia archidiaconus de Patha 7, 12. — cantor de Jászó 537, 707. — cantor Nicolaus, Scepus translatus ad ADconatum de Marchia 557, 737. — cardinalis s. Theodori diaconus legatus apostolicus 175, 250. — clericus de Alba Regali 425, 600. — clericus de Posega 152, 225. — Dominici clericus 532, 694. — clericus chori crferorum Strig. 282, 409. — custos Agriensis 202, 296; 544, 716. — custos de Posega 153, 225. — custos sive thesaurarius eccl. Strig. 258, 380; 288, 410. — decanus eccl. Strig. 369, 536. — decanus et canonicus Varadiensis, praep. eccl. minoris B. M. V. 3, 4. — diaconus chori Zoboriensis 375, 544. — diaconus, chori Nitr. clericus 373, 542. — Eppus: Nitriensis 25, 49; 32, 59; 33, 60; 34, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 127, 189; 134, 197. — Eppus Portuensis 556, 735. — Eppus Reatinensis 77, 135. — clericus, Eppus Vespr. confirmatus 626, 819; 645, 839; 648, 844; 651, 852. — in iure canonico licentiatus comes capellae et secretarius cancellarius regis; 680, 908; 684, 911; 684, 912; 685, 913. — electus et confirmatus Eppus Vespr. 690, 923. — lector Agriensis 544, 716. — f. Kemény lector de Kő 409, 593. — lector Scepusiensis 306, 443. — mag. crferorum de Strig. 583, 771. — notarius Chanadini AEppi 337, 490; 508, 671; 520, 680; 681, 909; 701, 939. — papa XXII. 6, 11; 7, 13; 8, 14; 8, 15; 8, 16; 9, 17—20; 11, 26; 11, 28; 14, 32; 15, 32; 20, 41; 22, 45; 39, 71; 47, 85—87; 54, 96; 57, 100; 61, 105; 69, 117; 70, 120; 70, 121; 79, 138; 106, 166; 109, 170; 115, 177; 115, 178; 124, 186; 125, 187; 128, 190; 128, 191; 138, 203; 145, 211; 147, 215; 157, 227; 172, 250; 173, 250; 180,2 51; 180, 252; 181, 254; 181, 255; 182, 258; 183, 260; 185, 263; 187, 272; 189, 276; 194, 286; 201, 294; 201, 295; 203, 298; 212, 314; 215, 318; 216, 321; 218, 326; 219, 327; 219, 328; 226, 341; 235, 353; 238, 355; 262, 382; 538, 708; 713, 967. — mag. praep. Bosnensis, cancellarius et procurator in temporalibus generalis Boleslai AEppi 20, 40; 23, 46. — idem praep. Scepusiensis 26, 51: 74, 128; 85, 147; 86, 153; 131, 195; 133, 196; 224, 336; 305, 443; 321, 467; 473, 623; 477, 628; 538, 707; 564, 743; 594, 782; 620, 812; 674, 891. — testamentum condit 667, 877. — praep. Vesprimiensis 111, 172; 651, 853; 717, 974. — fr. praep. eccl. b. Michaelis Archangeli de Insula Leporum 535, 702. — fr. ordinis Karthusiensis 4, 7; 4, 8. — prior Carthusiensium de Lechnicz 171, 248. — prior claustralis monasterii b. Martini sacri montis Pannoniae 219, 330. — fr. prior mon. s. Andreae, de Visegrád 695, 933. — prior domus b. Stanislai martiris de Sáros, heremitarum de ordine s. Augustini 595, 783. — presbyter de choro Budensi. 253, 374. — plebanus de Bussundorph 564, 743. — plebanus de Busócz can. Scepus 667, 877. — plebanus de Szerdahely 370, 538. — plebanus de Körmöczbánya 368, 534. — presbyter, concanonicus capellae B. M. V. ac praebendarius eccl. Budensis 405, 587. — praesb. rector eccl. in villa Eberhardi 148, 217; 344, 502. —

plebanus de Gelle, vicearchidiaconus de Csallóköz, canonicus Posoniensis 44, 77; 49, 90; 57, 100. — rector eccl. de Kiliti 146, 212. — rector ecclesiae de Elefánt 13, 31. — rector eccl. s. Crucis 135, 198. — rector ecclesiae s. Michaelis, vicearchidiaconus prope Dudvág 289, 412. — sacerdos, plebanus in Marczelfalva 481, 631. — sacerdos de Marót 425, 600. — sacerdos chori Nitr. 540, 711. — sacerdos de choro Strig. 230, 345. — sacerdos ex conventu de Zobor 231, 346. — scolaris custodis Poson. 441, 600. — mag. paedagogus Michaelis praep. Poson. can. Posoniensis 429, 600; 439, 600. — fil. Logreti banus de Macsó, comes de Szerém, de Valkó, de Bodrog et de Baranya 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301; 241, 358; 248, 365. — castellanus de Jeszénő 254, 376. — cerdo Strig. 251, 373. — f. Alexandri comes de Gömör 630, 826; 644, 837. — f. Hench iudex Budensis 62, 106. — natus dux de Oswicin 9, 21. — f. Dominici famulus Chanadini AEppi 215, 320 v. et sub nomine Kun. — f. Farkasii, iobagio s. Adalberti et nobilis de Garag 16, 35. — iudex de Lőcse 64, 108. — mag. ianitorum regalium (Ao 1364) 166, 237. — magister tavarnicorum dominae reginae filius Bobonyk 84, 146; 93, 157; 97, 159; 105, 165; 109, 169; 130, 192; 143, 207; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 234, 351. — notarius Eppi Vespr. 680, 908. — notarius de Ujbánya 615 806. — rector castri Budensis et comes Mosoniensis 123, 184; 150, 222; 157, 228. — rex Bohemiae 106, 167; 275, 400. — Varadiensis inhabitator Gallicus 3, 4. — vice comes Hontensis 214, 316; 399, 576.
Jerosolimitani crferi 193, 286.
Johannitarum ordo 591, 775. — exemptio 597, 787 v. etiam crferos.
de Jóka villa decimae 208, 306.
Jordanus famulus 345, 503.
Joseph can. Nitr. 141, 205.
Judaeorum: Posoniensium iudex 276, 403. — Poson. synagoga destruitur 267, 394. — sepultura Strig. 96, 159.
Judices curiae regiae: Alexander, Lampertus, Paulus, Thomas. — Dominae reginae: Deseu, Oliverius. — Thomae voivodae magisterii tavarnicatus 348, 506.
de Judicis Guillelmus, s. Mariae in Cosmedin diac. card., mag. eccl. s. Regis Stephani de Strig 490, 646; 494, 651; 498, 661; 571, 762; 622, 816; 696, 935.
Jula: v. Gyula. — f. Gregorius homo regius 391, 564.
Juramentum: per canonicos depositum 43, 77; 44, 77. — super terra depositionis forma 148, 217. — super terram deponendi modus 344, 502.
Jurko praep. Quinqueecclesiensis 420, 599; 707, 953.
de Juta Ladislaus homo regius 673, 890.

K.

Kacsun poss. 568, 751.
Kadoldus urburarius regis, civis de Bakabánya 565, 745; 592, 776.
Kakastó terra 124, 185.
Kakat villa 296, 421; 300, 427. — ibidem sacerdos 296, 421.
Kalacsnévölgye vallis 63, 106.
Kaladey: poss. 169, 245; 170, 246; 211, 313; 213, 315; 213, 316; 323, 469; 324, 470; 326, 474; 333, 487; 349, 507; 357, 522; 630, 827; 642, 835; 642, 836; 648, 845; 690, 921. — de eadem Andreas f. Kysa et alii nobiles 169, 170; 245, 170, 246; 201, 312; 211, 313; 213, 315; 213, 316; 323, 469; 324, 470; 326, 474; 333, 487; 349, 507; 354, 512; 357, 522; 387, 559; 630, 827; 642, 835; 642, 835; 642, 856; 648, 845; 690, 921; v. etiam de Csitár.
Kalandosok: confraternitatis statuta 670, 882.
de Kalász Lucachius nob. 377, 546.
Kaltrin poss. 374, 542; 376, 545; 540, 712; 541, 713.
de Kalauz Lukachius homo regius 340, 496; 384, 554.
Kana: poss. 63, 106. — ibidem ecclesia 63, 106.
de Kantafalu nobiles 564, 743.
Kántorszáz poss. 486, 640; 487, 641.
Kápolna: villa 259, 380. — ibidem sacerdos Dominicus 469, 618. — de eadem Andreas homo regius 495, 655; 677, 902. — Mathaeus iudlium Poson. 674, 893.
de Kaproncza Vellini Martinus, can. Zagrabiensis, can. Strig. 511 675.
Kara: ripa, vallis 287 410.
de Karád Leustachius iudlium Simigiensis 198, 289.
Kárán: villa 467, 614; 673, 890. — de eadem Stephani dicti Szakálos filii 467, 614; 673, 890.
Karachinus: nob. 3, 4. — famulus 61, 104. — iobagio 510 674.
Karacsim vinea Strig. 96, 159.
Karcsa (Etre) v, Etrekarcsa.
de Karcsa: And, Ehub, Oase, Lodbrech et alii nobiles 710, 959. — Bély nob. 659, 863. — Doha nob. 23, 48. — Dominicus homo regius 649, 846. — Elias comes 42 77. — Jacobus comes 23, 48. — Lorandus et Mog, filii Bolto 135, 198. — Mikó praedialista AEppalis 12, 29. — Nicolaus homo regius 562, 742; 499, 662. — Petrus, nepos Marcalphi

nob. 384, 555; 649, 847. — Stephanus homo palatinalis 370, 538. — Zyda nob. 23, 48. — nobiles iobagiones AEppi Strig. 12, 29; 345, 504. — eccl. b. Bartholomaei apostoli 346, 504. — et eius presbyter 370, 538. — Michael. — ibidem capellae s. Nicolai conf. fundatio 710, 959.
de Karthal: Thomas nob. 150, 221. — de eadem castellanus de Roholcha 152, 225. — Schele nob. 303, 437; 304, 438; 305, 443.
Kartholcz alio nomine Apáti villa 672, 889.
Karulus comes terrestris (de Posega) 21, 44.
Kassa civitas 308, 445.
de Káta: Andreas dictus Szunyog nob. 333, 484; 341, 498; 359, 526; 403, 583. — Myhedeus 379, 548.
Kathus domina 151, 222.
de Kedhely abbas: Gerungus, Jacobus, Thomas.
de Kékkő: Biter filii 687, 917; 703, 945. — Petrus nob. 330. 429.
Kelecsény poss. 107, 168.
de Kelethy Jacobus homo regius 188, 273; 190. 278.
Kemecse poss. 63, 106.
Kemecsehegye mons 63, 106.
Kéménd poss. 650, 795; 625, 817.
Kemény nob. 42, 77; 409, 593.
de Kemey ADconus: Laurentius 202, 296.
de Kende Johannes et Jacobus homines palatinales 472, 625.
Kendi poss. 277, 405; 357, 521; 460, 602; 462, 604.
Kengyelér fluvius 92, 157; 320, 461.
Kér: poss. 672, 889. — ibidem eccl. lapidea ad hon. b. Clementis papae 672, 889.
Kerek, dictus Paulus civis Strig. 650, 849.
Kereksziget insula circularis 92, 157; 320, 461.
Kerench v. Girincs.
Keresztesföld poss. 342, 500.
Keresztes-Komlós poss. 531, 688.
Kerner dictus Occulinus civis Budensis 619, 812.
Kertheskew lapis (Ao. 1037) 160, 230.
Kesekun poss. 118, 181.
Keszi: poss. 101, 162. — de eadem Andreas nob. 321. 464.
Kesző: poss. 63, 106; 102, 162. — iuxta eam ecclesia s. Jacobi 102, 162. — de eadem Valentinus homo regius 409, 593.
de Kézd siculi 109, 171; 110, 172: 111, 172; 116, 179, 117, 180.
de Keszölczés: Chonch filii 23, 48; 24, 48. — nepos Nicolaus comes, viceiudex palatini praedialistarum 345, 504.
Kesztölcz: villa 7, 12; 227, 344; 542, 715. — ibidem rector eccl. 685, 913.
de Kéthely Ladislaus nobilis 599, 789.
Keuisburch meta 633, 838.
Keyse v. Kysa de Kaladey.
Kezew v. Kesző.
Kicze terra 29, 55.
Kiese villicus de Bars 290, 416.
de Kiliti: Georgius nob. 43, 77. — Jacobus iudlium Poson. 365, 527. — ecclesiae rector: Johannes.
de Kisbud Gube et alii nobiles 466, 612.
de Kisfalu Martinus homo regius 505, 669.
Kisfalud: villa 633, 828. — de ead. Bartholomaeus homo regius 631, 828. — et alii nobiles 633, 828.
de Kislak: Dese 11, 27. — Jacobus f. Petri 11, 27.
de Kissalló Stephanus et Nicolaus nob. 291, 418.
Kistapolcsány: villa 321, 463. — de eadem nobiles 321, 462.
de Kluza: abbas Johannes. — mon. et ecclesia S. Mariae 168, 243.
Knesics poss. 321, 465.
Kócs: villa 532, 692. — civis Strig. 252, 373. — nob. 265, 387.
Kolcsó poss. 142, 206; 677, 628.
Kolon villa 672, 889.
de Kolos abbas: Ladislaus.
de Kolozsvár abbas: Heydenricus.
Komar Cumanus 532, 692.
Komárom: castrum in insula Danubii 240, 358; 626, 818. — de eodem Castrenses 582, 771; 573, 766.
Komárom (Ó) villa 530, 686.
Komaromiensem comitatum Carolus rex sibi reservat, licet castrum comiti Dancs donavit 240, 358.
Komaromiensis cottus congr. generalis 530, 686.
de Komarom: archidiaconus 70, 121; Mathias, Petrus, Sixtus.
Komlós poss. in cottu Sáros 37, 66; 470, 619; 475, 476, 628; 719, 975.
de Kondoros Andreas homo regius 659, 863.
Konradus monachus de Zobor 678, 904.
Konth mag. vicecomes Simigiensis 599, 789; 673, 890.
Konus rector novi montis in Nyir-Pataka 356, 518.
Konya fil. Thomae voivodae, comes de Sáros, Szepes et Nógrád 612, 803; 620, 813.
Kopasz Detricus nob. 284, 410.
Korcsolyás dictus Hencz civis Strig. 338, 491.
Korotnok poss. 473, 623.
Korpona fluv. 679, 907.
de Korpona eccl. paroehialis 54, 95.
de Kortho sacerdos Michael.
Kossut villa 259, 380.
de Koszmály, Andreas dictus Hegyes homo regius 638, 829.
Kovácsi: poss. 86, 152; 87, 155; 95, 159; 96—97, 159; 192, 283; 193, 284; 231, 345; 231, 346; 254, 375; 263, 383; 322, 468; 324, 471; 325, 472. — piscina 235, 351.

de Kovár Ladislaus iudlium Hontensis 214, 316.
de Kovárcz ecclesiae decimae 296, 421.
de Koza dictus Petrus, fr., prior ordinis fratrum beati Augustini de Mező-Somlyó 162, 231.
Kozar iobagio 21, 44.
Königsfeld claustrum 10, 24.
de Kő lector Johannes.
Kő-Bajon poss. 272, 396.
de Köbölkut: Gyula nob. 251, 370. — Ladislai filii 594, 780. — nobiles 131, 194; 554, 731.
Kőgát mons. 359, 524.
Kökényfeket bércz et silva 287, 410.
Kökényszeg angulus 406, 587.
Königsberg, quondam Schebeniczebach, alias Novus Mons v. Újbánya.
Kőpest mons 359, 524.
Körmöczbánya: civitas 308, 445. — de eadem camerae territorium et elocatio 255, 379; 306—312, 445. — comes Hyppolitus. — plebanus Johannes.
Körmösd: poss. 91, 157; 259, 380; 691, 927. — (Kis), antea Deáki villa 28, 54; 652, 854.
Kőröshegy poss. 708, 955.
Kőrösi Johannes can. Budensis 119, 183.
Körtvélyes: terra 29, 56; 36, 64; 68, 115; 184, 261; 203, 299; 259, 380; 312, 448; 339, 495. — de eadem Egidius nob. 184, 261. — Jacobus nob. 676, 901. — et eius filia Jeuth 339, 495. — Johannes f. Hencz nob. 203. 299. — Paulus homo regius 537, 707.
Köse villa 27, 53.
Kövesbércz v. Keuisburch.
Kövesd: poss. 290, 413; 415. — terra 346, 504; 625, 817. — de eadem iobagiones 622, 816; 625, 817.
Kövesrév transitus 382, 548.
Kővi poss. 359, 524.
Középmál vinea Strig. 96, 159.
Közmező campus 63, 106.
Krakován villa 672, 889.
de Kravlyán plebanus: Michael.
de Krocho (Chorchaw) v. Kortho.
Krtócz v. Kartholcz.
Kualya, dictus Paulus civis Strig. 499, 663.
de Kuchuk Farcasius nob. 152, 225.
de Kulcsod: Georgius homo regius 100, 161. — Nicolaus homo regius 682, 909.
Kuley terra 52, 94.
Kumperd nob. 148, 217; 344, 502; v. etiam de Gomba.
Kun dictus Johannes, familiaris serviens Chanadini AEppi 217, 323.
Kuncheli f. Thomas civ. Strig. 204, 301.
Kuncz f. Stephanus comes 339, 493.
Kuncz ispán majora in territorio Budensi 222, 331.
Kunczlinus: iudex de Tirnavia 645, 838. — civis Budensis 157, 228; 500, 664; 515, 677; 525—529, 684; 539, 710; 552, 727. — eius f. Michael iuratus Budensis 619, 812. — f. Johannis iuratus Budensis 619, 812; v. etiam de Mogordorf.
Kuneth mulier 343, 501.
Kural poss. 461, 603.
Kurczmann Stephanus 38, 69.
Kurd: villa 708, 955. — ibidem ecclesia 708, 955.
Kurta Petrus, civis Budensis 619, 812.
de Kurtakesző Laurentius, homo regius 682, 909.
Kusingobe census vasorum 576, 768.
Kusthorni v. Türnye (Kis).
Kutur vallis 52, 94.
Küküllő fluv. 52, 94.
Künfueld v. Königsfeld.
Kürt: terra 33, 60; 43, 77; 45, 79; 567, 747; 567, 749; 612, 803; 654, 856. — de eadem castrenses 42, 77; 43, 77; 55, 97.
Kürt (Szent Tamás): poss. 131, 194. — ibidem eccl. s. Thomae 131, 194.
Kürtös fluv. 237, 354.
de Kürtös Egidius nob. 679, 907.
de Küsmöd Ladislaus homo regius 317, 457.
Küze v. Keszö.
Kwssald v. Kossut.
Kych lacus 299, 425.
Kyrogolt stagnum 347, 504.
Kyther nob. 576, 770.
de Kyuskomard Petrus homo regius 197, 289.
Kyw-Boyun v. Kő-Bajon.
Kyuzfeldi terra 17, 36; 18, 37.

L.

Lábad civ. 416, 597; 560, 738.
Lábatlan Georgius nob. 596, 784.
Lábpaka poss. 135, 198.
Lachk: nob. 9, 22. — filii 685, 914.
de Laczkó Johannes homo regius 323, 469.
Ladislaus: abbas s. Benedicti de iuxta Gron, capellanus regis 16, 35; 17, 35; 106—7, 168; 118, 182; 130, 193; 149, 218; 374, 542. — de Kolos 118, 182. — fr. AEppus Colocensis, aulae cancellarius 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 111, 172; 122, 184; 127, 189; 129, 192; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 170, 247; 202, 296; 205, 301; 241, 358; 248, 365; 262, 381; 544, 716; 712, 965. — can. Budensis 508, 671; 513, 676; 520, 680; 624, 816. — Eppus Quinqueecclesiensis 14, 32; 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 127, 189; 129, 192; 143, 207; 154, 225; 157, 227; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 171, 247; 205, 301; 241, 358; 248, 365; 250, 367; 262, 381; 291, 417; 465, 611; 494, 650; 713, 967; 714

968; 715, 971. — Eppus Zagrabiensis 130, 192; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301; 241, 358; 248, 365; 262, 381; 291, 417; 494, 650. — lector ecclesiae Strig. maioris, vicarius Nicolai electi Strig. 78, 136; 113, 172; 150, 222; 227, 344; 238, 354; 267, 393; 288, 410. — plebanus de Óvár 98, 160; 100, 161. — plebanus de Óvár testimonium capitulare 90, 157. — fr. conversus ord. s. Dominici de mon. B. M. V. de Insula Leporum, procurator sanctimonialium de eadem Insula 622, 816. — praep. Albensis, vicecancellarius regis 25, 49; 31, 58; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 41, 73. — praep. Strig. 202, 296. — praep. s. Thomae Strig. 79, 136. — praep. eccl. s. Georgii martiris de Strigonio, procur. maioris eccl. Strig. 294, 421; 353, 511; 505, 668; 651, 853; 650, 850. — f. Nicolai palatini, dignitatem petit 533, 698. — idem pro praepositura Strig. supplicat 556, 735. — rector eccl. de Harakócz 473, 623. — rex Hung. 10, 24; 25, 49; 32, 60; 34, 62; 70, 119; 111, 172; 162, 231; 195, 288; 286, 410; 327, 475; 464, 611: 537, 707; 573, 766; 583, 771; 623, 816; 628, 823; 644, 837; 646, 843; 652, 853.

Ladomér villa 254, 375; 375, 544; 541, 712; 547, 718; 553, 728.

Laicorum receptio ad suffragia Ord. Fr. Minorum 352, 510.

Lak terra 58, 101.

Lakszög terra 81, 142.

Lampertus: comes, iudex curiae domini regis, comes Csanádiensis et Nitriensis: 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 110, 172. — nob. 200, 292; 218, 325.

Lancreth nob. 420, 599; 620, 813.

Landek: poss. 476, 628; 719, 975. — de Landek fratres cruciferi ordinis Sacri Sepulchri Dominici 388, 560; 476, 628; 531, 688; 548, 720; — eorum mag. 374, 543. — frat. Michael Rycolphus. — praepositurae ius patronatus 67, 113.

Lapis Refugii: monasterium Carthusiensium 4, 7; 4, 8; 20, 43; 142, 206; 145, 209. — ibidem monachi: 195, 287; 552, 726.

Lapod fluvius 155, 226.

Lapodtelök locus 155, 226.

Laposhalom meta 506, 669.

Lassupatak, germanice Stilbach, aurifodina 549, 724.

Latina lingua scriptarum litterarum vulgari eloquio edoctio 510, 674.

Latina villa v. Olaszi.

Latinitas vicecomitis Poson. 365, 527.

Latinus seu Gallicus Paulus mag. crferorum s. Regis Stephani de Strigonio et de Calidis Aquis, specialis phisicus domini regis 514, 677; 525, 684.

Latus nob. 18, 36.

Laudunensis can. Ludovicus.

Laurentius: ADconus de Kemey 202, 296. — can. Budensis 119, 183. — Epp. Bosnensis 494, 650; 544, 718; 615, 805; 645, 839; 648, 844. — Epp. Vaciensis 25, 49; 35, 62; 93, 157; 101, 161; 103, 162; 127, 189; 129, 192; 147, 215. — lector ecclesiae Scepusiensis 4, 7; 4, 8; presb. eccl. de Terpech, capellanus conv. de Simigio 155, 226. — sacerdos de Iványi, vicearchidiaconus Gömöriensis 314, 450. — monachus de Zobor 302, 433; 325, 472; 540, 712; 541, 713; 636, 829. — magister tavarnicorum, comes Nitriensis 548, 721; 548, 724; 615, 805.

Láz villa 708, 955.

de Lebsicha Iwanka nob. 21, 44.

Lectores: Agriensis, Albensis, Budensis, Jauriensis, de Kő, Nitriensis, de Posega, Quinqueecclesiensis, Scepus, Strig., Ord. s. Augustini de Insula Maiori, Dyonisius fr., de ordine Minorum, Stephanus.

Lechnicz: villa 86, 153; 552, 726. — ibidem in valle s. Anthonii claustri Carthusiensium fundatio 86, 153. — eiusdem claustri monachi: 167, 238; 301, 430; 402, 580; 485, 637; 485, 638. — eorum prior: Johannes.

Leeb iuratus Budensis 222, 331.

Leek: villa 216, 321; 260, 381. — ibidem eccl., et rector eiusdem 216, 320.

Lekenye poss. 286, 410.

de Lekér abbas Stephanus.

Lég villa 72, 123.

Legati apostolici: Gentilis, Guido, Johannes. — eorum sustentatio 697—701, 937—40.

Lemovicensis dioec. 189, 274.

de Lendenavia Altegradus, decretorum doctor, Capellanus papae, legati apostolici cancellarius et generalis auditor 44, 78.

de Lengres Jacobus 316, 456.

Lengyel: Johannes can. Poson. 619, 811. — dictus Ladislaus iudex de Ujbánya 658, 861.

Leontius nob. 167, 241.

Leopoldus scriptor in Poson. 277, 403.

Leos comes 46, 82.

de Leporum Insula: claustri B. M. V. religiosus Ladislaus. — eccl. b. Michaelis Archangeli 535, 702; et praep. eiusdem Johannes. — sanctimoniales 61, 103; 106, 166; 124, 186; 137, 201—202; 250, 367; 392, 566; 622, 816; 714, 969; 715, 970.

Leszenye poss. 265, 388; 267, 398.

Leustasius civis Strig. 692, 929.

Leupoldus plebanus s. Laurentii in Poson. 438, 600.

Léva: castrum 541, 712; 547, 718; 553, 728. — eiusdem

castell. Emericus de Becse. — villa 80, 140; 400, 577; 635, 829. — de eadem vicarius: Nicolaus sacerdos.
Leveled terra 224, 337.
Libád: poss. 70, 122. — ibi ecclesia lapidea S. Johannis Bapt. 71, 122. — de eadem Bench nob. 70, 122. — Rophaynus homo regius 70, 122; 228, 344; 682, 909.
Libri 507—8, 670. — breviarium Decretales.
Licsért poss. 543, 716.
Licphardus presbiter can. Poson. 437, 600.
Liget meta 288, 410.
Lipcse: (Zólyom) villa 54, 95; 181, 255; 314, 451; 481, 631. — ibi parochialis eccl. 707, 954. — eiusdem plebaniae statuta 54, 95. — et plebanum eligendi ius 181, 256.
Lippva silva 364, 527.
Lipto: f. Stephanus iudlium Hontensis 326, 475. — regio 532, 692. — de eodem ADconus Simon. — Bogomerius nob. 701, 941. — plebanorum universitas 670, 882.
de Litava Petrus nob. 297, 421.
Litteratus: Johannes, procurator 61, 106. — iobagio 510, 674. — Benedictus de Barátka, Gobul, Martinus, Michael, Petrus.
Livina villa 672, 889.
de Lócz: plebanus 517, 679. — de eadem Michael homo regius 361, 527.
Lodomerius: AEppus Strig. 24, 48; 59, 103; 77, 134; 219, 326; 295, 421; 661, 869; 663, 870. — praep. s. Thomae mart. de Promontorio Strig., vicarius in spiritualibus generalis Boleslai AEppi 5, 9; 714, 969; 715, 970. — et vicarius Nicolai, electi Strig. 150, 222.
Lokus fluv. 276, 402; 268, 395.
Lomnicz: poss. 372, 541; 374, 543; 477—478, 628. — de eadem Rycolphus, Kakas alii nobiles 67, 113; 86, 153; 142, 206; 167, 238; 372 541; 374, 543; 475, 628; 476, 628; 712, 965; 718, 975.
Lónya civitas 308, 445.
Lopoy nob. 73, 126.
Lorandus: civis Budensis comes camerarum Budensis et Strigoniensis 558, 738. — iudex Budensis 619, 812.
de Losnych Nicolaus iuratus Budensis 619, 812.
Lottondorff villa 259, 380.
Lőcse: civ. 64, 108; 133, 195. — ibidem plebanus Nicolaus. — de eadem Nicolaus canonicatum Scepus. petit 675, 895.
Lőke f. Detricus homo palatinalis 372, 541; 477, 628.
Lökös f. Godini iuratus Strig. 393, 569; 499, 663.
Lölkös fluv. 514, 676; 522, 680.
Lőrinczi (Puszta) villa 508, 670; 512, 676; 520—23, 680.
de Lövöld: eccl. 14, 32; 713, 966; 716, 971. — de eiusdem sacerdos 713, 966; Stephanus.
Lucanus Eppus Guillelmus.
in Lubeta eccl. b. Elisabeth 339, 493.
Lublo: civitas 47, 86; 73, 125; 74, 128. — ibidem parochia 66, 111. — cuius iurisdictionis 202, 297; 224, 336.
Lucas plebanus civium in castro Jauriensi, ac magister altaris B. M. V. 506, 670; 652, 854; 653, 855.
Lucrum camerae tributum 255—58, 379; 278—281, 408; 392, 566; 415, 597; 558, 562.
Lucs: poss. 18, 36. — (Tőbör-) poss. 37, 68; 80, 142. — (Szilas-) poss. 37, 68; 80, 142; 81, 142.
Lucsink fluv. 364, 527.
Lucska: poss. 473, 625. — de eadem nobiles 473, 625.
Ludány: poss. 266, 392; 267, 393. — de eadem abbas Thomas. — Indrech nob. 665, 874.
Ludovicus: can. Laudunensis, capellanus Guidonis legati 698, 937; 699, 938. — Rex Hung. 473, 622; 475, 626; 476, 627; 481, 631; 481, 632; 483, 634; 485, 636; 485, 637—638; 486, 639; 488, 642; 490, 645; 492, 650; 494, 652; 495, 653; 495, 655; 497, 659; 498, 660; 501, 664; 502, 666; 505, 668—669; 509, 674; 511, 676; 518, 680; 525, 684; 537, 707; 531, 687; 531, 690; 533, 696; 533, 697; 533, 698; 539, 710; 540, 711; 544, 716; 547, 719; 548, 723; 548, 724; 552, 726; 555, 732; 556, 734; 557, 736; 563, 741; 563, 742; 564, 744; 566, 746; 567, 747; 567, 748; 568, 754; 569, 755; 570, 756; 571, 758; 572, 765; 573, 766; 577, 771; 598, 788; 610, 800; 611, 801; 612, 803; 613, 804; 617, 808; 617, 809—810; 618, 811; 620, 813; 622, 815; 625, 817; 627, 822; 628, 823; 631, 828; 635, 829; 641, 833; 642, 834; 644, 837; 645, 838; 645, 839; 646, 840; 841; 842; 646, 843; 647, 844; 650, 848; 650, 848; 650, 851; 651, 852; 651, 852; 651, 853; 652, 854; 653, 855; 654, 856; 658, 861; 659, 862; 660, 865; 661, 868; 664, 872; 670, 880; 670, 881; 671, 888; 674, 812; 675, 900; 677, 903; 677, 904; 687, 917; 690, 924; 691, 925; 691, 926; 692, 930; 696, 936; 698, 937; 699, 938; 700, 939; 703, 943; 703, 944; 704, 946. — eius coronationis dies 518, 680. — eum coronandi Colocensi AEppo potestas a papa conceditur 215, 318. — eius regis formula, qua confirmat litteras privilegiales sub antiquo, iuxta Usoram deperdito sigillo, emanatas. Anno 1366. 105—6, 165.
Ludülése clausura piscium 655, 857.
Ludvég civis Strig. 96, 159; 195, 288.
Luend v. Lövöld.
Lukafölde poss. 502—4, 666; 508, 671; 511—4, 676; 518—523, 680.
Lung silva 235, 351.
Lutche v. Lőcse.

Lutzina villa 5, 9.
Lychynzyr terra 58, 101.
Lyphardus sacerdos, canonicus Posoniensis 44, 77.
Lypoldus comes de Körmöczbánya et castellanus de Árva 649, 847.

M.

de Macsala: Jacobus homo regius 578, 771. — Ladislaus homo regius 292, 418.
Mácséd (Nagy- et Kis-) villa 259, 380.
de Macsó bani: Dominicus, Nicolaus, Paulus.
Mad poss. 655, 857.
de Madar Marcyl homo regius 682, 909.
de Madarász Franciscus f. Benedicti nob. 312, 446; 313, 449.
de Madaraszeg Ferenc nob. 148, 217; 344, 502.
Mádéfalva poss. 374, 542; 376, 545.
de Madocsa monasterium 220, 330.
Magala vallis 81, 142; 347, 504.
Magnus v. Nagy.
Magyar: villa 702, 942. — dictus Paulus civis Budensis 157, 228. — castellanus de Ghimes 184, 262. — assessor sedis tavernicalis 630, 826; 644. 837. — dictus Stephanus, vice castellanus de Ghimes 369, 537.
de Magyar: Michael, dictus Fyres homo palatinalis 610, 799. — Jacobus nob. 33, 61.
Magyarád poss. 259, 380; 656, 858.
Magyarbél villa 259, 380.
Maheth villa 259, 380.
Majtény villa 259, 380.
Malacha: locus 632, 828. — de eadem Demetrius et Ivánka homines regii 292, 418.
de Maliano Johannes, minister Romanae provinciae Ordinis Fratrum Minorum 175, 250.
Málas poss. 343, 501.
Mameli Philippus ADconus Nitriensis 408. 542.
Manasgardensis AEpp. Nerzes.
in Maniga eccl. b. Georgii mart. 709, 958.
Mány: poss. 328, 477; 334, 489; 335, 490. — de eadem nob. 328, 477; 335, 490.
de Maramaros ADconus Georgius.
in Marav plebanus Berchtoldus.
Marchalli f. Petrus civis Poson. 298, 525.
Marchardus iudex civitatis Posoniensis 29, 56; 49, 90.
in Marchgrafen Newsidel plebanus Albertus.
de Marchia ADconus Joannes Nicolai.
Marcsamagyar villa 25, 50; 37, 69.
Marcus cantor Strig. 288, 410; 486, 640; 487, 641.
de Márczfalva Andreas f. Mathaei homo regius 631, 828.
in Marczelfalva: eccl. s. Michaelis et eius plebanus Johannes 481, 631. — de eadem nobiles 481, 631.
Margirlinus Leo molendinator 576, 768.
Maria vidua Wyllermi Drugei palatini 490, 645.
Maros (Nagy-): civitas 47, 84; 75, 133; 77, 134; 396, 573. — ibidem ecclesia b. Martini 75, 133; 77, 134. — eius sacerdos et decimae 75, 133; 77, 134. — plebanorum privilegia 47, 84.
Maros fluv. 493, 650.
Marót: poss. 69, 116; 295, 421. — ibidem plebanus 690, 923; Johannes, Siegfridus. — eius clericus Petrus.
Martinus: abbas de s. Benedicto 300, 427. — mag. can. Poson., capellanus regis 49, 90; 59, 100; 88, 156; 120, 184. — f. Nicolai, can. Poson. et plebanus eccl. s. Martini 662, 870. — cantor Agriensis 202, 296; 544, 716. — praep. mon. s. Benedicti 540, 711; 541, 713. — praep. Dömösien., administ. praepositurae Poson. 142, 207; 319, 461; 360, 527; 483, 634; 588, 772; 599, 790; 604, 794; 690, 923; 695, 933. — presbyter, chori Nitr. praebendarius 610, 800. — chori Strig. praebendarius 83, 146. — fr. prior Lapidis Refugii in Scepus 4, 7; 4, 8. — rector eccl. de Szent-Miklós (Liptó-) 616, 807. — litteratus, famulus iudicis de Szomolnokbánya 548, 724.
Martonos banus, fundator mon. de Ság 464, 611.
Martontelöki poss. 243, 361.
Martirius AEppus Strig. 635, 829; 646, 840.
Mátészigete insula 632, 828.
Mathias: ADconus Komaromiensis, procurator capituli Strig. 401, 579; 407, 589; 628, 823; 629, 826; 643, 837; 675, 900; 696, 935. — can. Strig. 277, 404. — clericus crfer de Strig. 657, 860; 664, 873. — lector Jauriensis 68, 115; 75, 131; 299, 425. — fr. de ord. Praedicatorum, nuntius papae 124, 186. — presbyter chori Scepus. praebendarius 474, 625.
Mayor: Endre comes camerae Transilvanae 278, 408. — dictus Paulus miles Strig. visitat Terram Sanctam 333, 486.
Mechelofalwa alias Quintoforum, villa 21, 43.
Medicinae professor: de Eugubio Andreas.
Meerche terra 27, 53.
Megeyr lacus 347, 504.
Megye: locus erectivus 249, 366. — continuus meatus spinarum et veprum 210, 308.
Meggyes poss. 548, 720.
Méhhegy mons 63, 106.
Meinhard scultetus de Kubach 64, 108.
Mélypatak meta 382, 548.
Menul nob. 260, 381.
Merche nob. 102, 162.
Merhardus iudex Poson. 56, 98.
de Merke nob. 632, 828.

Merclinus: iuratus Strig. 393, 569. — idem iudex 499, 663.
Mese: procurator 13, 31. — mag. vicecastellanus Poson. 670, 882. — dictus Nicolaus nob. 225, 338. — idem homo iudicis curiae 331, 480. — f. Stephani, vicecastellanus de Temetvény 693, 931.
Mesko: crfer, fr. uterinus Boleslai AEppi, intruditur in eccl. Nitr. 134, 197. — idem Eppus Nitriensis 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301; 224, 337; 233, 350; 241, 358; 248, 365. — idem Eppus Vespr. 235, 353; 238, 355; 262, 381; 272, 396; 291, 417; 303, 436; 319, 454; 357, 520; 371, 540; 442, 600; 468, 616; 473, 622; 483, 634; 494, 650.
Metropolitano iure AEppus Strigon. confirmat litteras Eppi Vesprimiensis 319, 459.
Meynoldsprun, quae vocatur Groseer vinea in Posonio 386, 557.
de Mezö-Somlyó: eccl. s. Thomae martiris Augustinorum 162, 231. — prior ibidem Petrus dictus de Koza 162, 231.
Michael: fr. abbas mon. B. M. V. de Almád 509, 674. — ADconus 133, 196. — can. Budensis 624, 816. — can. Poson. 428, 600; 661, 869; 662, 870. — f. Gyürke can. Poson. 618, 811. — clericus, canonicus capellae B. M. V. et praebendarius chori Budensis 340, 496. — clericus Strig. 96, 159. — crfer. Strig. 9, 22. — fr. religiosus ord. Sepulchri Dominici de Landek 372, 541; 470, 619; 703, 943. — custos Budensis 624, 816. — custos Jauriensis 68, 115; 75, 131. — praesb., plebanus de Gelle 136, 199. — plebanus de Kravlyán 718, 975. — rector eccl. de Örs (Buda-) 651, 852; 680, 908; 684, 911; 684, 912. — rector eccl. b. Bartholomaei apostoli in Karcsa 346, 504. — sacerdos de Kortho 303, 435 v. etiam Chorchaw. — procurator S. Benedicti de iuxta Gron 230, 345; 322, 468. — fr. ord. Praedicatorum 137, 202; 138, 202. — praep. de Bozók 191, 281; 182, 257; 297, 422. — praep. eccl. Omnium Sanctorum in Promontorio Vesprimiensi 368, 534. — f. Thomae voivodae Transilvani praep. Poson. 227, 393; 254, 377; 266, 391; 289, 412; 298, 425. — idem eppus Vaciensis postulatus 304, 439; 319, 461; 340, 498; 382, 549; 383, 552; 403, 584; 408, 590; 421—459, 600. — et confirmatus 471, 620. — idem Eppus Vaciensis 494, 652; 568, 750; 615, 805; 645, 839; 648, 844; 690, 924; 694, 932. — sacerdos de choro Strig. 322, 468. — vice ADconus Barsiensis eiusdemque ecclesiae rector 636, 829. — homo AEppi cum comite camerae procedens 392, 565. — procurator Chanadini AEppi 524, 683. — litteratus procurator 681, 909. — vicecomes de Szolnok 369, 535. — villicus de Bars 348, 506.
de Miechov: in Polonia conventus 67, 113. — praep. Henricus.
Mikch: nob. 9, 22. — mag. tavarnicorum dnae reginae, comes de Sáros et de Zemplén 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; idem banus totius Sclavoniae, comes de Somogy et de Sáros 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159, 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 112, 172; 122, 184; 127, 189; 130, 192; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301; 245, 358; 248, 365; 262, 381.
Mikó: mag., can. Vaciensis 471, 620. — civis Budensis 222, 331. — civis de Csütörtökhely 496, 657. — praedialista 347, 504. — 579, 771. — procurator s. Benedicti 387, 558; procurator conv. S. Benedicti 640, 829. — udvornicus 17, 36. — villicus de Hetény 581, 771. — f. Jacobus nob. 401, 578.
Mikola (Garam) poss. 301, 431.
Mikófalva poss. 566, 746; 613, 804; 614, 805.
Mikóháza poss. 237, 354.
de Milisin Johannes, notarius Hertlini iudicis Poson. can. Poson. 432, 600; 712, 962—963; 712, 964.
Milkoviensis: Eppus Thomas de Németi, Vitus. — eppalis ecclesiae instauratio 626, 820.
de Mindszent plebanus Demetrius.
Minorum fratrum: generalis minister 371, 539; Geraldus, Michael de Cesena. — Romanae provinciae minister: de Maliano Johannes. — eiusdem ordinis religiosus: Dyonisius, Fabianus. — ad suffragia ordinis receptio laicorum 352, 510. — ecclesia: Tyrnaviensis.
Missae fundatio 385, 557. — B. M. V. in Poson. 604, 794; 661, 869; 663, 870.
Missinensis Petrus rector scholarum Poson. 438, 600.
in Mistelbach vicarius Albertus.
Mizmenelő poss. 191, 281.
Mocs f. Lucas 554, 730.
Mokch domina 395, 571; 399, 576; 533, 700.
de Mocsola: Ladislaus nob. 328, 477; 330, 478; 336, 490. — Nicolaus homo regius 682, 909.
Mocsonok villa 672, 889.
Mocsudfiamihályfölde terra 225, 339.
Moder dictus Dytel molendinator 571, 757.
Modestus Eppus (sine nomine dioec. Ao. 1037) 161, 230.
Modor poss. 364, 527.
Modosa portus (Ao. 1037) 160, 230.

Mog nob. 3, 4.
de Mogh Desö comes 13, 31.
Mogos villa (Ao 1037.) 160, 230.
de Mogordorf: Kunclinus iuratus Budensis 221, 331; 151, 222; v. etiam Kunczlinum.
Moguntinensis dioec. clericus Johannes de Frankenfurda.
Mogyorós poss. 69, 116.
Mohi vallis 460, 601.
Moka praedialista AEppalis 503, 666; 519, 680.
Mokaföldе poss. 508, 671; 511, 676; 518—23, 680; 502—4, 666.
Moki poss. 266, 392.
Molendini in Gyarmat: census 144, 208. — elocatio 348, 506.
Monetarum cudendi et cambiendi modus 255—58, 379; 278, 408; 306—312, 445; 412, 597; 558, 738.
Monostoraljafalu villa 672, 889.
Mons Regis vinearum decimae 655, 875.
de Monteforti comites Hugo et Radulphus 145, 211.
Montis Marani Eppus Petrus.
Móroczszigete terra 351, 504.
Morolth terra 52, 94.
Morouchuk: aulae regiae miles 395, 571. — idem comes Hontensis 399, 576.
Morus, frater Johannes homo regius 508, 670; 511—4, 676; 520, 680; 504, 666.
Mosoniensis ADconus Nicolaus.
Moynoch nob. 399, 576.
Moyros v. Mogyorós.
Moys: nob. 153, 225. — palatinus, comes Soproniensis 707, 955.
Mura fluvius 240, 358.
de Müllenbach plebanus Erhardus.
Muzsla: villa 82, 146. — (Parva) poss. 301, 431. — ibidem eccl. ad laudem b. Stephani protomartiris aedificata 301, 431. — de eadem Briccius f. Jacobi f. Bacsan nob. 301, 431. — Jacobus homo reginalis 242, 360.
Mylech civis de Csütörtökhely 496, 657.
de Myribel Petrus, fr. ord. b. Anthonii per Sclavoniam et Hungariam magister hospitalis 492, 649.

N.

Nádér rivulus 156, 226.
de Nádasd eccl. b. Mariae Magdalenae 702, 941.
Nadeyfalva villa 540, 711; 541, 713.
Nagy Nicolaus nob. 339, 495.
de Nagymihály Gregorius nob. 315, 452; 317, 457.
Nagyolasz civitas 560, 738.
Nagyszombat v. Tyrnavia.
Nána poss. 74, 127; 497, 659; 498, 660; 674, 892; 675, 900.
Nándor villa 157, 228; 295, 421.
Nándortó piscina 548, 722.
Nandur piscina (Ao 1037.) 160, 230.
Nankerus Eppus Cracoviensis 47, 86; 66, 111; 73, 125.
Napoleon s. Adriani diaconus Cardinalis 8, 14.
de Naszvad plebanus Nicolaus.
de natalitiis legitimis inquisitio 442, 600.
Nazariensis Eppus Nicolaus.
Neapolis, civitas nativitatis Caroli regis 400, 593.
de Neegh Andreas homo regius 384, 554.
Nеek v. Nyék.
Negyed villa 672, 889.
de Nekcse Denk nob. 332, 483.
Nemel sacerdos 464. 611.
Nemcsény: villa 107, 168; 192, 284; 231, 344; 231, 346; 263, 383; 322, 468; 324, 471; 325, 472. — de eadem Petrus comes frater Bors nob. 231, 345—46; 322, 468; 324, 471; 325, 472.
de Néma Nicolaus homo palatini 680, 909.
Német dictus Johannes, aulae regiae miles 510, 674.
Némethél villa 259, 380.
Németi: villa 125, 188; 146, 213; 326, 475. — de eadem Thomas, Eppus Milkoviensis 626, 820.
Nemti villa 708, 955.
Neominus plebanus Sandomiriensis 66, 111.
Népberek nemus 210, 308.
Népekarcsa poss. 135, 198.
Nerzes AEppus Manasgardensis 365, 528.
Neuke voivoda Transilvanus 111, 172.
Neusidel, alio nomine Szombathely villa 10, 24; 219, 327. v. et Nezsider.
Neustad v. Maros (Nagy).
Néveg: poss. 58, 102; 62, 106. — de eadem Nicolaus nob. 58, 102; 61; 106.
Nicolaus: fr. abbas s. Martini de Sacro Monte Pannoniae 115, 178; 250, 367. — ADconus 283, 410. — ADconus Hontensis, sindicus capit. Strig. 272, 396; 288, 410; et vicarius in spiritualibus generalis Chanadini AEppi 701, 941. — ADconus Mosoniensis 505, 670. — Nógrádiensis 288, 410. — Pestiensis 471, 620. — de Zólyom et rector capellae regiae beati Nicolai de eodem 65, 109. — AEppus Jadrensis 615, 805; 645, 839; 648, 844. — AEppus Strig. cancellarius (Ao 1364.) 106, 165; 166, 237. — can. Albensis, informator Michaelis praep. Poson. promovetur in can. Poson. 383, 552; v. et de Zala. — can. Budensis 624, 816. — Jauriensis 683, 909. — Marci, can. et notarius Poson. 227, 342; 289, 412; 351, 509; 363, 527; 424—459, 600 et pluries. — Johannes can. Poson. 389, 562; 403, 581; 403, 584; 408, 590; 421—459, 600 et pluries. — can. de Pozsega 368, 534. — can. Poson. et eiusdem eccl. plebanus 599, 790. — Scepusiensis canonicus 368, 534. — mag. can. Strig. 126, 189. — cantor conventus monasterii s. Benedicti 318, 458. — Jauriensis cantor 68, 115; 75, 131. — presbyter, capellanus de Pográny 367, 531.

— clericus 532, 694. — clericus chori crferorum Strig. 334, 489; 337, 490. — clericus in Poson. 507, 670. — Demetrii clericus Strigon. dioec. 532, 694. — idem petit canoniam in Alba Regia 532, 694; 641, 832. — clericus chori Szekszárdiensis 467, 614. — Nicolai Varadiensis clericus 182, 258. — clericus Wratislaviensis dioec. paedagogus Ludovici regis, can. Vesprimiensis et Jauriensis supplicat canonicatum Strig. 495, 653. — f. Petri crfer, iuratus Budensis 619, 812. — custos Nitr. 289, 412; 316, 320; 367, 530. — idem canonicatum Strig. petit 532, 693. — custos Strig. 39, 72. — custos crferorum de Strig. 165, 237. — Jauriensis Eppus 23, 45; 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 58, 103; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 111, 172; 122, 184; 127, 189; 129, 192; 143, 207; 150, 219; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 170, 246; 205, 301; 241, 358; 248, 365; 262, 381; 262, 382; 713, 966; 715, 971. — Nazariensis 365, 528. — Quinqueecclesiensis 615, 805; 645, 839; 648, 844. — lector Agriensis 202, 296. — lector ord. s. Augustini de Insula Maiori 425, 600. — Theodori, lector Scepus. 667, 877. — mag. crferorum 2, 2; 9, 22; 12, 30. — ord. fratrum heremitarum, sacrae theologiae professor, capellanus Guidonis legati 698, 937; 699, 938. — monachus de Zobor 375, 544; 376, 545. — fr. ordinis s. Augustini de Insula Maiori 425, 600. — mag. notarius capituli Jauriensis 506, 670. — III. papa 6, 11. — praep. Agriensis 544, 716. — praep. Poson., capellanus regis, comes capellae regiae, ADconus Nitr. vicarius in spiritualibus Boleslai AEppi 27, 53; 28, 54; 63, 107; 35, 63; 42, 77; 45, 79; 55, 97; 67, 115; 74, 127; 75, 131; 79, 136; 82, 145; 88, 156; 89, 157; 98, 157; 93, 157; 99, 161; 100, 161; 101, 162; 102, 162; 108, 169; 113, 174; 119, 184; 120, 184; 121, 184; 126, 189; 133, 196; 435, 600; 715, 970; 716, 971. — idem electus Strig. 144, 211; 150, 222; 180, 251. — in Eppum Agriensem praeficitur 181, 253; 209, 306. — Eppus Agriensis 187, 272; 202, 296; 233, 350; 241, 358; 262, 381; 288, 411; 291, 417; 319, 459; 494, 650; 544, 716; 615, 805; 628, 823; 629, 824; 629, 825; 630, 826; 644, 837; 645, 839; 648, 844; 674, 891; 691, 926; 692, 930. — praep. Strig. 371, 540; 377, 546. — idem ambaxiator Hung. regis 533, 697; 533, 698. — idem electus Eppus Nitr. 641, 830; 641, 832; 645, 839; 648, 844. — postulatus Zagrabiensis Eppus 675, 896. — praep. Szebeniensis 3, 5. — praep. Transilvanus 111, 172. — prior de S. Benedicto 168—169, 244; 497, 658. — prior domus b. Stanislai martiris de Sáros, heremitarum de ordine s. Augustini 595, 783. — pleb. de Lőcse 671, 887. — pleb. de Naszvad 680, 909. — eccl. s. Michaelis in Posonio 386, 557. — de Üztörfalu 555, 731; 594, 780. — presbyter de choro Veteris Budae 619, 812. — rector missae B. M. V., testimonum cap. Nitriensis 349, 508. — rector ecclesiae b. Nicolai Alba Regali 284, 410. — rector eccl. de Csejk 14, 32. — S. Crucis iuxta Garam 425, 600. — de Szent-Iván (Liptó-) 616, 807. — sacerdos chori Jauriensis praebendarius 683, 909. — sacerdos de Várkony 706, 949. — sacerdos, vicarius de Léva 636, 829. — s. Pauli 265, 387. — sacerdos de Vitya 303, 435; 442, 600. — filius Johannis, scholaris chori Poson., promovetur canonicus ibidem 304, 439; 429, 600. — Theodori, sublector Scepusiensis clericus Strig. 575, 767. — castellanus Poson. 298, 425. — comes Hontensis 170, 246; 218, 308; 326, 475. — banus totius Sclavoniae, comes Supruniensis et Komaromiensis 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 99; 55, 97. — f. Stephani quondam banus totius Sclavoniae 628, 832; 629, 824; 629, 825; 630, 826. — f. Osl, banus de Macsó 262, 381; 284, 410. — dapiferorum regalium magister 494, 650. — f. Petőcz ianitor. reg. mag. 380, 541. — pincernarum reg. mag. comes Barsiensis 618, 805; 645, 839; 648, 844. — f. Gileti, comes Simigiensis 25, 49; 32, 59; 33, 60; 41, 73. — idem palatinus et iudex Comanorum 370, 538; 475, 628; 480, 629; 485, 635; 494, 650; 495, 655; 499, 662; 501, 665; 529, 685; 530, 686; 540, 712; 546, 718; 548, 720; 550, 725; 556, 735; 610, 799; 615, 805; 630, 827; 643, 836; 645, 839; 648, 844; 657, 860; 659, 862; 664, 873; 673, 891; 677, 902; 680, 909; 687, 917; 687, 918; 688, 919; 689, 920; 689, 921; 703, 945. — palatinus (Ao 1366.) 106, 165. — voivoda Transilvanus et comes de Szolnok 494, 650. — f. Ladislai vicedapifer regis 566, 746; 569, 755; 569, 756; 590, 774; 613, 804; 614, 805. — rector castri novi montis Pestiensis 222, 331; 525, 684. — examinator, iuratus Budensis 619, 812. — comes, iudex de Szomolnokbánya 548, 724. — viceiudex cottus Simigiensis 11, 27. — iudex et officialis abbatis

mon. s. Andreae de Visegrád 383, 551, — notarius de Szomolnokbánya 549, 724. — sutor Strig. 48, 89.
Nigrami f. Stephanus civis Strig. 204, 301.
Niger v. Fekete.
Nigri monachi (Benedictini) 545, 717.
Nigripontis insula 591, 775; terrae succursus 696, 935.
Nitria: castrum 401, 578. — eius iobagiones 355, 516. — civitas 400, 578. — circa eam mon. s. Emerani 401, 578. — archidiaconus 11, 28; Nicolaus, Philippus Mameli. — can. Cosmas, Emericus, Joseph, Paulus, Sebastianus. — capitulum 13, 31; 106, 168; 114, 176; 118, 182; 120, 184; 123, 184; 134, 197; 136, 200; 140, 205; 149, 218; 163, 234; 168, 244; 184, 262; 187, 271; 188, 273; 190, 278; 208, 305; 215, 319; 215, 320; 226, 339; 227, 342; 245, 364; 245, 364; 254, 375; 266, 392; 301, 431; 324, 471; 327, 476; 348, 506; 349, 508; 355, 516; 356, 518; 366, 530; 367, 532; 368, 533; 369, 537; 373, 542; 383, 550; 387, 558; 396, 575; 404, 586; 459, 601; 488, 643; 489, 644; 497, 658; 540, 711; 552, 728; 555, 731; 556, 734; 556, 736; 594, 780; 610, 800; 617, 808; 618, 811; 635, 829; 642, 834; 646, 842; 646, 843. — clericus Johannes. — custos Nicolaus. — cutellus decimationis 669, 879; 672, 889. — eccl. b. Nicolai 401, 578. — Eppus 103, 164; 393, 569; Johannes, Mesko, Nicolaus, Vitus de Castro ferreo. — Eppi electio 134, 196. — eiusdem titulus perpetui comitis 291, 417. — idem recuperator bonorum monasterii S. Benedicti 214, 317. — lector Stephanus. — rector missae Nicolaus. — sacerdotes: Jacobus, Johannes, Martinus, Paulus, Stephanus. — scholasticus Petrus. — vice archidiaconus Dominicus. — de nobilitate inquisitio 442, 600.
Noggron v. Garam (Nagy-).
Nógrádiensis ADconus Nicolaus, Petrus. — cottus congreg. gen. (Ao 1255.) 503, 666; 518, 680. — cottus congreg. generalis palatinalis 630, 827; 643, 836; 689, 921. — cottus magistratus 562, 739.
de Nolcsa genere nobiles 72, 123.
Nonensis monachus Catharensis Anselmus.
Notarii: Blasius, Johannes, Jauriensis capituli, Poson. capituli, civ. Ujbánya Johannes. — publici: Andire, Jacobus, Anglicus Johannes, Johannes de Bwsca, de Constancia Johannes, Paulus de Olsavicza, Petrus Chonradi, de Strelicz Nicolaus, Wilhelmus de Yissem, de Znoyma Mathias.
Novus Mons quondam Schebeniczebach, nunc Königsberg v. Ujbánya.
Nuntii apostolici: Bertrandus, de Bonofato Raymondus, de Carceribus Galhardus, Franciscus Eppus Tergestinus, Gervasii Petrus, Guido, Ildebrandinus, Jacobus Berengarii, Martinus.
Nuul villa (Ao 1037.) 160, 230.
Nysnyz prope Dunajecz villa 86, 153. — ibidem eccl. b. Bartholomaei apostoli 86, 153.
Nyárbokor tremula 633, 828.
Nyárfa meta 92, 157. — populus 235, 351.
Nyárhid: poss. 219, 326. — ibi tributum 673, 889.
Nyék: villa 222, 331; 357, 523; 358, 524; 515, 677; 526, 684. — de eadem Andreas nob. 120, 184; 126, 189. — Chuaz et alii nob. 467, 613. — Demetrius nob. 377, 546. — Ivahus nob. 170, 246. — Ladislaus procurator 499, 662; 664, 873. — Nicolaus nob. 121, 184. — Sebastianus homo regius 169. 245. — nobiles 360, 527.
Nyir (Nyirmál): poss. 73. 126; 80, 139; 80, 141; 82, 146; 94, 158; 119, 183; 190, 277; 227, 344; 371, 540; 542, 715; 554, 730; 685, 913; 692, 929. — de eadem Alardus (Olar, Alarch) 73, 126; 94, 158; 118, 183; 227, 344. — eiusdem f. Johannes 252, 715; 554, 730; 691, 929. — Petych nob. 685, 913.
Nyir: vinea 357, 520. — meta terrea 634, 828.
Nyiresliget silva 287, 410.
Nyirfa meta 287, 410.
Nyirhid fluvius 634, 828.
Nyirkő mons 82, 146.
Nyirmálkőalja (Nyirmálalja) vinea 272, 396.
Nyir-Pataka villa 356, 518.
Nyitra fluv. 468, 617.
Nyögömhely locus 634, 828.
Nyulakszigete v. Leporum Insula.
Nyulászsziget insula 352, 509.

O.

Obka v. Apka.
Ó-Buda civitas 383, 551; 383, 553; 384, 554; 619, 812.
Odon v. Adony.
Oduoskew lapis (Ao 1037.) 160, 230.
Oegel iobagio 21, 44.
Ófalu (Szepes): poss. 301, 430; 485, 637; 485, 638; 552, 726. — ibidem plebania 402, 580.
Óhaj: poss. 485, 635. — de eadem Anthonius nob. 401, 578. — nobiles 396, 573; 472, 621.
de Óhaj nobiles 556, 734; 556, 736; 562, 740.
Oláhtelek poss. 290, 413, 415.
Olas v. Halas.
de Olasza Johannes nob. 68, 116.
Olaszi Johannes, can. Budensis, f. promotus can. Strig. 664, 871.
de Olaszi plebanus 296, 421. — Aynardus comes 3, 4.

Oldurus famulus 674, 893.
Olgya: villa 136, 198. — de eadem Andics nob. 298, 425; 655, 857; 702, 942. — idem homo reg. 696, 936. — Fakó seu Farkasius nob. 42, 77; 277, 403; 350, 509. — idem cum fratre suo Andics 135, 198; 238, 349.
Oliverius: iudex curiae dominae reginae 465, 611; 494, 650; 615, 805., idem et mag. tavarnicorum regalium 627, 823; 629, 824; 629, 825; 630, 826; 643, 837; 641, 839; 648, 844.
Olomucensis: Eppus 11, 26. — clericus Theodoricus de Frybruch.
Olcznó: poss. 64, 108; 74, 130. — de eadem Hank famulus 668, 877.
Olsavicza: poss. 65, 110. — ibidem eccl. b. Nicolai 66, 110. — et capella 711, 960. — de eadem Ladislaus homo palatinalis 374, 543. — Paulus Jacobi clericus Strig. dioec., auct. imperiali notarius publicus 668, 878.
Olvár terra 463, 607.
Omodeus: nob. 11, 27. — f. Johannis nob. 655, 857. — filii 223, 333.
Ompod comes 572, 765; 581, 771.
Opatovicz civitas 66, 111.
Opizo marchio Estensis 47, 85.
Opor v. Apor.
Opun v. Appony.
Or poss. 331, 480.
Ordines relig: b. Antonii, s. Augustini, s. Benedicti, Camaldulensis, Carthusiensis, Cisterciensis, Cluniacensis, Crferi, Grandimontensis, Minorum Fratrum, s. Pauli, Praedicatorum, Praemonstratensis, Sepulchri Dominici, Vallis Umbrosae.
Oroch nob. 7, 12.
Oronaswynch v. Aranyosvincz.
de Oroszi Gregorius nob. 290, 416.
Oroszvár terra 351, 509.
Orros: dictus Johannes, vicecomes Poson. 593, 777; 596, 786; 607, 796; 649, 846; 674, 893; 702, 942. — Nicolaus nob. 135, 198. — Petrus Vcomes Poson. 113, 174; 259, 380.
Ortolfus fr. mag. domus hospitalis S. Spiritus in suburbio Budensi, et praeceptor per Hungariam generalis 157, 228.
de Osgyat Pető homo regius 505, 668; 505, 669.
de Osinach ADconus Johannes.
Osl f. Dominicus comes Vesprimiensis 284, 410.
Oszlár villa 706, 948.
Osztró: piscina 548, 722. — villa 672, 889.
Oth f. Nicolaus iudex de Csûtörtökhely 404, 586; 406, 588.
Otto abbas de Heiligen Kreuz in Austria 108, 169; 87, 156.
de Óvár plebanus: Ladislaus.
Ozna terra 114, 176; 136 200.
Ölved poss. 486, 639.
Ör villa 167, 238; 374, 543; 477, 628.
Örs: villa 14, 32; 63, 106; 328, 477; 329, 478; 334, 489; 335, 490; 340, 496. — (Óbuda) poss. 383, 551; 383, 553; 384, 554. — ibidem eccl. 713, 966; 967; 716, 971. — cutellus decimationis 15, 32.
de Örs praepositus: Georgius; 713, 966; 714, 968; Michael, Paulus.
Ösi villa 708, 955.
Össöd poss. 5, 9.
Özbég poss. 461, 602; 462, 604.

P.

de Paach plebanus: Perhtoldus.
Paag v. Páld.
Pach villa 30, 56.
Padány poss. 655, 857
de Padua: Marcilius haereticus 172, 250. — Eppus: Ildebrandus.
Pagh (Maior et Minor) poss. 259, 380.
Paganya villa 344, 501.
Paka: villa 72, 123; 135, 198. — de eadem Chama 120—121, 184; 122, 184. — et alii nob. 126, 189. — Leupoldus iudlium Poson. 17, 36; 27, 53; 28, 54; 35, 63; 89, 157; 101, 162; 102, 162.
Palást: poss. 191, 281. — de eadem Johannes et Nicolaus infideles 394, 571. — Bors et Petrus nob. 192, 284; 262, 383.
Palatini Hung.: Drugeth Johannes, Wilhelmus; Mathaeus, Moys, Nicolaus fil. Gileti, Philippus. — viceiudex Izsép — protectores comitum camerarum 308, 445.
Palatinus AEppalis Thomas.
Pálfalva poss. 285, 410.
Páldi poss. 68, 115.
de Palocsán districtus decimae 289, 411.
Palojta poss. 302, 432.
Palota poss. 300, 429.
Páltelöke poss. 285. 410.
Pályázó aqua 28, 54; 90, 157; 298, 425.
Pályázókõz: portus 92, 157. — poss. 208, 306; 669, 878.
Pangracius aulae regiae miles, homo regius 504, 666; 508, 671; 511—14, 676; 520, 680.
Pannanad villa (Ao 1037.) 160, 230.
Pannoniae Sacri Montis: abbas 9, 19; 109, 170; Hermannus, Nicolaus. — abbatia s Martini 67, 114. — ibidem conventus 654, 856. — monasterium 115, 178; 221, 330. — eius monachus Arnoldus. — prior Johannes, Wilhelmus. — procurator Bertoldus.
Panyit: poss. 674, 894. — ibidem eccl. lapidea in hon. b. Annae 674, 894.
Papae: Benedictus XII., Bonifacius VIII., Clemens V., Clemens VI., Honorius III., Innocentius III., Innocentius IV., Johannes XXII., Nicolaus III.
Papd villa 708, 955.
Papfa v. Papnépe.

Papfalva allodium 507, 670.
Papnépe villa 298, 425.
Papréte foenetum 370, 538.
Párkány v. Kakat.
Parlagi terra 225, 339.
de Parloch Thomas f. Nicolai dicti Bud nob. 389, 563.
de Parma Albertinus, ADconus de Dobicha in eccl. Zagrabiensi 434, 600; 712, 963.
Párna poss. 259, 380; 656, 858.
Parochi: (plebani, rectores, sacerdotes) ecclesiarum: Agriensis dioec., Albensis, Barsiensis, de Bazin, in Besenyő, de Boyun, Budensis, de Buda (Veteri-), de Busócz, in Cotze, de Csejk, de Csetény, in Dörögd, in Eberhard, de Egeg, Egyházdivék fundatio, de Elefánt, de Gamás, de Gelle, de Gicze, Gnézda, de Harakócz, in Heckenthal, de Iványi, in Jauriensi castro, de Kakat, de Kápolna, in Karcsa, de Kesztölcz, de Korpona, de Kortho (Chorchaw), de Körmöczbánya, de Kravlyán, de Leek, de Léva, in Lipcse, de Liptó, de Lócz, de Lőcse, de Lövöld, Lubló, in Marav, in Marchgrafen Newsidel, in Marczelfalva, Maros (Nagy-), de Marót, de Mindszent, de Müllenbach, de Naszvad, Nitriensis, Ófalu (Szepes), de Olaszi, de Óvár, de Örs (Buda-), de Patak, in Patony, de Pereszlény, Podolin, de Pográny, Poson. s. Laurentii, Poson. s. Martini, Poson. s. Michaelis, de Püspöki, in Rach, de Rimócz, de Rodona, Sandomiriensis, de Sasad, de Segösd, de S. Vito, de Selmeczbánya, Scepus, de Simigio, de Somorja, in Spannberch, eccl. s. Georgii martiris Strig., Szebeniensis, de Szécsény, de Szent-György, de Szent-István (Liptó-), de Sz.-Iván (Liptó-), de Szent-Katalin (Liptó-), in Szent-Kereszt iuxta Garam, de Szent-Mária (Liptó-), Liptó-Szent-Mihály, de Sz.-Miklós (Liptó-), de Szent-Pál, in Szent-Péter (Liptó-), de Szempcz, de Szepsi, de Szerdahely, de Szőlős, de Terpech, in Türnye, in Tyrnavia, de Ugocsa, de Üztörfalu, Vaciensis, de Várallya, de Várkony, de Visegrád, de Vitya, in Walchunschirchen, in Weykendorf, in Wienna, in Witzleinstorf. — Bartholomeus, Conradus de Buda, Johannes, Lucas, Lyphardus, Nemel, Paulus, Petrus, Thomas. — parochi electio 481, 631. — amotio 65, 108. — parochorum distr. de Tarcza immunitates 20, 42. — parochialium iurium translatio 711, 961.
Pártáspatak in Strig. 96, 159.
Pascasii turris in territorio Strig. 96, 159.
Pásztó villa 381, 548.
Páth (Puszta-) poss. 259, 380.
Patha nob. 378, 548.
de Patha ADconus Johannes.
Patacs: poss. 605, 795. — de eadem Ladislaus nob. 605, 795. — et Mauritius homines regii 603, 793; 675, 900.
Patak: poss. 169, 245; 170, 246; 323, 469; 324, 470; 326, 474; 333, 487; 349, 507; 630, 827; 643, 836; 648, 845; 690, 921. — de eadem Demetrius nob. 568, 751. — ord. Fratrum Praedicatorum prior 131, 195; 707, 951. — plebania et plebani: Stephanus, et Petrus Stephani 532, 692. — plebanus: de Eugubio Andreas.
Patakér meta 606, 795.
Pataviensis: dioec. 421, 600. — eiusdem clericus Johannes Wigandi. — Eppus Albertus. — vicarius Andreas.
in Patony: eccl. b. Michaelis archangeli et eius rector Thomas 384, 555. — de eadem Michael et alii nobiles 227, 342.
Patriarcha: Aquilaeensis.
Patvarócz poss. 669, 879.
Paulini monachi 20, 41.
Paulus: can. Nitr. ADconus Gradnensis 134, 197. — praesb. can. Nitr. 137, 197. — mag. can. Poson. 82, 145; 421—459, 600 pluries; 661, 869; 662, 870; 677, 902. — f. Benedicti can. Scepus. 667, 877. — mag. can. Strig. 20, 40. — f. Jacobi clericus Strig. dioec. canonicatum Agriensem et Scepusiensem petit 575, 767. — crfer Strig. 210, 308; 606, 795; 657, 860; 664, 873. — fr. Eppus Albensis de Nandor 241, 358; 248, 365; 262, 381; 283, 410. — mag. promovetur in canonicatum Poson. 438, 600. — fr. magister crferorum domus hospitalis eccl. s. Stephani regis de Strigonio et de Calidis Aquis 401, 579; 482, 632; 500, 664; 516, 677; 525, 684. — de ordine fr. Paemonstratensium, praep. de Csorna 23, 47. — praep. mon. b. Johannis baptistae de Jászó 537, 707. — praep. Scepusiensis 21, 43; 66, 110; 711, 960. — sacerdos eccl. B. M. V. in Besenyő 556, 736. — de Örs. 14, 32. — de Segesd 14, 32. — de Simigio 303, 435. — de Sancto Vito 507, 670. — eccl. Szent-Péter (Liptó-) 616, 807. — de Szőlős, homo regius 550, 724. — sacerdos, vicarius ecclesiae b. Georgii mart. de Szerdahely 2, 3. — presbyter de choro Vaciensi 505, 668; 506, 668. — f. Petri informator quondam ducis Colomanni, archidiaconus 131, 194; 251, 370. — f. Pauli, in iure canonico provectus, can. Strig., canoniam Varadiensem petit 533, 697. — banus de Macsó, comes Sirmiensis, de Valkó et de Bodrog 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93,

157, 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 127, 189. — comes 46, 81. — f. Simonis de Nagymarton, iudex curiae regiae 130, 192; 143, 207; 148, 217; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 167, 241; 205, 301; 225, 338; 227, 344; 241, 358; 244, 364; 248, 365; 251, 369; 254, 376; 262, 381; 283, 410; 291, 418; 300, 429; 302, 432; 304, 340; 304, 341; 315, 452; 315, 454; 319, 460; 328, 477; 329, 478; 331, 480; 332, 483; 334, 489; 335, 490; 344, 502; 345, 503; 349, 509; 353, 511; 356, 517; 359, 527; 362, 527; 366, 530; 368, 535; 377, 548; 387, 558; 389, 563; 390, 564; 396, 575; 405, 587; 408, 591; 481, 632; 483, 634; 494, 650; 502, 666; 508, 671; 509, 672; 511, 676; 518, 680; 524, 683; 531, 691; 533, 698; 554, 731; 562, 740; 563, 742; 568, 753; 571, 761; 572, 765; 573, 766; 577, 771; 615, 805; 618, 811; 628, 823; 629, 824; 629, 825; 630, 826; 635, 829; 644, 837; 645, 838; 645, 838; 645, 839; 648, 844; 650, 850; 660, 867; 688, 919; 691, 927. — magister tavarnicorum domine reginae 241, 358; 248, 365; 262, 381; 284, 410; 464, 611; 494, 650; 615, 805; 629, 824; 629, 825; 629, 826; 644, 837; 645, 839; 648, 844. — comes 46, 81. — mag., protonotarius iudicis curiae dominae reginae 465, 611. — vicecomes Hontensis 648, 845; 642, 836. — vicecomes et castellanus Poson. ac castri de Dévény 362, 527. — carpentarius Strig. 96, 159. — faber Strig. 96, 159.

Pavofolva v. Pálfalva.

de Paznan Michael nob. 525, 684.

Pécs civ. 416, 597; 560, 738.

de Pécsvárad: abbas 220, 330; Dethmarus. — conventus 10, 25. — locus credib. 167, 241; 534, 701.

de Pécz Johannes nob. 645, 838.

Peczkus f. Johannes homo regius 671, 888.

Peczo civis Poson. 492, 649.

Peethkfyuze poss. 200, 292.

Peg coloris equus 507, 670.

Péliföld poss. 68, 116.

Pelsőcz: poss. 287, 410; ibidem eccl. 675, 899. — eius patronatus 223, 332. — de eadem nobiles 283, 410.

Pelis v. Pilis.

Pénteksúr villa 259, 380.

de Perusa crferorum ord. s. Sepulchri Dominici praep. et capit. 372, 541.

Perbete villa 266, 392; 267 393; 295, 421.

Perecsen vinea in Strig. 393, 569.

Perenhauser: iuratus Budensis 222, 331; Sedulinus civis Budensis 619, 812.

Pereszlény: villa 13, 31; 210, 308. — de eadem Dominicus.

Perherlinus Paulus, plebanus s. Laurentii in Poson. 439, 600.

Pertholdus sacerdos, rector ecclesiae b. Petri de Paach 35, 64.

de Perwin Petrus famulus 677, 904.

de Pescere Paulus homo reg. 505, 669.

Pesczon civis de Ujbánya 615, 806.

Pest: civitas 687, 918. — de eadem ADconus Nicolaus. — Cson f. Csama nob. 290, 416. — Hench civis Budensis 151, 222.

Peszér terra 96, 159.

Petend: poss. 282, 409; 641, 833. — ibidem ius nundinarum 647, 844.

Petény poss. 271, 395; 295, 421; 655, 857.

Petk nob. 4, 6.

Pető: iudex Strig. 164, 237; 165, 237; 183, 259; 196, 288; 204, 301. — fil. Ladislaus iuratus Strig. 499, 663. — nob. 17, 36.

Petőcz nob. 380, 541.

Petrik civis de Csütörtökhely 496, 657.

Petrőcz nob. 542, 715.

Petrus: ADconus de Heves 544, 716. — Komáromiensis 288, 410. — ADconus Nógrádiensis, decretorum doctor et generalis vicarius Chanadini AEppi 199, 291; 210, 309; 690, 923; 695, 933; 701, 941. — de Sombon, can. Agriensis ac cancellarius Chanadini AEppi Strig. 202, 296. — de Zemplén 202, 296. — AEppus Spalatensis 41, 73. — can. Budensis 119, 183; 381, 548; 624, 816. — can. de Dömös 695, 933. — can. Poson. 208, 306; 266, 391; 289, 412. — idem testamentum condit 385, 557. — Rufus, can. eccl. Poson, plebanus s. Martini in eadem eccl. 383, 552; 429—459, 600 pluries. — f. Nicolai, scolaris in iure canonico, can. Strig., Agriensem canonicatum petit 533, 697. — can. Strig. 362, 527; 596, 784. — f. Nicolai can. Strig. et Agriensis 598, 788. — f. Jacobi canonicus Verulanus 11, 28. — cantor eccl. Budensis, can. Vesprimiensis 715, 970. — capellanus 507, 670. — capellanus Hertlini iudicis Poson. 438, 600. — clericus plebani de Marót 695, 933. — f. Johannis clericus 532, 694. — f. Stephani clericus 532, 694. — clericus chori de conv. Simigiensi 673, 890. — clericus Strig. 96, 159. — f. Stephani clericus eccl. Zagrabiensis supplicat pro plebania in Patak 532, 692. — fr. crfer, iuratus Budensis 619, 812. — custos et can. Jauriensis 298, 425; 506, 670. — presbiter Poson. custos eccl. Poson., promovetur in canonicatum ibidem 439, 600. — idem custos Poson. 289, 412; 351, 509; 363, 527; 604, 794; 619, 811. — et vicarius

et administrator Guillelmi de Pustella, praep. Poson. 661, 869; 661, 870; 666, 876; 668, 878. — custos de Varadiensi Promontorio eccl. s. Stephani Protomartiris 317, 457. — decanus Budensis 119, 183. — fr. Eppus Bosnensis 25. 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 127, 189; 129, 192; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301. — Eppus Calliensis 365, 528. — Montis Marani 365, 528. — Syrmiensis, comes capellae et secretarius cancellarius regis 274, 399; 291, 417; 303, 437; 305, 442; 403, 582; 585; 406, 588; 409, 593; 465, 611; 486, 639; 494, 650; 615, 805; 645, 839; 648, 844. — lector Budensis 119, 183. — de Posega 73, 126. — monachus de Simigio 442, 600. — Chonradi, Herbipolensis dioec. auct. imperiali not. publicus 458, 600. — praep. Agriensis 202, 294. — praep. Bacsiensis, comes capellae regiae et secretarius cancellarius regis 283, 410; 400, 593. — praep. et monachus de Simigio 631, 828. — praep. eccl. s. Georgii (Strig.) 5, 9; 79, 136; 435, 600. — praep eccl. s. Thomae martiris de Promontorio Strigon. vicariusque Chanadini AEppi in spiritualibus generalis 321, 467; 408, 592. — praep. de Teneu can. Vaciensis 625, 817. — praepositus monasterii s. Stephani protomartiris de Promontorio Varadiensi 316, 457. — quondam praep., can. Poson. 57, 100; 133, 196. — plebanus in Cotze 424, 600. — plebanus de Egeg, vicevicarius vicarii Csanadini AEppi 377, 547; 523, 682. — plebanus in Spannberch 427. 600. — plebanus de Szempcz et eius eccl. 547, 719. — f. Stephani f. Michaelis, plebanus ecclesiae B. M. V. de Zeuleus et de Vgacha 1, 1. — f. Stephani sacerdos 19, 39. — Nitriensis scholasticus 254, 375. — scholaris, conventus de Simigio testimonium 11, 27. — curialis comes Posoniensis 27, 53; 35, 63. — f. Abrahae carnifex Strig. 48, 89. — notarius et procurator civitatis Strig. 628, 823; 643, 837. — litteratus, procurator mon. s. Benedicti 490, 647. — litteratus homo voivodae 303, 437. — sartor Poson. 67, 115; eius f. Nicolaus 438, 600.

Petych nob. 692, 929.

Philippus: AEppus Strig. aulae regiae cancellarius 53—54, 95; 583, 771; 707, 954. — can. Scepus. 550, 724. — palatinus, comes de Szepes et Ujvár 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 37, 66; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 111, 172. — fr. procurator seu dispensator monast. Viennensis Scotorum 441, 600. — vicecomes et vicecastellanus Poson. 359, 525.

Pictaviensis can. Oliverius de Cerreto.

Pilisiensis: abbas 7, 12; 233, 350; Stephanus. — eius terra 106, 165. — conventus 509, 673. — eccl. B. M. V. 388, 561. — monasterium 247, 365.

Pincernarum reg. mag. Nicolaus.

Pisa: civ. 172, 250. — de eadem AEppus Simon.

Pisetum AEppale 255—58, 379; 278, 408; 306—312, 445; 412—419, 597; 568, 738.

Placitum regis in confirmatione praepositi Scepusiensis 26, 51.

Plebani v. parochi.

Plekense lacus 298, 425.

Pleseuch v. Pelsőcz.

Pobor poss. 460, 601.

Pocs serviens 701, 941.

Podmorch v. Pudmericz.

Podolin: civ. 47, 86; 73, 125; 74, 128. — ibidem eccl. s. Mariae Virginis 77, 135. — ibidem parochia 66, 111. — eiusdem iurisdictio 202, 297; 224, 336.

Poga poss. 288, 410.

de Pográny capellanus Nicolaus.

Póka: civis Strig. 96, 159. — servus 708, 955.

Pokus locus venationis regis 500, 664; 527, 684.

Polensis Eppus Sergius.

Polonus v. Lengyel.

in Poloniam contra Tartaros missus exercitus 473, 625.

Poloznuk villa (Ao 1037.) 160, 230.

Pomach: poss. 679, 907. — de eadem Heym nob. 679, 907.

Pomsa terra 92, 157.

Pons Surgiae civitas in Avignon 275, 399.

Pontius abbas domus Posoniensis ordinis s. Anthonii 79, 137.

Poprád: villa 64, 108. — de eadem homines 74, 130.

Portalis dica v. Lucrum camerae.

de Portatriona Sygo fr. praeceptor et magister domorum s. Antonii per totam Hungariam et Sclavoniam 79, 137.

Portuensis eppus: Berengarius, Johannes.

Porvenus iobagio 21, 44.

Pósa famulus 345, 503. — nob. 374, 543.

de Posega: can. Nicolaus. — capitulum 73, 126; 150, 221; 151, 224; 152, 225. — clericus Johannes. — custos Johannes. — lector Petrus. — praep. Andreas.

Posonium: 29, 54, 29, 56; 24, 48; 35, 63; 44, 77; 45, 78; 45, 79; 46, 80; 90, 157; 92, 157; 113, 174; 298, 425; 360,

527; 386, 557; 439, 600; 529, 685; 542, 714; 590, 774; 602, 791; 661, 869; 664, 870; 669, 879; 686, 915; 712, 961. — altare b. Gotthardi 604, 794. — canoniae collatio 254, 377. — canonicatum petit Johannes Wigandi. — canoniam praetendens Nicolaus de Gelye et super canonicatu processus 421—459, 600. — canonicatuum revocatio 382, 549. — canonici: Cynke Michael, Diclinus, de Cheton Emericus, Ivánka, Jacobus Leupoldi, Emericus, Johannes, Johannes Alexandri, Johannes frater Nicolai, Johannes Lengyel, Johannes Longus, Johannes f. Lowicz, Johannes de Milisin, Liephardus, Martinus, Nicolaus, Nicolaus f. Johannis, Nicolaus de Zala, Michael, Michael f. Gyürke, Michael de Simigio, de Wienna Paulus, Paulus, Petrus, Petrus Rufus, Stephanus, Thomas, Vörös Thomas, Tyboldus. — canonicorum quaerelae contra Martiuum praep. Dömösiensem et compositio 599, 790; 604, 794. — capella 49, 90. — capella s. regis Ladislai 507, 670. — capella b. Nicolai 604, 794. — capellanus Engelschalcus, capellanus Petrus, capellanus Stephanus, Thomas. — capitulum priv. 27, 53; 27, 54; 30, 57; 32, 60; 42, 77; 45, 79; 49, 90; 54, 97; 56, 98; 88, 156; 89, 157; 98, 160; 99, 161; 102, 162; 108, 169; 109, 170; 115, 178; 119, 184; 120, 184; 122, 184; 123, 184; 126, 189; 127, 189; 188, 273; 190, 278; 298, 425; 326, 473; 331, 479; 356, 517—518; 359, 527; 383, 552; 488, 643; 495, 655; 501, 665; 507, 670; 550, 725; 588, 772; 617, 808; 618, 811; 642, 834; 652, 854; 653, 855; 654, 856; 657, 860; 661, 869; 661, 870; 664, 873; 677, 902; 690, 924; 691, 925; 691, 926; 692, 930; 694, 932; 696, 936; 712, 964. — idem ut locus credibilis: 2, 3; 3, 6; 12, 29; 16, 33; 17, 36; 18, 37; 33, 61; 34, 62; 35, 64; 36, 65; 37, 67; 58, 101; 72, 123; 80, 142; 113, 173; 123, 185; 135, 198; 145, 212; 148, 217; 158, 229; 184, 261; 203, 299; 227, 342; 239, 356; 289, 412; 312, 448; 331, 480; 339, 495; 344, 502; 345, 504; 350—51, 509; 356, 519; 370, 538; 384, 555; 389, 563; 400, 578; 482, 633; 491, 649; 538, 709; 542, 714; 547, 719; 576, 770; 593, 777; 597, 786; 607, 796; 610, 799; 612, 802; 649, 846; 655, 857; 659, 862; 659, 863; 659, 864; 665, 875; 670, 881; 671, 888; 674, 893; 676, 901; 693, 931; 695, 934; 702, 942. — eius notarius Nicolaus. — castrum 188, 273; 359, 525; 360, 527; 670, 883. — eiusdem iobagiones 28, 54. — terra 188, 273. — cives 350, 509; 386, 557. — civitas 119, 184; 686, 916; 697, 936. — eius magistratus 588, 772. — conventus s. Clarae 45, 80; 140, 204; 386, 557; 538, 709; 571, 758; 690, 922; Katherina. — clerici: Albertus, Nicolaus. — comes Nicolaus Treutel. — cottus 27, 53; 28, 54; eiusdem cottus congr. generalis 29, 55; 529, 685. — cottus maior 63, 107; 209, 306; 652, 854; 653, 855. — cottus et civitatis decimae 691, 925; 691, 926; 692, 930; 694, 932; 696, 936. — custodia 57, 100; 711, 961. — custos: Petrus, Thomas. — custos accipit decimam partem testamentorum 661, 869; 663, 870. — custodis scolaris Johannes. — domus ordinis s. Anthonii 79, 137; 492, 649. — eius abbas Pontius 79, 137. — curia seu domus mon. Heiligen Kreuz 298, 425. — ecclesia 28, 54; 59, 56; 44, 77; 45, 79; 63 107; 68, 115; 75, 131; 82, 145; 90, 157; 98, 160; 99, 161; 102, 162; 108, 169; 121, 184; 126, 189; 361, 527; 421—459 pluries. — b. Andreae apostoli 57, 100; 711, 961. — b. Gothardi 57, 100; 711, 961. — eccl. s. Michaelis 711, 961. — S. Salvatoris, alias s. Martini 136, 198; 600, 790; 661, 869; 662, 870. — eidem indulgentiae conceduntur 79, 138; 339, 492; 365, 528. — eiusdem fabrica 589, 772; 686, 916. — ibidem missae fundatio 385, 552; hospitale 507, 670. — iudaeorum synagoga destruitur 266, 394. — iudex: Jacobus. — missa B. M. V. 604, 794. — eadem celebratur per custodem 661, 869; 663, 870. — plebani eccl. s. Martini electio, iura et obligationes 661—664, 870; s. Laurentii plebanus: Jacobus Leupoldi, Leupoldus, Paulus Perherlinus. — plebanus eccl. s. Martini: Martinus f. Nicolai, Nicolaus, Petrus Rufus. — plebanus ad s. Michaelem: Nicolaus, Theodericus. — praep. 29, 56; 33, 60; 43, 77; 56, 98; 70, 121; 86, 156; 98, 160; 99, 161; 102, 162; 115, 178; 122, 184; 127, 189; 298, 425; 361, 527; 499, 662; 712, 964; Guillelmus de Pustella, Tyboldus Michael, Nicolaus, Seraphinus. — administrator: Nicolaus, Thomas, Martinus. — chori sacerdotes 507, 670. — sacerdotes: Fabianus, Georgius, Petrus. — scolae rector Petrus. — scholaris Nicolaus Johannis 429, 600. — scholasticus, eius iura et officia 663, 870. — portus 88, 156. — tributum 31, 59; 661, 869; 663, 870. — testamentum condendi modus 661, 869; 663, 870. — turris 49, 90. — vinearum terragia 589, 772.

de Posonio: (Pressburga) Adelhaid 79, 138. — Demetrius civis Poson. 507, 670. — Jacobus custos Budensis 119, 183. — ad Strig. iter erat III. dierum 316, 456.
Posonius can. Budensis 624, 816.
Possessionis elocatio 318, 458.
Potoch v. Patak.
Pottenburg castrum 88, 156; 666, 876.
Potun v. Patony.
Pous civis Strig. 195, 288.
Pousa f. Johannes nob. 476, 628.
de Prácsa villa 208, 306; 298, 425.
Praecones 573, 766; 582, 771.
Praedialistae: abbatis s. Benedicti de iuxta Gron 107, 168. — AEppales 4, 6; 16, 35; 23—24, 48; 25, 50; 123, 185; 341—42, 500; 345—47, 504; 482, 633; 503, 666; 519, 680; de Karcsa. — eorum palatinus et congregatio generalis 300, 426. — cum consensu AEppi possunt in coetum servientium regalium aggregari 78, 136.
Praedicatorum Fratrum ordo 115, 177. — monachi: Martinus, Michael, Rodolfus, Rors dictus Daniel, Stephanus, de Zagrabia, Mathias. — claustra: de Leporum Insula, de Patak.
Praemonstratenses: de Bozók, de Czarnovan, de Csorna, de Csuth, de Garáb, de Jászó, de Leporum Insula, de Ság, de Turócz, de Varadiensi Promontorio.
Praepositi: Agriensis, Albensis, Aradiensis, Bacsiensis, Bosnensis, Budensis, Csasmensis, Czarnovanensis (de Domo Dei) Csornensis, Dömösiensis, de Garáb, Jauriensis, Miechoviensis, de Posega, Posoniensis, Quinqueecclesiensis, de Ság, de Sow, de s. Ireneo, Scepusiensis, Strig. maior, Strig. s. Georgii, Strig. s. Thomae, Szebeniensis, de Teneu, Titeliensis, Transilvanus, Vaciensis, Varadiensis, s. Stephani de Promontorio Varadiensi, Vesprimiensis, Vratislaviensis s. Crucis; Gregorius, Petrus.
Pridech fluvius 719, 975.
Proclamatio trina forensis 120, 184.
Prothus praep. Czarnovanensis seu de Domo Dei 202, 297; 233, 350.
Provinciales episcopi 103, 164.
de Prukk villa decimae 208, 306.
de Puchruch decimae 207, 303.
Pudmericz villa 259, 380.
de Pudur genere nobiles 72, 123.
de Purin Nicolaus nob. 371, 539.
Puer dictus Theophilus praep. Strig. v. Theophilus.
Pulchra Villa v. Schöndorf.
de Purven Nicolaus nob. 284, 410.
de Pustella Guillelmus, patriarcha Constantinopolitanus, praep. Poson. 572, 764; 661, 869; 661, 870.
Puellaris quartae vindicandi modus 712, 965.
de Putnok Nicolaus Veche nob. 290, 413.
Puz nob. 36, 64.
Püspöki: poss. 290, 413; 415; 388, 561; 711, 959. — ibidem eccl. s. Nicolai 507, 670. — plebanus Thomas.
Pynk nob. 24, 48.
Pynke praedialista 347, 504.
Pyntheksur v. Péntesúr.
de Pyr nob. 679, 907.
Pychur villa 708, 955.
Pzycha vinea in Szempcz 547, 719.

Q.

Quiar villa (Ao 1037.) 160, 230.
Quinqueecclesiae: camerae territorium et elocatio 412, 598; 558, 738. — canonicus Damianus. — cantor Henricus, Stephanus. — capitulum 167, 241; 353, 511; 411, 595; 420, 599; 707, 953. — custos Andreas. — civitas 15, 32; 316, 456. — clericus Stephanus Andreae. — decanus Wenczlaus. — Eppus 103, 164; 293, 420; 548, 723; 609, 798; 661, 868; Ladislaus, Nicolaus. — Eppatus Romanae sedi reservatur 70, 120. — hospitalis s. Bartholomaei magister Thomas. — lector: Andreas, Endre, Göncöl. — praep. Jurko, Stephanus.
Quintum Forum alias Mechelofalwa villa 21, 43.

R.

in Raaz terra capella et coemeterium 46, 81.
Rabenstayner Nicolaus iuratus Budensis 619, 812.
Racenses grossi 416, 597.
in Rach plebanus de Swind Leopoldus.
Rachey (Rachyn) servus 708, 955.
de Rachewor Heinmannus civis de Ujbánya 615, 806.
Racsic villa 672, 889.
Radvány v. Rodona.
Radosna (fő) villa 672, 889.
Radulphus Stephani can. Strig. 181, 255.
Ragald terra 317, 457.
de Ragalz Johannes, Liephardi de Posonio, praesbiter Strig. dioec. 181, 254.
Rakatya vepris 485, 634.
Raphael v. Raphoyn.
Rasciae regni schismatici 545, 717.
Ravasz dictus Johannes civis Budensis 157, 228.
Ravaszod terra 483, 634.
Ravaszlyuk terra 347, 504.
Raynaldus: custos Strig. 5, 9; 39, 72; 50, 92; 79, 136. — marchio Estensis 47, 85.
Raymundus Stephani, mag., clericus papalis camerae, apostolicus nuntius 174, 250.
Reatinensis Eppus Joannes.
Récse: poss. 28, 54; 94, 157; 140, 204; 208, 305; 208, 306;

259, 380; 530, 685; 576, 770; 695, 934; 703, 944; 704, 946. — ibidem vinea 507, 670. — de eadem Liphardus nob. 239, 356.
Rector: altaris B. Virginis in Strig.: Thomas. — capellae in Vác. — de Zolio.
Rednukpataka fluv. 703, 943.
Reges Hung.: Andreas II., Andreas III., Bela I., Bela III., Bela IV., Carolus I., Emericus, Ladislaus IV., Ludovicus I., s. Stephanus I., Stephanus V.
Reginae Hung.: Agnes, Elisabetha.
Remete poss. 549, 724.
Rendve poss. 39, 72; 258, 380. — de eadem Dezső homo regius 355, 515.
Renning aqua 351, 509.
Reservationes Episcopatuum Romanae sed. 70, 120.
Residentia regalis exercitus 120, 184; 563, 740; 618, 811; 636, 829.
Réte villa 259, 380; v. et Récse.
Reuche dictus Rutgerius, civis Tyrnaviensis 140, 203.
Revisnye castrum 263, 383.
Reynis dictus Petrus civis Budensis 500, 664.
Ribény v. Hilény.
Rih coloris equus 507, 670
de Rimócz plebanus 517, 679.
Rinya v. Ronnya.
de Ripak Michael homo regius 409, 593.
Rivulus Abbatis, seu Biksevnicze, vel Rivulus Maior v. Biksevnicze.
Robertus, rex Siciliae canonicum Strig. commandat 181, 255.
de Rocholcha castellanus Thomas de Karthal.
Rodmanus carnifex Strig. 96, 159.
Rodolphus: fr. Ord. Praedicatorum, electus Vaciensis 147, 215. — idem fr. Eppus Vaciensis 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301; 241, 358; 248, 365; 262, 381; 291, 418; 470, 620.
de Rodona Thomas comes 65, 109.
Roma urbs 79, 138.
Romam proficiscitur Petrus molendinator 143, 208.
Romana curia 145, 211; 532, 693; 532, 694. — eius provinciale 103, 163. — ad eam appellatio contra Chanadinum 303, 443.
Romanae ecclesiae: Cardinalium consistorium 138, 203. — feudatarius Hungariae rex 103, 164.
Romania terra 591, 775.
Romhány: poss. 265, 388; 267, 395. — de eadem Csuda, Eliseus et alii nobiles 266—271, 395. — Servusdei nob. 268, 395. — nobiles 265, 388; 265, 389.
Ronnya nemus 156, 226.
Roozold villa 10, 25.
Rophoyn iudlium Strig. 328, 477; 330, 478; 334, 489; 336, 490; 337, 490. — v. et de Libád.
Rors dictus Daniel fr. abbas mon. s. Andreae apostoli in Visegrád, prius Ord. Praed. 504, 667; 531, 687; 695, 933.
Rosd genus Hung. 7, 12.
de Rosd insula Lucas 228, 344.
Rossensis AEppus Johannes.
de Rovásd Demetrius homo regius 467, 614.
Rozsnyóbánya civitas 40, 73; 217, 323.
Rubinus: nob. 489, 644. — civ. Budensis 150, 220. — f. Zanchuk comes 136, 200. — f. Godini civis Strig. 137, 202. — f. Georgius mag. civis Strig. 204, 301; 393, 569; 499, 663. — Jacobus iuratus Strig. 499, 663.
Ruda mons 288, 410.
de Ruday Johannes nob.
Rudner Rudlinus civis Budensis 151, 222.
Ruedulynus iuratus Budensis 222, 331.
Rufus v. Vörös.
Ruralis praepositus v. Szebeniensis.
Rususna: fluvius 287, 410. — poss. 283, 410.
Rycolphus fr. mag. crferorum ord. S. Sepulchri Dominici de Landek 372, 541; 476—478, 628; 470, 619.
Rykalcs poss. in cottu Bihar, dicitur Artand, quia populi in eadem habitantes scrofas dare tenebantur mon. s. Benedicti 253, 374.
Rykathay dictus Michael: vicecastellanus de Revisnye 263, 383.
Ryusche v. Revisnye.

S.

Sabad v. Szabad.
Sacerdotis filii 464, 611.
Ság: poss. 290, 414; 305, 442; 359, 526; 402, 579; 407, 589; 553, 729. — ibidem eccl. b. Martini conf. 407, 589. — de eadem Bede Rufus comes 402, 579; 553, 729. — nobiles 407, 589; 553, 729. — (Ipoly-) conventus 69, 119; 169, 245; 211, 312; 225, 339; 321, 462; 321, 464; 323, 469; 353, 512; 403, 583; 412, 596; 463, 606; 495, 656; 554, 730. — praep. 210, 308; 223, 334; 300, 429; 302, 432; 463, 607; 685, 914; Ivánka, Stephanus.
Sajó fluv. 505, 668; 506, 669.
Salamon: capellanus convent. s. Benedicti 315, 454; 355, 515. — mag., cancellarius dapiferorum regalium 707, 955.
Salasun v. Zalason.
Salló: poss. 186, 268; 341, 500; 342, 501. — ibidem capella 498, 661. — de eadem Petrus et Paulus homines regii 678, 904. — Stephanus homo regius 638, 829.
Sallya poss. 366, 529.
Sámot: villa 33, 60; 129, 185; 661, 869; 663, 870. — AEppi villa 158, 228. — de ea: Barnabas homo vicecomitis Poson. 593, 777; 607, 796. — Benke nob. 158, 228. — Első nob. 158, 229; 227, 342. —

Nicolaus nob. 507, 670. — Paulus, exercitualis iobagio AEppatus Strig. 482, 633. — nobiles 350, 509. — praedialistae 482, 633.
Sanctimoniales: Benedictinae, Clarissae, Dominicanae. — de Poson., de Leporum Insula, de Tyrnavia.
Sancta Crux v. Heiligen Kreuz et Szent-Kereszt.
Sancta Maria villa v. Somorja.
S. Mariae Montis monasterium v. Kedhely.
Sancti Emerani monasterium circa Nitriam incerti ordinis 401, 578.
Sancti Jacobi villa v. Szent Jakab.
Sancti Michaelis villa v. Szent Mihály.
de Sancto Vito sacerdos Paulus.
de S. Yreneo: Eppus Georgius. — praep. et can. Bacsiensis Dominicus.
Sanctus-Rex v. villa Szent-Király.
Sandal v. Csandal.
Sandomiriensis plebanus: Neominus, Wroninus.
Sandor filii nob. 385, 556.
Sáp: poss. 319, 461; 359, 524. — de eadem Nicolaus nob. 668, 878. — Pomsa comes et alii nobiles 319, 461.
de Sárás: Nicolaus et alii nobiles 377, 546.
Sárfő villa 259, 380.
Sári: poss. 318, 458. — de eadem Nicolaus f. comitis Ivánka 318, 458. — Nicolaus homo regius 568, 754.
Sárkányhegy mons in Kovácsi prope Strig. 96, 159.
de Sárköz: Lada homo cottus Simigiensis 11, 27.
Sáró poss. 341, 500; 342—44, 501.
de Sáros Augustinianorum prior: Johannes, Nicolaus.
Sartor v. Szabó.
Sarusag locus 396, 504.
Sárvárfok locus 317, 457.
Sasad: villa 14, 32; 62, 106. — de ea cultellus decimationis 15, 32. — ibidem eccl. b. Andreae apostoli 63, 106; 713, 966; 713, 967; 716, 971. — eius sacerdos 713, 966; 714, 968; Benedictus, Franciscus.
Saskő: castrum 278, 408; 282, 409; 374, 542; 375, 544; 376, 545; 540, 711; 541, 713. — de eadem Vesszős nob. 282, 409.
Satacensis can. Bernhardus.
de Savnik abbas 74, 130 v. etiam de Scepus.
de Sávoly Henter nob. 51, 94; 52, 94.
Scharlahperg vinea in Poson. 542, 714.
de Schawnberg Konradus, grafius 666, 876.
Schebnuchbana v. Selmeczbánya.
Schevniczbánya alio nomine Königsberg v. Ujbánya.
Schebeniczebach quondam, nunc Novus Mons, alias Königsberg v. Ujbánya.
Schepman Christianus civis Poson. 542, 714.
Schigote pratum 468, 617.
Schola: de Egyház-Divék, Poson.
Scholares: Nicolaus f. Johannis, Petrus, Poson.
Scholasticus: Nitriensis, Poson.
Scholastria Cracoviensis.
Schönau possessio 4, 7; 5, 8.
Schöndorf v. Széplak.
in Schöndorf eccl. s. Gotthardi 711, 961.
de Schöndorf dictus Petrus nobilis 576, 770.
de Scichak Michael, homo regius 612, 802.
Scinniche aqua 125, 188.
Scench v. Szempcz.
Sceplok v. Széplak.
Scepusium: abbates 64, 108; 131, 195; 707, 951: Johannes, Wilhelmus. — eorum monasterium B. M. V. 87, 154. v. et Savnik. — ADconus Beke. — altare b. Johannis evangelistae 667, 877. — s. Martini 668, 877. — b. Petri et Pauli apostolorum 667, 877. — canonicatum petit Nicolaus de Lőcse, Paulus Jacobi. — canonici: 680, 880; Frwynus, de Gyékényes Johannes, Johannes, Nicolaus, Paulus Benedicti, Philippus, Urovinus, Wroninus de Suadetz. — cantores: Bogomerius, Joannes Nicolai. — capella b. Andreae 667, 877. — B. M. V. 667, 877. — capitulum 4, 7; 23, 46; 26, 51; 65, 110; 87, 154; 142, 206; 145, 209; 167, 238; 171, 248; 194, 287; 305, 443; 372, 541; 374, 543; 473, 624—625; 475, 628; 476, 628; 480, 630; 549, 724; 568, 751; 671, 887; 718, 975, — eiusdem archivum vastatur 537, 707. — Carthusienses 189, 275. — castri suburbium 564, 793. — districtus 85, 147. — cottus magistratus 670, 880. — eccl. 289, 411. — apud eandem palatium superior, habitaculum praepositi 667, 877. — iudices 64, 108. — lectores: Christophorus, Johannes, Laurentius, Nicolaus Theodori. — praep. 131, 195; 202, 297; 420, 598; 531, 690; 707, 951; Henricus, Johannes, Paulus. — eorum electio et confirmatio 26, 51. — praepositura 69, 118. — praep. vicarius Urovinus. — eam, praeposituram petit Johannes. — praepositurae Budense palatium 594, 782. — praepositura in Eppatum evehi nititur 661, 868; 671, 885. — sacerdos: Beke, Gregorius, Mathias, Thomas. — sublector: Nicolaus Theodori. — succentor Georgius.
Sclavoniae totius banus Mikch, Nicolaus.
Sclavus v. Tót.
Scriptor Leopoldus 277, 403.
Scultetiae venditio 171, 248.
Sebastianus can. Nitr., ADconus Trencséniensis 134, 197.
Sebe domina 265, 387.
Sebreth v. Siegfrid.

Sédfő meta 406, 587.
Sedulynus iuratus Budensis 227, 331.
Segösd: civitas 13, 32; 155, 226; 416, 597; 560, 738; 634, 828. — de eadem eccl. 713, 966; 716, 971. — ibidem sacerdos 713, 966; Paulus.
Segor mons 242, 360.
Segre v. Zsegra.
Seker clausura piscium 655, 857.
Selmeczbánya: civitas 308, 445; ibidem eccl. parochialis 54, 95.
de Selmeczbánya comes Johannes f. v. Soaz (Saachet) 373, 542; 376, 545.
Sember v. Zsember.
Semler v. Zsemlér.
Sempte castrum 284, 410; 653, 855.
Semsch v. Szempcz.
Senye nob. 70, 122.
Sepulchri Dominici: visitatio 596, 785; 533, 696. — canonici: Henricus. — ordinis capitulum Jerosolimitanum. — praepositus de Landek.
Sepultura hominum interfectorum 274, 399.
Seraphinus praep. Posoniensis 44, 78.
Serefel nob. 42, 77.
Serethe civis de Csütörtökhely 496, 657.
Sergius Eppus Polensis 365, 528.
de Serphus filii, nobiles 590, 774.
Servorum manumissio 34, 61; 233, 349.
Severidus abbas v. Siegfridus.
Shernovche v. Zsarnócza.
Siciliae: regnum 410, 593. — regis filii educatio 617, 809. — domus regalium virorum liberatio 660, 866.
Siculi episcopi 103, 164.
Siculi: de Kézd 109, 171; 110, 172; 116, 179; 117, 180, — de Felvincz.
Siculorum comes Simon.
Siculus servus 420, 599. — Siculus v. Székely.
Siegfridus: abbas s. Benedicti de iuxta Gron 168, 244.; 184, 262; 187, 271; 192, 284; 230, 345; 231, 346; 233, 347; 253, 374; 262, 383; 262, 384; 273, 397; 302, 433; 303, 437; 304, 438—441; 305, 442; 316, 455; 318, 458; 322, 469; 324, 471; 325, 472; 340, 496; 341, 498; 345, 503; 348, 506; 349, 508; 354, 513; 368, 534; 369, 537; 373, 543; 375, 544; 376, 545; 400, 577; 403, 583; 404, 586, 405, 587; 408, 591; 459, 601; 497, 658; 535, 703; 536, 704; 537, 705; 536, 706; 540, 711; 540, 712; 544—6, 717; 552, 728; 556, 736; 562, 740; 564, 744; 566, 745; 568, 754; 570, 757; 611, 801; 621, 814; 626, 821; 635, 829; 645, 839; 646, 840; 646, 841; 646, 842; 647, 844; 650, 848; 658, 861; 660, 865; 677, 904; 687, 918; 688, 919; 689, 920. — plebanus de Maróth 695, 933.
Sigilli Caroli regis aliud par non publicatum 207, 302.
Sigillum vicecomitis capitulo Strig. ignotum 362, 527.
Sigillationis modus sedriae cottus Posoniensis 28, 53; 29, 54.
de Sigra: Dyonisius nob. 711, 960. — Mathaeus f. Mykd homo regius 474, 625. — Nicolaus comes, et castellanus de Scepus. 66, 110.
Siller dictus Laurentius et Michael cives Strig. 393, 569.
Silvanus Warmacensis Eppus 365, 528.
de Simigio: abbas 303, 434; Anselmus, Stephanus. — cantor Fridericus. — celerarius Adrianus. — comes Nicolaus. — cottus magistratus 185, 267; 186, 269.
Silvarum custodum terra 105, 165.
Simigiensis conventus 47, 88; 51, 94: 145, 210; 147, 216; 151, 223; 155, 225; 185, 266; 186, 270; 197, 289; 613, 804; 627, 822; 631, 828; 673, 890. — custos Ulricus, decanus Henricus. — eccl. s. Egidii 633, 828. — monachus: Adrianus, Demetrius, Petrus. — sacerdos Paulus. — Michael f. Synke can. Poson. 340, 497; 439, 600.
Simánd: poss. 332, 482. — Simeon iobagio castri Strig. 300, 427.
Simon: ADconus de Liptó 339, 493. — AEppus Pisanus 174, 250. — comes Siculorum 112, 172. — rector eccl. de Szent Mária (Liptó-) 616, 807. — sacerdos chori Strig. 579, 771.
Sinketekútja: piscatura 37, 67; 41, 74; 42, 76; 42, 77; 55, 97. — alias Sinki de Kürt piscatura 42, 77; 55, 97. — Sinki piscatura 43, 77. — Kürt, alias Synketecuta piscatura 42, 77; 55, 97.
Sipék: poss. 395, 571; 399, 576, — de eadem Boka nob. 395, 571. — Boka, Moynolth, Pető. et alii nobiles 533, 700. — nobiles 399, 576. — nobiles infideles 394, 571.
Sirmiensis: camerae comes: de Szatmár Nicolaus. — camerae territorium et elocatio 412, 597; 568, 738. — Eppus: Georgius, Gregorius, Petrus. — sedes vacat 241 358; 248, 368.
Sitke villa 634, 828. — de eadem nobiles 632, 828.
Sitmulnuchbanya v. Szomolnokbánya.
Sithpphauer, dictus Nicolaus, iudex de Ujbánya 621, 814.
Sixtus ADconus Komáromiensis et lector Strig. 572, 765; 573, 766: 581, 771.
Smulnuch v. Szomolnok.
Sniche flumen 210, 308.
Solymos poss. 184, 262.
de Sombon ADconus Petrus.
Somkut poss. 283, 410.
Somogy vinea Strig. 96, 159;
de Somogy Michael civis Poson. 507, 670.
Somorja: villa 38, 79; 158, 229. — ibidem ecclesia 158,

229. — eius eccl. rector Stephanus.
Somos: villa 543, 716. — de eadem; Kayul et alii nobiles 543, 716. — Petrus nob. 475, 628. — nobiles 37, 66; 470 619; 531, 688.
de Sopronio Nicolaus nob. 184, 261.
Sorlow v. Salló.
Sothmar villa 667, 877.
de Sow praep. Damianus.
de Sóvár nobiles 703, 943.
Soway villa 107, 168.
de Spácza Johannes nob. 538, 709.
Spalatensis: AEppus Dominicus, Petrus. — ecclesia 61, 105.
in Spannberch plebanus Petrus.
Staul Inferior v. Alistál.
Stellengruunt insula 350, 509.
Stephanus: abbas de Lekér 355, 514. — abbas de Pilisio 388, 561; 392, 565. — abbas de Simigio 148, 216. — AEppus Colocensis 614, 805; 626, 819; 645, 839; 648, 844. — AEppus Strig. 328, 477; 330, 478; 336, 490. — f. Corrardi can. eccl. Albensis 251, 369. — can. Jauriensis 696, 937. — can. Poson. 657, 860; 661, 869; 662, 870; 664, 873; 668, 878; 694, 932. — can. Strig. 696, 936. — canonic. Vesprimiensis 713, 966. — cantor eccl. Quinqueecclesiensis 15, 32. — capellanus comitis Poson. 619, 811. — Andreae clericus Quinqueecclesiensis supplicat pro cantoratu Scepus. 557, 737. — Alexii, clericus Strig. canonicatum Strig. petit 675, 898. — Eppus Veriensis 79, 138. — eppus Vespr. 14, 32; 544, 717; 713, 966; 714, 969; 715, 970. — lector Nitriensis 114, 176; 118, 182; 133, 196; 134, 197; 187, 271; 266, 392; 288, 412. — lector ex ordine Praedicatorum, capellanus Caroli regis 312, 447. — fr. Ord. Praedicatorum, capellanus et poenitentiarius Chanadini, iudex delegatus 254, 378. — praepositus Ordinis Premonstratensium monasterii B. M. V. de Ság 169, 245; 213, 315; 297, 422; 323, 469; 353, 512; 385, 556; 387, 559; 395, 572; 463, 609; 464, 611; 480, 629; 533, 700; 642, 835; 679, 907. — praep. Quinqueecclesiensis 46, 81; 111, 172. — idem electus Colocensis 368, 534. — plebanus in Patak 532, 693. — sacerdos ecclesiae de Lövöld 14, 32. — sacerdos, quondam plebanus ecclesiae B. Virginis de Rodona 65, 108. — rector ecclesiae de Somorja 158, 229. — rector eccl. de Szent-Katalin (Liptó-) 616, 807. — sacerdos, chori Nitr. praebendarius 557, 736; 617, 808; 619, 811; 642, 834. — sacerdos de choro Strig. 192, 284; 640, 829. — mag., agasonum regalium, magister, castellanus de Vöröskő, et Ujvár 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 127, 189; 130, 192; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301; 241, 358; 248, 365; 262, 381. — banus de Szöreny 494, 650; 615, 805. — castellanus de Ghimes 497, 658. — dictus Sáfár castellanus de Visegrád et comes de Pilis 80, 139; 80, 141; castellanus de Visegrád 82, 146; 85, 149; 94, 158; 104, 165; 118, 183; 147, 214; 190, 277; 293, 419; 235, 352; 246, 365; 488, 642; 542, 715. — civ. Strig. 137, 201—202; 163, 232; 163, 235—236; 164, 237; 166, 237; 193, 285; 195, 288. — comes Simigiensis 11, 27. — f. Seraphini iudlium prov. Csallóköz 17, 36; 42, 77. — S. rex Hung. 161, 230; 707, 950; 707, 952. — idem monasterium s. Mauritii de (Bakony) Bél fundat 159, 230. — rex Hung. 46, 82. — V. rex Hung. 162, 231; 268, 304; 286, 410; 314, 451; 584, 771; 646, 843. — specialis notarius regis anularis 650, 848. — f. Lachk, mag. tavarnicorum regalium, comes Castriferrei et Soproniensis 494, 650; 504, 666; 525, 684; 539, 710. — idem voivoda Transilvanus et comes de Szolnok 555, 731; 555, 732; 615, 805; 645, 839; 648, 844. — vicecastellanus de Ghimes et de Appony 168, 244.
Stilbach Hungarice Lassupatak aurifordina 549, 724.
Stoian Nicolaus comes 64, 108.
Stolcumberg civitas 50, 91.
de Stomfa castro decimae 208, 306.
Strauz dictus Stephanus civis Poson. 298, 425.
de Streche Michael homo regius 277, 404.
de Strelicz Arnoldi f. Nicolaus, clericus Wratislaviensis dioec., publicus imperiali auctoritate notarius 425, 600; 545, 717.
Strigó Castrum 240, 358.
Strigonium: 26, 51; 26, 52; 46, 81; 54, 95; 57, 100; 67, 114; 69, 118; 73, 126; 77, 134; 133, 196; 209, 306; 224, 337; 250, 367; 251, 368; 258, 380; 297, 421; 305, 443; 366, 528; 411, 594; 423, 600; 469, 617; 601, 790; 604, 794; 680, 908; 684, 911; 687, 916; 690, 923; 698, 937; 700, 938; 701, 938; 701, 939; 702, 941; 706, 949; 714, 969. — ara B. M. V. 5, 9. — eius rector: Thomas. — ADconus cathedralis est praep. s. Georgii 295, 421. — AEppatus: archielectus Nicolaus 207, 303; 208, 304; 219, 326; 226, 341; 278, 406; AEppatus administratores 157, 227; 171, 247. — AEppus 10, 24; 15, 32; 16, 35; 20, 41; 47, 84; 70, 120; 74, 128; 103, 164; 115, 177; 120, 330; 129,

191; 133, 196; 138, 203; 160, 230; 172, 250; 181, 256; 183, 260; 202, 297; 238, 355; 277, 405; 312, 447; 347, 505; 371, 539; 388, 560; 420, 598; 471, 620; 481, 631; 494, 651; 508, 671; 517, 678; 523, 681; 531, 689; 548, 723; 567, 749; 576, 769; 582, 771; 590, 775; 594, 779; 594, 781; 596, 784; 601, 791; 609, 798; 610, 800; 612, 803; 678, 905; 699, 938; 708, 956; 713, 966. — Benedictus; Boleslaus, Chanadinus, Job, Johannes, Lodomerius, Martirius, Nicolaus, Philippus, Stephanus, Thomas. — auditor causae inter regem et AEppum Colocensem 334, 488. — AEppus et capitulum dispon. de canonicatibus Scepusiensibus 183, 260. — AEppalis: domus 195, 286. — palatinus Thomas. — sedes vacat 143, 207; 147, 215; 153, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301. — claustrum s. Annae 584, 771; 675, 897. — canonicatum petit: Johannes ADconus de Osinach, Johannes Beke, Nicolaus Demetrii, Nicolaus, custos Nitriens., Nicolaus de Zala, Stephanus Alexii. — canonici: Andreas de Eugubio, Demetrius de Agria, Georgius, Gregorius, Jacobus, Johannes, Johannes Dominici, Johannes Olaszi, Joannes Pauli, Ladislaus, Laurentius Bosnensis, Martinus de Haraszt, Martinus de Kapronca, Mathias, Nicolaus, Paulus de Bohemia, Petrus, Paulus Pauli, Petrus Nicolai, Radulphus Stephani, Thomas. — canonicus eccl. b. Georgii: Demetrius. — cantores: Dominicus Benedicti, Jacobus, Marcus. — capitulum (priv.) 7, 12; 10, 24; 48, 89; 50, 91; 58 103; 70, 119; 74, 127; 77, 136; 96, 159; 109, 171; 110, 172; 111, 172; 112, 172; 117, 180; 125, 188; 143, 208; 146, 213; 163, 235; 236; 164, 237; 165, 166; 237; 171, 247; 180, 251; 182, 257; 183, 259; 196, 288; 206, 301; 227, 344; 228, 344; 247, 365; 271—72, 396; 301, 431; 315, 453; 325, 475; 353, 511; 401, 579; 407, 589; 486, 640; 497, 659; 505, 668; 505, 669; 542, 715; 553, 729; 555, 732; 555, 733; 563, 741; 567, 747; 595, 784; 603, 792; 603, 793; 628, 823; 629, 824; 629, 825; 630, 826; 643, 837; 650, 851; 615, 853; 656, 858; 657, 859; 691, 928. — capitulum (ut locus credibilis) 5, 9; 37, 67; 42, 77; 68, 116; 80, 134; 80, 141; 82, 146; 85, 148; 86, 152; 87, 155; 95, 159; 103, 163; 104, 165; 121, 184; 126, 189; 127, 189; 137, 202; 191, 281; 192, 283; 192, 284; 195, 288; 223, 334; 225, 339; 230, 345; 237, 354; 239, 357; 240, 358; 241, 359; 241, 360; 244, 362; 249, 366; 263, 383; 267, 393; 275, 401; 277, 404; 283, 410; 314, 451; 321, 467; 322, 468; 328, 477; 329, 478; 333, 487; 335, 490; 357, 520; 357, 523; 358, 524; 359, 525; 359, 525; 359, 527; 371, 541; 377, 546; 390, 564; 392, 567; 392, 568; 394, 570; 397, 575; 411, 594; 463, 606; 464, 611; 467, 613; 468, 615; 472, 621; 473, 622; 483, 634; 490, 647; 535, 702; 546, 718; 578, 771; 582, 771; 635, 829; 684, 912; 685, 914; 692, 929; 703, 945; 705, 946; 717, 973; 718, 974. — dicitur monasterium b. Adalberti 134, 197; 200, 292. — Boleslaum AEppum eligit 6, 11. — confirmat Eppum Agriensem 22, 45. — sede vacante electum Eppum Vaciensem confirmandi iure utitur 147, 215. — eius consensus ad libertationem praedialistae 78, 136. — curia 48, 89; terra in Strig. 206, 301. — tria palatia 60, 103. — capitulum et ecclesiam s. Georgii martiris Chanadinus AEppus restaurat et statuta condit 294—97, 421. — capit. s. Thomae martiris 59, 103. — clerici: Johannes de Gyékényes, Michael, Nicolaus, Nicolaus Demetrii, Nicolaus Theodori, Nicolaus de Verbó, Paulus Jacobi, Paulus de Olsavicza, Petrus, Stephanus Alexii. — concilium 714, 969; 716, 971. — crferi: Johannes, Mathias, Michael, Nicolaus mag., Paulus, Thomas, et eorum clerici Emericus et Vida. — crferorum conventus 2, 2; 12; 30; 39, 70; 70, 122; 78, 136; 113, 173; 121, 184; 131, 194; 163, 232; 163, 235; 163, 236; 164, 237; 165, 166, 237; 182, 257; 186, 268; 200, 292; 209, 307; 218, 324; 225, 339; 217, 344; 235, 352; 244, 363; 245, 364; 247, 365; 251, 373; 264, 387; 278, 407; 281, 409; 300, 427; 328, 477; 329, 478; 334, 489; 336, 490; 339, 491; 341, 500; 342, 501; 355, 516; 357, 521; 369, 536; 407, 589; 462, 604; 482, 632; 495, 655; 530, 686; 554, 730; 554, 731; 577, 771; 595, 784; 603, 792; 603, 792; 603, 793; 605, 795; 657, 860; 660, 867; 664, 873; 717, 972; 717, 973; 717, 974. — eorum custos Nicolaus. — magister: Guillelmus de Judicis, Jacobus, Johannes, Paulus, Paulus Latinus. — procurator 625, 817. — vineae 96, 159. — custodes: Johannes, Nicolaus, Raynoldus. — decani: Bogomerius, Demetrius, Johannes. — dioec. limites 233—34, 350. — decimarum registrum 219, 329. — ecclesia: 7, 13; 40, 73; 54, 96; 116, 179; 123, 185; 133, 196; 157, 227; 180, 251; 219, 327; 244, 363; 259, 369; 289, 411; 341, 500; 342, 501; 498, 661; 503, 666; 513, 676; 519, 680; 538, 708; 606, 795; 608, 797. eccl. nondum consecrata 7,

15. — indulgentiae 100 dierum conceduntur 8, 15. — eius privilegia 211, 310. — dicitur b. Adalberti 75, 133; 77, 134; 186, 268; 276, 402; 353, 511; 353, 517; 486, 639; 567, 747; 683, 771; 612, 803; 625, 817; 672, 889. — chorus 716, 971. — ecclesia s. Ambrosii in vinea 133, 259. — s. Dominici 96, 159; 211, 311; 206, 301. — s. Georgii 651, 853. — eius parochus 295, 421. — s. Margarethae de Campis 96, 159. — lectores: Demetrius, Ladislaus, Sixtus, Thomas. — praepositi: maiores, id est b. Adalberti 47, 87; 74, 127; 124, 186; 171, 247; 531, 691; 533, 695. Colomannus, Ladislaus, Nicolaus Vásári, Theophilus. — sunt conservatores monialium de Insula Leporum 106, 166. — praepositura pro Ladislao f. Nicolai palatini supplicatur 556, 735. — praep.: eccl. s. Georgii 712, 963; Abram, Ladislaus, Petrus. — praep. s. Georgii est ADconus cathedralis eccl. s. Adalberti 295, 421. — praep. s. Thomae 47, 87; 59, 103; 532, 694; Jacobus, Ladislaus, Lodomerius, Petrus. — hanc praeposituram petit Thomas Bekő. — pulsator 48, 89. — sacerdotes: Andreas, Demetrius, Dominicus, Dominicus Michaelis, Georgius, Johannes, Johannes de Ragatz, Martinus, Michael, Simon, Stephanus. — vicarius 396, 574; Jacobus, Johannes, Lodomerius, Nicolaus, Petrus, Thomas. — moniales de insula Strig. 606, 795. — camerae comes Lorandus. — castrum 204, 301; 300, 427. — castrum cum monasterio AEppi 134, 197. — cives 39, 70; 48, 89; 86, 152; 86, 155; 204, 301; 251, 373; 371, 540; 393, 569; 487, 640; 499, 663; 691, 928. — civitas 95, 154; 96, 159; 137, 201; 603, 792; 603, 793; 628, 823; 629, 824; 629, 825; 630, 826; 643, 837. — eius fossatum 96, 159. — ibidem Carolus rex moratur 5, 10. — eius magistratus 167, 240; 168, 242; 191, 279; 193, 285; 201, 293; 203, 300; 204, 301; 239, 419; 499, 663. — cottus 138, 203; 193, 286. — cottus de ante Strigonio 68, 116; 369, 536; 676, 900. — curia 321, 467; 338, 491. — domus 195, 288; 293, 419. — incendium 48, 89. — miles: Mayor Paulus. — palatium 163—165, 235—237; 167, 239; 168, 242; 204, 301. — ponderis marca 51, 95; 54, 95. — in territorio Strig. Sanctus-Rex v. Szent-Király (Esztergom-). — sepultura iudaeorum 96, 159. — tributum 628, 823; 629, 824; 629, 825; 630, 826; 643, 837; 691, 928. — vineae 487, 640; 487, 641. — vinearum et civium nomina 96, 159. — versus via 83, 146. — de eodem versus Budam via 96, 159. — ad. Strig. de Poson. iter erat III. dierum 316, 456. — villicus Gahan.
de Suadetz Wroninus can. Scepusiensis 183, 260.
Subdiaconus: Ubaldus.
Sublectores: Jauriensis, Scepusiensis.
Succentores: Budensis, Scepus.
de Suchak Michael, homo vicecomitis 702, 942.
Suffraganeorum electorum Epporum confirmatio 147, 215.
Sumberg mons 359, 527; 363, 527.
Sumug vinea v. Somogy.
Sunava v. Schönau.
Superantius Johannes dux Venetiarum 18, 38.
Supka uxor servi 420, 599.
de Surány eccl. s. Thomae apostoli 532, 694; 533, 699.
de Süly: Dyonisius udvornicus 81, 142. — Johannes comes, castellanus de Szent-György 123, 185.
Suwa fluvius 632, 828.
Svedlér poss. 549, 724.
de Swind Leopoldus plebanus in Rach 422, 600.
de Sydoud eccl. s. Thomae 717, 974.
Syfrydus v. Siegfridus.
Syk v. Zsikava.
Sytva v. Zsitva.

Sz.

Szabad vinea capituli Strig. 96, 159.
Szabó: Patho iobagio de Gyarmat 144, 208. — Petrus civis Posoniensis 29, 56.
de Szabolcs ADconus Dávid.
Szakácsi: poss. 342, 500; 633, 828. — de eadem nobiles 632, 828.
Szántó poss. 646, 841.
de Szarva Ladislaus udvornicus 81, 142.
Szász: (Superior et Inferior) villa 72, 123. — alio nomine Vyslas poss. 486, 640. — dictus Nicolaus comes, nob. de Zólyom 314, 451.
de Szatmár Nicolaus civis Budensis, comes camerae Sirmiensis 558, 738.
Szátok poss. 265, 388; 267, 395.
Szebeléb poss. 146, 213; 182, 257; 326, 475; 657, 859.
de Szeben (in Transilvania) comes Thomas vaivoda 110, 172.
Szebeniensis: plebanus 11, 26. — praepositus ruralis 11, 26. — praepositi: Nicolaus, Thomas.
de Szécs Nicolaus banus totius Sclavoniae 494, 650; 615, 805; 628, 823; 644, 837; 645, 839; 648, 844.
de Szécsény: Folkus nob. 503, 666; 519, 680. — Marcellus et Thadeus nob. 268, 395. — plebanus 517, 679.
Székely Petrus can. Bud. 119, 183.
Szekeres dictus Johannes civis Strig. 487, 640.

Székesfehérvár v. Alba, Albensis.
Szekszárdiensis: conventus 467, 614. — monachus Nicolaus.
de Szelecsény eccl. 296, 421.
Szelepcsény poss. 627, 821.
Szemes serva 420, 599.
Szempcz: villa 28, 54; 91, 157; 259, 380; 547, 719. — ibidem ecclesia s. Nicolai 102, 162. — eius plebanus Petrus.
de Szencse Ivánka nob. 677, 904.
de Szenna eccl. b. Jacobi apostoli 704, 945.
Szenta terra 156, 226.
Szent-Albert poss. 505, 668; 505, 669.
de Szent-András villae decimae 208, 306.
Szent-Benedek iuxta Gron: abbas 141, 205; 226, 340; 383, 551; 661, 868; Ladislaus, Martinus, Siegfridus, Nicolaus. — conventus et monasterium priv. 41, 75; 8, 140; 106, 168; 118, 181; 125, 187; 128, 190; 129, 192; 163, 234; 168, 244; 169, 244; 184, 262; 187, 271; 192, 284; 192, 283; 192, 284; 214, 317; 221, 330; 226, 339; 230, 345; 251, 371; 251, 372; 290, 414; 290, 416; 300, 427; 319, 460; 321, 463; 322, 468; 339, 494; 341, 499; 359, 536; 367, 531; 367, 532; 368, 533; 375, 544; 376, 545; 383, 550; 382, 553; 384, 554; 387, 558; 390, 564; 394, 570; 396, 573; 396, 575; 406, 588; 468, 615; 472, 621; 485, 635; 490, 647; 496, 657; 497, 658; 536, 706; 546, 718; 548, 722; 552, 728; 556, 734; 556, 736; 567, 748; 592, 776; 615, 806; 617, 810; 626, 821; 641, 833; 649, 847; 660, 865; 664, 872; 671, 903. — ut locus credibilis 245, 364; 290, 416; 315, 454; 355, 514—5; 488, 644; 577, 771. — monachus Andreas, de Broda Nicolaus, Emericus, Heynricus, Jacobus, Michael, Salomon, Ulricus. — praepositus Cosmas, Jacobus, Martinus. — prior Jacobus, Nicolaus. — populorum privilegia 129, 192; 687, 918.
Szentbertalan poss. 150, 221; 151, 224; 152, 225.
Szent Demeter: civ. 416, 597; 560, 738. — ibidem gracci ritus abbatiam Siegfridus abbas petit Vito, Eppo Nitriensi conferri 535, 703. — ei confertur 536, 705; 545, 717.
de Szent-Erzsébet Ladislaus nob. 361, 527.
de Szentgyörgy: castrum 208, 306. — ibidem plebanus Fridericus. — de eadem Petrus fr. Sebös mag. 610, 799. — Sebus et Petrus, filii comitis Abrahae 135, 198; 298, 425; 576, 768 v. et Bazin.
de Szent-György (dioec. Jaur.) presb. Georgius.
in Szent-György vinea 507, 670.
Szent-György (Garam) villa 302, 432; 342, 500.
de Szent-György: Dyonisius civis 507, 670. — Nicolaus nob. 673, 890. — nobiles 23, 48; 24, 48.
de Szent-István (Liptó-) rect. eccl. Jacobus.
in Szent-Iván (Liptó-) eccl. ampliatio 702, 941. — eius rector Nicolaus.
Szent Jakab villa 27, 53; 382, 548.
de Szent-Katalin (Liptó-) rector eccl. Stephanus.
Szent-Kereszt: villa 371, 539; 541, 712; 553, 728. — ibidem ecclesiae rector Nicolaus.
Szent-Király (Esztergom-): locus extradationis litterarum crferorum de Strig. 46—82. — circa eundem eccl. s. Andreae 717, 974. — de eadem molendinator Georgius 82, 146.
de Szent-Kozma-Damján: Anthymus f. Beke f. Lancrethi et fratres eius nobiles 167, 241; 620, 813; 631, 828.
Szent-László: poss. 467, 614. — de eadem nobiles 155, 226.
Szent-Lőrincz v. Lőrinczi.
de Szent-Mária (Liptó-) rector eccl. Simon.
Szentmárton poss. 169, 244; 497, 658.
Szent-Mihály villa 27, 53; 259, 380.
in Szent-Mihály (Liptó-) eccl. b. Michaelis archangeli et eius rector Jacobus 616, 807.
Szentmihályfa: villa 102, 162. — ibidem eccl. s. Michaelis 102, 162.
de Szent-Miklós (Liptó-) rector eccl. Martinus.
Szent-Pál: villa 265, 387; 252, 373. — ibidem sacerdos Nicolaus. — de eadem Ita nob. 265, 387.
Szentpálfalva villa 338, 491.
in Szent-Péter (Liptó-) rector eccl. Paulus.
Szent-Tamáskürt: poss. 251, 370.— ibidem eccl. lapidea in honorem s. Thomae 251, 370.
Szente: villa 688, 919. — civis Barsiensis 349, 508; 664, 872; 678, 906.
Szenye domina 420, 599.
Szenyér: poss. 566, 746; 569, 755; 569, 756; 590, 774; 613, 804; 614, 805; 633, 828. — ibidem eccl. b. Petri apostoli 570, 756.
Szép domina 276, 402.
Szepes: civ. 85, 147. — Ófalu villa 171, 248.
de Széplak: abbas 316, 455 Benedictus. — monasterium B. M. V. 300, 428. — poss. 223, 333; 254, 376; 492, 649. — ibidem ecclesia 296, 421. — de eadem Theodor mag. nob. Simig. 706, 948.
de Szepsi plebanus 296, 421.
de Szer Pósa nob. 251, 372; 304, 440—441; 405, 587.
Szerdahely: villa 43, 77; 260—261, 381; 306, 444; 347, 504; 655, 857. — ibidem ecclesia 2, 3; 296, 421. — eius plebanus Johannes.
Szerecsepataka fluv. 343; 501.
de Szigetfő ADconus Dominicus.

Szigeti Egidius civis Strig. 96, 159; 393, 569.
Szil arbor, meta 632, 828.
Szilas-Lúcs v. Lúcs.
Szilfa meta 91, 157; 156, 226.
Szilincs poss. 25, 49; 27, 52; 29, 56; 34, 62; 68, 115; 100, 161; 653, 855.
Szinye fluv. 544, 716.
de Szkáros Bek dictus Johannes nob. 470, 618.
Szmrecsány: villa 701, 941. — ibidem ecclesiae aedificatio 702, 941.
Szob: (Somogy-) poss. 151, 223; 155, 226. — de eadem Paulus nob. 500, 663.
Szodó: poss. 301, 431; 341, 500. — ibidem eccl. in honorem Omnium Sanctorum constructa 301, 431.
de Szolnok ADconus Thomas.
Szombathely: poss. 54, 96. — alio nomine Neusidel poss. 10, 24; 219, 327.
de Szomolnok camerae regiae territorium et elocatio 306—312, 445.
Szomolnokbánya civitas 308, 445; 548, 721; 548, 724.
Szomor: dictus Stephanus nob. 473, 625. — Michael nob. 377, 546.
Szőke: villicus 375, 544. — civis Strig. 96, 159. — Johannes nob. 197, 289.
Szőke János útja meta 634, 828.
Szőlény poss. 187, 271; 349, 508; 367, 528; 368, 533; 536, 706; 646, 842; 664, 872.
Szölgyén poss. 250, 368.
Szőlős: villa 574, 766; 582, 771; 586, 771. — ibi plebania 1, 1. — plebanus: Paulus, Petrus.
in Szőlős vinea 420, 599.
Szőllősberek vallis 287, 410.
Szömcsök nob. 273, 397.
Szőny poss. 328, 477; 330, 478; 336, 490.
de Szörény banus Stephanus.
Sztregova poss. 687, 917; 704, 945.
de Szucsák Michael homo vicecomitis 649, 846.
Szucsán villa 672, 889.
de Szud Gabrielis filii 466, 611.
Szuhadolina poss. 543, 716.
Szuka dictus Paulus Cumanus 532, 692.
Szunyogdi poss. 388, 561.
Szurdok-Püspöki: poss. 378, 548. — ibidem eccl. lapidea in honorem B. M. V. constructa 380, 548.
de Szűgy Lorandus nob. 503, 666; 519, 680.

T.

de Tahi Georgius nob. 82, 146.
de Tajna Pető f. Anda homo reg. 230, 345; 322, 468.
Taksony terra 28, 54; 29, 55; 101, 162; 102, 162; 259, 380.
Tana piscatio (Ao 1037.) 160, 230.
Tapolcsány villa 287, 410.
Tapolcza villa 287, 410.
Tapsony poss. 621, 813; 627, 822; 631, 828.
Taresa (Ér) poss. 317, 457.
Tarcza fluv. 544, 716.
de Tarczafő districtu decimae 289, 411.
Tarcensis: distr. 142, 206. — ibidem parochorum immunitates 20, 42.
de Tard: Nicolaus f. Mike homo regius 640, 829.
Tardoskedd villa 266, 392; 267, 393.
de Tárkány Corrardus nob. 530, 686.
de Tarkő: Rycolphi f. Clemens et alii nobiles 470, 619; 473, 624; 473, 625; 475, 628.
Tárnok: villa 493, 650; 702, 942. — ibidem eccl. lapidea b. Michaelis archangeli 493, 650.
de Tarsalh eccl. s. Andreae 571, 762.
Tartarorum post insultus reformatio regni 503, 666; 519, 680. — contra illos in Poloniam missus exercitus 473, 625.
Taszár poss. 677, 904.
Tát: poss. 482, 631; 717, 972. — ibidem eccl. s. Georgii 717, 974.
Tathamerius Albensis ecclesiae praepositus, aulae regiae vicecancellarius 241, 359; 243, 362; 248, 365; 249, 366; 261, 381; 429, 600; 441, 600; 465, 611; 494, 650; 614, 805; 645, 839; 648, 844.
Tavarnicatus regii magisterium gerit Thomas voivoda Transilvanus 348, 506.
Tavarnici speciales regii, Thomas et Paulus 223, 335; 241, 360; 249, 366; Beke.
Tavarnicorum regium magister Demetrius, Laurentius, Oliverius, Stephanus fil. Lachk. — vicemagister Andreas.
Tavarnicorum reginalium magister: Johannes, Milech.
de Tees Georgius nob. 118, 181.
de Telen Ladislaus comes 570, 756; 613, 804.
Tekus comes 503, 666; 519, 680.
Teld v. Tild.
Telektő terra 346, 504.
Telők: terra 36, 65; 340, 504. — locus fimatus 606, 795.
Temechen v. Temetvény.
Temesvár: civ. 19, 38; 19, 39; 23, 45; 694, 932; 713, 965. — ibidem eccl. b. Georgii martiris 22, 45.
Temetvény castrum 693, 931.
Tenere Ere piscina (Ao 1037.) 160, 230.
de Teneu praep. Petrus.
Tengöld: villa 708, 955. — de eadem Nicolaus nob. 155, 226.
Terebezd poss. 621, 813; 627, 822; 631, 828.
Terebuk servus 708, 955.
de Terény Petrus f. Farcasii nob. 523, 682.
Tergestinus Eppus Franciscus.
de Terpech: eccl. 155, 226. — eius presbiter Laurentius 155, 226.
super Terram deponendi juramenti modus 344, 502.
Terrae Sanctae visitatio 333, 486.
Testamentum condendi modus in Poson. 661, 869; 663, 870

Testimonii capitularis redditus 618, 811.
Teutonici episcopi 103, 164.
Teutonicorum B. M. V. cruciferorum ordo 193, 286.
Tharo Stephanus nob. 58, 101 v. etiam sub voce Alistál.
Theber-Lucse v. Töbör-Lúcs.
Thege dictus Stephanus homo regius 293, 418.
Theodoricus eccl. s Michaelis in Poson. plebanus 599, 790.
Theologiae professor Nicolaus.
Theophilus: dictus Puer praep. Strig. 22, 45; 26, 51; 50, 92; 57, 100; 59 103; 77, 136; 78, 136; 111, 172; 116, 179; 117, 180; 124, 186; 125, 188; 137, 202; 143, 208; 225, 339; 228, 344; 237, 354. — idem candidatus Spalatensis AEppus 61, 105.
Thet f. Thomas latro legistratus 326, 475.
de Thok Georgius homo regius 228, 344.
Thomas: abbas de Kedhely 46, 83; 88, 156; 108, 169. — abbas de Ludány 118, 182. — abbas de Zobor 463, 609; 672, 889. — mag. ADconus de Szolnok 328, 477; 329, 478; 335, 490. — AEppus Strig. 1, 1; 6, 11; 12, 29; 20, 42; 24, 48; 25, 50; 31, 59; 38, 69; 46, 81; 59, 103; 67, 114; 150, 219; 204, 301; 244, 363; 623, 816; 661, 869; 663, 870; 709, 958; 710, 959; 712, 965. — can. Budensis 624, 816. — can. Poson. 319, 461; 495, 655; 499, 662; 618, 811; 657, 860; 661, 869; 662, 870. — mag. can. Poson. et plebanus de Püspöki testamentum condit. 506, 670. — vicarius et vicepraep., ac can. eccl. Poson. 208, 306; 298, 425; 351, 509; 424, 600 pluries; vicepraepositus 439, 600; 441, 600. — capellanus Michaelis, praep. Poson. promovetur in canonicatum Poson. 438, 600. — can. rector altaris Beatae Virginis in corpore ecclesiae b. Adalberti de Strig. 5, 9; 75, 133; 77, 134; 230, 344. — can. eccl. Strigon. maioris 306, 443. — capellanus Chanadini AEppi Strig. 441, 600. — capellanus Michaelis praep. Poson., can. Poson. 254, 377. — clericus chori crferorum Strig. 61, 104. — notarius crferorum Strig. 342, 501. — custos ecclesiae Posoniensis 23, 47; 24, 49; 30, 58; 31, 59; 32, 60; 34, 62; 49, 90; 57, 100; 121, 184; 127, 189; 133, 196 v. et vicepraepositum. — decretorum doctor, auditor sancti palatii papae, vicarius in spiritualibus generalis Chanadini AEppi 690, 923. — lector Strig. 487, 640; 553, 729. — mag. hospitalis et rector eccl. s. Bartholomaei de Quinqueecclesiis 284, 410. — praep Szebeniensis 163, 233. — idem recipitur can. Strig. 50, 91. — succentor Budensis 502, 666; 518, 680. — vicearchidiaconus in Csallókőz et rector eccl. b. Michaelis archangeli in Patony 384, 555. — aulae regiae iuvenis 210, 308. — mag., f. Petri Nagy, castellanus de Csókakő et Gesztes, et comes de Liptó 193, 285; 195—96, 288; 201, 293; 203, 300; 204, 301; 206, 301; 211, 311; 264, 385; 392, 568; 393, 569; 411, 594; 465, 611; 532, 694. — Aladarii comes de Ujvár, ambaxiator Ludovici regis 533, 695; 533, 696; 568, 752. — homo cap. Scepus. 549, 724. — iudex curiae regiae 691, 927. — litteratus, homo mag. tavarnicorum 550, 724. — palatinus curiae Chanadini AEppi 300, 426; 345, 504; 606, 795. — voivoda Transilvanus et comes de Zonuk, comes de Szeben et Nógrád 25, 49; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 40, 72; 41, 73; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 84, 146; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 110, 172; 111, 172; 117, 180; 130, 192; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 205, 301; 241, 358; 248, 365; 262, 381; 265, 388; 265, 389; 267, 395; 284, 410; 303, 437; 304, 438; 321, 464; 323, 469; 324, 470; 326, 474; 333, 484; 333, 487; 339, 494; 341, 498; 349, 507; 357, 522; 368, 533; 412, 546; 428, 600; 463, 606; 464, 611; 490, 647. — idem procurator magisterii tavarnicatus regis: 366, 530; 403, 583; 404, 586; 459, 601; 516, 677. — quondam voivoda Transilvanus comes de Szepes et Ujvár: 502, 660; 518, 680; 525, 684; 567, 747; 567, 749; 612, 803. — idem comes de Krassó et Keve 620, 813; 627, 823; 629, 824; 629, 825; 630, 826; 644, 837; 646, 842. — eiusdem iudex curiae 348, 506.
Thonc comes 300, 426.
Thuz dictus Petrus nob. 198, 289.
Thylmanus viceiudex Budensis 221, 331.
Thymus f. Georgius procurator Chanadini AEppi 606, 795.
Thyzya piscina (Ao 1037.) 160, 230.
Ticia fluv. 290, 414; 395, 572; 403, 583; 409, 593.
Tikos poss. 47, 88; 50, 94; 145, 210; 147, 216; 185, 266; 186, 269—270; 197, 289; 198, 289.
Tild poss. 489, 644.
Titeliense: capitulum 405, 587. — eius praep. Galiardus de Carceribus.
Tolvaj nob. 41, 74; 43, 77; 45, 79.
Tompa terra 210, 308.
Toor Pető homo comitis Poson. 127, 189.
Toplica v. Tapolcza.
Toplonca piscatio (Ao 1037.) 160, 230.
Torda civ. 117, 180.
Tordaskeddi v. Tardoskedd.

in Torna districtu existentes decimae 277, 406; 295, 421.
in Tornalja villa capella constructa 616, 807.
Torne v. Tűrnye.
Tornyos Csandal v. Csandal.
Tostowa vallis 38, 69.
Tóth: Johannes nob. 403, 582; 409, 593. — Paulus civis Strig. 487, 640. — Pető civis Strig. 499, 663. — dictus Laurentius castellanus de Sempte 284, 410. — idem et comes Soproniensis et Castri Ferrei 628, 823; 629, 824; 629, 825; 630, 826; 644, 837; 653, 855; 693, 931.
de Tótfalu Arnoldus nob. 552, 726.
Tóti seu Ujfalu: poss. 660, 867. — de eadem nobiles 491, 648.
Tótszegucca in Somos 543, 716.
Toxun v. Taksony.
Toyp nob. 38, 69.
de Tökölcsény Andreas homo regius 618, 811. — Paulus et Dominicus, homines regii 670, 881.
Tölgyfa: meta 156, 226; 287, 410; 484, 634; 632, 728. — háromikrű meta 288, 410.
Tötös ianitorum regalium magister, comes Barsiensis 489, 644; 509, 673; 637, 829.
Traciensis Eppus Andreas.
Transilvanae camerae regiae territorium et elocatio 278, 408.
Transilvanum capitulum 110, 172; 116, 179; 117, 180. — Eppus 103, 164; Andreas. — praep. Nicolaus. — voivodae: Neuke, Nicolaus, Stephanus, Thomas.
Trebete villa 672, 889.
Trepk: nobilis 198, 289. — eius f. Stephanus 599, 789.
Trencsén: castrum 393, 569. — de eadem Mathaeus 192, 284; 231, 346. — ADconus Sebastianus.
Trenffunkesius civis Poson. 386, 557.
Treutel dictus Nicolaus comes Poson. 25, 49; 26, 52; 27, 52; 32, 59; 33, 60; 35, 62; 41, 73; 41, 74; 42, 76; 42, 77; 43, 77; 44, 79; 53, 94; 55, 97; 76, 133; 81, 142; 84, 146; 89, 157; 93, 157; 94, 158; 97, 159; 101, 161; 101, 162; 103, 162; 105, 165; 109, 169; 113, 174; 122, 184; 126, 189; 127, 189; 130, 192; 136, 199; 143, 207; 154, 225; 161, 230; 163, 231; 166, 237; 188, 273; 205, 301; 241, 358; 248, 365; 262, 381; 494, 650; 612, 802; 615, 865; 619, 811; 645, 839; 648, 844; 653, 854; 654, 856; 704, 946.
Tributorum inter Hungariam et Bohemiam ordinatio 275, 400.
Túr: villa 532, 692. — de eadem Sebe et alii nobiles 315, 453; 321, 462.
Turbuch dictus Michael 396, 574.
contra Turcos: cruciatum bellum 531, 689. — in subsidium decimae 523, 681; 590, 775.
Turócz fluvius 46, 81.
de Turócz: conventus 366, 529; 701, 941. — eius praep. 191, 282; 389, 563.
Tűrnye: poss. 27, 52; 30, 58; 75, 131; 188, 273; 190—191, 278. — alias Csukárfalva poss. 119, 184; 122, 184; 126, 184; 359, 527; v. et Csukárd. — ibi parochia 119, 184; 127, 189.
Tyboldus mag. can. Poson. 208, 306; 437, 600; 538, 709; 661, 869; 662, 870.
Tylman Veluengus comes, civis Budensis 151, 222.
Tyrio pistor Strig. 96, 159.
Tyrnavia: civ. 119, 184; 298, 425; 360, 527; 697, 936. — eadem incinerata 73, 124. — magistratus 665, 875. — ibidem eccl. b. Nicolai parochialis 665, 875. — eius plebanus 653, 855; 656, 858. — hospitalis 363, 527. — Fr. Minorum ecclesia s. Jacobi 106, 167. — clarissae 73, 124; 690, 922.
de Tirnavia Jacobus civis 507, 670.
de Tysy Georgius homo regius 304, 441.
Tyvach Jazigus 61, 104.

U.

Ubaldus subdiaconus, auditor papae 131, 195.
Udvard villa 169, 244; 249, 366; 266, 392; 267, 393; 497, 658.
Udvarnok poss. 358, 524; 672, 889.
Udvaros f. Simon nob. 659, 864.
Udvornici: 37, 68; 69, 119; 81, 142; de Lúcs, de Zonc. — genus 17, 36.
Ugh poss. 403, 583.
de Ugal: Paulus, notarius iudicis curiae reg. 126, 189. — Elbelinus homo regius 573, 766; 584, 771.
Ugocsa plebania 1, 1.
Ugrinus f. Pous civis Strig. 195, 288.
Ujbánya civitas 564, 744; 565, 745; 567, 748; 592, 776; 611, 800; 611, 801; 615, 806; 617, 810; 621, 814; 658, 861; 649, 847; 650, 848; 660, 865.
Ujfalu: villa 355, 516. — (Garam) poss. 184, 262. — (Tót) villa 259, 380. — seu Tóti poss. 660, 867.
de Ujhely: ecclesia s. regis Stephani existentes monachi Augustini 235, 351.
Ujhelyvára castrum 235, 351.
Ujlak poss. 290, 413—415.
de Ujvár ADconus: Andreas, Dominicus.
Ujvár: castrum 260—61, 381. — eius aedificatio 306, 444.
Ujudvar poss. 706, 948.
Ujvágás poss. 552, 726.
Ulmanni f. Michael iuratus Budensis 222, 331.
Ulricus: custos de Simigio 148, 216. — procurator conventus de S. Benedicto 396, 573.
Ultrasilvanus Eppus v. Transilvanus.

Ulvingus: civis Budensis 222, 331; 500, 664. — eius f. Nicolaus iuratus Budensis 619, 812.
Undótő poss. 403, 582; 403, 585; 409, 593.
Urbs Vetus civitas 709, 956.
Urburarius Kadoldus.
Urovinus Cracoviensis et Scepusiensis canonicus, vicarius praep. Scepus. 473, 623.
de Usa Dominici Johannes lector Agriensis, procurator Guillelmi de Judicis per Hungariam et Poloniam, baccalaureus in iure canonico, olim rector per annum studii Bononiensis 498, 661.
Uszor: poss. 208, 305; 703, 944. — de eadem Dominicus nob. 208, 305; 298, 425; 525, 685. — idem iudlium Poson. 593, 777; 607, 796; 612, 802. — nobiles 703, 944.
de Uz Nicolaus vicecomes Nitriensis 400, 578.
Ürmény villa 266, 392; 266, 393; 277, 404.
in Üztörfalu: eccl. 555, 731. — eius plebanus Nicolaus.
Üzbég poss. 357, 521.

V.

Vác: civitas 503, 666; 519, 680; 695, 932. — canonici: Antonius, Mikó, Martinus de Haraszt, Petrus, Vincentius. — capella S. Spiritus et eius rector Bartholomaeus 676, 900. — capitulum 48, 89; 267, 395; 304, 440; 304, 441; 333, 484; 378, 548; 402, 579; 464, 611; 500, 664; 505, 668; 505, 669; 542, 715; 553, 729; 622, 815; 625, 817; 637, 829; 674, 892; 675, 900. — Eppus 103, 164; 494, 652; Laurentius, Michael, Rodolphus. — vacat sedes 494, 650. — praep. 48, 89; 70, 121. — presbyter Paulus.
Vadas servus 708, 955.
Vadkert poss. 276, 402; 503—4, 666; 508, 671; 511, 676; 519, 680.
Vadsomló mons petrosus 228, 344.
Vága poss. 78, 136.
Váguch dictus Petrus procurator 681, 909.
de Vajka Stephanus nob. 507, 670.
Vajnov v. Prácsa.
Valentinus comes, iuratus Strigon. 393, 569; 499, 663.
Valkház poss. 489, 644.
Valkócz: poss. 107, 168. — de eadem Paulus literatus 106, 168; 315, 453. — Pető homo regius 391, 564; 398, 575.
Vallis-Umbrosae ordo 193, 286.
de Vály Katha nob. domina 470, 618.
Vámos: poss. 283, 410. — de eadém Michael homo regius 682, 909.
Várad (Nagy-): 27, 52. — canonici: Dominicus, Johannes de Aretio. — ad canonicatum propositus Benedictus de Fakos. — canonicatum petit Paulus Pauli. — capella 498, 661. — capitulum 3, 4; 290, 415; 349, 507; 464, 610. — clericus Nicolaus. — decanus: Dominicus. — Eppus 103, 164; 182, 258; 185, 264; 264, 386; Demetrius, Ivánka, Johannes. — praepositus: Chanadinus. — eccl. minoris B. M. V. praep. Dominicus. — de Promontorio Varadiensi eccl. s. Stephani custos Petrus. — ibidem praepositi: Jacobus, Petrus. — vinea 3, 4.
de Várad Philippus f. Nicolai f. Brezo homo regius 302, 433; 367, 530, 638, 829.
de Várallya plebanus 517, 679.
Varbók poss. 385, 556.
de Várda Arács iudlium Simigiensis 198, 289.
Váreleje villa 708, 955.
de Várkony: Omodeus homo regius 562, 742; 706, 949. — ibi eccl. s. Jacobi 710, 959. — eius sacerdos Nicolaus.
Vásári Nicolaus promovetur Strig. praep. 333, 485; v. ibi.
Vatay nobiles 659, 862.
de Vatta Georgius nob. 135, 198
Vavrissó poss. 616, 807.
de Vedericz Pakucz nob. 74, 129.
Vedrőd poss. 29, 56; 68, 115; 259, 380; 672, 889.
Velezd poss. 650, 850.
Velkenye poss. 290, 413; 290, 415.
Vendég villa 672, 889.
Venetiarum dux 591, 775.
Venis domina 665, 874.
Ventrosi Ladislaus comes, civis Strig. 393, 569.
Verbenye poss. 243, 361.
de Verbó Nicolaus, clericus Strig. 568, 752.
de Vereb ecclesiae patronatus 199, 291; 210, 309.
Verebély villa 300, 426; 460, 601.
Vereknye: poss. 617, 808; 642, 834. — vadum 686, 915. — de eadem Petus f. Zoerardi comes 298, 425. — Petrus f. Martini iudlium prov. Csallóköz 17, 36. — Valentinus iudlium Posoniensis 27, 53; 28, 54; 35, 63; 42, 77; 89, 157; 101, 162.
Veriensis Ep. Stephanus.
Verulanus can. Petrus Jacobi.
Vesprimium: 685, 913; 713, 966. — canonici: Andreas, Georgius, Johannes, Nicolaus, Petrus. — canonicatum petit Cynke Michael. — capitulum 14, 31; 324, 470; 475, 626; 475, 627; 485, 636; 509, 674; 650, 851; 651, 853; 714, 968; 717, 972; 717, 973; 717, 974. — clericus Benedictus de Fakos. — decanus Andreas. — eccl. 335, 489; 498, 661. — eccl. b. Michaelis 713, 966. — Eppus 9, 20; 103, 164; 182, 258; 185, 264; 219, 326; 219, 328; 226, 341; 498, 661; 531, 691; 714, 968; Henricus, Joannes, Mesko, Stephanus. — electus Johannes, recuperator bonorum AEppatus Strig. 201, 295. — sedes vacat 241, 358; 248, 365. — praep. Jo-

hannes. — de Promontorio Wesprimiensi praep. Michael.
Vestimenta varia 507, 670.
Vészhely clausura piscium 655, 857.
Vesszős castellanus de Saskő 374, 542; 375, 544; 376, 545.
Vesztenic (Alsó- et Felső) villae 672, 889.
Veturnuk mons 287, 410.
de Vétye Theodor mag. 706, 948.
Veym villicus de Bars 225, 340.
Vezekény: villa 107, 168; 291, 418; 343, 501. — de eadem Bény filii nobiles 291, 418. — de Berzo nob. 149, 218.
Viadal f. Paulus iobagio 607, 796.
Vicarii: de Léva, in Mistelbach, Pataviensis, Strig., Scepusiensis praepositi, Johannes, Barsiensis, de Csallóköz, Hontensis, Gömöriensis, Nitriensis, in Patony.
Viceiudex curiae dominae reginae Dezső.
Vid nob. 461, 603.
Vida clericus chori crferorum de Strig. 578, 771.
Vidozlaus nob. 21, 44.
Viennense concilium 185, 263.
Villa-Canis v. Hunsdorf.
Villa-Nova v. Ujfalu.
Vincentius: can. Vaciensis 269, 395; 305, 441. — Eppus Nitr. 361, 527.
Viola ancilla 233, 349.
Visegrád: 42, 77; 54, 95; 56, 99; 62, 106; 72, 122; 74, 127; 80, 139; 82, 146; 88, 156; 89, 157; 90, 157; 94, 158; 95, 159; 98, 160; 104, 165; 109, 171; 112, 172; 118, 183; 123, 184; 124, 186; 133, 196; 147, 214; 153, 225; 164, 237; 168, 241; 169, 245; 170, 247; 171, 247; 190, 277; 191, 278; 192, 284; 196, 288; 198, 289; 207, 302; 211, 311; 213, 315; 213, 316; 216, 320; 217, 321; 217, 323; 224, 335; 225, 338; 226, 339; 230, 344; 235, 352; 243, 361; 246, 364; 246, 365; 249, 366; 268—69, 395; 273, 397; 274, 398; 278, 406; 278, 407; 282, 409; 291, 417; 293, 418; 293, 419; 302, 432; 303, 437; 304, 438; 305, 441; 306, 447; 312, 445; 312, 447; 313, 449; 315, 453; 319, 460; 323, 469; 328, 477; 330, 478; 331, 482; 332, 483; 333, 484; 341, 498; 352, 510; 353, 511; 354, 513; 358, 524; 362, 527; 369, 535; 382, 548; 384, 554; 387, 558; 390, 562; 399, 575; 403, 584; 404, 586; 407, 588; 408, 591; 410, 593; 411, 594; 412, 595; 419, 597; 424, 600; 461, 602; 461, 603; 470, 619, 472, 621; 474, 625; 479, 628; 482, 632; 485, 634; 486, 639; 488, 642; 498, 659—60; 499, 662; 502, 665; 504, 666; 510, 674; 513, 676; 523, 680; 529, 684; 532, 692; 537, 707; 542, 715; 547, 719; 549, 724; 555, 732; 556, 733; 562, 738; 563, 740; 566, 746; 567, 747; 567, 748; 573, 765; 588, 772; 603, 793; 610, 799; 631, 828; 671, 888; 716, 971; 718, 974. — ibidem constructa ecclesia 69, 117; 716, 971. — fundus 509, 673. — mon. s. Andreae apostoli 468, 615. — eius abbas 316, 455; 383, 551; 504, 667; 661, 868; Daniel dictus Rors. — prior Johannes. — plebanus 490, 645.
de Vissaria Nicolaus v. Vásári.
Vistuk villa 259, 380.
de Viszló nob. 467, 614.
de Vitkóc: Andreas homo regius 537, 707. — Nicolaus dictus Tatár famulus 668, 877.
Vitályos nob. 200, 292; 218, 324.
Vitus fr. Ord. Min., Caroli regis capellanus, Milkoviensi Eppatus praeficitur 216, 321. — idem de Castro Ferreo, Eppus Nitriensis, comes capellae et secretarius cancellarius regis 238, 355; 262, 381; 266, 392; 267, 393; 277, 404; 465, 611; 494, 650; 499, 662; 532, 693; 535, 703; 615, 805. — idem administrator monasterii Graecorum S. Demetrii 545, 717.
de Vitya eccl. sacerd. Nicolaus.
Vivariensis canonicus Petrus Gervasii.
in Vizakna salis fodina 163, 233.
Vizkelet poss. 674, 893.
Vizutja fossatum 271, 395.
Vizsoly: villa 373, 541. — sedes iudicii palatinalis 374, 543.
de Vochath Nicolaus f. Himch homo regius 484, 634.
Vonuntó praedialista AEppalis 503, 666; 519, 680.
Vonuntótelök poss. 502, 666; 508, 671; 509, 672; 511—4, 676; 518—23, 680.
Vödricz navigium 542, 714.
Vök: poss. 113, 174; 208, 306; 319, 461; 345, 502. — de eadem Cosmas nob. 149, 217. — Dama homo regius 654, 856. — de Fodor nob. 33, 61. — Michael 113, 174; 320, 461. — Petirke 16, 34. — nobiles 344, 502.
Vörös: Abraham comes 17, 36. — eius f. Andreas 298, 425. — Bede comes, castellanus de Horsow 341, 500; 341, 501; 553, 729. — Clemens caupo Strig. 96, 159. — Jacobus siculus 111, 172. — Nicolaus nob. 466, 611. — Petrus nob. 121, 184. — Stephanus serviens Eppi Vespr. 680, 908. — Thomas nob. 575, 766. — Thomas, castellanus de Csejte et comes de Ujvár 361, 527; 628, 823; 629, 824; 629, 825; 630, 826; 644, 837.
Vöröskő castrum 361, 527; 674, 893.
Vgacha v. Ugocsa.
Vhlapatak rivulus 184, 262.
Vrachi iobagio udvornicorum 17, 36; 81, 142.
Vrka udvornicus 17, 36; 81, 142.
Vrmen v. Ürmény.
Vruzwar v. Oroszvár.
Vrzyus comes (Ao 1037.) 161, 230.
Vyslas alio nomine Szász poss. 486, 640.
Vyzuche v. Vizutja.
Vzur v. Uszor.

W.

in Walchunschirchen plebanus Hermannus.
Walgunrunse insula 299, 425.
Walter: comes 626, 819. — comes, rector novi montis Pestiensis 195, 288.
Walterius civis Strig. 96, 159.
de Waras genere nobiles 72, 123.
Warda f. Georgius homo regius 405, 587.
Warmacensis Eppus Silvanus.
de Warna Blasius nob. 679, 907.
Waydricia v. Vödric.
Wdword v. Udvard.
Wedered v. Vedrőd.
Welch nob. 379, 548.
Wenczlaus decanus Quinqueecclesiensis 421, 599.
Werdensis can. Wilhelmus de Yissem.
Werencze rivulus 570, 757.
in Weykendorf plebanus Henricus.
Wgol v. Ugal.
Widrice poss. 374, 542; 376, 545; 540, 711; 541, 713.
Wienna: civitas 422, 600; 609, 797; 610, 798. — ibi eccl. s. Stephani, et eius procurator Chunradus. — Scotorum: abbas Henricus. — eorundem monasterii dispensator Philippus.
de Wienna Paulus mag. can. Poson. 208, 306.
Wilhelmus: abbas mon. B. M. Virg. de Scepus 74, 129; 132, 195. — prior Sacri Montis Pannoniae 114, 175.
Wilk v. Vök.
Wischa villa 674, 893.
Wischen poss. 416, 454.
Witigo decanus 458, 600.
Withul mag. iuratus Strig. 499, 663.
Witkfolva v. Vitkóc.
in Witzleinstorf plebanus Colomannus.
Wkur Petrus, carnifex Strig. 195, 288.
Wobnot terra 105, 165.
Woch: civis Posoniensis 29, 56; 56, 99. — civis Poson. 67, 115; 99, 161.
Wolfsthal locus 666, 876.
Wratislaviensis: s. Laurentii abbas 224, 336. — clericus de Strelicz Nicolaus. — Eppus 420, 598. — praep. S. Crucis 224; 336.
Wroninus Sandomiriensis plebanus 73, 125.
Wrs v. Örs.
Wxa servus 708, 955.
Wyar v. Ujvár.
Wychma aqua communis 355, 516.
de Wygnyan Farcasius f. Fay homo regius 549, 724.
Wysthak v. Vistuk.
Wyz villa 708, 955.

Y.

Ybrahim nob. 464, 611.
Yezzel iudaeus Poson. 276, 403.
Yvanossy v. Iványi.
de Ynika Stephanus f. Bensc homo regius 304, 441.
de Yissem Wilhelmus, clericus Coloniensis dioec. can. eccl. Werdensis, auct. imperiali publicus notarius, notarius Francisci, Eppi Tergestini 602, 791; 608, 797; 610, 798.

Z.

Zaad civis de Csütörtökhely 496, 657.
de Zaah Ladislaus nob. 21, 44.
Zaard castrum regium 278, 406.
Zaah Ladislaus nob. 21, 44.
Zaad civis de Csütörtökhely 496, 657.
Zaard castrum regium 278, 416.
Zaaz v. Szász.
Zách Feliciani bonorum donatio 275, 401; 284, 410.
de Zagoria districtus 497, 659.
Zagrabiensis: can. de Kapronicza Martinus. — ecclesiae possessio 633, 828. — Eppus 9, 19; 103, 164; Jacobus. postulatus Eppus Nicolaus.
de Zagrabia Mathias, ord. praedicatorum religiosus 181, 254.
Zagyva fluv. 223, 334; 381, 548; 463, 609.
Zaha nob. 598, 788.
Zahy terra 286, 410.
de Zala: Nicolaus mag. Albensis et Posoniensis ecclesiarum canonicus, doctor informator Michaelis praep. Poson. 389, 562; 403, 581; 403, 554; 421—59, 600 pluries; 568, 780. — Petrus mag. nob. 669, 879. — Petrus famulus 508, 670.
Zalánkemény civitas 416, 597; 560, 738.
de Zalatna Benedictus nob. 377, 546.
Zalatna poss. 85, 148; 191, 281.
Zalathnuk: poss. 387, 558; 390, 564; 394, 570; 396, 575. — idem, quod Ebedecz 399, 575.
Zalaylok terra 420, 599.
Zalason: poss. 605, 795. — de eadem Csenk comes homo regius 249, 366. — nobiles 605, 795.
Zamar poss. 191, 281.
Zancsuk: nob. 114, 176. — comitis filii 136, 200; 355, 515; 489, 644. — f. Rubinus et Johannes homines regii 391, 564.
de Zavar: Andreas et Johannes homines regii 645, 838. — Johannes nob. 676, 901.
Zebe domina 354, 512.
Zechyn v. Szécsény.
Zedekerthe poss. 595, 783.
Zeek lacus 63, 106.
de Zeek Benedictus nob. 284, 410.
Zege v. Czege.
Zelench v. Szilincs.
Zellő poss. 39, 72; 243, 361; 258, 380.
Zemch v. Szempcz.
Zemeke nob. 12, 30.
Zemlen v. Zimony.
de Zemplén ADconus: Petrus.
Zengő poss. 187, 271; 341, 499; 367, 530; 367, 532; 383, 550; 404, 586; 406, 588; 459, 601; 490, 647; 496, 657; 646, 842.
Zenie palotája, palatium in Strig. 163, 232; 163, 235;

163, 236; 164, 237; 193, 285; 195, 288.
Zenmartun v. Szentmárton.
Zenye domina 164, 237.
Zeugne v. Szinye.
Zeulen v. Szölény.
Zeuleus (Zewleus) v. Szőlős.
Zimony civ. 416, 597; 560, 738.
de Znoyma Mathias publicus notarius 424, 600.
Zobonya: nob. 462, 604. — eius filii nobiles 401, 578.
de Zobor: abbas 672, 889; Gregorius, Thomas. — capellanus Benedictus. — conventus 106, 168; 231, 346; 300, 427; 302, 433; 318, 458; 319, 460; 321, 463; 325, 472; 341, 499; 345, 503; 367, 531; 375, 544; 376, 545; 409, 586; 406, 588; 459, 601; 460, 602; 462, 604; 490, 647; 496, 657; 536, 706; 540, 712; 541, 713; 564, 744; 568, 754; 611, 801; 626, 821; 635, 829; 646, 842; 664, 872; 672, 889; 677, 903; 677, 904. — monachus: Benedictus, Dominicus, Jacobus, Johannes, Konradus, Laurentius, Nicolaus. — monasterium b. Hyppoliti martiris 106, 168.
Zodo, v. Szodó.
Zolath udvornicus 69, 119.
Zólyom: civitas 394, 571. — de Alconus Johannes, Beke Johannes, Nicolaus. — capella regia b. Nicolai 65, 108.
Zompchuk nob 282, 409.
Zonez villa 92, 157; 319, 461.
Zorva v. Szarva.
Zovoy villa 254, 375.
Ztragar poss. 552, 726.
Zualyn piscacio (Ao 1037.) 160, 230.
Zub. v. Szob.
Zuda nob. 420, 599.
Zudak Jazigus 61, 104.
Zudislaus nob. 21, 44.
Zuga domina 420, 599; 707, 953.
Zumbothel v. Szombathely.
Zumchvk v. Szömcsök.
Zumor v. Szomor.
in Zumpa decimae 507, 670.
Zunyugd v. Szunyogd.
Zupa dicti Pauli filii 467, 614.
Zuzol districtus 540, 711, 541, 713.
de Zwg Michael nob. 370, 537.
Zyden dictus Petrus udvornicus 17, 36; 81, 142.
Zyhygh v. Szűgy.
Zyk v. Zsikava.
Zyl forum (Ao 1037.) 160, 230.
Zylod aqua 92, 157.
Zynita aqua 287, 410.
Zynyr v. Szenyér.
Zyrídahel v. Szerdahely.
Zsaár villa 702, 941.
Zsank nob. 46, 81.
Zsarnócza villa 541, 712; 547, 718; 553, 728.
Zseliz districtus 535, 701.
Zsély poss. 237, 354.
Zsemlér terra 302, 432.
Zsére villa 672, 889.
de Zsember Petrus f. Egidii infidelis 394, 571.
Zsikava: villa 677, 904. — de eadem Ivánka nob. 687, 920 v. etiam de Szencse.
Zsitva fluvius 114, 176; 398, 575; 574, 766; 582, 771; 586, 771.

Pozsony Vármegye Főegyházmegyei Levéltár

Index Chronologicus.

1037. — — 161, 707.
1138. 3. Sept. 142.
1156. — — 646.
1158. — — 646.
1201. — — 50.
1208. — — 360.
1217. — — 687. — 13. Jun. 130.
1219. — — 111.
1223. — — 583.
1225. — — 369. — 13. Febr. 118.
1228. — — 74.
1243. — — 13. Maii. 99.
1243—1254. — — 707.
1245. — — 464.
1246. 14. Nov. 161, 707.
1249. — — 39, 336. — 19. Mart. 328, 330.
1250. — — 336. — 22. Maii. 328, 330.
1251. 2. Oct. 234.
1255. — — 502, 518.
1256. — — 360. — 16. Dec. 207.
1260. — Oct. 421, 707.
1262. 28. Oct. 211.
1263. 9. Apr. 54, 707.
1265. 5. Jul. 187.
1266. 9. Maii. 572, 581.
1268. 14. Oct. 626.
1270. — — 162, 646.
1271. 12. Sept. 314.
1272. — — 707. — 29. Mart. 208. — 13. Jul. 646. — 1. Aug. 314. — 20. Nov. 583.
1273. 23. Jan. 708. — 27. Oct. 196.
1275. — — 187.
1277. 3. Mart. 202. — 28. Mart. 32. — 20. Apr. 623.
1278. — — 25, 162.
1279. Jan.—Aug. 646.
1280. 18. Aug. 34.
1285. — — 182.
1290. — — 378.
1291. — — 111, 121. — 12. Mart. 110. — 6. Jun. 75. — 8. Sept. 24.
1292. — — 75. — 2. Febr. 30. — 6. Jun. 121.
1295. 12. Maii. 219. — 15. Maii 535.
1296. 2. Jun. 45.
1300. 2. Febr. 166. — 16. Apr. 166.
1302. — — 44. — 10. Sept. 291.
1307. 8. Aug. 433, 709. — 4. Dec. 709.
1308. 5. Jan. 710. — 12. Maii. 66. 711.
1310. 10. Maii. 12. — 9. Sept. 711.
1311. 7. Apr. 434, 435, 712. — 22. Maii. 435, 438, 712. — 23. Aug. 31.
1313. 26. Jan. 38. — 8. Mart. 719. — 8. Aug. 291. — 13. Aug. 1.
1316. 24. Mart. 624.
1317. 25. Febr. 57.
1319. — — 479.
1320. — — 110. — 25. Febr. 24. — 24. Maii. 110. — 29. Aug. 712. — 9. Sept. 713. — 29. Sept. 713.
1321. — — 9. — 19. Maii 1. — 25. Maii 2. — 29. Jun. 2. — 1. Jul. 3. — 5. Jul. 3. — 17. Aug. 3. — 22. Sept. 4. — 27. Sept 5. — 29. Sept. 5. — 2. Oct. 6. — 6. Oct. 7, 596. — 17. Nov. 15. 713. — 27. Nov. 15. 714. — 5. Dec. 7, 8. — 8. Dec. 7, 9. — 15. Dec. 9.
1322. 10. — 19. Jan. 10. — 28. Jan. 21. — 11. Febr. 21. — 7. Mart. 10. — 16. Mart. 11. — 2. Apr. 11. — 3. Apr. 11. — 16. Apr. 11. — 18. Apr. 12. — 19. Apr. 12. — 29. Apr. 13. — 10. Maii 14. — 6. Jun. 16. — 24. Jun. 16., 18. — 1. Jul. 16. — 19. Jul. 17. 18. — 3. Aug. 19. — 6. Aug. 19. — 9. Aug. 19. — 29. Aug. 714. — 4. Sept. 714. — 27. Sept. 20. — 1. Oct. 20. — 7. Dec. 20.
1323. 40. — 17. Jan. 22. — 13. Febr. 23. — 16. Febr. 714, 715. — 17. Febr. 715. — 16. Mart. 23. — 22. Mart. 530. — 13. Apr. 23. — 22. Apr. 24. 25. — 27. Apr. 25, 38. — 6. Maii 26. — 5. Jun. 26, 89, 101. — 18. Jun. 27, 28, 29, 30, 56, 90, 102. — 22. Jun. 30. — 23. Jun. 35. — 26. Jun 31, 32. — 27. Jun. 33. — 28. Jun. 34. — 2. Jul. 35. — 12. Sept. 35. — 2. Oct. 36. — 7. Oct. 37. — 28. Oct. 37, 42. — 1. Nov. 37, 81. — 23. Nov. 39. — 24. Nov. 39. — 28. Dec. 39.
1324. 110. — 8. Jan. 41, 43. — 8. Mart. 41. — 17. Mart. 42, 44. — 24. Mart. 42, 43, 44, 45, 55. — 25. Mart. 44. — 1. Apr. 45. — 26. Apr. 46. — 1. Maii 110. — 10. Maii 46. — 17 Maii. 46, 88. — 22. Maii 47. — — Maii 47. — 15. Jun. 47. — 1. Jul. 48. — 7. Jul. 47. — 15. Jul. 47, 52. — 16. Jul. 48. — 27. Jul. 48. — 8. Aug. 49. — 9. Aug. 49. — 20. Aug. 50. — — 14. Sept. 52. — 29. Sept. 50. — 6. Oct. 51. 52. — 8. Nov. 51, 53. — 10. Nov. 54. — 9. Dec. 54, 56. — 11. Dec. 70.
1325. 73. — 6. Jan. 56. — 29. Jan. 57, 58. — 9. Febr. 62, 71. — 17. Febr. 58, 62. — 21. Febr. 58. — 28. Febr. 61. — 4. Mart. 61. — 12. Mart. 62. — 13. Mart. 62. — 14. Mart. 61. — 20. Mart. 61, 71. — 25. Apr. 63. — 29. Apr. 64. — 1. Maii 71. — 6. Maii 65. — 26. Maij

65. — 30. Maii 66. — 2. Jun. 67, 100. — 9. Jun. 71. — 16. Jun. 67. — — 24. Jun. 67. — 30. Jun. 67, 99. — 12. Jul. 68. — 1. Sept. 69. — 8. Sept. 69. — 24. Sept. 69. — 6. Oct. 71. — 8. Oct. 70. — 12. Oct. 70. — 18. Oct. 70. — Circa 1. Nov. 72.

1326. — — 103. — 11. Febr. 73. — 26. Mart. 74. — 8. Apr. 74. — 10. Apr. 74. — 29. Apr. 74. — 5. Maii 74. — 8. Maii 75, 90, 98. — 11. Maii 75, 76. — 14. Maii 76. — 19. Maii 77. — Circa 27—31. Maii 77. — 20. Jun. 79. — 22. Jun. 79. — 1. Aug. 80, 83. — 9. Aug. 80. — 12. Aug. 80, 83. — 15. Aug. 80. — 17. Aug. 82, 92, 100. — 22. Aug. 82, 138. — 30. Aug. 82, 84, 190. — 12. Sept. 84. — 13. Sept. 85. — 15. Sept. 85, 104. — 13. Oct. 85, 89, 108. — 29. Oct. 98. — 30. Oct. 86. — 31. Oct. 86, 95. — 1. Nov. 86. — 4. Nov. 87. — 7. Nov. 95. — 8. Nov. 87, 96, 120, 716. — 11. Nov. 87, 108. — 17. Nov. 89, 93. — 27. Nov. 93, 94. — 2. Dec. 94, 97. — 7. Dec. 120. — 17. Dec. 97. 18. Dec. 99, 101, 103.

1327. — — 115, 118. — 20. Jan. 716. — 29. Jan. 104, 105. — 30. Jan. 106, 125. — 4. Febr. 715. — 13. Febr. 106. — 8 Mart. 106. — 25. Mart. 120. — 2. Apr. 108, 109. — 27. Apr. 109, 115. — 1. Maii. 109, 120. — 3. Maii. 111. — 30. Maii. 116, 117. — 4. Jun. 110. — 12. Jun. 113. — 24. Jun. 113. — post 24. Jun. 113. — 29. Jun. 114. — 1. Jul. 114, 115. 6. Jul. 120. — 13. Jul. 115. — 30. Jul. 116. — 2. Aug. 117. — 6. Oct. 118. — 18. Oct. 118.

1328. 25. Jan. 119, 126. — 2. Febr. 123, 124. — 3. Febr. 126. — 19. Febr. 125. — 21. Febr. 125. — 22. Febr. 126, 127. — 1. Mart. 128. — 11. Mart. 128. — 18. Mart. 129, 130, 354, 645, 688. — 27. Mart. 131. — 19. Apr. 132. — ante 1 Maii. 133. — 1. Maii. 134. — 28. Maii. 135. — 9. Jun. 136. — 28. Jun. 136. — 13. Jul. 137. — 9. Aug. 138. — 15. Sept. 140. — 29. Oct. 141. — 2. Nov. 140.

1329. 14. Jan. 142. — 20. Jan. 142, 143. — 27. Jan. 717. — 13. Febr. 143. — 14. Febr. 145. — 25. Mart. 145, 148. — 1. Apr. 145. — 29. Apr. 145. — 14. Maii 146. — 17. Jun. 147, 247, 488. — 19. Jun. 147. — 22. Jul. 147. — 1. Aug. 148. — 4. Aug. 148. — 13. Aug. 149. — 14. Aug. 717. — 19. Aug. 717. — 23. Sept. 150. — 31. Oct. 150, 151. — 11. Nov. 150, 153. — 12. Nov. 150. — 14. Dec. 153. — 15. Dec. 151, 155. — 17. Dec. 151, 154.

1330. 2. Jan. 152, 154, 155. — 3. Jan. 155. — 8. Febr. 157. — 9. Febr. 157. — 2. Mart. 158. — 11. Mart. 159, 161. — 14. Mart. 162, 163. — 18. Mart. 163. — 23. Mart. 163. — 25. Mart. 196. — 31. Mart. 163. — 16. Apr. 163, 165. — 21. Apr. 165. — 26. Apr. 165. — 2. Maii 165. — 3. Maii 163, 165. — 5. Maii 164, 166, 196. — 1. Jun. 167. 10. Jun. 167, 205. — 17. Jun. 167, 204. — 1. Jul. 167. — 4. Jul. 168, 206. — 10. Jul. 168. — 13. Jul. 168. — 17. Jul. 169. — 20. Jul. 169, 170. — 25. Jul. 170. — 29. Jul. 170. — 5. Aug. 171. — 9. Aug. 171. — 25. Aug. 173. — 6. Sept. 172. — 17. Sept. 180. — 28. Sept. 180. — 1. Oct. 181. — 2. Oct. 181. 2. Nov. 181. — 15. Nov. 181. — 13. Dec. 182.

1331. — — 202. — 5. Jan. 182. — 15. Jan. 183. — 12. Febr. 183. — 21. Febr. 184. — 23. Febr. 184. — 1. Mart. 185. — 3. Mart. 185. — 4. Mart. 185, 198. — 7. Mart. 186. — 16 Mart. 186, 198, 199. — 20. Mart. 186, 198. — 24. Mart. 187, 188, 646. — 25. Mart. 187. — 27. Mart. 188, 191. — 30. Apr. 189. — 3. Maii. 189, 190. — 8. Maii. 191. — 11. Maii. 191. — 14. Maii. 191. — 6. Jun. 191. — 15. Jun. 192. — 21. Jun. 192. — 26. Jun. 192. — 13. Jul. 193. — 26. Jul. 193. — 27. Jul. 195. — 3. Aug. 197. — 27. Aug. 194. — 21. Sept. 199. — 12. Oct. 199. — 13. Oct. 199. — 19. Oct. 201. — 22. Nov. 201. — 1. Dec. 201. 226.

1332. 12. Febr. 202. — 24. Febr. 203. — 1. Mart. 203. — 8. Mart. 203. 204. 10. Mart. 549. — 15. Mart. 207, 208. — 21. Apr. 208. — 26. Apr. 208. — 1. Maii. 209, 210, 549. — 29. Maii. 210. — 14. Jun. 211. — 17. Jun. 212, 213. 19. Jun. 212, 214. — 22. Jun. 213, 222. — 27. Jun. 213, 214. — 30. Jun. 213, 214. — 5. Jul. 214. — 31. Jul. 215, — 22. Sept. 215, 216. — 2. Oct. 216. 3. Oct. 215. — 7. Oct. 216. — 21. Oct. 216. — 6. Nov. 217. — 11. Nov. 217. — 22. Nov. 218. — 24. Nov. 218. — 25. Nov. 218. — 30. Nov. 219. — 1. Dec. 219. — 25. Dec. 217.

1332—1337. 219.

1333. — — 233. — 16. Jan. 219. — 25. Jan. 228. — 27. Febr.

222. — 8. Mart. 223. — 24. Mart. 223. — 12. Apr. 228. — 29. Apr. 223. — 1. Maii 223, 226. — 5. Maii 224. — 6. Maii 224. — 8. Maii 225. — 10. Maii 225. — 11. Maii 228, 229. — 12. Maii 226. — 18. Maii 229. — 25. Maii 244, 245. — 24. Jun. 217. — 3. Jul. 226. — 13. Jul. 227. — 15. Jul. 227. — 22. Jul. 229, 230. — 29. Jul. 229. — 9. Aug. 228. — 23. Aug. 230. — 1. Sept. 231. — 29. Oct. 232. 2. Nov. 232. — 4. Nov. 232. — 6. Dec. 232.

1334. 13. Jan. 244. — 30. Jan. 234. — 17. Febr. 718. — 20. Mart. 235, 247. — 26. Apr. 236. — 1. Maii 245. — 8. Maii 245. — 10. Maii 237. — 11. Maii 238. — 31. Maii 239. — 1. Jun. 239, 242. — 2. Jun. 240, 241. — 3. Jun. 242. — 4. Jun. 241, 243. — post 4. Jun. 241. — 9. Jun. 243. — 1. Jul. 249. — 2. Jul. 244, 249. — 8. Jul. 244. — 11. Jul. 245. — 12. Jul. 244. — 20. Jul. 246, 248. — 25. Jul. 249. — 7. Aug. 250. — 23. Aug. 250. — 28. Aug. 251. — 21. Sept. 251. — 27. Sept. 252, 273. — 6. Oct. 244, 273. — 9. Oct. 252. — 27. Oct. 252. — 8. Nov. 253. 6. Dec. 253.

1335. 9. Jan. 254. — 21. Jan. 254. — 24. Febr. 254, 439. — 13. Mart. 254. — 26. Mart. 255. — 1. Apr. 258. 14. Maii 260, 261. — 29. Maii 262, 263. — 31. Maii 262. — 1. Jun. 263, 273. — 22. Jun. 264. 24. Jun. 264. — 1. Jul. 264. — 25. Jul. 258. — 1. Aug. 268. — 4. Aug. 265, 269. — 10. Aug. 265, 269. — 13. Aug. 265, 275. 22. Aug. 266, 439. — 21. Sept. 266. — 27. Sept. 267. — 6. Oct. 268, 269. 11. Nov. 258. — 13. Nov. 267. — 20. Nov. 267. — 22. Nov. 272. — 27. Nov. 271. — 13. Dec. 273. — circa Oct. 274.

1336. — — 290. — 6. Jan. 275. — 17. Jan. 258. — 22. Febr. 282. — 1. Mart. 275. — 7. Mart. 276. — 8. Mart. 276. — 15. Mart. 276. — 17. Mart. 277. — 21. Mart. 282. — 22. Mart. 277. — 23. Mart. 277. — 25. Mart. 278, 282. — 30. Mart. 282. — 3. Apr. 281. — 14. Apr. 283. — post 11. Apr. 282. — 19. Jun. 288. — 14. Aug. 289. — 24. Oct. 290. — 3. Nov. 290. — 29. Nov. 300.

1337. — — 442. — 24. Jan. 290. — 5. Febr. 291. — 9. Febr. 292. — 24. Febr. 291. — 26. Febr. 293. — 3. Mart. 293. — 28. Mart. 293. — 23. Apr. 294, 297. — 25. Apr. 297. — 27. Apr. 298. — 6. Maii 297, 298. — 21. Maii 300. — 22. Maii 300. — 29. Maii 300. — 15. Jun. 300, 319. 1. Jul. 300. — 25. Jul. 301. — 3. Aug. 301. — 12. Aug. 302. — 19. Aug. 302. — 20. Aug. 303, 442. — 23 Aug. 303, 443. — 1. Sept. 303, 442.

1338. — — 307, 321. — 19. Jan. 303, 304. — 22. Jan. 304. — 5. Febr. 304, 429, 441. — 14. Febr. 304, 305. — 22. Febr. 304. — 20. Mart. 305. — 25. Mart. 305, 306. — 29. Mart. 306. — 31. Mart. 312, 313. — 13. Apr. 312. — 16. Apr. 312. — 17. Apr. 313. — 18. Apr. 313. — 1. Maii 328, 329, 335. — 4. Maii 314. — 25. Maii 549. — 26. Maii 314. — 28. Maii 315. — 19. Jun. 315. — 25. Jun. 316. — 26. Jun. 315. — 29. Jun. 316. — 30. Jun. 316. — 1. Jul. 550. — 8. Jul. 317. — 10. Jul. 316. — 13. Jul. 318. — 16. Jul. 316. — 22. Jul. 319. — 15. Aug. 319. — 22. Aug. 319. — 24. Aug. 319. — 2. Sept. 321. — 11. Sept. 321. — 12. Sept. 321, 323. — 20. Sept. 321. — 21. Sept. 321. — 25. Sept. 322, 324. 325. — 27. Sept. 322. — 29. Sept. 323. — 2. Oct. 323, 324. — 3. Oct. 325. — 6. Oct. 326. — 10. Oct. 326. — 28. Oct. 326. — 29. Oct. 331. — 30. Oct. 327. — 8. Nov. 328, 329, 335. — 15. Nov. 328, 329, 334. — 23. Nov. 331. — 29. Nov. 331.

1338—1342. — — 331.

1339. 8. Jan. 332. — 13. Jan. 333, 350, 378. — 15. Jan. 332. — 16. Jan. 333. — 18. Jan. 333. — 29. Jan. 333. — 7. Febr. 333. — 27. Febr. 334. — 3. Mart. 329, 330, 334, 336, 337. — 8. Mart. 334. — 10. Mart. 329, 330, 337. — 21. Mart. 335. — 6. Apr. 338. — 18. Apr. 339, 366. — 1. Maii 332, 333. — 2. Maii 339. — 13. Maii 339. — 23. Maii 332. — 24. Maii 339. — 27. Maii 340. — 28. Maii 340. — 24. Jun. 340, 440. — 1. Jul. 341. — 2. Jul. 341. — 6. Jul. 341. — 22. Jul. 341. — 29. Jul. 342. — 1. Aug. 344. 345. 6. Aug. 344. — 8. Aug. 345. — 14. Aug. 345. — 21. Aug. 347. — 28. Aug. 348. — 29. Aug. 350. — 1. Oct. 596. — 6. Oct. 345, 349, 350, 351. — 10. Oct. 349. — 12. Oct. 349. 13. Oct. 350. — 24. Oct. 349. — 5. Nov. 352. — 7. Dec. 353. — 18. Dec. 353.

1340. — — 405. — 13. Jan. 353, 354, 360, 387. — 15. Jan. 341. — 9. Febr. 379. — 13.

Febr. 375. — 25. Febr. 355. — 28. Febr. 355. — 29. Febr. 355. — 5. Mart. 355. — 8. Mart. 360. — 16. Mart. 356. 362. — 19. Mart. 356. — 27. Mart. 378. — 29. Mart. 355. — 2. Apr. 368. — 7. Apr. 356. — 8. Apr. 357, 371. — 9. Apr. 357. — 23. Apr. 357. — 24. Apr. 348. — 27. Apr. 357, 358, 467. — 1. Maii 358, 361, 362, 467. — 3. Maii 359, 365. — 5. Maii 359. — 8. Maii 359, 378. — 10. Maii 365. — 15. Maii 366. — 21. Maii 367. — 29. Maii 375. — 1. Jun. 366, 367, 368. — 9. Jun. 368. — 11. Jun. 369. — 23. Jun. 368. — 1. Jul. 369. — 8. Jul. 378. — 14. Jul. 369. 18. Jul. 370. — 1. Aug. 370. — 8. Aug. 378. — 14. Aug. 375. — 20. Aug. 375. — 29. Aug. 411. — 5. Sept. 371. — 6. Sept. 371. — 15. Sept. 379. — 16. Sept. 371. — 24. Sept. 380. — 29. Sept. 406. — 6. Oct. 372. — 13. Oct. 372, 375. — 20. Oct. 372. — 5. Nov. 373, 374. — 6. Nov. 375, 376. — 8. Nov. 377, 380. — 18. Nov. 377. — 30. Nov. 381. — 7. Dec. 476. — 14. Dec. 377.

1341. 7. Jan. 382, 440. — 13. Jan. 383, 396. — 4. Febr. 384. — 6. Febr. 383. — 17. Febr. 431. — 19. Febr. 383, 431, 440, 444. — 23. Febr. 383, 384. — 25. Febr. 383. — 9. Mart. 384, 385. — 12. Mart. 385. — 14. Mart. 387. — 15. Mart. 404. — 21. Mart. 387. — 25. Apr. 387, 388. — 3. Maii 388. — 8. Maii 387, 390, 396. — 10. Jun. 475. — 19. Jun. 389, 421, 457. — 1. Jul. 390, 396. — 6. Jul. 389. — 8. Jul. 390. — 22. Jul. 392. — 25. Jul. 392. — 1. Aug. 476. — 3. Aug. 392. — 7. Aug. 392. — 15. Aug. 393. — 27. Aug. 391, 397, 398, 421. — 3. Sept. 394. — 6. Sept. 394. — 10. Sept. 391, 397. — 15. Sept. 396, 405, 502, 518. — 19. Sept. 395. — 22. Sept. 396. — 23. Sept. 396. — 24. Sept. 399, 400, 637. — 25. Sept. 396. — 26. Sept. 399, 400. — 29. Sept. 406. — 30. Sept. 401. — 2. Oct. 400. — 6. Oct. 401. — 11. Oct. 402, 403, 423. — 13. Oct. 403, 410. — 19. Oct. 422. — 20. Oct. 403. — — 8. Nov. 410. — 9. Nov. 403, 424. — 14. Nov. 403, 410. — 18. Nov. 396, 404, 405, 646. — 19. Nov. 424. — 21. Nov. 426. — 29. Nov. 405. — 30. Nov. 405. — 3. Dec. 427. — 5. Dec. 406. — 7. Dec. 407, 427. 10. Dec. 430. — 14. Dec. 406, 408. — 17. Dec. 432. — 19. Dec. 443. — 20. Dec. 408, 448. — 21. Dec. 408. — 27. Dec. 406. — — circa 6. Apr. 408.

1342. — — 412, 486, 487. — 8. Jan. 411. — 10. Jan. 409. — 13. Jan. 411, 441. — 17. Jan. 411. — 20. Jan. 408. 412. — 26. Jan. 443, 450. — 28. Jan. 450. — 2. Febr. 412. — 4. Febr. 451. — 6. Febr. 420. — 8. Mart. 459. — 9. Mart. 420. — 10. Mart. 458. — 11. Mart. 451. — 13. Mart. 407, 412. — 14. Mart. 421. — 16. Mart. 459, 646. — 22. Mart. 460, 461. — 24. Mart. 462. — 4. Apr. 467. 7. Apr. 462, 463. — 14. Apr. 463. — 25. Apr. 463. — 26. Apr. 463. — 1. Maii 464. — 8. Maii 464. — 11. Maii 466. — 18. Maii 466. — 23. Maii 467. — 26. Maii 477. — — 31. Maii 467. — 2. Jun. 468. — 8. Jun. 468, 484. — 20. Jun. 468. — — 1. Jul. 419, 469, 484. — 8. Jul. 470, 471, 472. — 15. Jul. 472. — 1. Aug. 466, 473, 485. — 18. Aug. 473. — 19. Aug. 473, 474. — 27. Aug. 472. — 15. Sept. 419. — 16. Sept. 474. — 17. Sept. 473. — 28. Sept. 475, 510. — 6. Oct. 478. — 9. Oct. 475, 510. — 20. Oct. 475. — 29. Oct. 480. — 9. Nov. 480. — 15. Nov. 482. — 18. Nov. 419, 475, 476, 481. — 22. Nov. 481. — 2. Dec. 482. — 6. Dec. 483. — 7. Dec. 485. — 8. Dec. 585, 511. — 19. Dec. 485. — 22. Dec. 485.

1343. 8. Jan. 419. — 2. Febr. 488. — 8. Febr. 516, 526. — 12. Febr. 488. — 15. Febr. 491. — 28. Febr. 489. — 1. Mart. 488. — 2. Mart. 490, 495. — 6. Mart. 490. — 10. Mart. 490. — 12. Mart. 516, 526. — 15. Mart. 491. — 19. Mart. 498, 491. — 26. Mart. 516, 526. — 4. Apr. 491. — 17. Apr. 492, 494. — 20. Apr. 489. — 24. Apr. 491. — 6. Maii 494. — 7. Maii 494. — 8. Maii 516, 526. — 10. Maii 495. — 12. Maii 550. — 19. Maii 495. — 21. Maii 495. — 24. Maii 496. — 29. Maii 502, 518. — 31. Maii 497. — 3. Jun. 497, 498. — 9. Jun. 498. — 21. Jun. 499. — 24. Jun. 499. — 1. Jul. 499, 502, 516, 526. — 5. Jul. 500, 527. — 8. Jul. 501. — 13. Jul. 506. — 16. Jul. 502, 508. — 17. Jul. 504. — 18. Jul. 505. — 21. Jul. 505, 518. — 26. Jul. 506. — 30. Jul. 504, 508, 511, 520. — 5. Aug. 508. — 8. Aug. 504, 512, 520. — 16. Aug. 509, 513. — 19. Aug. 513, 521, 522. — 20. Aug. 509. — 22. Aug. 509. — 25. Aug.

511. — 27. Aug. 502. — 28. Aug. 511. — 4. Sept. 514, 528, 552. — 13. Sept. 517. — 15. Sept. 514, 522. — 23. Sept. 517. — 24. Sept. 517. — 30. Sept. 523. — 6. Oct. 495, 501, 524, 528. — 8. Oct. 523, 524. — 10. Oct. 524. — 17. Oct. 525, 539. — 3. Nov. 529. — 7. Nov. 529. 14. Nov. 530. — 19. Nov. 530. — 23. Nov. 531. — 29. Nov. 531. — 1. Dec. 531. — 7. Dec. 530.

1344. — — 553, 636. — 13. Jan. 530. — 24. Jan. 531, 537. — 25. Jan. 643. — 9. Febr. 530. — 12. Febr. 531, 532. — 13. Febr. 532. — 14. Febr. 532. — 15. Febr. 533. — 16. Febr. 533. — 17. Febr. 533. — 7. Mart. 533. — 9. Mart. 533. — 10. Mart. 534. — 13. Mart. 535. — 18. Mart. 535, 536, 546. — 19. Mart. 536. — 21. Mart. 537. — 12. Apr. 538. — 16. Apr. 538. — 6. Maii 539. — 7. Maii 540. — 15. Maii 541. — 18. Maii 654. — 14. Jun. 680. — 24. Jun. 542. — 1. Jul. 550, 680. — 8. Jul. 577. — 13. Jul. 542, 543. — 20. Jul. 653. — 13. Aug. 544, 546. — 11. Sept. 546. — 15. Sept. 577. — 22. Sept. 547. — 6. Oct. 548, 549, 554. — 15. Oct. 548. — 21. Oct. 548, 551. — 25. Oct. 577. — 26. Oct. 548. — 2. Nov. 578. — 16. Nov. 578. — 17. Nov. 548. — 25. Nov. 548. — 29. Nov. 551. — 5. Dec. 552. — 7. Dec. 552. — 27. Dec. 552.

1345. 5. Jan. 554. — 8. Jan. 554, 555. — 11. Jan. 555. — 1. Febr. 578. — 16. Febr. 578. — 22. Febr. 556. — 23. Febr. 556. — 28. Febr. 556, 557. — 2. Mart. 577. — 4. Mart. 556. — 7. Mart. 556. — 9. Mart. 557. — 25. Mart. 558, 565. — 30. Mart. 579. — 3. Apr. 578. — 6. Apr. 562. — 17. Apr. 579. — 1. Maii 556, 563. — 22. Maii 563, 579. — 29. Maii 562. — 1. Jun. 563. — 23. Jun. 563. — 1. Jul. 562, 580. — 4. Jul. 564. — 8. Jul. 577. — 15. Jul. 564. — 30. Jul. 580. — 12. Aug. 564. — 13. Aug. 580. — 15. Aug. 581. — 16. Aug. 565. — 4. Sept. 566. — 5. Sept. 562. — 7. Sept. 567, 581. — 8. Sept. 567. — 11. Sept. 567. — 12. Sept. 568. — 13. Sept. 568. — 14. Sept. 568. — 19. Sept. 568. — 20. Sept. 569, 570. — 22. Sept. 583. — 25. Sept. 570. — 29. Sept. 569. — 6. Oct. 570, 571. — 7. Oct. 583. — 9. Oct. 571. — 11. Oct. 571. — 12. Oct. 571, 572. — 18. Oct. 572. — 19. Oct. 573, 575. — 3. Nov. 575. — 8. Nov. 574, 586. — 11. Nov. 576. — 13. Nov. 576. — 18. Nov. 562, 576. — 19. Nov. 577, 588. — 4. Dec. 590, 602. — 6. Dec. 590. — 12. Dec. 590. 26. Dec. 593. — circa 592.

1346. — — 615. 616. — 1. Jan. 593. — 8. Jan. 562. — 9. Jan 593, 594. — 1. Febr. 594. — 5. Febr. 594. — 6. Febr. 595. — 5. Mart. 595. — 16. Mart. 596. — 24. Mart. 596. — 25. Mart. 596. — 31. Mart. 597. — 6. Apr. 635. — 7. Apr. 597. — 17. Apr. 597. — 28. Apr. 598. — 29. Apr. 599. — 1. Maii 599. — 6. Maii 599. — 18. Maii 601. — 24. Maii 603. — 27. Maii 603. — 30. Maii 603. — 6. Jun. 606. — 7. Jun. 603. — 11. Jun. 605. — 12. Jun. 607. — 14. Jun. 607, 609. — 22. Jun. 610. — 5. Sept. 611. 9. Sept. 610. — 11. Sept. 611. — 28. Oct. 612. — 15. Nov. 618. — 18. Nov. 612. — 21. Nov. 637. — 2. Dec. 613. — 11. Dec. 613, 614.

1347. — — 656, 687. — 13. Jan. 618, 636. — 14. Jan. 617. — 18. Jan. 617. — 31. Jan. 617. — 9. Febr. 619. — 18. Febr. 618. — 19. Febr. 619. — 21. Febr. 636. — 22. Febr. 625. — 1. Mart. 620. — 4. Mart. 621. — 6. Mart. 622, 625. — 7. Mart. 635. — 12. Mart. 625. — 14. Mart. 622, 624. — 15. Mart. 625. — 22. Mart. 626. — 25. Mart. 626. — 26. Mart. 638. — 29. Mart. 626. — 9. Apr. 638. — 1. Maii 626, 628. — 8. Maii 636. — 11. Maii 627, 631. — 15. Maii 640. — 21. Maii 632. — 24. Maii 628, 629, 643. — 27. Maii 627, 629, 640. — 28. Maii 630, 642. — 2. Jun. 630. — 3. Jun. 631, 634. — 7. Jun. 635. — 8. Jun. 641. — 11. Jun. 641, 647. — 14. Jun. 642. — 20. Jun. 642. — 24. Jun. 643. — 1. Jul. 643. — 23. Jul. 645. — 28. Jul. 645, 646, 647, 648. — 16. Aug. 648. — 22. Aug. 648. — 8. Sept. 627. — 29. Sept. 653. — 5. Oct. 649. — 19. Oct. 649. — 21. Oct. 649. — 24. Oct. 650. — 29. Oct. 650. — 11. Nov. 627. — 19. Nov. 650. — 25. Nov. 650, 651, 652. — 1. Dec. 651. — 2. Dec. 651. — 5. Dec. 652. — 6. Dec. 653. — 10. Dec. 652. — 11. Dec. 653. — 13. Dec. 654. — 29. Dec. 655.

1348. 13. Jan. 657. — 20. Jan. 657. — 23. Jan. 657. — 28. Jan. 658. — 25. Febr. 659. — 28. Febr. 659. —

13. Mart. 659. — 14. Mart. 660. — 19. Mart. 657, 660. — 21. Mart. 660. — 30. Mart. 689. — 16. Apr. 661. — 24. Apr. 661. — 25. Maii 664. — 15. Jun. 664. — 22. Jun. 664. — 26. Jun. 664. — 5. Jul. 665. — 13. Jul. 665. — 3. Aug. 666, 677, 688. — 15. Aug. 667. — 16. Aug. 668. — 26. Aug. 668. — 25. Sept. 669. — 3. Oct. 670. — 6. Oct. 664. — 16. Oct. 670. — 20. Oct. 670. — 21. Oct. 670. — 3. Nov. 694. — 4. Nov. 670. — 30. Nov. 671, 698. — 19. Dec. 671.

1349. — — 705. — 13. Jan. 671. — 30. Jan. 671. — 6. Febr. 671. — 9. Febr. 672. — 10. Febr. 673. — 11. Febr. 673. — 23. Febr. 674. — 25. Febr. 681. — 4. Mart. 677, 688. — 9. Mart. 674, 676. — 11. Mart. 674. — 18. Mart. 676. — 20. Mart. 674. — 22. Mart. 675. — 23. Mart. 675. — 30. Mart. 676, 677. — 1. Apr. 677. — 7. Apr. 677, 678. — 11. Apr. 678. — 15. Apr. 677. — 18. Apr. 681, 682. — 20. Apr. 678, 689. — 27. Apr. 678, 683. — 1. Maii 678, 680, 682. — 5. Maii 679. — 6. Maii 680. — 16. Maii 680. — 23. Maii 684. — 28. Maii 680, 684. — 2. Jun. 684. — 3. Jun. 684. — 7. Jun. 685. — 8. Jun. 685. — 14. Jun. 686. — 28. Jun. 689. — 29. Jun. 687, 688. — 1. Jul. 686. — 2. Jul. 687, 689, 702. — 4. Jul. 688, 689. — 7. Jul. 689. — 18. Jul. 690. — 31. Jul. 690. — 31. Jul., 27. Aug. 695. — 1. Aug. 669, 691. — 6. Aug. 690, 691, 694, 697. — 8. Aug. 691. — 14. Aug. 691. — 18. Aug. 696. — 20. Aug. 691. — 21. Aug. 692. — 24. Aug. 692. — 26. Aug. 693. — 26. Aug. 694. — 27. Aug. 691. — 3. Sept. 695. — 6. Sept. 696. — 8. Sept. 697. — 10. Sept. 696. — 27. Sept. 697. — 28. Sept. 699, 700, 701. — 6. Oct. 701. — 9. Oct. 701. — 27. Oct. 702. — 18. Nov. 984. — 28. Nov. 703. — 4. Dec. 703. — 7. Dec. 691. — 9. Dec. 704.

1330—1349. 705.

1331—1349. 11. Jun. 706.

1350. 13. Jan. 705. — 4. Mart. 705.

1364 9. Apr. 166. — 13. Maii 154.

1366. 21. Jun. 106.

Budapest Főváros Levéltára - Budapesti Főegyházmegyei Érseki Levéltár

ERRATA CORRIGE.

A) In litteris:

Pag.	Nr.	Lin.		
14.	32.	5.	supersitites	*lege* superstites
16.	35.	1.	Iwaca	„ Iwanca
17.	36.	13.	curavunt	„ curarunt
34.	62.	30.	MCCXXIII	„ MCCCXXIII
43.	77.	22.	castrentes	„ castrenses
57.	100.	3.	canocicis	„ canonicis
65.	109.	4.	Beata	„ Beate
76.	133.	32.	Mich	„ Mikch
83.	146.	37.	medieatas	„ medietas
90.	157.	29.	Fidelitate	„ Fidelitati
92.	157.	46.	Domine	„ Domini
96.	159.	9.	ed	„ ad
102.	162.	18.	Slanta	„ Glanta
136.	200.	3.	Wospan	„ Wosyan
221.	330.	17.	satutum	„ statutum
229.	344.	4.	prorogassemum	„ prorogassemus
234.	350.	20.	ed	„ ad
259.	380.	24.	item Wedreed sex	„ item Mykohelmes, item nobiles in valle Wedreed sex
273.	397.	17.	accendo	„ accedendo
324.	470.	2.	presencium	„ presenciam
332.	483.	5.	relatem	„ relatum
360.	527.	16.	alo	*lege* alio
363.	527.	27.	ostendenderunt	„ ostenderunt
417.	597.	33.	requisionem	„ requisicionem
431.	600.	24.	cuis	„ cuius
479.	628.	ult.	possessessiones	„ possessiones
489.	644.	8.	presonaliter	„ personaliter
502.	666.	27.	quidenarum	„ quindenarum
508.	671.	2.	manifici	„ magnifici
513.	676.	3.	Wodketh	„ Wodkerth
520.	680.	3.	potonotarius	„ protonotarius
581.	771.	ult.	2. Maii	„ 9. Maii
583.	771.	12.	alis	„ aliis
584.	771.	20.	confirmitatis	„ confirmatis
598.	787.	34.	consitucionum	„ constitucionum
601.	791.	pnult.	ecclesiastiastice	„ ecclesiastice
636.	829.	14.	S1. Febr.	„ 21. Febr.
644.	837.	4.	Hungariae	„ Hungarie
645.	839.	2.	ecclesiae	„ ecclesie
651.	852.	27.	Lodouci—Mychaem	„ Lodouici—Mychaelem
652.	854.	20.	1379.	„ 1279.
693.	931.	11.	Tonch	„ Touth
699.	938.	11.	quaram	„ quarum
712.	965.	ult.	regn	„ regni

B) In argumentis:

Nr.		
2.	facta	*lege* factae
37.	udvarnicoram	„ udvarnicorum
38.	civitatuum	„ civitatum
47.	prepositum-inferendorum	„ praepositum-inferendis
67.	Strigoniensem	„ Strigoniense
70.	testatur	„ testantur
74.	Posoniensem	„ Posoniense
77.	piscaturum	„ piscaturam
95.	construeredi	„ construendi
100.	ecclesia	„ ecclesiae
108.	ei	„ et
118.	praepositare	„ praepositurae
135.	pape	„ papae
145.	prepositus	„ praepositus
172.	curie regie	„ curiae regiae
179.	ecclesie	*lege* ecclesiae
186.	tuendum esse	„ tuiturum esse
193.	Andrea	„ Andreae
202.	quaedam	„ quasdam
217.	depositos esse	„ deposuisse
281.	elocari	„ elocare
221.	inquiret-statuet	„ inquirat-statuat
252.	dari	„ dare
271.	domos et possessiones	„ domibus et possessionibus
275.	declarant	„ declarent
280.	contestat	„ contestatur
281.	prohibuissent	„ prohibuisset
286.	tractanda mandata apostolica	„ tractandis mandatis apostolicis
291.	lingue	„ linguae

Egyetemi Könyvtár és Országos Levéltár Pécsi Egyházmegyei Központi Levéltára

Nr.		
293.	Stephano	*lege* Thomae
302.	ecclesie	„ ecclesiae
304.	decimas—pertinentes	„ decimis—pertinentibus
312—13.	inquiret	„ inquirat
314.	Benedicto	„ Benedicti
323.	30. Oct.	„ 6. Nov.
369.	dicti	„ dicto
382.	ecclesie Jauriensis	„ ecclesiae Jauriensi
394.	quadam	„ quandam
395.	cognatione—Ecser	„ cognationem—Ecset
401.	sui	„ suo
407.	peraget	„ peragat
413.	protestatum	„ protestatos
420.	justitia	„ justitiae
423.	promeveri	„ promoveri
435.	Nicolao	„ Nicolai
440.	inquiret—detinet	„ inquirat—detineat.
459.	archiepiscopi	„ episcopi
460.	filius de Bors	„ filius Perchtoldi de Bors
477.	distinguet	„ distiguat
479.	Posoniensem—voivode	„ Posoniense—voivodae
493.	conferri	„ conferre
496.	Inquisitoria	„ Inquisitoriae
519.	eandem	„ eadem
528.	cardinalium—capitularis—existentis	„ capitulari - existenti
533.	pertinentem	„ pertinentes
537.	retineri	„ retinere
542.	detineri	„ detinere
548.	14. —	„ 14. Dec.
553.	inquiret	„ inquirat

Nr.		
557.	quadam	*lege* quaedam
564.	distinguet	„ distinguat
579.	compositum	„ compositam
588.	spoponsos esse	„ spopondisse
603.	suam. — oppignoresse	„ suam — oppignorasse
608.	apostolice—solutum esse	„ apostolicae—solvisse
609.	praepositurum	„ praeposituram
611.	indicio	„ iuditio
616.	dividet	„ dividat
624.	inquiret	„ inquirat
630.	expeditum	„ expeditam
642.	facta	„ factae
652.	preposito—conferetur	„ praeposito—conferatur
664.	prelatis—inquirent	„ praelatis—inquirant
665.	magisti	„ magistri
690.	exmittent	„ exmittant
691.	committetur	„ committatur
695.	Jauriense	„ Jauriensem
703.	facienda	„ faciendam
717.	collata Siffrido, abbati	„ collata Vito eppo Nitriensi ad preces Siffridi abbatis
719.	recaptivari	„ recaptivare
734.	inquiret	„ inquirat
737. 767.	conferetur	„ conferatur
777.	invadentis	„ invadentem
842.	emanatas	„ emanata
861.	exsolvi	„ exsolvere
894.	construi	„ construere
943.	movere intenti	„ movendae
964.	assignant	„ assignent

C) In notis:

Nr.		
248.	p. 177.	*lege* p. 477.
326.	monastrat	„ monstrat
360.	antem	„ autem
362.	Lodomorie	„ Lodomerie
538.	*Addendum:* Literas has anno 1340. 1. Aug. datas esse evidenter falsum est, quia hoc anno palatinus Hungariae adhuc Willermus Drugeth fuit, — qui et a. 1342. 8. et 15. Jul. adhuc suo nomine literas edidit. (Cf. nr. 619., 621.) Nicolaus palatinus apparet nobis a. 1342. 20. Oct. in quibusdam literis (Cf. nr. 628.) ubi Drugeth iam quondam palatinus nominatur. Literas ergo Capit. Poson. non ante a. 1343. emanatas esse pro patulo est.		
617.	Alecta	*lege* Analecta
771.	linquam	„ linguam
858.	ROTA TORTONE	„ ROTA FORTVNE

Esztergomi Érseki Könyvtár Budapesti Egyházmegyei Könyvtára